Digitized by Google

31. Aa. 60.

MENTEM ALIT ET EXCOLIT



K.K. HOFBIBLIOTHEK
ÖSTERR. NATIONALBIBLIOTHEK

31. Aa. 60


Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

ALPHONSI

MENDEZII

THEOLOGIA CATECHETICA.

Digitized by Google

Digitized by Google



BRAN-HAYMANOT
ID EST
LUX FIDEI
IN EPITHALAMIVM AETHIOPISSÆ, SIVE IN NVPTIAS VERBI ET ECCLESIÆ

AVTHORE
ALPHONSO MENDEZIO
Aethiopiæ Patriarchâ, Lusitano, Soc. Iesu, S. Theologiæ Doctore et S. Scripturæ in Conimbricensi et Eborensi Academiâ quondam interprete.

OPVS POSTHVMVM
IN XII. LIBROS CATECHETICOS DISTRIBVTVM
SVB AVSPICIIS
PETRI. II.
POTENTISSIMI LVSITANIÆ ET ALGARBEI REGIS, PRODIT IN LVCEM.

Coloniæ Agrippinæ.

Sumptibus Balthasaris ab Egmond & Sociorum M.D.C.LXXXXII.

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK

Digitized by Google

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO

PETRO II.

LUSITANIÆ REGI.

EMICAT ab Oriente, Rex Augustissime, & in lucem prodit nova LUX FIDEI, quam ad depellendas Æthiopiæ tenebras quondam elucubraverat, & tum verbo, tum scripto per Regiones Africanas infidelitatis & hæresum atrâ nocte sepultas dispersérat Illustrissimus illius Imperii Patriarcha Alphonsus Mendez è Societate JESV Lusitanus, Catechismus nimirum Æthiopicus, seu Theologia Catechetica, quam ad confutandas hæreticorum & Schismaticorum Æthiopum, & aliorum in Africa nomine tenus Christianorum, errores, non tam persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quàm solidis recondita scientiæ fundamentis innixam, & nervosis abditissimæ doctrinæ rationibus refertam magnus illius Gentis Prædicator & ore docuit, & stylo prorsùs egregio, magnis Ecclesiæ primitivæ Doctoribus non inferiore composuit. Librum verò conveniente titulo BRAN-HAYMANOT, id est, LVCEM FIDEI compellavit, & in lucem edere linguâ gentis & Æthiopicis etiam characteribus cogitavit.

Sed occiderat illa lux cum Authore suo moriente, moriens quodammodò priùs quàm oriretur, latuitque adeò, ut eisdem penè cum sepulto Patriarcha cineribus obruta, & eodem tumulo consopita videretur. Quamquam enim ipsam veluti pharum aliquam navigantibus Æthiopicum mare palàm erigere Libro typis vulgato statuisset Alphonsus, magnis tamen consiliis hinc indè varia rerum & temporum intervênere obstacula, & mors ipsa tandem sydus extinxit, antequam radios hosce publicè diffunderet; Librum autem ipsius invidia fati annos plusquã triginta tenebrosis quodammodò nubibus seu nebulis involvit.

Digitized by Google

KAISERLICHE KOENIGLICHE
WIEN
HOFBIBLIOTHEK

Digitized by Google

SERENISSIMO, POTENTISSIMO, INVICTISSIMO

PETRO II.

LUSITANIÆ REGI.

EMICAT ab Oriente, Rex Augustissime, & in lucem prodit nova LUX FIDEI, quam ad depellendas Æthiopiæ tenebras quondam elucubraverat, & tum verbo, tum scripto per Regiones Africanas infidelitatis & hæresum atrâ nocte sepultas dispersérat Illustrissimus illius Imperii Patriarcha Alphonsus Mendez è Societate JESV Lusitanus, Catechismus nimirum Æthiopicus, seu Theologia Catechetica, quam ad confutandas hæreticorum & Schismaticorum Æthiopum, & aliorum in Africa nomine tenus Christianorum, errores, non tam persuasibilibus humanæ sapientiæ verbis, quàm solidis recondita scientiæ fundamentis innixam, & nervosis abditissimæ doctrinæ rationibus refertam magnus illius Gentis Prædicator & ore docuit, & stylo prorsùs egregio, magnis Ecclesiæ primitivæ Doctoribus non inferiore composuit. Librum verò conveniente titulo BRAN-HAYMANOT, id est, LVCEM FIDEI compellavit, & in lucem edere linguâ gentis & Æthiopicis etiam characteribus cogitavit.

Sed occiderat illa lux cum Authore suo moriente, moriens quodammodò priùs quàm oriretur, latuítque adeò, ut eisdem penè cum sepulto Patriarcha cineribus obruta, & eodem tumulo consopita videretur. Quamquam enim ipsam veluti pharum aliquam navigantibus Æthiopicum mare palàm erigere Libro typis vulgato statuisset Alphonsus, magnis tamen consiliis hinc indè varia rerum & temporum intervênere obstacula, & mors ipsa tandem sydus extinxit, antequam radios hosce publicè diffunderet; Librum autem ipsius invidia fati annos plusquã triginta tenebrosis quodammodò nubibus seu nebulis involvit.

Digitized by Google

Verùm non debuit latêre diutiùs, nec abscondi sub modio tam diuturnis noctu diúque studiis elaborata lucerna, quæ supra candelabrum posita ampliore lumine quàm ulla Cleantis alicujus aut Epicteti, lucere poterit omnibus per totum Orientem Austrúmque dispersis Africæ Asiæque populis, ignorantiæ cæcâ caligine damnatis. Et licèt ereptum obitu nobis lugendo fuerit Astrum, post nubila tamen clariùs emicare virtus illius & doctrina debuerunt. Quare Goana Societatis JESV Provincia genuinum hunc filii sui partum post mortem Parentis conservans, & jure meritissimo suum agnoscens, tandem aliquandò explere vota voluit Authoris, & quam dudum videre merebatur publicam lucem, illâ donare Opus tam egregium & Illustre prudentissimè decrevit.

Licèt autem intrinseca jam & propria claritate fulgeret, non debuit tamen ex Indis Orientalibus supra horizontem hunc nostrum Europæum ascendere, nec universo se Mundo palàm exponere, nisi novos à Lusitano SOLE radios accerseret, & lucentis simul & ardentis in Occidente Phœbi splendoribus ornaretur.

SOL ille fulgentissimus, Phœbusque lucens & ardens, Tu nobis es, PETRE REX Serenissime, qui splendidas quotidie faces, non in Occidentem modò nostrum, sed in omnem latè Terram quaquà versùm ejacularis, quibus lucem infidelibus, Catholicis frigidis ardorem, vigorem tepidis, & emortuis penè Christianis affundis: Tu novos quotidie fidei magistros ex quavis Europæ natione selectos in Africam, Asiam & Americam propugnandæ Religionis studio submittis: Tu sumptus & expensas innumeras in solidandam ubique rem Christianam munificentia planè regiâ suppeditas. Tu dilatare JESV CHRISTI Sacrum Imperium novis in dies digniscque Rege conatibus allaboras. Tu denique Societatis nostræ Lusitanicæ ac in primis Goanæ Provinciæ Protector, Pater, Fundator & Monarcha supremus, tuo nos favore foves, recreas, animas, accendis, illuminas, & illustras. Vndè dum majorem à Sole lucem lux edenda postulabat, meliorem, quàm à Te, Phœbe noster exspectare non potuit. Quare tuis prodire gestit circumfusa fulgoribus, quæ tibi soli velut Soli suo consecrata, fautorem vel illustratorem alium quærere non debuit. Nam cui demum alteri dedicari par est Opus illud Æthiopicum, totum quantum est asse tuum: novit Orbis & ex edenda Alphonsi vita & Æthiopicæ expeditionibus cognoscet, fructum omnem quem progerminavit ultimis hisce sæculis, aut progerminabit aliàs Christianitas Æthiopica vectigalem esse debere potentissimis Lusitaniæ Regibus.

Decessores & majores tui Serenissimi, Zelosissimique fidei propagatores jam ab annis amplius ducentis agitaverunt in Lusitania de indagando terrâ marique magni, ut dicebatur, Joannis Presbyteri, quem audierant esse Christianum, imperio. Et mari quidem Henricus Princeps

Joannis

Digitized by Google

Joannis I. filius, terrâ Joannes II. anno 1487. prima molimina tentârunt Æthiopiam detegendi: Emmanuël deindè magnus in detectam prioribus annis 400. selectissimos Lusitanos destinavit qui sub Joanne III paterni sceptri hærede anno 1541. feliciter eò pervenêre. Annis deindè sequentibus, magnas semper expeditiones submissis Patriarchis & Episcopis continuârunt vario successu Reges successores, donec Alphonsum hunc Majestatis tuæ sereniſsimus Parens suavissimæ memoriæ Joannes IV. rebus in Æthiopia desperatis, Patriarcham exulem ad Goanas Insulas & Primatum Indiarum nominavit.

Innumeris itaque titulis debitum Majestati tuæ posthumum hunc partum filii sui præsentat demississimè Goana nostra Provincia, nec dubitat à Te velut amantissimo Societatis JESU parente complectendum & regio fovendum amplexu: Lusitanus enim fuit, & Societatis Lusitanæ, & Provinciæ Goanæ, & Conimbricæ Sacrarum Paginarum Professor & Doctor Eborensis, & Æthiopicus Patriarcha, & Goanus Archipræsul electus, adeóque totus sempérque tuus, Rex Serenissime, quovis nomine subditus Alphonsus, cujus partus à tua Majestate adoptandus offertur.

LUX est FIDEI quam exhibet à filiis tenebrarum ex Æthiopiâ profligata pulsis cum luce Religiosis omnibus qui eandem intulerant, & per mille vitæ discrimina & inimicorum insidias usque ad sanguinem tueri conabantur.

Dolor est meminisse socordiâ Lusitanorum & animorum inter se dissensionibus accidisse, quòd tenebricosas Orci furias cõtra lucem illam prævalere videamus. O quantis in urbibus & locis dilacerata jacent & calcata Crucifera vexilla quæ nostri tanto cum molimine majores erexerant! Quot in regionibus squallida luget & ingloria Religio sancta, quam tantâ cum gloriâ florentissimam Heroës isti reliquerant! Succussa corruit & evulsa in nobilissimis Indiarum Orientalium insulis fides Christiana, tanto quondam cum labore plantata, rigata sudore, vegetata sanguine, pauculis hæret inclusa Goanæ ditionis limitibus, quæ nullis olim terrâ vel mari terminis circumscribi poterat vastissima potestas. Erat cùm fremeret Orbus ad Lusitanicam fortitudinem; formidabant hostes fidei Portugallicæ nomen, expavescebant arma, signa metuebant. Infidelibus Barbaris, Indis, Æthiopibus, Mahometanis terrori vel stupori erat prodigiosa felicitas. Amabant Lusitanicæ sese Coronæ subdere potentissima Orientis Regna, & quærebant ultrò jugum bellicosissimi populi, à quo non onus, sed honorem & decorem exspectabant. Sed, proh dolor! obtrita modò jacet in Indiis illa Lusitanici nominis æstimatio, obsoleta squallet memoria, extincta lux, obscurata gloria. Insultant impunè nobis Mahometani, Barbari, hæretici, Christianos opprimunt, fideles pervertunt, Catholicos exturbant, Confessores & Religiosos exterminant persequuntur Apostolos, & trucidant.

Tuum

Digitized by Google

Epistola Dedicatoria.

Tuum est, Rex Potentissime, pristinum reddere Lusitanico nomini splendorem, & obsolescentem diù gloriosam ubique famam renovare. Tuum est, Phœbe noster, novas modò flammas & radios quaquaversum diffundere: Tuum Christianitatis hostes, & Crucis Christi inimicos, lucis osores, vespertiliones, & noctuas profligare: Tuum magnis cum Sole cursibus & expeditionibus Orbem peragrare: Tuum pro Deo, pro Fide, pro Religione, pro Ecclesia, pro Regno fortissimis armis & præliis decertare: Tuum glorioſissimis coruscare victoriis & triumphis.

Id nimirùm exigunt à Majestate tuâ tuis impressa signis Sacratissima Salvatoris nostri vulnera: Id suspirant vocales adhuc Orientalium Martyrum in Indiis, Japoniâ, & Æthiopiâ Cineres. Id expostulat Orientis Stator Xaverius, cui Te cœlum nuperrimo beneficio singulariter obstrinxit, cùm Principem nostrum JOANNEM tot votorum metam ad illius invocationem manifesto tantùm non miraculo concessit. Id ipsum efflagitant magnarum animarum prodigi Duces & Heroës Lusitani, qui pro Æthiopia ad Romanam Ecclesiam adjungenda, & à Schismaticorum & Mahometanorum jugo vindicandâ vitam & sanguinem generosissimè profuderunt. Id jure cognationis urgent anteacta Lusitanorum Regum Magni Emmanuelis, Joannis III. Sebastiani & reliquorum exempla. Id denique prodigiosis in infantia spiritibus, caloribus, animisque Martialibus, quos vagiens spirat, JOANNES ille tuus & noster surgentis Imperii spes certa deposcit, ut inveniat ipse maturior paratas jam ubique vias & apertos aditus, per quos ulteriùs arma victoriosa circumferat, discátque paternis exemplis & ductibus, fortem se forti creatum; nec volet umbellis esse columba, dum se viderit Aquilâ feroce progenitum. Age igitur secundis auspiciis qui PETRVS es hoc nomine SECVNDVS, & JOANNI PRINCIPI tot Asiæ Africæque Regna Christi jugo subjuganda, & novâ luce collustranda digito commonstra, utque LVX FIDEI Typis edita plurimùm apud Infideles & Schismaticos aliquandò proficiat, Tu per submissos à Te viros & ex omni natione Heroes Apostolicos fugatam ibi SECVNDO restitue, ubi quondam majores tui Serenissimi tantâ cum gloriâ PRIMAM intulerunt. Hoc si feceris, tum verò novos latentes in tenebris & umbra mortis caliginosa populos eadem luce collustrandos invenies. Ità vovet, sperat, & optat

MAJESTATIS TUÆ

DEVOTISSIMA GOANA
PROVINCIA SOCIET. JESU.

Digitized by Google

PRÆFATIO AUTHORIS
AD LECTOREM.

CUM Prophetam Deus priùs jusserit, *evellere, destruere, dissperdere, & dissipare* tùm verò ædificare, & plantare; ne si ante eruderationem fundamenta jaceret; ludificari: & si ante spinarum excisionem, & combustionem sereret, prævaricari, nec vites, aut frumentum, sed vepres, & carduos colere; & expectare videretur. Mihi ad restaurandas Æthiopicæ domus ruinas, & Romanam Fidem in glareoso, & senticoso solo plantandam dimisso; nihil fuit antiquius, quàm ut chirothecis; non quidem pelliceis; aut sericis; sed ferreis; & calceis haudquaquam alutarii, vel phrygionis discursu picturatis, sed aheneis munitus, metotum ad destruendum; exscindendum, evellendum; & incendendum compararem; discens, quod Eugenium summum Pontificem monebat D. Bernardus, *ut facerem opus Prophetæ, sarculo mihi opus esse*, vel potiùs dentato ligone; ac bipalio; non aureo sceptro; baculo argenteo, vel tiarâ. Ut verò in Patrum labores; & opulentam messem, immeritus ipse introivi, sic ipsi me stivæ, ac rastri consortem esse voluerunt; mihi delegatâ Catechismi Æthiopici aratione: Libri Synodorum inter eos vulgati pastinatione; ac repurgatione; & notorum ipsis Patrum adversus familiares errores collectione. Hæc, & Catechismus ad colophonem pervenerant; Synodi verò ad sextam œcumenicam. Sed cùm ab Hæreticis nostra Sede extruderemur anno 1633. die 11. Aprilis sacrâ Magno Leoni (qui ut ipsis est terrori, sic pari execrationi) in generali bonorum nostrorum (quorum major, & ptetiosior pars Libri erant, direptione, deserto in loco à grassatoribus patrata, cætera perierunt, exceptis quibusdam Catechismi fragmentis, qui in annuo *Suagueni* carcere ex fortuito Capellani mei transsumpto resarsi, ac redintegravi. Sed cùm illum in hoc Indico exilio, sivè otio propter opificum Typographicæ Artis imperitiam, ipsorúmque Abassinorum inopiam (è quibus unum tantùm ad latus habeo) Typis mandare non possem, iis impulsoribus, quibus & credere, & cedere debeam, animum appuli, ut Opus Æthiopico idiomate contractiùs inceptum, Catechismi nomine, in Epithalamii nuptiarum, non quidem Moysis, & Æthiopissæ, sed sub illarum allegoria, Verbi, & Ecclesiæ ad meum solatium commutato, in usum etiam omnium Missionariorum Orientalis Ecclesiæ, eorum Patrum, qui in ea impensioris sunt auctoritatis, testimoniis locupletatum Latio donarem, ut ii,

Ierem. 1. 10.

L. 2. de Consid. ad Eugenium.

Digitized by Google

quibus commissus est Oriens, schismatis & hæresum tenebris expurgandus, in promptu habeant & faces & arma, quibus erumpens quodvis Hydræ caput amputent, & amburant; & ii, quos in Æthiopiam Deus intulerit, quidlibet controversum facili negotio in vernaculam linguam transferant, & Typis, quos hîc asservatos secum invehere poterunt, commendent. Omnes enim errores Æthiopici tanquam Samsonis vulpes, ardentibus caudis implexi sunt; non solùm cum Alexandrinis, sed cum Græcis, Syris, Armeniis, Georgianis, Babyloniis, & Montanis D. Thomæ Christianorum in ora Malabarica, ut didici ex colloquiis Missionariorum Apostolicorum, qui Regiones illas perlustrârunt. *Hæretici enim solis nominibus separati*, inquit D. Hieronymus, *impietate sunt concordes.* Et D. Ambrosius, *Plura nomina, sed una perfidia.* Catechismum igitur ante omnia elucubrandum, elimandúmque suscepi, in quem omnes Abassinorum errores ex Alexandrino horreo haustos, velut in facem compingerem ad comburendum. Sed quia arbustivum, & feraciſſimum illorum est plantarium is Liber, quem Abassini dicunt *Haymanot Abbau*, ideſt, Fidem Patrum, ex multis Orthodoxorum Patrum fragmentis, aliquandò veris, ac genuinis, sed frequenter in Eutychianam hæresim divaricatis coagmentatum, Theseo P. Ludovico Carderia è Societate JESU, Pacensi, omnium commilitonum biblicæ Æthiopum Linguæ peritissimo: (qui ante quatuor annos claro Romanæ fidei testimonio corpus & calamum Deo appendit in nundinis Tambenensibus Regni Tigræi ob illius prædicationem, & defensionem lapidatus, ac suspensus:) & duobus illius discipulis à meo Sacello, illum ex Æthiopico idiomate in Latinum converti; ut, quæ in illo sunt salutaria, mihi semper ad parandum antidotum, noxia ad confutationem præsto essent. Et quia Patres aliqui in eo Libro plura habent segmenta, sivè partes, quarum initia plerumque apud Abassinos minio distinguuntur, illis numero ordinatim adjeci, ità ut D. Athanasius quindecim partes, seu fragmenta habeat: D. Joannes Chrysostomus (quem ipsi dicunt *Afaorea*, ideſt, *Os aureum*:) quatuordecim; D. Cyrillus Alexandrinus quinquaginta quinque. Cùm igitur ad marginem alicujus testimonium inveneris: *D. Athanas. p. 14 n. 31.* & sic in aliis Patribus, intellige, sententiam indicatam contineri in libro Æthiopico, in eo singulorum Patrum fragmento, & numero, qui designatur.

D. Hieron. epist. ad Tesiphont. adverſ. Pelagian. D. Ambros. lib. 1. de fide. c. 4.

Sed cùm hæc fragmenta numeris distincta solùm reperiantur in meo exemplari, & aliis duobus, vel tribus, quæ ex illo transumpta fuerunt, in eorumdem Patrum auctographis facilè reperiri non poterunt, nisi fortè simul à me citetur locus, undè excerpta fuerunt. Ut cùm lib. 5. cap. 24. n. 400. proponitur celebre testimonium D. Cyrilli Alexandrini de duabus in Christo naturis, & ad marginem adnotatur, *p. 14. num. 6. & p. 24. num. 1.* & mox: *ex Epist. 28. ad Joan. Antiochenum*, noscendum est, illud testimonium

Digitized by Google

nium bis repeti in libro Æthiopico, desumptum verò fuisse ex Epistola vigesima octava ejusdem sancti Doctoris, in vulgatis ipsius apud nos exemplaribus, qui allegandi ritus non rarò occurret.

At quia in hæresibus profligandis nihil est tam palmarium, quàm turritum, ac procacem Philistæum suo gladio obtruncare, & *ipsæ scipsas non rarò jugulant*, ut advertit Nazianzenus, nullum non movi lapidem, ut illa Patrum fragmenta, quæ in eo libro circumferuntur, in ipsorum Operibus invenirem; & quamvis plurima repererim, me non pauca latuerunt, non tam ob nullam in quærendo indiligentiæ labeculam, quàm quod originalia, aut temporum injuriâ interciderint, aut à corruptoribus, usque ad notarum eversionem fuerint adulterata. Nec me vota defecerunt menda expurgandi, & obscura luce conspergendi, & cujusque fontem consectandi; quo studio non pauca ex Lusitania petivi; sed nec tempus hactenùs sum nactus hujus Catechismi liciis impeditus; nec linguæ Æthiopicæ Notarios, commeatu adeò præcluso, ut per totum hoc à mea illinc depulsione decennium, nullum indè elicere potuerim, cùm multos per singulos annos crebris hortationibus, & pollicitationibus provocaverim: non tamen absistam, donec pensum istud primâ jam delineatum manu, summæ adjectu ad coronidem educam. D. Greg. Naz. carm. 2. de Filio, in princip.

In pervertendis Patrum tam Latinorum quàm Græcorum nominibus miræ sunt, & perspicacissimo etiam Oedipo abstrusissimæ Alexandrinorum & Abassinorum Metamorphoses. Nam D. Dionysium Areopagitam dicunt Deonaceos Areosfagos, Silvestrum Selabastron, vel Solpetros; Julium Abolidim, Innocentium Ayocandium; Ambrosium Aforosium: Atticum Attifos; Proclum Heraclis & Abraclium; & sic in pluribus aliis. Ergo antiquariorum imitatores, quandò Æthiopicè loqui non possumus Æthiopicis his nominibus interdùm utimur, quod cùm Abassino colloquamur; qui cùm sciolus sit, illud nobis ex Tertulliano poterit objectare: *Ubi religio, ubi veneratio majoribus debita à vobis; Habitu, victu, instructu, sensu, ipso denique sermone proavis renuntiastis.* Sed ne quemquam horum nominum novitas, ac desuetudo perplexum reddat, illorum, & Abassinorum, quæ inter legendum occurrent, & plerumque mystica sunt, indiculum ad Operis calcem subjiciemus. Rerum verò non tam Indicem, quàm Compendium ordinavimus, ut vel solus absque toto volumine, Missionariis sit instar viatici, ac promptuarii. Tertul. in Apolog. c. 6. n. 89.

Æquali etiam nixu studiosis compendiariam Theologiæ, & Confessariis casuum conscientiæ summam in hoc Opere contexere laboravi, quod pari utriusque tam vi, quam illi necessitate, & aviditate premantur. Ingenio enim Abassini plerumque sunt peracri, & perspicaci; & ideò forsan ab Isaia post negotiationem Æthiopiæ dicuntur *Sabaim viri sublimes*, non quidem divitiis (nam præter ob- Isai. 45. 14

Digitized by Google

vias, quas terra ultrò fundit, arte laboratas nullas possident) sed ingeniis, quorum celsitate, & acumine Lusitanos, & Italos quos in Romana fide magistros habuerunt, suis interrogationibus ad volatum in altiora adigebant: Magistri enim ad discipulum aquilinæ mentis acie sua sensa prævolantem illam esse vocem docet D. Ambrosius: *Averte oculos tuos à me, quia ipsi me avolare fecerunt.* Nec illorum præstantia ulli omninò Europæarum genti cederent, si quam habent in pertractandis negotiis, & rimandis Fidei mysteriis perspicaciam, constantiæ saburrâ solidarent. In eos enim oculos intendisse videtur D. Joannes Chrysostomus, cùm asseruit, curiosos sine remis, ac velis audacter navigare. Nam cùm nulla apud eos sint Philosophiæ, vel Theologiæ cœmenta, sed sola quædam Patrum analecta ex Græca lingua in Arabicam, ex Arabica in Copticam, & ex ista in Æthiopicam cicatricosâ interpretatione translata, adeò confidenter in primæ salutationis aditu reposcunt, ut sibi Sacrosancta Trinitatis, Incarnationis, & quævis abstrusiora Fidei mysteria explicentur, quasi ipsis, non jam *unius diei Theologis* (quod esse proprium Hæreticorum advertit summus Theologus, quem ipsi vocant *Nebabi Melacot*, ideſt, *loquutorem divinitatis*) sed unius horæ, ac momenti omnia subitò essent inspiranda, aut in mentem quasi per infundibulum ingerenda.

D. Ambros. de Isaac. & anim. cap. 7. Cant. 6. 4.

D. Ioan. Chrysost.

D. Gregor. Naz. orat. 33.

Igitur ut percuntatorum pruriginem scalperem, & sciendi cupidorum appetentiam sedarem, atque discentibus in Cœnobiis (quæ solæ apud eos sunt Academiæ, nec omnibus universim, sed solis confinibus expositæ,) filum aliquod concrederem: quo paulatim ad augustiora fidei arcana, & Theologiæ adyta ducerentur, in secundo, ac tertio Libro aliquos illius, & Philosophiæ terminos explanavi. Quæ docendi ac discendi ratio sic Candidatorum animos allexit, ut Senator Oldâ Christos (quo interprete sum usus ad hunc Catechismum, biblicâ regionis linguâ donandum, quòd jam Patribus Societatis JESU in eodem munio egregiam operam navasset; quíque in quamvis Theologiæ difficultatem ipsi à me enucleatam non minùs lynceus erat, quàm apud nos trium, vel quatuor annorum Theologus; & in hac persecutione ab Hæreticis creditur occisus) dicere solitus fuerit, novam à me semitam Dei agnoscendi Æthiopiæ demonstratam. Cùm enim hactenùs corporaturam, ejusque dimensiones Deo affingeret, in scrutanda ipsius natura, & attributis Andabatarum more digladians, pedes & mentem ad immanium errorum offendicula allidebat. Ut verò illud speculativæ doctrinæ libamen satis est ad leniendam (sinon satiandam) curiosorum aviditatem, sic quæ tribus posterioribus de Morali proponuntur, abundè sufficiunt ad Confessionis tribunal ritè dirigendum, & animos tam judicum, quàm reorum tranquillandos. In eos enim conjecimus, quidquid in secreto illo foro inter Æthiopes esse potest controversum, cùm apud eos non visantur illæ usurarum technæ, & contractuum tricæ, quibus nostri implicantur,

Digitized by Google

plicantur, ſed quædam minuſculorum criminum ultra circumciſionem, & nuptiarum disjunctionem, appendices. Vereor tamen, ne dum in Moralibus brevis eſſe laboro, obſcurus fiam. Sed hunc timorem elevat, quòd hæc non tam indoctis, quàm doctis, imò aliorum doctoribus ſcribuntur, ut parata habeant, quibus rudiores poſſint erudire, & quæ ipſi non perceperint, illuſtrare.

Ubi in aliqua incurreris, quæ tibi longiora videbuntur, ut Libro primo in Chriſti unctionem, & legalium uſque ad ſatiem confutationem: Secundo, Tertio, & Quinto in naturæ, ac perſonæ; ſivè ſubſtantiæ, & hypoſtaſeos (quod Siſyphium eſt Æthiopiæ ſaxum) diſtinctionem: Tertio in Spiritus ſancti à Patre, & Filio proceſſionem: Quinto in duarum naturarum aſſertionem. Sexto in divinitatis nec natæ, nec mortuæ Oſtenſionem; Septimo in Romanæ Eccleſiæ primatum, Dioſcori arrogantiam, & vulpinam Eutychetis ſimulationem; Octavo in Indulgentiarum, & Purgatorii confirmationem; Decimo in Maleficorum, & Sabbatariorum compreſſionem; Undecimo in tollendam laicis ſub utraque ſpecie Communionem; in ciborum delectum, & jejunii in Sabbato defenſionem, & Duodecimo in circumciſionis abrogationem, rebaptiſationem, Clericorum cœlibatum, polygamiam, uxorum permutationem: Et alia leviora; ut in corporis ſarcinam, & craſſitiem, vocalémque locutionem à Deo, & tenebras à creaturarum numero ablegandas. Ne in animum inducas tuum, me, ſolidioribus cibis rejectis, in lupinos pecuniam expendere, aut jactantiæ, vel vanitati ſtudentem otiosè tempus conterere, & cùm capiti mederi debeam, digitorum reduvias curare; ſed periti Medici more ſuppuratæ parti, non ſanæ fomentum adhibere; non enim tantùm de inconſutili Chriſti tunica, quantum de lana caprina, flocco, & titivilitio Abaſſini cornicantur, rixantur, & ad ravim, & verbera vociferantur. Paulò ante meum acceſſum, in regiis caſtris poſt inconditam ſuper Chriſti unctione diſſertationem, & clamorum tonitrus, quidam ex diſceptatoribus flagellis cæſus eſt, non Triumviralibus, ſed monachalibus cœdentis ad faſtidium lorarii. Cùm Monachi criminatores, ac ludices atrocioribus digni eſſent, quos illius quæſtionis ne minima quidem unctio imbuerat, ut mihi fuit exploratum, cùm poſteà maſtigiam, & maſtigophoros examini ſubjeci. Idque in pluribus aliis quæſtionibus, quæ nobis quiſquiliæ reputantur, non ratò ſum expertus. Cic. orat. pro Roſcio Amerin.

Cùm ex Theologo Nazianzeno *in Theologia non omnia verbis exprimi poſſint*, quòd aliqua humanam rationem excedant; *nec omnia verborum facultatem ſuperent*, quòd aliqua ratio attingat; & quòd ipſa prolibat, verba proſequantur, *neceſſario ad diſcendum*, (juxta Auguſtinum) *ducimur auctoritate, & ratione*: Auctoritas enim mentem captivam reddit, ut ea credat, quæ ipſius captum effugiunt; ratio verò eadem allicit, non ſolùm, ut tenaciùs illa complectatur, quæ ipſius menſuræ ſunt conſentanea, ſed illa etiam, ad quæ ſola Dei D Gregor. Naz. orat. 1 Auguſt. lib. 2. de ordine, cap. 9.

Digitized by Google

Auctoritas compellit; quia nihil magis est consonum rationi, quàm assequi, Deum aliquid revelantem, nec fallere posse, nec falli, & quamquam Auctoritas, addit Augustinus, *imperitæ multitudini videatur esse salubrior, ratio tamen aptior est eruditis*; me ipse cùm Paulo sapientibus, & insipientibus debitorem agnoscens, & multò magis insipientibus: (quia cùm utrique mei sint convivæ, primò ad ferc-
Rom. 1. 1. la vocantur Abassini, quorum pars maxima ineruditi:) & auctoritati, & rationi instanter incubui, utriusque fulcimentum omnibus ferè quæstionibus supponens. Sed ad Æthiopum palatum condimenta componens auctoritati, si non semper primas, frequentiùs longiores partes delegavi. Nihil enim aliud legunt, aut memoriter discunt in Scholis Cœnobialibus, præter nudum divinarum litterarum corticem, quem solùm nocturnâ, diurnáque manu volutant; (& ideò in citandis Psalmis, & quolibet ipsorum versiculo, albis nos quadrigis prævertunt:) & lacera illa, atque hiulca Patrum Haymanot Abbaü fragmenta; & nihil æquè in nostris concionibus demirantur, ac suspiciunt, ut crebras Sacræ Scripturæ, & Patrum allegationes. Nec quidquam nocturnos umbratilium Magistrorum oculos acriùs perstrinxit, quàm quod ipsis à vulgo exprobraretur, non posse coram Patriarcha, & Societatis JESU Patribus de Fidei rebus loquentibus, & disputantibus comparere; eáque de causa totos nervos intenderunt, ut penitùs Æthiopiâ extruderemur. Sed ipsis nihil opitulatum est vernaculum ipsorum Proverbium, quod astruit, Fugientem absque insequente, à nemine comprehendi, aut cursu superari. Cùm enim nobis exactis, ad prædicandum (sed ore velato, ut Moysis discipuli, & immemores Tertullianicæ cen-
Tertul. lib. contra Valentin. c. 1. suræ, *quod latent, pudor est:*) se conjecissent, auditores occlamabant: Nihil ad Patriarcham, nihil ad Patres, hoc me calcar instigavit, ut in hoc Opere plura Patrum testimonia, maximè Alexandrinorum & aliorum, quorum nomina ipsi callent, coacervarem, & aliqua Æthiopicis elementis figurarem; sed cùm Liber tripliçata hac additione immodicè excresceret, manum retraxi, latiná tantùm versione contentus.

Opus hoc (quod duodecim constat Catecheticis libris) omninò placuit exhibere per modum dramaticæ collocutionis *Abaßinum* inter & *Romanum*. Talem enim exigit Epithalamium & Catechismus, qui non dentatis escas apparat, sed lacteum parvulis potum propinat. Nec eo dicendi genere scribentis auctoritas, aut senectus magis vilescit, quàm gravissimorum Ecclesiæ Patrum Justini, Athanasii, Basilii, Hieronymi, Augustini, Chrysostomi, trium Gregoriorum, Nazianzeni, Nysseni, Magni, & aliorum complurium, quos ad rudiorum emolumentum & palatum: (quale est omnium Abassinorum doctiorum, quos consuluimus:) non puduit se reddere dialogistas; non enim quod sibi esset honorificum, sed *quod multis utile*, quærebant. Cani quoque & edentuli parentes cum suis infantulis, ut eos firmioris incessus, & perfectioris loquelæ compotes
1. Cor. 10. 33. faciant,

Digitized by Google

faciant, ſolent in arundine longa equitare, balbutire, & ineptire. Sic meos ipſe diligens nigellos, meam deperiens Æthiopiſſam, quamvis pannoſa ſit, quamvis fuliginea, quamvis truculenta, ut ipſam Romanè ſentire ac loqui doceam, cupio *mutare vocem meam*, blæsâ cùm eadem linguâ hæſitare, pueraſcere, &, ſi fas ſit dici, æthiopiſſare. Galat. 4. 20.

Titulum Operi indideram *Temirte Haymanot*, ideſt, *Doctrinæ Fidei*, ſivè *Catechiſmi*, ſed cùm in ipſis auſpiciis, Libro primo vix dum exacto, & in provincialem linguam converſo, in domum meam veniſſet Ras Selà Chriſtôs, uterinus Imperatoris Seltan Segued Sociniôs, & ab ipſo poteſtate ſecundus, omniúmque Æthiopicorum Principum fide, prudentiâ, & bellica fortitudine citra contentionem primus, nec ulla re cuiquam Europæorum inferior, quorum multis forſan ſuperior eſt, innumeris partis victoriis, ac præcipuè extremâ illâ, quâ ob Romanæ fidei defenſionem, dignitati, & fortunis omnibus nuntium remittens, anni jam duodenarii exilio clarum Romanæ veritatis teſtimonium, & linguâ, & calamo, & vitâ integerrimâ obſignat. Gladio enim, an calamo etiam metrico, præſtet, quo in ipſius exilii receſſu, centum quinquaginta cantiones exquiſitiſſimas in Romanæ Eccleſiæ commendationem, & Pſalmorum Davidicorum æmulationem concinnavit, non facilè illius rerum gnari dijudicamus. Cùm, inquam, tantus vir in meam domum divertiſſet, & primum hujus Operis librum evolviſſet: Quod, inquit ad aſſiſtentes, huic Libro nomen? Cui illi: *Temirte Haymanot*. Ipſe verò: ne deinceps dicatur *Temirte*, ſeu doctrina: ſed *Bran-Haymanot*, id eſt, *Lux fidei*. Lux enim eſt liquidiſſima omnes ignorantiæ, dubitationum, & errorum tenebras diſpellens. Hæſit nomen, ut à non minùs exacto rerum penſitatore inditum, quam cùm parentes *licèt Infideles*, inquit D. Chryſoſtomus, *ductu potentiſſimæ ſapientiæ Dei Puero Abram nomen, quod eſt tranſitor impoſuerunt, jam antea ſignificantes, eum indè migraturum*; aut cùm Pharao Ioſephum *mundi ſalvatorem*, & Zacharias puerum circumcidendum, cunctis obſiſtentibus, *Joannem*, ideſt Gratiam, cujus per *Jeſum Chriſtum factæ*, præco futurus erat, vocandum edixit. Gen. 11. 27. D. Joan. Chryſoſt. homil. 29. in Geneſ. Gen. 41 45. Luc. 1. 63. Ioan. 1. 12.

Scripturæ auctoritatum aliquas, ut in ea jacent allegamus; alias ad vitandam prolixitudinem ſtyli noſtri temperaturâ diluimus; & in ſuo Indice ad verbum tranſcribi curavimus, ut ii, quos dictionis brevitas in obſcuritatis tenebras provolverit, apprehenſo textûs cereo, illuminentur.

Quod ad doctrinæ tenorem attinet, Angelicum Doctorem in exquiſitiſſimis contra Gentes Libris, in quibus Catechiſtem celſiſſimum agit, mihi in omnibus ſequendum propoſui, licèt animum ſemper deſponderim aſſequendi. Secundam poſt illum apud me adoream toto jure vendicat cœleſte illud præteriti, ac præſentis ſeculi prodigium, Reverendus Pater, & à Paulo V. vocatus eximius Doctor, Franciſcus Soarius, quem Alfonſus à Caſtelbranco Epiſcopus Conimbricenſis

censis, Vir supra omnem nobilitatis, sapientiæ & Authoritatis aleam, in Censura Libri *Defensionis Fidei*, & in privatis colloquiis, me sæpiùs audiente, nostræ ætatis Augustinum dicere solebat. Quem, cùm meæ ætatis vicenalia agerem, & Theologiam in Conimbricensi Academia auspicarer, anno 1599. felici astro sortitus sum Magistrum; & indè usque ad ipsius obitum vix unquam discessi ab ipsius latere, & vultu, quem mihi benignissimum citra ullum meum meritum exporrigebat. Undè saxo vel ære durior essem, nisi in meam ollam aliquis ipsius doctrinæ, si non odor, saltem calor, & amor transfunderetur. Vale, &, vel fruere, vel, nisi Opus hoc placeat, ignosce.



Digitized by Google

VITA
ALPHONSI MENDEZII
ÆTHIOPIÆ PATRIARCHÆ.

ALPHONSUS MENDEZIUS natione Lusitanus, natus ex perantiqua & nobili Mendeziorum Familia, anno 1579. duodecimo Kalendas Augusti, Gregorio XIII. Universalem Ecclesiam moderante, & Lusitaniam Henrico utrâque purpurâ, & Regiâ & Cardinalitiâ conspicuo, in celebri pago, cui à Sancto Alexio nomen est, ad Mavitam oppidum Eborensis Diœcesis, in ægro Transtagano Bæticæ contermino.

Nondum expleverat decimum tertium ætatis annum, quando ingressus est Societatem JESU anno 1593. sexto nonas Februarias, ubi per biennium talem se præbuit, ut cæterorum ad omnem virtutem norma fuerit & exemplar. Exacto tyrocinio, ac deindè Philosophiæ & Theologiæ curriculis emensis, biennium Humanitatem, quinquennium Rhetoricam cum admirabili omnium approbatione docuit. Sacris Ordinibus mense Septembri 1605. fuit initiatus, & quarto Idus Martias anni 1612. quatuor votorum edidit professionem, dein Conimbricæ per quinquennium Sacras litteras est interpretatus; ac demum Martio anni 1617. missus Eboram (ubi Theologiæ Doctorali Laureâ fuit insignitus) ad prosequendam divinæ paginæ interpretationem alterum quinquennium impendit cum ea eruditionis, prudentiæ & virtutum fama, ut extra Lusitaniæ fines per ipsam Italiam, & Orbis caput Romanam urbem fuerit divulgata.

Per ea tempora quà mari, quà terrâ optatissima ex Æthiopia nuntia variorum litteris perlata sunt. Nunciabatur plurium Imperii Principum ac Magistratuum, quin & ipsius Zela Christôs (qui frater erat Imperatoris) nec non Cœnobiarcharum & Monachorum à spuria Alexandrinorum Ecclesia ad legitimam Romanam facta accessio. Ad cumulum verò felicitatis & votorum accedebat, quod ipsemet Imperator Seltan Seguedus Sociniôs post publicas sæpiùs à nostris habitas coram Senatu regio, & Imperii Doctoribus de fide disputationes, tandem ejuratis pseudo-Ecclesiæ Alexandrinæ hæresibus, totius vitæ noxas ad P. Petri Paëzii Toletani aures miro animi sensu expiasset.

His aliisque permotus Sanctissimus Pontifex Gregorius XV. ad nominationem Philippi IV. Lusitaniæ & Castellæ Regis constitutus est Æthiopiæ Patriarcha P. Alphonsus Mendezius, ætatis suæ anno 43. & initæ Societatis trigesimo, quod onus non nisi præcepto in virtute sanctæ obedientiæ compulsus est suscipere.

Ulyssippone in Domo Professa Societatis JESU Patriarcha inauguratus est est 4. Idus Martias anni 1623. ab Illustrissimo Ferdinando Mascarenha Algarbiorum Episcopo, rerum ad fidem spectantium Quæsitore generali, ipsi assistentibus Hieronimo Goueano Septensi, & Petro Acosta Episcopo Angrensi. Inauguratus unà est P. Jacobus Seco à Covillanio Episcopus Nicænus, priùs Conimbricæ, dein Romæ Theologiæ Professor, Patriarchæ datus adjutor, futurúsque successor. P. Joannes de Rocha Ulyssipponensis & Theologiæ Professor renuntiatus Episcopus Hierapolitanus & Patriarchæ adjutor, & in Nicæni defectum in eadem munia successor, eo quòd diplomata in

Digitized by Google

tempore non pervenerint, consecratus est Goæ, ubi deindè anno 1639. assistente Patriarchâ profide tum exulante, obdormivit in Domino.

Tertio decimo die ab ipsa Patriarchæ consecratione 25. Martii classis solvit Ulyssippone cum Patriarcha & Episcopis, & insuper sociis omninò decem & septem. Navigatio prorsùs fuit laboriosa, in qua quartâ Julii defunctus fuit Episcopus Nicænus, cui suffectus deindè fuit in Lusitania P. Apollinaris Almeida Ulyssippponensis Theologus Doctor qui in Æthiopiam anno 1630. venit occupaturus post annos octo augustiorem Doctorali Lauream cum PP. sociis ex arbore suspensus & lapidatus. Classis deindè vi ventorum in Africæ portum Mozambicum in arenarium littus impulsa est 22. Septembris, undè tandem anno sequenti (qui fuit 1624. Goam attigit 26. Maii. Tam duræ navigationis labores & tædia absterserunt oblatæ in India Epistolæ Imperatoris Seltan Seguedi ejusque fratris ad ipsum Patriarcham, quibus intensissimum desiderium quàm primùm fruendi optato conspectu explicabatur; quare tot aliis curis ac negotiis abruptus, 17. Novembris ejusdem anni Goâ solvit, & post plurima quà mari Indico, & Erithræo, quà terrâ à latronibus & Turcis emensa pericula, tandem aliquandò, deductoribus quos præmiserat Imperator Æthiopiam, & caput Regni Tigræi *Fremonam* nonâ Junii 1625. ingressus est, ubi Collegium erat Societatis Jesu & sepulchrum Patriarchæ Andreæ Oviedi Toletani & quinque Sociorum. Ubi obiter prænotandum videtur, ad instantiam olim Joannis III. Lusitaniæ Regis, vivente etiamnum Parente nostro S. Ignatio, delectum fuisse à Julio III. Pontifice in Æthiopiæ Patriarcham P. Joannem Nunnium Barrettam Portuensem, tam sanguine quàm litteris & virtutibus illustrem. Cui adjuncti sunt P. Melchior Carnerius Conimbricensis cum Nicæni Episcopi titulo, & cum Hierapolitani P. Andreas Oviedus Patriarchæ adjutores & futuri successores. Goam omnes tenuêre anno 1556. quo ipso anno ex Æthiopia recèns advenerat Joannes Bermudius. Hic est ille Bermudius, qui à Davide Imperatore missus fuerat Legatus ad Pontificem Paulum III. & ad Regem Lusitaniæ, ad quam appulit anno 1539. ac Romæ Patriarchali infulâ insignitus, deindè Goâ cum classe auxiliari 72. navigiorum anno 1541. in Æthiopiam concesserat. Undè post annos 16. renunciato Patriarchatu Goam repetiit. Hic verò visum fuit Proregi & Senatui Indiarum Patriarcham Nunnium Barrettum tantisper detinere, ne alioquin tanta dignitas uti priùs, contemptui exponeretur. Itaque præmissus fuit anno 1557. cum quinque sociis unicus Oviedus Episcopus, qui animum Claudii Imperatoris exploraret, & ad unionem cum Ecclesia Romana reduceret. Verùm is in dies pervicacior, tandem anathemate percussus justo Dei judicio à Duce Turcarum & regno & vitâ post biennium exutus fuit, serò confitens ab imprudenti Lusitanorum per Imperium dispersione totam suam cladem prodiisse. Successit Adamas Seguedus fratre longè contumacior, qui eò furoris processerat, ut acinacem in caput Andreæ Episcopi distrinxerit: sed & hic quarto Imperii sui anno (qui erat 1562.) miserè extinctus, perfidiæ suæ pœnas luit. Goæ hoc ipso anno 17. Decembris Joannes Nunnius Barrettus Patriarcha diem obiit extremum cum magno omnium sensu, qui tanti viri & Religiosissimi Præsulis sanctitatem, & in tanto fastigio humilitatem semper suspexerant: Cùm verò Melchior Carnerius Episcopus Nicenus à Gregorio XIII. in Japoniam & Chinam, ubi amplior fidei propagandæ seges offerebatur, missus fuisset, Patriarchatus in Andream Oviedum delabebatur, quo munere humillimus Præsul per octodecim annos deunctus, tandem *Fremonæ* exilii laboribus & ærumnis confectus 29. Junii, ipso scilicet SS. Apostolorum Petri & Pauli festo die anno 1680. sanctissimè expiravit, relicto unico qui è SS. sociis supererat, Francisco Lopezio Lusitano cum vicaria potestate, cui deindè rem Christianam per 17. annos impigrè administranti, alii atque alii successerunt usque ad adventum Alphonsi Mendezii, qui in Patriarchatum Oviedi duos & 40. annos vacantem successit. Huic igitur placuit habitu & ritu Pontificali tùm primùm celebrare in eo

loco

Digitized by Google

loco, in quo primùm D. *Frumentius*, Æthiopicè *Fremonatôs* (undè *Fremona* nomen accepit) fidei Romanæ jecerat fundamenta, & primam Sedem Episcopalem constituerat: à Sancto enim Athanasio Patriarcha Alexandrino post annum Domini 327. consecratus Episcopus, & missus in Æthiopiam, duobus fratribus germanis *Abra* & *Azba* tum imperantibus; à quo deindè *Frumentio* usque ad Simonem apostatam, qui Alphonsum nostrum antecesserat, successores Episcopi (seu uti vocant *Abunæ*) nonaginta quinque enumerantur. Movebat etiam ad eam ibidem celebritatem peragendam concursus Abassinorum undequaque adventantium, & PP. Sociorum ex octo residentiis confluentium, & tot Lusitanorum, filiorum scilicet ac nepotum 400. istorum Heroüm, qui ex pacto fœdere, ductore Christophoro à Gama anno 1541. salutem Abassino Imperio attulerant. Festo igitur die SS. Ecclesiæ principum Petri & Pauli pontificalibus indutus ornamentis celebravit Patriarcha: quâ finitâ solemnitate, acceptis ab Imperatore litteris gratulatoriis, *Fremonâ* relictâ in regnum *Dambea*, ac deindè *Gorgorram*, concessit, undè ad regia castra accersitur, & templum castrorum præcipuum, ubi breviter peroravit. A concione Imperatorem adit, à quo honorificentissimè excipitur. Dies ad juramentum præstandum statuitur undecima Februarii 1626. Adsunt Imperatoris fratres omnes, principes filii, & Proreges, Duces, Senatores, Doctores, Cœnobiarchæ, & omnis ordinis viri, ad actionem videlicet quâ solemniorem aut sanctiorem nunquam viderat Æthiopia. Tiarâ sublimis Patriarcha ad confertam multitudinem concionem præmittit, quâ probat Petrum ejusque successores Romanos Pontifices, rectores esse & judices omnium fidelium, Episcoporum & Sedium Patriarchalium, quod per enumerationem ab exemplis Ecclesiarum Antiochenæ, Hierosolimitanæ, Constantinopolitanæ, Alexandrinæ, & Æthiopicæ confirmat, ac tandem his verbis concludit:

Quid *ergò vobis est in viâ* [a] *Ægypti, ut bibatis aquam turbidam?* Quid *arundineo* [b] illius *baculo* confiditis, qui vobis sæpè manus, & semper animas, post hæreticorum successionem, vulneravit? [c] *Attendite ad petram, unde excisi estis*; ad Frumentium & Athanasium, qui rationabili, & Romano vos *lacte, & frumento* [d] electorum, quale nunc vobis apportamus, non lolio, nec avenâ vitiato, nutrierunt. *Rationabile* lac istud à multis annis concupiviſtis; illius *absque dolo* nunc oblati, uberibus satiamini: Nam anno salutis humanæ 1174. is qui Æthiopiæ præerat, Philippum nomine, cum mandatis misit ad Rom. Pontificem, quibus dicebat, nihil sibi magis esse cordi, quàm doctrinæ Catholicæ, & Apostolicæ, sub Romanis Doctoribus, insistere: & sicubi deflexisset, in viam revocari. Se quoque discupere Templum aliquod Romæ habere in quo Abassini possent Romanis legibus erudiri, ut eas posteà cultiores in patriam inferrent. Quæ Legatio oblata est Alexandro III. Venetias tunc colenti; & Philippus cum Epistola remissus, quam Eminentissimus Cardinalis Baronius eo anno exscripsit. Ejusque Legationis fructus est domus Abassinorum ab eo tempore apsidi Templi Apostolorum Principis affixa. Cujus vicinia aliquo modo Æthiopia cum Romana Ecclesia coagmentatur. Arctiorem nexum curavit anno 1294. Nicolaus IV. missis ad Æthiopicum Imperatorem Legatis. Et vicissim Zera Jacob Davidis Imperatoris atavus aliis ad Pontificem Eugenium IIII. & Concilium Florentinum anno 1438. expeditis, ex quibus unus, cui nomen Abba Nicodemôs, ità scribit in Epistola ad Eugenium. *Regem Æthiopum tanti facere Romanorum nomen, & Latinam fidem, ut nihil æquè in votis habeat atque ut cum Romanis jungantur Æthiopes, & se Pontificis subdant pedibus; avidissiméque amplexurum esse, quæ in Synodo de concordia ineunda statuentur. Pontificem autem omnium Ecclesiarum caput fateri, suoque splendore orbem illustrare, cui omnes Patriarchæ, Episcopi, Reges & Imperatores inclinantur.* Hæc Nicodemus Æthiopes in publico Orbis theatro, non ut ille alius in nocturno angulo *propter metum Judæorum.*

Ad Clementem VII. anno 1524. Legatum misit, Potentissime Imperator, proavus

a Ierem. 2. n. 18.
b Isai. 36. n. 6.
c Isai 51. n. 1.
d Zach. 9. n. 17.
1. Petr. 2. n. 2.
Tom. 12 an. 1174.
Ioan. 3. n. 2. & 19. n. 39.

Digitized by Google

proavus tuus David, aliter Onag Seguedus, Zagazabum cum duabus Epistolis, in quarum prima hæc verba continebantur. *O felix sancte Pater, Ego tibi reverenter obedio, cùm sis Pax omnium, & cuncta bona merearis; & ita æquum est, ut omnes tibi obedientiam præstent, sicuti sancti Apostoli præcipiunt.* In secunda: *Cupio ingenti desiderio consequi Sacro-sanctam benedictionem à Vicario Domini nostri JESU CHRISTI. Nam procul dubio Sanctitas vestra est Dei Vicarius.* Idem Zagazabus in confessione Fidei edita anno 1548. *Nostri certè ab exordio primitivæ Ecclesiæ Romanum Pontificem, ut primum Episcopum agnoverunt.* Abbas Petrus Æthiops in fronte dedicationis Evangeliorum Paulo III. eodem anno excusorum: *Sciant per te omnes, nos ab Ecclesia Rom. non abhorrere, quin imò illam ut matrem omnium Ecclesiarum amplecti ac venerari. Quod facile ex multis Epistolis, quæ ad hanc sanctam Sedem à Regibus nostris missæ sunt, videri potest.* Asnaf Seguedus, sivè Claudius, Davidis filius, tuus patruus major, sic ad eumdem Pontificem anno 1549. *Audi nos, Paule pater noster, Paule princeps Patrum Romæ, cui subjiciuntur septem Reges Christianorum.* Eisdem se votis distineri patruelis tuus Zadenguilius Pontifici Clementi VIII. per litteras significavit, sed indignissima cæde sublatus, laboris sui fructum colligere non potuit. Ipsammet viam institit Majestas Vestra, potentissime, & fœliciſſime Imperator, non semel ex Patrum Societatis JESU consilio (quibus secundum Deum, & ardentem Vestræ Majestatis zelum, primæ partes debentur in Æthiopiæ ad Sedem Apostolicam, revocatione) per Epistolas urgens Romanum Pontificem Paulum V. & Catholicum Regem Lusitaniæ, ut Patriarcham & Evangelicos Prædicatores isthuc, quantocyùs impelleret.

Venit tandem hora, Potentissime Imperator, & nunc est, qua Vestra Majestas suam, & majorum suorum fidem, ac manus trabali multiplicis sponsionis Clavo apud serenissimos Lusitaniæ Reges defixas liberare potest. Nemini enim non est pervulgatum in Æthiopia, proavum tuum Davidem, & Patruum Claudium Lusitanos in suum auxilium conciviſſe sub ea conditione, eis se tertiâ Imperii parte cessuros, & Romanam Fidem amplexuros, si suos fines à Mahometanorum, & aliorum hostium injuriis vendicarent. Quæ conditio ab Imperatoribus adjecta, & à Dynastis, ac popularibus, tunc admissa, in omnes posteros obligationem derivavit. Igitur quatercenteni ex Lusitanis, velut totidem leones, sub clarissimo, & præstantissimo Duce Christophoro à Gama, huc se intulêre, qui priùs universam Æthiopiam suo sanguine conserentes, Mahometanorum jugum, & gladium ab ipsius cervicibus depulerunt, cæso Gragna Adelensi, qui jam per annos quatuordecim totum Imperium, instar fulminis attriverat, & devoraverat. Hujus sanguinis adeò generosè, & liberaliter effusi debitores estis, Abassini. Nec mediam, nedum tertiam partem, neque adeò pedis passum vestrorum finium umquam Lusitani quæsierunt; tota ipsorum merces, & stipendium fuit Romana fides: hanc amplectimini, & toto vos debito exolvistis.

Præter Davidis, & Claudii promissionem (si quidem alterius Davidis, Salomonis, & Menilec ab eo, juxta vestram traditionem, ex Regina Saba editi, sanguine gloriamini) curate ut in vobis impleatur illud Amos Prophetæ vaticinium: *In illa die suscitabo tabernaculum David quod cecidit; & reædificabo aperturas murorum ejus, & ea, quæ corruerant, instaurabo. Et reædificabo illud, sicut in diebus antiquis.* Satis dilaceratum fuit hactenus vestrum (non Ecclesia) sed arenâ fixum tabernaculum, multis scissuris & hiatibus deformatum. Imò non jam tabernaculum, sed ob multas scissuras, tabernacula; in quarum punitionem, quæ appendix est iniquitatis, Vates alius dolet, se *pro iniquitate vidisse tabernacula Æthiopiæ.* Hoc tabernaculum tempus est consuendi, sarciendi, instaurandi & reædificandi, sicut in diebus antiquis. Qui sunt dies antiqui, nisi Apostolorum, & fundationis Ecclesiarum Apostolicarum tempora, ut sub Petro, & Marco, Frumentio, & Athanasio? Nec quod tanta fuerit annorum, & errorum intercapedo, animum

Cap. 9. n. 11

Habac. 3. n. 7.

Digitized by Google

mum desponderatis. Has scissuras Romana Fides consuet, sarciet, & redintegrabit; & cicatricem ità obducet, ut Ecclesia nostra absque ullo scissuræ vestigio, antiquæ Ecclesiæ, tam Alexandrinæ sub Athanasio, quàm Romanæ coaptetur, quin ab illis, ejusdem Fidei merito dignoscatur. *Ubi enim Fides est*, inquit Chrysostomus, *ibi Ecclesia; ubi non est Fides, neque Ecclesia.* Et D. Ambrosius, *Ubi est Petrus, ibi & Ecclesia.* Ego sanè, quamvis non sim *sapiens architectus*, Petrum, & Romanam Cathedram, quæ ipsamet est Christi Ecclesia, importo, sciens ex ipsius, & Apostolorum doctrina, *nullum aliud fundamentum esse*; & qui extra illud ædificat, destruere; nec lapides colligere, sed dissipare; nec murum, sed scissuras, ruinámque moliri. Scio Alexandrinam Ecclesiam nunc Christi Ovile non esse, sed cænosum volutabrum, & vulpium vineas demolientium, luporúmque cubile. Scio, illam vobis hactenus fuisse novercam exitiabilem, & cum Cypriano, *non habere Deum Patrem, qui Romanam Ecclesiam non habeat matrem.* Ad hujus brachia & amplexus properate: hujus papillas appetite, ut Deum parentem nanciscamini, & ejusdem filii sitis, & cognominemini. Ab illius enim communione avulsi, sitietis, anhelabitis, concidêtis. *Avelle*, inquit idem Pater, *radium solis à corpore, divisionem lucis unitas non capit. Ab arbore frange ramum, fructus germinare non poterit. A fonte præcide rivum, præcisus arescet.* Illi adhærete, illi vos conserite, & conglutinamini; mox vivetis, florebitis, & uberes in æternum fructus feretis.

Homil. 6. oper imperf. In Psal. 40. 1 Corinth. 3. n. 10.

Lib. de unit. Eccles.

Ibidem.

Patriarchæ orationem arrectis auribus omnes hauserunt, sed nemo attentior quàm ipse Imperator; qui per Oratorem suum Proregem Melcham Christôs responsionem in frequentem concionem elatâ voce efferebat, quâ absolutâ, Imperator cùm surgendi indicium fecisset, sedens pro majestate Patriarcha apertum Evangeliorum librum præ manibus sumpsit, & Imperator obedientiæ & fidelitatis juramentum in hæc verba concepit.

Nos Seltan Seguedus Æthiopiæ Imperator, credimus & confitemur S. Petrum Apostolorum principem, totius Ecclesiæ Christianæ caput à Christo Domino nostro constitutum; eique principatum super totum orbem concessum, cum eidem dixit: tu es Petrus, & super hanc petram Ædificabo Ecclesiam meam; & tibi dabo claves Regni cælorum. Et iterum: pasce oves meas. Ulterius credimus & confitemur Romanum Pontificem legitimè electum, esse verè D. Petri in administratione successorem, & super universam Ecclesiam habere eandem potestatem, dignitatem & primatum. Tandem sanctissimo Patri Urbano Domino nostro, divinâ providentiâ Papæ VIII. ipsiusque in Ecclesiæ principatu successoribus spondemus, vovemus, & juramus veram obedientiam, & fidelitatem, & cum omni submissione nostram personam, hæredes, & totum Imperium ante ipsius pedes substernimus. Sic nos Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.

Imperatorem suo ordine consecuti sunt Principes, ipsius fratres, Proreges, Dynastæ & Ecclesiastici tam Monachi, quàm clerici, singuli verba illa proferentes: *Ego idem spondeo, voveo, ac juro: sic me Deus adjuvet, & hæc sancta Dei Evangelia.*

Peractâ solennissimâ illâ & universali Fidei Romanæ protestatione Imperator mox stabiles fundos Patriarchæ consignavit in Regno Dambææ ubi ipsa erat Aula, & seminarium 80. adolescentum Abassinorum ac Lusitanorum. Antequam verò visitationem Ecclesiarum pro munere suo pastorali institueret, placuit in primis animos disponere tot ovium sibi creditarum, & præmittere ad varia Imperii regna & oppida & villas binos ac binos clericos sacerdotes quos numero viginti paulò ante ritu Romano ordinaverat, ac præterea Monachos Abassinos & Patres Societatis JESU, quorum numerus ad 17. excreverat, erectis ad octo residentias aliis quinque. His omnibus potestatem fecit Romano ritu administrandi Sacramenta Baptismi sub conditione, & alia munia Ecclesiastica, Ecclesias tot superstitiosis erroribus profanatas expurgare, de novo erectas benedicere, Crucibus & Sacris imaginibus exornare. Dies fuit cùm ab uno supra 4. mille conversi, & 40. millia per Quadragesimam Eucharistico Epulo refecta. Ab aliis duobus in Regno Bagamo-

Digitized by Google

drino 20. millia Baptiſmo luſtrata, & cœleſti pabulo refecti 20450. Denique in primis illis unius anni excurſionibus, uti ex diariis ſingulorum conſtat, ad 225. millia & 17. Sacro fonte expiata. Patriarcha poſtquam in aula Imperatoris & templo regio in quo feſtis & Dominicis pro ſuggeſtu concionabatur, finitâ demùm hebdomadæ ſanctæ nunquam anteà viſis Eccleſiæ Romanæ ceremoniis cum publica & ad pompam exhibita lotione pedum, tandem ægrè obtentâ ab Imperatore licentiâ viſitationem inſtituere cœpit ab Ogara Regno quod ad 56. milliaria in longum, & ad 18. in latum extenditur adhibito ſocio P. Emmanuele Almeyda patriâ Viſenſi in Luſitania miſſionis Patrum, ac deindè Indiarum Viſitatore. Erant in Regno 70. & amplius Eccleſiæ & quædam Cœnobia Monachorum Abaſſinorum ad fidem R. reducta, quorum opera & ſtudium plurimum contulit ad animarum converſionem promovendam: Monachiſmus ille (ut hîc obiter notem) toto Imperio longè latéque diſperſus (uti ex ipſorum faſtis & traditionibus conſtat) inter annum Domini 470. & 480. à quodam Pantaleone qui magni illius Abbatis Ægyptii Antonii, ſi non diſcipulo, certè ejuſdem æmulatore, in Æthiopiam cum ſociis aliquot primùm introductus, illius quoque Inſtituti eremitici ſectator, deinde ſcribitur fuiſſe S. Elesbaan; ſeu Caleb Rex Æthiopiæ ordine quadrageſimus ſextus, qui vixit circa annum 521. imperante in Europa Juſtino Seniore.

Plenis velis navis Petri, ſeu Religio Catholica uſque ad annum 1629. in altum vaſtiſſimi Imperii provehebatur, ſed quemadmodum res humanæ ſummo loco diù nequeunt conſiſtere, & diuturna malacia tempeſtatis futuræ ſolet eſſe prænuntia, ità & fidei Romanæ per imperium, incrementa, ſecutura quoque decrementa, ac totalem denique tantæ molis ruinam portendere videbantur. Augebatur in dies credentium multitudo, ſic ut centena aliquot millia ad Eccleſiæ Romanæ gremium aggregatæ recenſerentur. Sed quantillum hoc erat, ad immenſam multorum millionum infidelium in tanto Imperio multitudinem comparatum? Ad hæc nativa gentis Abaſſinæ inconſtantia & volubilitas, inveterata tot ſæculis ad pſeudo-Eccleſiam Alexandrinam ejuſque ritus proclivitas; myriadum Monachorum & Monialium effrænis incontinentia, diſſolutio, & carnis libertas, quippe qui ſe & ſua miniſteria & ritus ab Imperatore & primoribus & populo orthodoxo contemptui & riſui publico haberi, ſubtrahi ſibi turpiſſimum quæſtum & lucra ex officii ſui adminiſtratione extorta: ubi è contrario videbant à Patriarcha & Societatis præconibus adminiſtrari gratis abſque ulla lucri ſpe Sacramenta, & cætera munia Eccleſiaſtica, quod ipſe collaudans Imperator, ipſorum inſatiabilem cupiditatem ſubindè exprobravit, ſic ut in vulgus ſpargere auſi ſint, habere ſe urbis Romanæ duntaxat, non Æthiopiæ Imperatorem. Hinc clandeſtina hæreticorum conciliabula & inter populum ab inferis ſuſcitatæ calumniæ & dicteria verbo & ſcriptis ad populum concitandum diſſeminabantur.

Succeſſit deindè mors inopina quorundam in Aula Magnatum qui Imperatoris lateri quotidie aſſiſtebant, erántque fidei Catholicæ columnæ fortiſſimæ, in quorum locum opera præſertim Principis & hæredis *Faciladâs* ſucceſſêre ſuſpectæ fidei homines, adulatores, & ſub ovinâ pelle, ut eventus docuit, latentes lupi. Subſecuta eſt quorundam à fide & Regni *Goyamæ* Proregis etiam ab Imperatore defectio, contra quem hic exercitum movens exitu infelici, inglorius rediit, undè cladis totius & cæterarum calamitatum cauſas in unam Religionem catholicam congerebant.

Intereà anno 1630. Goâ advenit Epiſcopus Nicænus Apollinaris de Almeyda qui 25. Auguſti *Mazuam* Turcarum Imperium tenuit cum quinque ſociis ex 40. qui à Mutio Vitelleſco Societatis Moderatore miſſi è Luſitania ſolverant, In Æthiopiam ingreſſus tandem 16. Decembris, ejuſdem anni *Dancaſium* & aulam Regiam attigit, ubi magno cum honore ac benevolentia exceptus ab Imperatore, qui litteras ab Urbano VIII. Pontifice, nec non Rege Luſitaniæ ad ipſum & Principem Baſilidâs conſcriptas unà cum Jubileo anni 1625.

cum

Digitized by Google

cum summa veneratione lætus excepit. Post 15. deindè dies Episcopus ex Aula ad Patriarchæ domum se recepit, eique Epistolam ab eodem Pontifice missam consignavit, quam operæ pretium diximus hîc subjicere, est autem hujusmodi.

Urbanus Papa VIII. Venerabili fratri Alphonso Patriarchæ Æthiopiæ. Venerabilis frater, salutem, & Apostolicam benedictionem. Vivit Deus, Regum arbiter, & nationum Dominus: Regnat Petrus, cujus auctoritas in Romanis Pontificibus non deficit, & ad omnium Jura regnorum Cœlestem ditionem extendit; triumphat Religio, dispersiones Israelis congregans, & fores æternitatis generi humano patefaciens; negotiatio Æthiopiæ, quæ tamdiù in viam Gentium aberravit, facta est hoc tempore thesaurus Ecclesiæ & gaudium cœli. Manda Deus virtuti tuæ; Confirma hoc Deus, quod operatus es in populis Æthiopum. Vix dici potest, venerabilis Frater, quàm uberes Apostolicæ consolationis fructus Roma ceperit ex litteris tuis, optatam Æthiopici Regnatoris reconciliationem nuntiantibus. Nos certè in hoc fidei orthodoxæ Sanctuario sacris potentissimorum Principum obsequiis culti complectimur brachiis Pontificiæ charitatis Seltanum Seguedum, Romano sacerdotio remotissima Æthiopiæ regna piè subjicientem. Fœneratus planè est Deo exercituum, qui cum dives sit in misericordia, tributum hoc cælo debitum remunerabitur iis divitiis, quibus venales sunt principatus Beatitudinis sempiternæ. Quamvis autem terrena fœlicitas non semper documentum habeatur divinæ benevolentiæ, cui identidem libet aurum fidei igne calamitatum explorare, speramus tamen fore, ut dum ad Evangelicos Petri pedes procident Æthiopes, sensuri sint in exercituum Catholicorum victoriis, & Regiæ stirpis gloria misericordem pacati Numinis præsentiam. Iam verò in hac Orbis patria colitur nationum lætantium plausu nomen Seguedi Imperantis, & in cælum tollitur virtus Zelæ Christi fratris, quem, si Christianæ pietatis cursum constanter consummaverit, fama posteritatis plaudentis consimilem prædicabit beatissimo illi Reginæ Candacis Eunucho, Æthiopiæ Apostolo, & Evangelii præconi. Quæ vinum compunctionis sitis Pontificiæ Charitatis diù potavit, ea nunc, benedicente Domino, colligit manna suavitatis ex Æthiopicâ vineâ, cui dari, percupimus gloriam Libani, & decorem Carmeli. Certè hîc & fidelium preces, & sacrificia sacerdotum omnipotentem misericordiam assiduè petent filiæ Nili, olim tenebris inferni nigricanti, & nunc super nivem Cœli dealbatæ; præcipuam verò gloriam flagitabunt Seguedo Regnatori, quem charissimum in Christo filium nostrum sacro triumphantes gaudio, nuncupamus. Effundimus super illum ejusque Provincias Pontificiæ benedictionis thesauros: patefacimus Æthiopiæ ad Romanam Ecclesiam redeunti cataractas cæli effundentis aquas salutis super sitientem. Porrò autem fatebimur aucta esse Pontificatûs nostri decora, & gaudia Christianitatis, si Rex, & Populus Æthiopum per optatos Legatos fuerint hîc, & Generis humani Redemptorem adoraverint, Beatorumque Apostolorum cineres venerabuntur in hoc monte sancto ejus, ex quo rectæ fidei, & cælestis sapientiæ documenta, tamquam ex corde, spiritus ad cætera mundi membra derivatur. Quod verò attinet ad Fraternitatem tuam, & ad sacerdotes Societatis JESU, venerabilis Frater, triumphatis in benedictione Apostolici senatus, & plausu Europæ; nec vobis constanter perseverantibus ea perfecti decôris diademata in cælo deerunt, quæ pollicetur omnipotens propagatoribus regni Cælestis, Benedicimus sacris vestris laboribus; petimus vobis Angelorum auxilia; pollicemur Pontificiæ authoritatis patrocinium. Dilectus filius, Societatis vestræ Præpositus Generalis, qui tuis consignatum monumentis regale Iusjurandum ad nos detulit, prolixè testari poterit, quâ te laude, & Charitate prosequamur, plantantem cælos in Æthiopicis agris. Cætera ad cæleste hoc negotium spectantia ex iis literis accipies, quas Congregatio Cardinalium fidei propagationem curantium, scribet Fraternitati Tuæ, cui iterum peramanter benedicimus. Datum Romæ apud sanctum Petrum, sub Annulo Piscatoris die IIII. Martii M. D. C. XXVIII. Anno Pontificatus Nostri quinto.

Solennitas Jubilæi, quod hactenùs in Æthiopia ne auditum quidem fuerat, in annum sequentem 1631. ob graves causas differri debuit; celebratum verò fuit cum omni apparatu à 15. Augusti mense, usque ad fe-

Digitized by Google

ſtum Nativitatis immaculatæ Virginis Deiparæ, undequaque concurrentibus Catholicis, necnon plurimis Schiſmaticis quorum inſolentiam & rabiem caninam ad tempus compeſcuerat & nonnihil repreſſerat Epiſcopi adventus: favit porrò Deus pietati Imperatoris & neophytorum; nam exactâ jam Jubilæi celebritate ipſe Imperator movens exercitum Laſtenſes ruſticanos rebelles & fidei hoſtes inito prælio ità debellavit, ut octo millia in acie ad internecionem deleta ſint, reliquis quà exitus patebat fugâ dilapſis. Verùm obdurati illi hæretici qui priſtinam Imperatoris cladem in catholicam fidem ſuſceptam conjecerant, jam ad commiſerationem Principis animum commovere & emollire tentârunt, exhibitis ſcilicet ante oculos tot occiſorum è populo ſuo millibus unius fidei causâ.

His aliiſque rationibus & querelis commotus Imperator, remittere cœpit de primo fervore & conſtantiâ, adeò impunitatem illis elargiretur qui Romanam fidem recuſarent ſuſcipere, permittens ut Romani ſuo & Alexandrini ſuo modo & ritu viverent. Patriarcha in iis annuit quæ ad Imperii incolumitatem ſpectabant, dummodò divinæ legi non opponerentur. Si agatur de iis qui fidei nomen ſuum nondum addixêre, cùm vires non ſupperant, poſſe connivere: quòd ſi agatur de iis qui ſe fidei & juramento obſtrinxêre, nulla ratione indulgeri poſſe abſque graviſſimo crimine, ut ad parentum errores revertantur. Indulſit item ut, quibuſdam liturgiis à ſe correctis in poſterum uti poſſent. Inter hæc, quod omnium acerbiſſimum fuit, & ruinæ mox ſecuturæ fatale præſagium, mors videlicet Seltan Seguedi Sociniôs quæ anno contigit 1632. die 16. Septembris. Aſtitit morienti P. Didacus de Matos Luſitanus. Per nuntium ſub initium Auguſti, Imperator ab Cainſan anathematis vinculis diſſolvi poſtulat à Patriarcha qui vices ſuas delegavit P. Didaco cum quo totius vitæ noxas confeſſione expiavit. Idem Pater ei ſuggeſſit ut coram Principe hærede declararet in qua fide moreretur, quod & præſtitit: nam coram illo & circumſtantibus voce expedita & elata cum magno animi affectu pronuntiavit, *in Sancta Romana Eccleſia Fide morior, & peccata mea ſum confeſſus.* Dein rurſum ad filium Baſilidem converſus, ſolam fidem Romanam eſſe veram profeſſus, eidem Patriarcham, Epiſcopum & Patres omnes ante omnia commendat. Monuit Pater optimum factu fore ſi ab ultima ſibi facta confeſſione rurſum confiteretur, & ultimis Sanctæ Eccleſiæ Sacramentis munirerur; utrique rei annuit, ſed lethale deliquium inopinato vitam abſtulit, anno ætatis ſuæ 61. regni 28.

Succeſſit Seltan Seguedus Baſilides, alio nomine Faciladâs Imperator ordine nonageſimus quintus, qui ut ſe omni prorsùs metu ſolutum videret, vulpinâ pelle depoſitâ, belluinam induit, & regni ſui exordium pluſquam barbara immanitate innocentum Fratrum ſuorum (erant numero 25.) cæde & ſanguine contaminavit, eo ſolùm nomine & crimine quòd Fratres eſſent. Quid facturum putamus de Patriarcha & Sociis omnibus, ſi metus aliquis juſtæ vindictæ forſan inferendæ à Rege Luſitaniæ & Indiæ Prætore furoris impetum non retardaſſet. Tali autem patrono ac tyranno freti hæretici Abaſſini velut diluvium aquarum perruptis omnibus cataractis per Imperium agmine facto inundârunt, accitis etiam Mahometanis, & idololatricâ Gallarum gente in ſocietatem ſuam contra unicam Romanam fidem quam ſtirpitùs extinctam volebant, advocato pridem Abunâ ſeu pſeudo-Epiſcopo Alexandrino, ab aliis verò peſſima fidei confuſio excogitata quo facilius Catholicos ad avitam Religionem revocarent, quam nonniſi nomine tenus à Romana differre aiebant; perindè enim eſſe ac meram de nomine quæſtionem, ſivè duas in Filio naturas, an unicam ex divinitate & humanitate conflatam agnoveris. Præcones verò Evangelici è præcipuis hinc indè Eccleſiis & reſidentiis, Fremonam juſſi ſunt commigrare (qui uno & viginti Patribus conſtabat præter Patriarcham & Epiſcopum) ut ſcilicet ulteriùs deindè Mazuam uſque exterminarentur, & tandem Goam undè venerant, remearent. Solus in Aula detentus fuit P. Ludovicus

Azebedius

Digitized by Google

Azebedius Lusitanus ex Regis indulgentia, quòd senio & morbis penè confectus impar esset tot itineribus sustinendis, annos hîc 29. in Æthiopia laboraverat, multis millibus Ecclesiæ Romanæ aggregatis, Linguæ Chaldaicæ & Æthiopicæ peritissimus, quibus Linguis Testamentum novum, Pratum Spirituale, Horas Canonicas, Toleti commentaria in Epistolam Pauli ad Romanos, aliáque edidit, ac tandem anno 1634. ad laborum præmium in Domino moriens emigravit.

Verùm ne si persequi singula hîc voluerimus, pro compendio, librum contexamus, supersedere placuit, & ad Historiam ab ipsomet Patriarcha Alphonso compositam, & brevì, uti speramus, luce publica donandam Lectorem remittere, ubi totius persecutionis causas & seriem, nec non ex Æthiopiæ exulantium laborem & tædia toto 300. leucarum itinere tam à grassatoribus quàm à Mahometanis tolerata, fusè descripta reperiet.

Visum tamen hîc fuit subjicere postremum ex Turcarum Emporio egressum unà cum Epistolis tam Imperatoris quàm Patriarchæ, prout in ipsa ejus Historia refertur, ex quo multa cognosci poterunt scitu digna, verbis ipsius & stylo contexta.

Flebilis ultimæ discessionis dies magis tenebrescere, quàm visa manè clarescere, & vallis in qua fixa tentoria, mansuris, & abituris profluens lacrimarum, in qua Patriarcha duos sui exilii coactores, Joannem, & Senatorem, coram Patribus, & viris aliis gravibus, seorsim à turba vocatos, ad ampliorem Justitiæ confirmationem, in saxo sedens, interrogavit: quorsum illuc appulissent, & quod ipsorum esset institutum; illi verò, ut Patriarcham, inquiunt, & Patres Mazuam ex Imperatoris mandato cum honore deducamus. Aliquémne mandatum istud, Patriarcha instituit, habet regressum? Nullum omninò, exertè responderunt, nisi ad nostrum jugulum, si quidquam conniveamus. Tunc ergo illos admonuit, adverterent, quo se piaculo irretirent, dum se depulsioni veri Prælati illius Ecclesiæ, & sanæ Fidei Prædicatorum administros exhiberent; & memoriâ evolverent, quanto Deum flagitio irritarent, & quas pœnas, à Sacris Canonibus talium patratoribus impositas, contraherent; & quot spiritualia damna toti Æthiopiæ Christianitati importarent. Horum se omnium esse inscientes, nec illa velle dissertationibus subjicere, sed cæco tantùm obsequio Imperatoris jussionibus parere (ipse quid jubeat, viderit) responderunt.

Cernens Patriarcha, nihil aliud sibi restare, quàm ut pedem itineri mandaret, linguæ officium ad præsentes malùit præmittere, eos coram Deo & hominibus de injuriis & violentia sibi, & Patribus adeò immerentibus inflicta, contestatus. *Meminissent, Reges Æthiopicos & universos ipsorum clientes, debitores esse Fidei Catholicæ suscipiendæ, & conservandæ, quod Imperator Onag Seguedus, sivè David, sub hac pactione auxiliares copias ab invictissimo Rege Joanne tertio poposcerit, & is munificè concesserit; earúmque adventu & sanguine hoc Imperium à Mahometanis sit ereptum, & Asnaf Seguedo, Davidis Filio, restitutum: qui tamen paterni debiti, & propriæ pollicitationis oblitus, Joannem Bermudium Patriarcham exegit: Andream Ovietum, virum sanctissimum non admisit, sed missum à cœnoso Ægypti littore Josephum, & Asnaf Seguedi Frater, ac successor Adamas eundem Patriarcham Andream exilio, & aliis laboribus afflictavit; quem tamen ipse & successores, cum quinque sociis passi sunt Fremonæ considêre, & Lusitanorum animas curare. Hi verò, morbis, & senio partim apud Turcas septem annorum servitute sunt oppressi; partim Mazuæ, partim in Zeilano Regno sanguinem profuderunt, ita ut nullum in Æthiopiam iter ducat, quod non sit illorum ossibus constratum.*

Aliis tamen per intermedios labores, & ingentes regii Patrimonii sumptus, quos tamen Lusitaniæ Reges in Catholicæ fidei propagationem, & tot animarum lucrum, quæ relictis Cimmeriis Dioscori, & Eutychetis tenebris, veritatis lucem aspexerunt, egregiè collocatos crediderunt, viam Deus stravit, & annuit, ut senex Imperator, & cuncti Primores obedientiam in ipsorum manibus Romano

Pontifici

Digitized by Google

Pontifici, vero Christi in terra Vicario, persolverint, in sola Fide Catholica salutem consistere professi. Nunc tamen peccatorum suorum pondere curvati, & obcæcati, & ad vomitum, & cæpe Ægyptiaca reversi, lucem tenebris, & veritatem mendacio commutârunt. Ad quæ lucidissimos Evangelicorum Prædicatorum cereos, à quibus illuminari poterant, abs se dimittunt, ut in omnium errorum tenebris volutentur, nec prioribus damnis satiati, in Turcarum, ante cunctos intestinorum Christianæ Religionis hostium manus, tamquam oves in macelli visceration em immittunt.

Ego tamen, & Patres, qui me & corpore, & animo comitantur, memores exempli, & doctrinæ, quam nobis noster hic Magister è Cruce præbuit: (Hæc dicens Patriarcha, se in pedes extulit, & Christi è cruce pendentis imaginem manibus ostentavit, & pedibus oscula infixit:) *cùm iis, qui ipsum in ea suffixerant, ignovit, & Patrem, ut veniâ in eosdem uteretur flagitavit. Hunc Dominum in primis testem sumimus intimæ dilectionis, quâ in hanc Ecclesiam, sponsam nostram inflammabamur; laborum, quibus eam tam peregrè terrâ, & mari quæsivimus; curæ, quâ semper illius commodis invigilavimus; doloris, quo nunc ob illius desertionem distinemur; votorum in ea ad mortem usque persistendi, quàm, si nobis modò inferretur, patentibus ulnis, quod in illius esset amplexu, excepissemus. Nulla enim discrimina, nulli labores, nullæ persecutiones voluntatis nostræ pondus umquam ab illa declinabunt. Sed illius amor nostris medullis inditus, nobis semper, quacumque mundi parte vivamus, altè infixus adhærebit.*

Deindè eumdem Dominum testem in animam nostram invocamus veniæ, quam toto cordis affectu Imperatori Faciladâs, persecutori nostro impartimur, & omnium laborum, quos hactenus illius jussu toleravimus; & eorum, quæ ulteriùs exanthlanda supersunt, oblivi, Deum enixè rogamus, ut ipsi rependat, lucis in ejus mentem injectu, quâ in mali à se admissi, & tortuosæ, quam sectatus est, & in veræ ac rectæ viæ cognitionem provehatur, ut prioribus erroribus damnatis, & recantatâ falsorum dogmatum palinodiâ, sicut imperio suo causa fuit tabis, ac perditionis, ità sit sanitatis, & instaurationis.

Feriâ tertiâ infra octavam Paschæ, quæ concurrit cum vigesima nona die Martii, annì millesimi sexcentesimi trigesimi tertii, domo suâ Depsanensi cum Nicæno Episcopo Apollinari Almeida, & tribus sociis, qui ei semper adhærebant, & duodecim ex Gojama depulsis, pedem extulit Patriarcha, ubi, Itinerario Clericorum non sine lacrymis, in capaci area ante fores protenta, recitato, Patriarcha ad confertam multitudinem Catholicorum ubertim lugentium, & hæreticorum in tacito sinu lætantium, sed mœrorem vultu simulantium, oculis tantillùm in utrosque defixis, sequentem obtestationem occœpit.

Omnibus qui adestis, & toti Æthiopiæ notum est, me iis annis, quibus in ea vixi, mihi non pepercisse, nec instrenuè laborâsse; ut in ea Fidem Romanam, Catholicam & Apostolicam, quà verbo, quà calamo in Ecclesiis, in Regia, & domi meæ, cunctis ad eam confluentibus insculperem; eámque ad ultimos Imperii limites penetrâsse; & sic veram ab ipsis etiam hostibus judicatam, ut à nobis modò ad disputationem provocati, tot, ac tanti Doctores & Prædicatores uni homini externo se opponere non sint ausi.

Vobis etiam compertum est Societatis IESU Patres ab annis octo, & septuaginta in Æthiopiam ingressos, in maxima semper rerum omnium difficultate, ærumnisque vixisse, illorum tamen vitam non ærumnosam, sed spectabilem, illustrem, & nulla umquam cicatrice, aut nævo turpatam fuisse, sed semper, ut Civitatem supra montem sitam, vel ut cereum supra candelabrum colluxisse.

Vos quoque hujus oppidi incolæ, & fluminis accolæ, toto Enfrasii latifundio dispersi, non latet, nec me, neque meos ulli unquam injurios fuisse; nec vos à me umquam re ulla spoliatos, aut passum, ut vos quisquam vel domesticorum, vel alienorum, expilaret. Vos ipsi testes estis, & nunc, in quorum manus tradamini, anticipatò jam doletis. Si autem vobis dixero, quod Samuel ad populum: Loquimini
1. Reg. 12. *de me coram Domino, & coram Christo ejus, utrùm bovem cujusquam tulerim,*

aut

Digitized by Google

aut asinum; si quempiam calumniatus sum; si oppressi aliquem; si de manu cujusquam munus accepi: & contemnam illud hodie. Scio vos responsuros; imò etiam sine interrogatione crebrò respondere: Non es calumniatus nos, neque oppressisti, neque tulisti de manu ulicujus quidpiam. Et licèt Paulus non sim, nec illius calceamenti corrigiam possim solvere, dicere tamen cum illo non pudebit, quod ipse Act. 10. n.18. & 20. *in simili quodam excessu Mileti dixit. Vos scitis, à prima die, quâ ingressus sum in Asiam (vel in Æthiopiam) qualiter vobiscum per omne tempus fuerim, quomodò nihil subtraxerim utilium, quo minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos. Quapropter contestor vos hodierna die, quia mundus sum à sanguine omnium; non enim subterfugi, quo minùs annunciarem omne consilium Dei vobis.*

Episcopus, Patres, & ego nos sivè sponte, & vobis invitis non obtrusimus, sed ad Æthiopici Imperatoris preces, nostrorum superiorum jussionibus adacti, successimus, non vestrum aurum, aut pecuniam venatica indagine odorantes, sed nostram in substruendis, & ornandis Ecclesiis expendentes, & in hospitibus excipiendis, qui majorem nostrarum facultatum partem insumebant. Viam terrâ, marique emetientes, longas laborum iliades confecimus. Illorum hæc à vobis merces redditur, quam spectatis; & nos in eam necessitatem conjicitis, ut id geramus, Matth. 10. n. 13. & 14. Luc. 10. n. 8. 9. 10. 11. *quod Christus Dominus suis sectatoribus gerendum præcepit, eos erudiens, ut cuicumque, quam attigissent domui, pacis vellera offerrent; eámque habitatores, si filii pacis essent, patentibus ulnis excepturos: Si autem discordiæ dediditii, ad offerentes reversuram; & si in urbem aliquam appulissent, è qua post hospitalem tesseram admissam depellerentur, exire ne dubitarent, sed priùs pulverem ex pedibus, in testimonium adversus illius habitatores excuterent: vel ut ostenderetur, frustrà in ea excolenda laborasse, nec quidquam aliud, quàm inutilem pulverem collegisse; vel adeò esse ingratam, ut indignum videretur, volaticum etiam ipsius pulviculum calceis prædicantium adhærere; vel in signum, & ostentum, illam à Deo redigendam esse in pulverem, quem ventus à terræ facie dispergit. In Æthiopiam pacis Evangelium importavimus: pedes nostros Dancalini Regni montium rupibus maceravimus, & cruentavimus: intra eam hùc, illúcque ad sananda ipsius vulnera, nunc perreptando, nunc cursitando, saltus, & avia perlustravimus. Nos in Patrem, Pastorem, & Curatorem admisistis, in nostris manibus Ecclesiæ Romanæ obedientiam cum execrationibus, & anathematis spopondistis. Cui præstita, & nostræ insomni culturæ nunc adeò protervè, impudenter, & perfidiosè renunciatis.*

Hic Patriarcha pedes calceis nudavit, & alterum dexterâ, alterum sinistrâ ventilans adjecit: *O terram terrena semper sapientem & gerentem. Deo, Romano Pontifici ejusdem Vicario, Serenissimo, & Munificentissimo Lusitaniæ Regi; Societatis JESU Patribus; Nicæno Episcopo, & Patriarchæ, tuo vero Pastori ter & millies ingratam: Indignaes, cujus pulvis nostris in calceis visatur.* Illum hîc mutuo eorum attritu excussit. *Dancazium, Oinadegua, Libo, Enfrazium, Dambæa, Æthiopia, quas à Vobis accepi, mortuorum animalium exuvias, vobis reddo.* Hîc calceos in aërem, & in æternam oblivionem jactavit: sed non ea, quæ sequuntur, verba: *Ne Vobis è memoria excidat, Deum, cùm Judæam ipsius Filius moriens reliquit, tenebras toti mundo offudisse, significantem, eos,* Matth. 27. n. 43. *qui ipsum ligno affixerant, indignos esse, qui ejusdem, vel etiam extincti aspectu terrerentur. Gentium quoque Prædicator tradit, eos, qui agnitam Fidei veritatem post terga jactant, iterum in semetipsis Dei filium crucifigere.* Heb. 6. n. 6. *Quod cùm Æthiopia nunc agat, & iterùm Dei filium crucifigat, haud quaquam digna est, quæ Crucem mihi à Romano Pontifice in Patriarchalis dignitatis testimonium delatam ulteriùs conspiciat; sed nigro illa velamento obnubatur, ut justum Dei dolorem & indignationem, ex illius inconstantia susceptum testetur.* Crux illicò in pullum sacciperium immissa fuit, & ità toto itinere delata, & tandem subjecit:

Vos illud non prætereat, Christum, mox ubi discipulos monuit, ut pulverem à pedibus executerent subdidisse, Tolerabilius erit terræ Sodomorum, & Gomorrhæorum in die judicii, quàm illi civitati; in qua, scilicet, illa fuerit excussi Matth. 10. n. 15. pulveris

Luc. 10. n. 42. pulveris edita repræsentatio. Hîc cum Patribus & omnibus Capellanis in genua ante ipsam Crucem jam apertam procumbens, addidit. *Ego tamen, IESU Clementissime, & omnes hi servi tui, vincti, & exules propter nomen tuum, per tua quinque pretiosa vulnera, & infinitam misericordiam tuam deprecamur, ut omnibus, qui nos quavis ratione læserunt, ignoscas, & in primis Imperatori Seltan Seguedo Falcidâs, quia, quid agat, ignorat. Nec tantùm hac in re ipsius est, quantùm eorum, qui noxia consulunt, piaculum. Tu tamen ipsis etiam Consultoribus, Dynastis, Regii Sanguinis fœminis, Monachis, Clericis, & omnibus utriusque sexus, nostri exilii impulsoribus quamvis noxam dimitte. A te ulteriùs supplici votorum ambitu efflagitamus, ut sanctæ fidei tuæ lumen visdem infundas, ut suos contra illam errores, & flagitia, contra legem tuam, & injustas sui erga nos odii causas agnoscentes, toto ad te corde convertantur; ad te verum, perfectúmque Deum, verum perfectúmque hominem; unam personam duabus naturis gemmantem pro qua, & cæteris Ecclesiæ Romanæ veritatibus, vitam profundere sum paratus; & mille profunderem, si illarum compos essem.*

Omnium audientium lacrymæ ulteriùs progredi non sinebant. Hos tamen surgens Patriarcha, elugere jussit. Si verò, inquit, *flere libet, super vos ipsos flete, & super vestrum Imperium, in quod exertum habet gladium Angelus*
Matth. 5. n. 11. *exterminator. Imò potiùs canite, & nos, ut canamus, incitate, canentesque adjuvate: hodie siquidem Salvatoris discipuli esse cœpimus, & nobis tempus illud appetit, de quo ipse dixit:*
Luc. 6. n. 21 *Beati estis, cum maledixerint vobis homines; & exprobraverint, & ejecerint nomen vestrum, tamquàm malum, propter filium hominis: Gaudete, & exultate, quoniam merces vestra copiosa est in cœlis. Et quandò, ô Patres, ac socii, mihi in visceribus IESV Christi desideratissimi, & dilectissimi, nos ob momentaneos labores æternum Gloriæ pondus expectat, illo ex nunc frui incipiamus.* Et singulos arctissimo complexu vinciens dicebat: *Gaudete & exultate:* Cantoribus verò, ut aliquid præsenti discessui appositum inchoarent. Duo tunc pueri linguâ suâ voce flebili, ac suavi modulari cœperunt Psalmum, *In exitu Israël de Ægypto, domus Iacob de populo barbaro.* quem cæteri Cantores sunt prosecuti. Cantico, non tamen luctu, absoluto, viæ nos, & divinæ providentiæ commisimus, quæ sola poterat objectas difficultates explicare.

Ex hoc loco ad Imperatorem, & Castrensem multitudinem Patriarcha uberem epistolam, biblicâ linguâ scriptam, tamquam testamenti tabulas dimisit, est enim perpetuum exilium mors civilis, in qua tamquam morti vicinus multas ipsi & omnibus Aulicis veritates, maximè necessarias, sine fuco, vel circumitione inculcavit, quam ideò visum fuit hîc subtexere.

PATRIARCHÆ AD IMPERATOREM IN DISCESSU ad exilium Epistola.

Patriarchæ Epistola, lux fidei, & Pax Dei quæ exuperat omnem sensum, in mentem, & cor Imperatoris Æthiopiæ Seltan Seguedi altiùs ingeratur. Si quidem V. Celsitudinis Consiliariis præstitutum est, totam hujus Imperii securitatem in eo sitam esse, ut Romana fides vera, Catholica, & Apostolica radicitùs extirpetur, & Patres, Episcopus, & Patriarcha illâ penitùs exterminemur: ego, quamvis
Ion. 1. n. 12 *sciam, eos toto cœlo aberrare, quod ad me attinet, dico cum Iona: Tollite me, & mittite in mare; sed non ideò tempestas à vobis cessabit: sed crescet, intumescet, & fervebit: satius enim est unum hominem perire, quàm civitatem.*

Sit tamen V. Celsitudini compertum, Romanam Fidem Catholicam & Apostolicam, nullo umquam tempore perire posse, nec extirpari cùm fundata non sit super cœnum, & uliginem, quâ Nilus Ægyptum conserit, & fœcundat, sed super pe-
Matth. 16. n. 18. *tram immobilem, Divi, scilicet, Petri Confessionem, de qua Christus illi dixit: Portæ inferi non prævalebunt adversus eam. Et iterùm, Ego rogavi pro te Petre*
Luc. 22. n. 32. *ut non deficiat fides tua. Siquidem tamen ob incorruptam Evangelii Prædicationem discedere compellor, & cum D. Paulo dicere jam possum: in quo laboro usque ad vincula, dicam etiam cum eodem: sed Verbum Dei non est alligatum; & in hoc*

abscessu

Digitized by Google

absceſſu V. Celſitudini, & toti ipſius Imperio, hac Epiſtolâ, inſtar teſtamenti, quæ ad incolumitatem & æternam ſalutem ſpectant, ut verè ità & intrepidè manifestabo ut Parentes erga filios agunt, cùm mors inſtat, quam à meis foribus non multùm abeſſe deprehendo. Sic Iacob morti vicinus duodecim filios præmuniit, Tobias Senior juniorem: & Chriſtus Dominus Diſcipulos in ſuprema cœna, paulò ante vinculorum injectionem; & die gloriosæ in cœlum Aſcenſionis, terram proximè relicturus?

In primis V. Celſitudini teſtificor coram Deo, & Chriſto IESU, qui judicaturus eſt vivos & mortuos: Eccleſiam Romanam eſſe matrem, magiſtram, & Caput omnium totius Orbis Eccleſiarum; cui Chriſtus in perſona D. Petri, ſui inſtitutoris, dixit: Confirma fratres tuos, & Paſce oves meas, ideſt, omnes mundi fideles; nec poſſe Deum habere patrem, qui ſanctam hanc Eccleſiam non habeat matrem; & extra ipſam nulli poſſe ſalutem, ſed certum exitium contingere, ſicut iis quos diluvium extra Noë arcam occupavit. Declaro inſuper V. Celſitudinem, & omnes ipſius clientes, qui in meis manibus obedientiæ Eccleſiæ Romanæ, & ipſius fide vivendi, ac moriendi jusjurandum præſtitêre, illius vinculis & anathematis à me, & tot aliis Sacerdotibus Dei, & ſanctorum Apoſtolorum Petri, & Pauli, & Romani Pontificis auctoritate impoſitis irretitos teneri, nec ab illis à quoque poſſe exolvi, niſi priùs ad Romanæ Eccleſiæ ſubjectionem regrediantur. Luc. 22. n. 32. Ioan. 21. n. 17. D. Cypr. lib. de unit. Eccleſ.

Secundò: notum facio me, dum ſpiritus hos reget artus, nec Romanus Pontifex matrimonii inter me, & Eccleſiam Æthiopicam celebrati vinculum relaxaverit, verum eſſe illius ſponſum, Patriarcham paſtorem, & Abunam; & quemvis alium, quocumque vocetur nomine, aut undecumque mittatur, alienum, furem, & latronem dicendum, nec per fores ingredi, ſed irruere, nec eas illi oſtiarium, & fidelem, ac prudentem diſpenſatorem, cui Dominus univerſæ domus ſuæ claves tradidit, aperire; quin potiùs partem ſuam cùm adulteris habiturum, quod alienam ſponſam, vero legitimo vivente, turpare contendat. Me etenim verax D. Petri ſucceſſor in hanc Cathedram eodem jure, & poteſtate induxit, quo ille filium ſuum Marcum in Alexandrinam; & qui ſe ipſos à magiſtri Cathedra abſciderunt, à vera quoque diſcipuli Cathedra ſunt præciſi; & ſolo nomine ipſius ſucceſſores & Patriarchæ. Non enim poteſt palmes fructum ferre à ſemetipſo, niſi manſerit in vite. Ioan. 15. n. 4.

Tertiò. V. Celſitudini, & illius Imperio illud D. Pauli in memoriam adduco, Nolite errare: Deus non irridetur. Ne credant, ſe Deo poſſe, mobiles auriculas, aut à tergo roſtra ciconiæ appingere, cum dicant, Romanam fidem, & Alexandrinam, tam ſimiles eſſe, quàm lac lacti, & ovum ovo; & ſe ab illa non dogmatis, ſed ritibus exigui momenti ſeparatos. Nam Alexandrina ovum eſt aſpidum, lac Lamiarum, & fel draconum. Romana lac ovium & ovum columbarum; à quâ qui ſunt digreſſi, in plures & immanes errores ſe dejecerunt, in Baptiſmi, & Circumciſionis commixtionem: in annuum Baptiſmi, repetitionem; in Sabbati, & legalium immunditiarum obſervationem; in ciborum delectum; in uxoriam repudiationem; in impuritatem aſſerendi, Chriſtum duabus perſonis, vel unâ ex duabus compactâ, vel unâ tantùm naturâ, aut ex duabus compoſitâ eſſe terrificum; vel duabus voluntatibus, & operationibus carere; vel Gratiæ, non naturæ filium dicendum, mortem divinitati irrogandam: & divinitatem illi æqualem eſſe, & omni loco ſtatuendam: poſſe Chriſti ſanguinem in aqua paucis uvis aridis tincta conſecrari, & animas à parentibus in filios deridi, & plura alia ejuſdem tenoris, quæ cùm divina Scriptura pugnant: & multis execrationibus in diverſis Conciliis ſunt percuſſa. Galat. 6. n. 7.

Quartò: Omnibus opibus à V. Celſitudine contendo, & ſuppliciter per IESU CHRISTI Domini noſtri ſanguinem, & per caſtiſſima viſcera, quibus ipſum ſanctiſſima Virgo Maria novem menſes geſtavit, & ubera, quibus ipſi lac immulſit, expoſco; & omnipotentis Dei nomine, ex poteſtate mihi collata cùm in meæ

conſecra

Digitized by Google

conſecrationis die oleum ſuper meum, ſicut ſuper Aaronis caput eſt effuſum, injungo, ne V. Celſitudo, vel per Regios adminiſtros, Luſitanis vim apertè vel occultè inferat, aut inferri patiatur, aut promiſſionibus illiciat, ut à fide Romana Catholica & Apoſtolica ſecedant; nec ducem ex alieno, ſed ex genuino ipſorum ſanguine, & ab ipſis propter Catholicæ Fidei in eo fulgentis prærogativam electum, aſſignet. Et omnibus qui aliquid meis juſſis contrarium fuerint moliti, majoris excommunicationis pœnam ipſo facto, incurrendam impono: & ſuper ipſos invoco Dei omnipotentis, & Sanctorum Apoſtolorum Petri & Pauli Romanæ Eccleſiæ Progenitorum; & D. Thomæ Orientis, & D. Jacobi Hiſpaniæ ac Luſitaniæ Patroni indignationem: Eſt enim ſuper omnia indignum, ut ii, qui Æthiopicum Imperium ſuo ſanguine ſervârunt, & conſtabilierunt, avita Fide dejicantur. Eaſdem pœnas illis imprecor, qui quoſuis alios Romanæ Eccleſiæ filios, licèt Æthiopici ſint ſanguinis, ab illius amplexu dijungere contenderint.

Quintò. Illud V. Celſitudinis, & omnium ipſius mandatis obſequentium animis altiùs inſigi oportet, nullam eſſe in toto orbe nationem, quæ alii æquè obſtricta ſit, ut Æthiopicam Luſitaniæ. Non enim in Æthiopiam Luſitani ſunt ingreſſi, ut filii Iſraël in Ægyptum cum jumentis clitellariis, & ſarcinulis ad frumentum in Palæſtinam ad famis extinctionem efferendum, ſed ſola charitate, & fidei ardore impulſi, cum claſſe ultrà centum naves, quas Rex magnis ſumptibus parari juſſit, numerante; cum amplo commeatu, ferreis fiſtulis, ſclopis, & æneis tormentis, quæ ad hodiernam diem in Regiæ domus veſtibulo Luſitani Regni ſtemmatis inſignita viſuntur; non quidem ut veſtram Regionem ſuis finibus adjicerent, aut vectigalem redderent; ſed ut eam à Mahometanorum, ipſi jam ab omnis quatuordecim dominantium jugo, & multos popularium impiæ ſectæ mancipatos, ab ipſius impuritate vendicarent. Quo ex labore tam parcam mercedem receperunt, ut ipſorum filii, & nepotes ſalis ex Tigraïs nundinis in Dambæam vectatione vivant, & Luſitani Regis liberalitate opus ſit annis ſingulis corporis nuditatem veſtibus operire. A V. ergo Celſitudine ob nixè efflagito, ut immunitates ipſis ob parentum merita conceſſas, imperet obſervari.

Sextò. V. Celſitudinis aurem non vello ſed ſubſtringo, ut memor ſit, plures Societatis IESU Patres virtute, litteris, & aliis artibus liberalibus inſignes diverſis temporibus in Æthiopiam veniſſe; non ut honores quærerent, aut divitiis inhiarent, ſed ut Deo, Imperatori, & omni populo cum omni humilitate ſervirent; eúmque rectam Fidem edocerent; exhibito ſummæ dilectionis documento, quod eſt animam ob amicorum utilitates flocci facere, quod tribus in via obtigit: uni Mazuæ ante quadraginta annos duobus ante octo in Regno Adelenſi; Ceteriſque, qui illis ſuperſtites ſunt, idem animus non deeſt, licèt modò tempeſtas deſit, quam tamen ſurgentia nubila minitantur. Qui tamen egregiam operam tuo parenti, ut magiſtri; famuli; ac ſervi ſemper præſtiterunt ut ipſe mihi ſæpiùs affirmavit. Poſt tot templa extructa; poſt tot domos privatis ſumptibus adificatas, ab earum multis in media hyeme ſunt abacti; & Gorgorenſes ter intra decem menſes hùc illúcque jactati, & omnes tandem Gojamâ, & Dambeâ nunc avulſi; & eorum labores ad alienos, & inteſtinos ſuæ Fidei hoſtes tranſlati. Uno tamen corde, & ore Deum omnes precantur ut regnum V. Celſitudinis in æternùm firmet, eamque ipſi domum extruat. Cujus ſit non in glareâ, vel arenâ perfidiæ Alexandrinæ, ſed in Petra, & ſoliditate Romanæ fidei cæmentum, & in ipſa cœli concavitate tectum & faſtigium.

Ultimò, par eſt, maturè V. Celſitudinem trutinari, cùm tuus Pater ob inſpectos Æthiopiæ errores, à Romano Pontifice Patriarcham, & Epiſcopos flagitaſſet, me, & Epiſcopum Nicænum abeo dimiſſos, priùs Theologiæ Laureâ in Academia Publica donatos, & divinarum Litterarum Profeſſores. Nec valdè Catholicum, & prepotentem Luſitaniæ Regem paſſum fuiſſe, ut pannoſi, & tamquam vilia mendicabula mitteremur, aut expectaſſe, ut tuus Pater aurum, vel commeatum ſuppeditaret, aut Æthiopiæ primores ad ſumptus ſymbola conferrent, ſed nobiſcum ultrà dena Oquearum millia expendiſſe, & alia inſuper munera ſatis peregrina,

&

Digitized by Google

& insignia addidisse, quæ hodie in domo Regia, & in aliis expansa dictorum veritatem in longos annos testabuntur. Nec patrem tuum omninò voluit annonæ nostræ quotidianæ expensis onerare, sed Episcopo quingentos aureos annuos, mihi millenos Dii assignavit, qui ibi in telas Indicas mutati, nobis, & toti familiæ alimenta præstare possent, ut quod à vobis collatum fuit, posset in stipem pauperibus erogari. Egregiam verò Lusitaniæ Regi fratri tuo, Episcopo, & mihi pro tot meritis mercedem solvitis, ut alium nobis viventibus, non Abunam, sed vinarium, sed cauponem, Psalm. 108. n. 23. *sed manducum superinducatis, quem nescitis, quis sit, undè veniat, aut quò vadat; & nunc, ut David ait: excussi sumus, sicut locustæ, in quas tanquam in communem perniciem omnes perticis, fustibus, & contis ferratis muniuntur, ut* Ioan. 5. n. 43. *in nobis ex toto impleatur, quòd Salvator asseruit: Ego veni in nomine Patris mei, & non accipitis me; si alius venerit in nomine suo, illum accipietis. Et cùm filii Israel ab Ægypto, non tantùm omnia propria usque ad extremam ungulam eduxerint, sed plurima aliena, quæ mutua poposcerant, in mercedis fraudatæ compensationem, magna nostrorum pars inter senticosas multorum manus detinetur, ut ovium & arietum lana inter vepreta, & spineta. Non tamen idcircò valdè contristamur, cùm probè noverimus, citò nobis omnia mortis falce desecanda, & ante tumulum relinquenda.* Exod. 10. n. 26. Exod. 11. n. 2.

Unum nos non mediocriter exterret; quod illud est mandatum, quod Rex Ægyptius ore proprio Moysi, atque Aaron ad se de nocte vocatis denunciavit: surgite, & egredimini à populo meo, vos, & filii Israël. Et quod urgeamur sicut urgebant Exod. 12. n. 31. & 33. *Ægyptii populum de terra exire velociter, dicentes: omnes moricmur; cædes primogenitorum & alia supplicia, quæ justè ob sua facinora & injustitias perferebant, soli Hebræorum præsentiæ tribuentes, cùm illa conferre deberent in eam sævitiem, quâ immeritos ipsorum infantes in Nili alveum immergebant, & in odium, quo pactam cum ipsis mercedem fraudabant, lateritio ipsos opere & palearum conquisitione onerantes. Sic justam Virgæ divinæ pulsationem, quâ à Deo Æthiopia verberatur, injusto odio, quo Lusitanos, assertores suos, insequitur, tribuere debebat; suisque flagitiis adeò publicis, & famosis, qui breviter in ista rediguntur; quòd Primarii suum primatum, & claritatem in uxorum multitudine constituant, quòd fœmina nulli viro adhærere, sed plures velint commutare; quòd Monachorum tota sit Religio in cucullo; & Cœnobia Castrensium mulierum conclavia, quòd Magnates Ecclesiarum, & Ecclesiasticorum prædiorum Domini esse ambiant; & cuncti sint in carnis illecebras licentiosi. Tandem, quòd Pastorem nolint sed idolum; qui Tiresias sit ad videnda ipsorum scelera; piscis ad reprehendenda, truncus ad punienda. Dum tamen hæc peccata in Æthiopia vigebunt, divinus gladius non est ab illius tergo dimovendus.*

Oculos, tuos Domine, & Præpotens Imperator, collyrio inunge; veritatem, ut nosti, sic consectare. Ne sinas lentam, illam, & flexibilem indolem, & solertem mentem; à Deo tibi collatam malorum consiliorum peste corrumpi. Justitiam in tuos subditos exerce, recolens, à Sapiente dictum: regnum à gente in gentem, & à domo in domum transferri Eccli. 10. n. 8. *propter injustitias, & injurias, & contumelias, & diversos dolos. Sed quia jam proclive non erit, ut in mutuum aspectum & colloquium, nisi ante divinæ Justitiæ tribunal occurramus, tibi extremo hoc limite annuntio, etsi Ego à te & tuo Imperio accusando supersedeam, sanctum Jesu Christi Evangelium, œcumenica, & Provincialia Concilia, & Sanctorum Patrum, & Ecclesiæ Doctorum Libros, quos omnes penè ad vestram eruditionem invexi, & nunc mecum inutiliter, & inhumanè extruduntur, testes contra te, & illud instaurandos.*

Ego tamen Episcopus frater meus, & Patres Christi Domini, quantum nobis datur, æmulatores, qui in Cruce pro suis interfectoribus oravit, non attendens, quod ab illis, sed quod pro illis, ex patris sui jussione patereretur; ipsum toto cordis affectu cernui deprecamur, ut secundum insignem suam pietatem, & ingentem misericordiarum suarum multitudinem Imperatori, & toti ipsius Imperio hanc noxam dimittat, & flagella suæ iracundiæ, quæ divinarum litterarum exempla his minantur, qui peccata repetunt, & prorogant, clementer avertat.

Si enim Gallæ majorem Imperii vestri partem devorârunt, cùm vestri majores jusjurandum Romanæ Fidei complectendæ Lusitanis præstitum abruperunt, faxit Deus, ne modò post tot Sacramenta, anathemata, & tam evidentem veritatis manifestationem, quod est reliquum, absumatur: In vos enim æquè cadit, quod in

Digitized by Google

Judæos D. Stephanus intorsit : vos semper Spiritui sancto resistitis, sicut & patres vestri. Divinus hic Spiritus qui spiritus est veritatis, & fortitudinis, V. Celsitudinem illuminet, & roboret, ut Fidem Catholicam, & Apostolicam, quæ sola est Romana, & via, veritas, & vita, perspiciat, diligat, & sequatur. ALPHONSUS MENDEZIUS Patriarcha Æthiopiæ, vinctus, & exul JESU CHRISTI.

Proficiscentibus jam Patriarchâ & Sociis, sed gradu, quantùm per deductores licebat, lentiori, si fortè spes regressus aut mansionis diuturnioris aliqua affulgeret, ecce tibi cùm confinia Turcarum essent ingressi, ultima & fatalis venit Epistola ab Imperatore Faciladâs quâ finibus Æthiopiæ in perpetuum exterminantur, cui Mazuâ Turcarum Emporio responsum postremum dedit Patriarcha. Utriusque Epistola hîc subjicitur prout in Historia Æthiopicæ expeditionis ab ipso Alphonso Latinè traducta continetur.

I. *Epistola Imperatoris Seltan Seguedi ad Patriarcham, Episcopum, Patrem, Didacum, & ad cæteros Patres deferatur. Audite, quæ vobis dicimus, & scripto mandamus. En ama Gueorguis, Taca Christôs, & Melca Christôs. Multa à vobis dicta nobis scripto retulerunt, & plures, quas objecistis, excusationes, cum vobis ab iis nostro nomine, & jussu, diceretur : In terram vestram, à qua egressi fuistis, redite, nuntiarunt.*

II. *In primis dixistis : nos ultrò non venimus, sed post multas epistolas ex Æthiopia missas, à nostris superioribus legati. Causasne, quas vobis sæpiùs primis in litteris protulimus, ob quas vos coëgimus, ut in vestras terras proficiscereminî, ignoratis ? Nescitis, quid inter vos, & Æthiopiæ gentem acciderit : & duram, ac perpetuam inter utrasque contentionem, illis vestras leges, vestros ritus, vestramque Fidem taxantibus. Nisi vos sursum Dei virtus, & deorsum Imperatoris favor servasset, non dico, vos annos vicenos binos, sed nec unum annum, aut semiannum duraturos. Nec modò opus est recensere, quæ gentis multitudo ob hanc causam sit extincta ; & quos labores, & persecutiones Imperator propter vos exanthlaverit, quia hæc omnia egregiè calletis. Cernens tamen idem Imperator, hoc Fidei negotium sustineri non posse, idem, ut illi fundamenta jecit, illud labefactavit ad patrum suorum cæmentum quæ petra est fidei Alexandrinæ regressus ; & præconio firmavit, ne à generatione in generationem commoveatur.*

III. *Ad id, quod nobis in memoriam adducitis, optimæ historiæ fortissimorum Lusitanorum, qui hùc sub Asnaf Seguedo feliciter ad Fidem defendendam appulerunt, egregiè novimus, illos in bonum advenisse ; & eo anno, quo sunt ingressi, pacem, ceu fluvium inundasse, nec gentem, adversus gentem, aut populum adversus populum insurrexisse ; quia ipsi nec prædicarunt, nec docuerunt, ut antiqua lex ab Apostolis Patribus tradita, everteretur ; nec alii Fidei servandæ, extra hanc nostram, quæ tunc vigebant, indigenas obstrinxerunt ; illique tunc sunt opitulati ; eámque prædatorum, & coactorum manu, qui Mahometanorum erant exercitus vendicârunt. Digni quidem summa sunt laude ; & à Regum manibus suum præmium obtinuerunt, ità ut vites plantaverint, & semina campis mandaverint in terra, in qua nec hæreditatem habebant, nec pedis palmum possidebant ; & quod ab illis relictum fuit, ad filios transiit, qui nunc usque fœderis pane à parentibus sibi mandato aluntur. Nec est, qui illis dicat : quid hic actitatis ? omnes enim sciunt in bonum accessisse.*

IV. *Id quod V. Dominatio dicit Absolutionem ab excommunicatione, quâ Æthiopiæ gentem devinximus, nobis reservamus ; nec quisquam præter nos, aut aliquem à nobis potestatem habentem, illam relaxare potest : facillimum est enodatu. Cùm Æthiopiam sua fide erudire cæperunt, quare nostram gentem ad illius amplexum compulerunt ? num anathematis, aut alicujus miraculi ostento ? nec illis, nec isto. Sed regii mandati manus obligationem induxit ; eadem, quæ vincula injecerat, amovit ; & nobis egregiè compertum est, neminem sponte sua vestram doctrinam admisisse.*

V. *Quid illud, quòd V. Dominatio subnectit ? Æthiopia nostra est sponsa : quis ritus est desponsationis ? Nonne scriptum est, & imperatum, mulierem legi viri non esse alligatam, sola parentum, & consanguineorum voluntate, nisi ipsa illius matrimonio consensum præbeat ? Et in hoc sciat V. Dominatio, Æthiopiam sui*

veram

Digitized by Google

veram sponsam non esse ; jam enim diximus, suam Fidem à nemine sua sponte admissam.

VI. Quòd ad votum attinet, illius materia multas habet distinctiones. Sunt enim aliqui, qui vovent, se mundo renuntiaturos, & monachatum professuros. Alii qui absque ullius cœnobii commemoratione, vovent suas se facultates contempturos. Alii, se virginitatem illibatam servaturos ; alii post eam amissam, continentiæ se dedituros. Horum omnium ad vota sua implenda tota virtus est in potentia voluntatis ; & nisi illa impleverint, peccatum admittunt ; quia in animæ suæ natura habent potentias voluntatis, & consensûs, quæ animalem potentiam, quæ caro est, administrant. Hic votorum modus est. Quid sibi illud vult, quòd V. Dominatio dicat : voto obstringor, Æthiopiam non deserendi ? non illam V. Dominatio, sed illa V. Dominationem dimisit ; nec V. Dominatio illam fugit, sed illa V. Dominationem, sicut à prælii facie meticulosus. V. Dominationi nos coram Deo testes sumus, V. Dominationem plurimum Æthiopiam dilexisse, sed illam non ità fuisse cum V. Dominatione lætatam, & illi ingentes amaritudines intulisse.

Hæc nostræ sit epistolæ resolutio. Omnes cum salute, & pacis via in suas patrias discedant, Deúmque testem proferimus, puros nos esse omnium, quæ vobis illata sunt, malorum. Imperator enim noster parens, vos vocavit, idémque emisit. Nos autem nec priùs vocavimus, nec modò emittimus ; imò vos hactenus defendimus ; & propter vos cùm Xagnensibus, vestrarum fortunarum eversoribus, bellum suscepimus ; & quod inventum est, ad vos remisimus. In posterùm, si vestræ facultates perierint, & Gentes vobiscum certaverint, omni culpa vacabimus. Præcipimus enim Zamariano, & omnibus Sarœnsium, & Amatenorum Capitibus, ut stipatum vobis conferant, & Mazuam incolumes deducant. Ibi navem pretio comparate, & in vestras patrias navigate. Nos verò Bassæ Mazuensi Arabicè scribimus, ut vos benevolè excipiat, & pacificè dimittat.

Audivimus etiam, vos Dancalini regni itinere Baylurii portum cogitare. Nunquid aliquis, præter Patriarcham, illâ umquam viâ hùc accessit ? Omnes enim Lusitani, & Patres à suo primo in Æthiopiam ingressu ad hoc tempus, Mazuâ venerunt ; nec Baylurii portus Turcis subjectus est, sed Dancalino Moderatori. Nihil jam prodest, post hanc rem constitutam, & dissectam, flexus, & ambages pervestigare. Scitote, nihil vobis hoc consilium, nec ullas morandi causationes profuturas. Hoc enim æternum vestri exitii, & pugnæ barathrum existeret. Cur obluctamini, & obfirmatè dicitis, vos non ituros : numquid aliquam offensionem vobis intulimus, aut vestras fortunas hùc invectas, aut hîc partas expilavimus ? Nec res hîc, nec verba commoda sunt ; sed abeant, nec ullo modo quidquam opponant. Hæc verbi nostri clausula, hoc est nostræ Epistolæ repagulum. Sic Imperator Faciladâs.

PATRIARCHÆ AD SUPERIOREM Epistolam rescriptum.

Epistola Patriarchæ, vinculis injustè detenti, à sua Ecclesia exacti & violenter à dilectissimia sibi in Christo sponsa, illius sanguine acquisita secluso, ad Imperatorem Seltan Seguedum Faciladâs cum cognitione, & consectatione Catholicæ, & Apostolicæ, & Romanæ Fidei, quæ sola ductrix est ad veram pacem, & vitam æternam inferatur.

Zierô Mariam in via nobis obstruxit V. Celsitudinis diploma, cùm jam proditi essemus à Joanne Acay (quid enim hîc non proditorium ?) Ut ab eodem Mazuam duceremur, ubi illud invenimus Hospitium, quod semper præsago corde (quod in magnis periculis rarò ludicræ artis lenocinio imponit) fueramus ominati, & prælocuti : Turcæ enim in aditu melleis nos, & butyraceis verbis lactârunt, sed paulò post cupiditatis suæ fel exeruerunt, nos denudantes, & quidquid afferebamus, (quod modicissimum erat, & tantùm ad convincenda immania mendacia ex Æthiopia scripta, de nostrarum divitiarum infinitate, magnum) auferentes. Nec fortunarum amissionem doluimus ; quamquam enim aliquid in Æthiopiam, nihil certè in hunc

mundum intulimus, nec ex eo auferre quidquam possumus; sed illud, quod patientiæ
Psalm. 21. n. 19. *Magister, cùm se in Cruce nudum conspexit, pari dolore, ac rubore proferebat. Ipsi verò conspexerunt, & inspexerunt me, non addidit: contrectaverunt; ne hujus verbi indignitate audientium animos vulneraret, si perciperent, inconsutilem illam tunicam, Virgineis manibus elaboratam, & purissimum corpus, in ventris ejusdem matris impollutæ officinâ contextum, infidelium manibus violari, & conspurcari. Sic vestri*
1. Reg. 24. n. 6. 7. *Patriarchæ, & Christi Domini, non fimbriam, cujus tactu in Saülis chlamyde David cor suum percussit, sed exteriores, atque interiores vestes consideraverunt, inspexerunt, & admodum indecorè contrectaverunt filii alieni.*

Quid dico filios alienos? Non nos alieni, sed uteri nostri filii vestibus indecorè exuerunt; quod Noë animum graviter exulceravit, & maledicto vindicavit, cùm se vidit à juniore filio Cham, patre Chanaan, & vestri generis proauctore denudatum,
Genes. 9. n. 24. *& irrisum. Nam Turcæ sui facti pœnitentiâ ducti, & nullius rei cujusvis pretii inventæ, verecundiâ suffusi, culpam transferunt in duas Epistolas sibi ab Æthiopia missas, quibus enixè monebantur ut ante omnia Patriarcham, & Patres omni quod secum ferebant, auro Æthiopiæ, deinde vitâ spoliarent. Hæ scilicet, esse debuerunt commendatitiæ ad Bassam Epistolæ, quarum V. Celsitudo n. 7. meminit, ut nos benevolè exciperet, & in Indiam, an in sarcophagum dimitteret. Verùm me Patriarchâ vilissimè contrectato, discincto, & denudato, Crux pectoralis, calix, & annulos desponsationis cum Ecclesia Æthiopica index, inventus, nec sine mysterio ereptus. Ut si quidem Abassini ab illa impiè atque indignè divortium induxerant, solemne illud matrimonii pignus ad Infideles abiret. In Patribus autem ægrè repertum, quod unius hebdomadæ annonam, Turcis ipsis judicibus, ministraret. Quod non exiguum fuit Dei beneficium, ut iidem nostram egestatem agnoscerent, & mendaciorum Æthiopicæ segetis ubertatem.*

Dicit V. Celsitudo in suo diplomate n. 7. Imperator, nostri parens vos vocavit; idémque emisit: Nos autem nec priùs vocavimus, nec modò emittimus. Quomodò in hoc dictum prorupit V. Celsitudo? Quandò nos emisit V. Celsitudinis parens, Imperator? dum viveret, an dum ad mortuos translatus? Dum viveret nos plurimùm dilexit, & summo habuit in honore; & in nos insigni usus est liberalitate, & antequam universæ carnis viam ingrederetur, V. Celsitudini, Reginæ matri, tuisque fratribus, & sororibus impensè commendavit, ne Patriarchæ, vel Patribus, re vel minimâ nocerent; & de hoc juramentum ab omnibus exegit. Nec post mortem quidquam præcipere debuit, aut poterat quod cùm viventis mandatis pugnaret. Nescimus enim adhuc, illum V. Celsitudini, ut Samüelem Sauli se videndum objecisse. Si verò V. Celsitudo fatetur ab illo nos vocatos, eúmque simul suum parentem, & se ipsius filium, & hæredem non diffitetur; ut filius, illius voluntati se astringere; ut hæres, & successor, illius, à quo regnum accepit, onera subire tenebatur.

Si V. Celsitudo nos non emittit, cujus sunt tot Senatores, qui invicem se comprimunt, ut nos Dambeâ, Gojamâ, & Tigræo Regno exturbent? Cujus tot evectiones, leonis signo munitæ, quot singulis diebus in Proreges, ac Dynastas impluunt, ut humero uno in nostram expulsionem connitantur? Numquid à mortuis magnus Imperator Seltan Seguedus Sociniôs est excitatus? O si rediret, & maturo illo incessu Æthiopiam inambularet, vel in Regia Dancazii aula sederet, & è suo solio oculos illos prænitentes, ceu duos stellarum orbes, hùc, & illùc circumageret, & quid actum esset de Patriarcha & Patribus, quos semper in oculis habebat: quid de suo Jacobo, & Justo, & aliis pueris, qui totæ illius erant deliciæ, quæritaret: & neminem respondentem audiret, quòd alii è sua terra ejecti, alii sub ea essent conditi, illum ploratum, & ululatum sine dubio edidisset, quem Rachel edidit, plorans filios suos, &
Ierem. 31. n. 15. *noluit consolari, quia non sunt? Si videret, & audiret Æthiopiam incestis congressibus cum fratrum uxoribus, sicut Herodis cum Herodiade; sororiis stupris, sicut*
Matth. 14. n. 4. *Amnonis cum Thamare, involutam; suum stratum non unico, sicut Rubenis ad Balam, aut Absalonis ad concubinas patris, sui, sed quotidiano ingressu fœdatum; &*
2. Reg. 13. n. 14. *sciret suum Basilidem horum omnium patratorem, quis dubitaret, illum à liberorum*
Genes. 35. n. 12. *suorum albo erasurum, & cum Iacob dicturum: effusus es sicut aqua; non crescas.*
2. Reg. 16. n. 22. *Si nosceret, libros, quos pervolutabat, & quibus preces percurrebat, & imagines quas*
Genes. 49. n. 4. *venerabatur, publicis præconiis, & festivo tympanorum sonitu combustas; & precarios B. Virginis globulos, sacras icones, & refertas cœlestis Agni, & Sanctorum*

Digitized by Google

rum reliquiis bullas, ad ludibrium canum faucibus appensas, certo certius est, imperaturum, ut cujusque, qui hæc jussit, vel audentibus consensit, memoria in æternam oblivionem flammis aboleretur.

Quid opus est aliundè probationes venari? In hac ipsa, quâ V. Celsitudo se purgat, epistola, se nostræ depulsionis auctorem profitetur. Nam n. 2. ait. Causas ne, quas vobis sæpiùs primis in litteris protulimus, ob quas vos coëgimus, ut in vestras terras proficiscerémini, ignoratis. Non ergo senex Imperator, *sed V. Celsitudo nos ad profectionem coëgit. Et n. 7. Ibi navem pretio comparate, & in vestras patrias navigate. Et n. 8. Abeant, nec ullo modo quidquam opponant, quæ verba sunt emittentis, jubentis, & compellentis.*

Si V. Celsitudo hujus nostræ depulsionis, ab optimo parente adornatæ, cæmentum statuit mutationis Fidei præconium, quod fuit, eo vivente, proclamatum, manifesta res est, ipsum de conscientiæ tantùm libertate egisse, relictâ cuilibet, quam Fidem probaret, eligendi optione, ut nobis sæpiùs affirmavit; & ultimò Zamariani regiæ Domus Præfecti ore nuntiavit. Si verò alius præconii sensus fuit; indè natum, quod cùm ipsum jactum fuit, tuus pater extincto jam propior esset, quàm viventi; & tota potestas jam in tuis, vel in illorum manibus esset, quibus te, ut omne malum gereres, ut de Achab docent divinæ litteræ, vendidisti; qui tuo nomine, & gladio, quidquid libet, exequuntur. 3. Reg. 21. n. 25.

Nulli etiam non compertum est, V. Celsitudinis parentem, ad patrum suorum fundamentum, & Alexandrinos errores non rediisse, ut n. 2. traditur, sed in Romana Fide objisse; in ea sola usque ad ultimum anhelitum, verum sacerdotium, & salutis portum consistere, affirmantem. Nec post agnitam semel veritatem umquam putavit Fidei petram Alexandriæ reperiri, ut regium diploma testatur. Callebat enim egregiè, unam tantùm esse petram, super quam fundata est Dei Ecclesia, nec quemquam fundamentum aliud ponere posse præter id, quod positum est, quod est Divus Petrus, & ipsius Ecclesia Romana; à qua ubi Alexandrina recessit, petræ cæmentum cum luto, & arenâ Nili commutavit; quod etiam Æthiopiam malum involvit; ubi enim à Roma se abalienavit, & ad Alexandriæ cænum, & volutabrum reversa est, eâdem, quâ ista, volubilitate agitatur, quod proindè nec tuus pater, nec quivis alius hominum firmare potest, ut à generatione in generationem non commoveatur, ut in eodem diplomate n. 2. sancitur. Lutum enim, & arena, quæ suâ naturâ infirma sunt, & instabilia, sine calcis, & saxorum temperamento ità solidari non possunt, ut quocumque vento, & aspergine non moveatur, & secùm trahant, quidquid ipsorum fulturæ innitatur. Matth. 16. n. 18. 1. Corinth. 3. n. 11.

Sin minùs, mihi, quæso pandi jubeat V. Celsitudo, quid actum sit illi suæ Fidei lapidi electo, cæmentitio, & angulari? Illi columnæ igneæ; illi per diem soli, & stellæ nocturnas tenebras fugantí? Illi verò Apostolico, & venerabili, duci cæcorum, & insipientium magistro, quem Abunam ex omnibus assumpsit, cùm nos in Tigræum Regnum dimisit? Quibus concionibus populum instruebat; quo libro, & ritibus ordines conferebat? Æterni pudoris velum Æthiopicæ gentis vultum obnubere deberet, si sciret erubescere, quoties memoriæ succurreret, ab ipsa sine ullo testimonio, aut probatione, sui Pontificatûs munere donatum adolescentem bibacem, & vini artificem, ac venditorem: nec saltem aliquo ordinum gradu semipaganum, sed omninò profanum, quem ultra annum, ccu Abunæ terriculum, expavit; cùm illius altare, mensa esset; calix, fœcundi calices; thus, tabaci fumus; dies, & noctes in comessationibus, ebrietatibus, in cubilibus, & impudicitiis conterentis; ita ut Ægyptii, ejusdem gentiles, eò audaciæ eruperint, ut publicè vellent, ipsum esse institorem, & Narcæ cauponem: feminæ suum virum, viri suarum uxorum sublatorem: parentes filiarum, adolescentes suarum amicarum direptorem. Et vos inflati estis, ut Corinthiis dicebat in re simili D. Paulus; & non magis luctum habuistis, & sanguineis lacrymis diffluxistis. Si Alexandrina fides lapis est electus, & probatus, ut illam dicit V. Celsitudo, cur illam timuit disputationem malleo, & mucrone explorari, cùm toties ante nostram migrationem instanter poscéremus, ut Monachi, Doctores, & qui gaudent vocari ab hominibus Rabbi, nobiscum dissertarent? quod, nec illi reportandæ à nobis victoriæ certi, in animum induxerunt. 1. Corinth. 5. n. 2. Sup. cap. 4. n. 5.

Dici à V. Celsitudine n. 2. infinitam gentis multitudinem Fidei causâ extinctam, est pedem sæpiùs, & infeliciter ad eumdem offensionis lapidem impingere, nec illum viâ dimovere. Nemo enim nescit, Romanam Fidem parenti tuo, dum illam coluit, plures victorias, usque ad extremam Oinadeguæ, contulisse; nec ullo tempore, quo ante illam

Digitized by Google

regnavit, tumultibus, & rebellionibus caruisse; & easdem in Æthiopia à centum annis, & ampliùs sub Zandanguile, Jacobo, Malac, Adamâs, Asnaf, & Onag Seguedis, viguisse. Nec omnium bellorum, quæ post susceptam à parente tuo fidem Romanam in Æthiopia exarserunt, radix illa fuit. Et aliis postpositis, post meum in eam appulsum, Teclæ Gueorguis, Melcæ Christôs & Sarsæ Christôs defectiones emerserunt. Teclam Gueorguis uxoris suæ, sororis tuæ, pervulgata adulteria provocârunt. Pastenses Melcam Christôs in regnum vocârunt, viri alterius sororis tuæ violentiis adacti. Sarsa Christôs arma suscepit ob vaccarum Damotum, & Gafatum prædationem, & clandestina cum iis commercia, quæ V. Celsitudo non ignorat. Qui omnes post inchoatam jam, & firmatam rebellionem, Fidei nomen prætenderunt, ut factiosam, & turbulentam multitudinem sibi conciliarent, quæ ut Deo est, sic Regibus Dei vices in terrâ repræsentantibus, infida. Si verò Melca Christôs Fidei causâ rebellavit, cur eâ mutatâ, à rebellione non quievit? Cur sui eum sequaces non deseruerunt, cùm jam ante duos annos Fidei Romanæ ædificium dissipaveris, & tam fortiter sis adnisus, ut Alexandrinorum errorum maceriam prorogares, & confirmares. Nec ille tui parentis tempore invaluit, nisi cùm Romana Fides cœpit in illius castris extenuari.

Numquid Romana Fides arma in Gallarum manus immisit? Omnibus notum prædari, & trucidare, totam illorum esse fidem. Hi proximo vere Amarense regnum penetrârunt, Tebab Mariam occupârunt, mille, & quingentos illius propugnatores cecederunt, & quinque regum ossa suis conditoriis eruerunt. Alii Saiamam, vestri Imperii ocellum, sunt deprædati. Alii Tigraum regnum perruperunt, & sæpiùs Saram incenderunt, & ita loquentes sunt auditi: Cùm Romana Fides florebat, nos exangues, exucci & pressis lupatis frenati tenebamur, sed modò cùm regnat Alexandria, leonibus fortiores exultamus. Cœlum ipsum, & aër Æthiopiæ, cùm reddita est Romanæ fidei adversatrix, bellum indixit. Nam ipsa die Septembris, quâ ejectionem ad nos Fremonâ ejiciendos, obsignasti, & Senatori Tacâ Christôs tradidisti; tua te Dancazii domo Deus extrusit, quin hactenùs potueris ad ipsam redire. Dambæam, & Ogarâm, ultra supremam famis grassationem, atrocior, quàm umquam audita est in Æthiopia, pestilentium morborum contagio invasit. Saxeum tamen Æthiopicæ gentis cor, nec Dei beneficia flectunt, nec multiplicata supplicia restringunt.

Ulteriùs in suo diplomate dicit V. Celsitudo n. 2. Nescitis, quid inter vos, & Æthiopiæ Gentem acciderit, & duram, ac perpetuam inter utrosque contentionem, illis vestras leges, vestros ritus, vestramque Fidem taxantibus? Intùs, & in cute omnia tenemus; nec simul vos latet, contentionem, quantacumque fuerit, non à melioribus, aut sapientioribus, sed à deterioribus, & ignorantibus; vel saltem à durioribus exortam. Illud quoque vobis compertum, veram Christi Fidem, quæ lex est spiritus, semper fuisse, & futuram carnalium contradictionibus obnoxiam. De ipso enim Sanctus Simeon in templo est vaticinatus: Ecce positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum, & in signum, cui contradicetur. Et de universa ipsius lege, cùm jam divulgaretur, Judæi Paulo Romæ dixerunt: De secta hac notum est nobis, quia ubique ei contradicitur. Et idem Paulus: Omnes, qui piè volunt vivere in Christo, persecutiones patientur. Secundùm quæ, à Christo se omninò secludit, qui vult omninò contentionibus carere.

Luc. 2. n. 34

Act. 28. n. 22.

2. Corinth. 3. n. 12.

Sed illud quoque nulli non ignotum, præcipuum semper contentionis, & duelli propugnaculum in matris tuæ, liberorum, ac filiarum domo erectum; & hanc fuisse malorum omnium officinam; & fornacem, è qua egressus est ignis, qui Cedros Libani, id est, Dei Ecclesias voravit. Nec de ritibus præcipua inter nos, & Æthiopicam gentem contentio, sed de Dei mandatis, & indeclinabili ipsius lege flagravit. Omnes enim ritus, quos priùs liberè dimiserant, & quos à nobis restituendos poste à flagitârunt, qui sub nostram cadebant potestatem, libenter indulsimus, ut Missarum à nobis correctarum dictionem, quartæ feriæ jejunium, jejunii Sabbati abrogationem, & antiquorum festorum, priscis etiam diebus, celebrationem, & alia similia. Sed totius contentionis eo fuit, cunctis denegata circumcisio, & Sabbati observatio: Regibus uxorum multitudo, viris fœminarum, & fœminis virorum ad libidinem solutio, & alia hujus ordinis, quæ nulla dispensatio mollire potest. Quia Ecclesiæ Prælati sub Deo, non supra Deum siti sunt, nec valent illius decreta infirmare, vel abolere.

Cujus sepiæ, vel foliginis atramento illud n. 3. scriptum? Optimos Lusitanos, qui sub Asnaf Seguedo in Æthiopiam venêre, nec prædicâsse, nec docuisse, ut antiqua lex, ab

Apostolicis

Apostolicis (dic, apostaticis) Patribus tradita everteretur; nec alii fidei servandæ, extra Alexandrinam, quæ tunc vigebat, obstrinxisse; illíque tunc opitulatos. O insignem calumniam, insigni & manifesto fassimonio nobilitatam! Montes, & saxa Æthiopiæ testes sunt, Lusitanos tunc accessisse duplici Onag Seguedi pacto invitatos; fidem Romanam, à se, & suis colendam, & tertiam Imperii partem ipsis in stipendium assignandam; & cùm ingressi essent, eodem, quo ille obiit, anno Patriarcham Joannem Bermudium secum deferentes, easdem conditiones ab Asnaf Seguedo, & Sabla Onguel, ipsius uxore, renovatas. Quorsùm Romanum Patriarcham intulerunt? Num ut Alexandrinam sectam constabiliret? O mendacium! O portentum! Illicò post victoriam, & Gragnæ cædem, Patriarchæ, & Lusitani Regem adierunt, & fidei solutionem exegerunt. Sed ille iisdem, quibus vos nunc, vinculis præligatus, perfidè abnegavit, & paulò post, in facti præmium, tam Lusitanorum capita, quàm Patriarcham (ut ipsemet narrat) in diversas rupes relegavit. Num Dominus Christoforus à Sama, sanguine à majoribus accepto clarus, sed fuso pro Fidei confessione præclarior, secum pugnans, illum Osiæ campis credidit, ut fidem fidei suæ contrariam roboraret, & indè Ægypti cucumeres, cæpe, & allia irrigaret? Qui tale ostentum comminiscitur, elleborum potet, & allium cicutis nocentius comedat. Bernard. in sua historia, cap. 39. Cap. 43. & 44.

Quod V. Celsitudo ibidem subjungit, Lusitanos illos à Regum manibus suum præmium obtinuisse, ita ut vites plantaverint, & semina campis mandaverint, & quod ab iis relictum fuit, ad filios transiisse; qui nunc usque fœderis pane, à parentibus sibi mandato, aluntur: quin quisquam illis dicat, quid hîc actitatis? per se patet, esse mendacissimum. Primum enim præmium, quod Lusitani ab Anaf Seguedo retulerunt, fuit in rupes impervias dispersio. Secundum, post amicitiæ redintegrationem, in Regnum Doarô immissio, ubi priùs cum Calidio, illius Præfecto, posteà cum vicinis Gallis belligerati, propter continuas illorum eruptiones discesserunt. Tertium, Beth Mariâm prope Nilum latifundia, ut indè semper rebellem Gafatum Gentem, sollicitarent. Quartum, Naninæ montes, in quibus aliqui eorum, qui vixêre, adhuc sunt superstites. Sed tam brevis ubique fuit Lusitanorum commoratio, ut satæ ab iis vites, nec radices agere, nec posteris legari potuerint. Post hæc in Darâ, & Labo hæreditarias possessiones grandi pecunia comparârunt, sed brevi ab iis avulsi sunt, & Gallæ, & Mahometani eorum loco plantati. Ubi est tertia Æthiopiæ fundorum pars, qui fœderis panis erat, Lusitanis, & eorum nepotibus dandus in annonam? Non solùm sunt plures, qui dum vitam degunt, nec passum pedis habent in terra, quam sui parentes suo sanguine emerunt, sed nec in morte illius palmum, ut sua tegant ossa, ne à luporum, & canum voracitate post exesam carnem, dispergantur; quod V. Celsitudo ipsis templa propriis expensis erecta abstulerit, & alienæ fidei cultoribus tradiderit.

Ubi honor ille, quem antiqui Lusitanis, tamquam suæ libertatis assertoribus, deferebant, ut si in eos incurrerent, ex equis desilientes, & pallio ab humeris ad singulum dejecto, salutarent? An non ad eam devenêre egestatem, ut ad salem ex Tigræo regno portandum, sint asinorum stratores, agazones, & ipsi aliquandò propriis humeris, nudis corporibus, & discalceatis, vel peronatis pedibus, vectores? cùm eorum matres, & uxores solis boum tergoribus; & filii ovinis, & caprinis pellibus, nullo medicamento maceratis, iis tegantur: omnibus redditi opprobrium hominum, & abjectio plebis? Et jam spiritum exhalassent, nisi Rex Lusitaniæ, ut verus Dominus, ac Pater, annua illis stipe subveniret; quia Æthiopici Imperatores, ceu alter Pharao, qui surrexit, & ignoravit Joseph, eos non agnovêre, & parentum merita sic ex animo deleverunt, ut ex eiusdem stipis subsidio multis in portubus, contra antiqua pacta, sacramenta, & immunitates, vectigalia exigantur. Exod. 1. n. 8

Quod dictum est, heroicos illos Lusitanos non prædicâsse, nec docuisse, ut, antiqua lex everteretur, omni veritatis cemento caret; quia Patriarcha Andreas Oviedus pluribus eorum stipatus, publicè coram Asnaf, & Adamas Seguedis docuit, & disputavit; & multos libros edidit, qui semen fuêre Fidei, cujus nos messem collegimus. Et tunc acriori pugna, & contentione, quàm modò certatum. Tunc enim omnes ferè continuerunt aures suas, & tantùm credidêre aliqui qui erant præordinati in vitam æternam. Nunc autem innumerabiles agni, & oves conversæ sunt ad Episcopum, & Pastorem animarum suarum. Act. 7. n. 3 Act. 14. n. 48. 1. Petr. 2. n. 25.

Cùm hæc ità sint, quo jure dicit V. Celsitudo n. 4. neminem sponte sua nostræ doctrinæ aures præbuisse? Si nemo illam sponte accepit, consequens est, omnes, quotquot

Digitized by Google

in eam sunt ingressi, invitos, & metu fuisse compulsos. Primus, qui illi nomen dedit fuit pater tuus, Imperator. Quis aheno illi pectori violentiam incussit? Quis cordis illius adamanti metum impressit? Num Patres nocturnarum, diurnarúmque horarum rationariis, an Baculo suo Patriarcha? Sola veritatis, quæ omnia superat, virtus, ipsum expugnavit, Quis vim, aut metum injecit patruo tuo Ras Selæ Christôs, qui semper vis, & basis fuit hujus Imperii, & Gallarum rebellium, & cæterorum hostium terror? Si V. Celsitudo fatetur, se metu adactum, ut infantes à Terriculis ad matrum ubera, ad Romanæ fidei sinum confugisse, perpendat, metûs excusationem, Regi & Adolescenti, imò cuivis etiam gregario, satis esse indecoram. Quem verò timere poterat? Num parentem? An reliquum Gentem? Si Gens Fidem non sponte admisit, non erat, cur V. Celsitudo ipsam timeret, cùm probè nosset V. Celsitudinis cor cum suo consentire. Patrem, ut timeret, nihil impulit, nulli enim umquam fuit, nisi hostibus, formidandus. Projecti verò semper fuit in filios amoris; nec umquam in ullum gladium distrinxit, præcipuè in V. Celsitudinem, quem semper plus omnibus dilexit; & quem curavit regni sui successorem juramento firmari, cùm nobis à cunctis præstitum est nostri Patriarchatûs Sacramentum.

Si V. Celsitudo eo ductus est metu, quem reverentiæ appellant, quòd patri, summè colendo, nollet displicere, sciat talem metum, nec vim inferre, nec voluntatem enervare, sed illam fulcire, & corrobare; eúmque à filiis parentibus, & Deo ab hominibus deberi. Nec V. Celsitudo tantùm in Parentis sui oculis, & auribus Romanam Fidem suscepit, & illi se ad mortem tuendæ Sacramento alligavit. Nam illud semel in odeo Ec-
Lib. 1. c. 14. n. 4. *clesiæ Serquensis coram Ras Sela Christos, & quinque Societatis IESU Patribus ante Christi Crucifixi imaginem instauravit. Bis in Agaorum solo, cum Sarsa Christos re-*
Lib. 2. c. 22. n. 5. *bellionem inchoavit, accito, ut adesset, P. Francisco Marquio, ante idem sacrum simulacrum, & omnes domus suæ proceres, ne contra patrem suum, vel Romanam Fidem arma umquam sumerent, æquæ promissione innodavit. In eadem verba semel, & iterum*
Lib. 2. c. 30. n. 6. *coram P. Didaco in Lasta, & Oinadegua, ante ultimum cum Tyranno conflictum, juravit; & ob illam animi firmitatem, victoriam Deus concessit. An toties religiosè dejeravit, ut nunc perfidiosè pejeraret, & in Caput suũ debita perjuris supplicia invocaret?*

Si omnes Fidem inviti susceperunt, cur illi tanto ardore, & voluptate inhiabant? Cur nobis concionantibus, templa rumpebantur, & auditores sua se multitudine collidebant? Nonne numero carebant, qui quotidie, ad nostrum ministerium, Angelorum pane alebantur? Nonne cum Ecclesias lustrabamus, dies erant, quibus, Spiritus Sancti signaculo fronti-impresso, ultra millenos in Christi militiam cooptabamus; & vires ad consignandos, & dies ad finem imponendum deficiebat. Si nemo nostra fide sponte initiatus est, cur pro ea Za Aureat, tantus vir, se passus est publicè flagellari? Sanguis tuus, Ioannes, tam longum tempus ambas manus catenis devinciri? Senatores Tinô curiâ, & Olda Christôs domo sua exulare? Oleta Gueorguis omnibus fortunis spoliari? Tot Presbyteri, & Monachi Catholicorum domibus, terra cavernis & solitudinibus occultari? Et permulti patria sua terga dantes, nobis copulari? Quibus si liber pateret exitus, & naves suppeterent, magna lectissima ex omni ordine gentis multitudo nobis erat adjungenda. Quomodò firmi adhuc perstant tot ex parentis tui ac tua domo clientes? Quomodò plures eorum, quos vis à te illata in naufragium impulit, retrò vela fecerunt, & ad salutarem pœnitentiæ tabulam confugerunt?

Nec scimus umquam ab optimo parente tuo quemquam, eò solum, quod Romanæ Fidei nomen dare nollet, interfectum, aut vinculis mancipatum, sed aliquos, qui seditiones in illius odium concitabant. Demus autem, quòd aliquem ferro ad illius obsequium impulerit; ut certè ad cognoscendam, & sectandam veritatem usus est. Sed tu
3. Reg. 12. n. 14. *iis, qui agnoverunt, & sectati sunt atrociorem infers, ut illam contemnant, & detestentur, illud factis dicens, quod sermone tantùm Roboam filius Salomonis: Pater meus cecîdit vos flagellis, ego autem cædam vos scorpionibus. Sed pater tuus, ut sa-*
Rom. 13. n. 4. *piens & sapientum filius operatus est. Paulus enim sapiens, de Rege loquens, ait. Non enim sine causa gladium portat: Dei enim minister est, vindex in iram ei, qui malè agit. Qui veram Fidem oblatam rejicit, maléne agit, an studiosè operatur? Malè agere, quis inficiabitur, cùm sibi congerat perditionem? Christo dicente, qui crediderit, & Baptizatus fuerit, salvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur. Peccat ergo qui non credit, & Christi mandatum violans, & animam suam perditioni venalem exponens. Laudabiliter ergo Rex grassatur, si credere nolentem gladio ab inobedientia,*

Digitized by Google

& animæ suæ damno avertit; & aliud Christi præceptum implet, qui œconomo hæsitanti, quid in eos agere deberet, qui ad mensam instructam introire renuebant, dixit: compelle eos intrare. Probavit igitur illo facto Imperator, se Dei ministrum esse, Luc. 14. n. 23. *nec sine causa gladium, quem tu in tua distringis viscera, portare. Nec indè consectarium est eos, qui Fidei sunt adjuncti; invitos accessisse. Ut enim, ex Divo Augustino, Deus vocat nolentes, ut reddat volentes; sic Imperator reluctantes vocabat, ut redderet applaudentes. Regum enim supplicia, cum justè inferuntur, voluntatem non cogunt, sed dirigunt, & ad ea, ad quæ ipsa tenetur, perducunt. Idem cernitur in anathematis, quæ Prælati Ecclesiæ ad res licitas, & honestas perficiendas, vel ad noxia fugienda, proponunt; ut in eo quod ego Æthiopicæ genti, ut in Romana Fide viveret, & moreretur, indixi.*

Hoc punctum de vibrato à me in pervicaces anathematis fulmine, dicit V. Celsitudo n. 4. facillimum esse enodatu. Sed cùm illi duplicem clypeum objectet, neutro illius ictum declinat. Primo, à malis ad ovum recurrens, ait Æthiopiæ conversionem, non ab anathematis, sed ab Imperatoris mandato inchoatam. Nec ego illa umquàm conversionis, sed tantùm meæ promulgationis fundamentum proposui: Cum enim à tuo parente, à te, & tota Æthiopia, obedientiæ, & fidelitatis juramentum exegi; statim in perfidos, & contumaces excommunicationem subjeci, & illius absolutionem mihi reservavi. Id negare non potes, cùm adesses, videres, & assentires. Si ergo excommunicatio intervênit, nec tamen Æthiopicam gentem illâ constrictam censes, clavium potestatem Divo Petro, & Ecclesiæ tributam inficiaris. Illis tamen catenis te adeò devinctum censes, ut antequam Dambeâ pelleremur, Deonacium Gabrielem ex Goiama acciveris, & eo internuntio, à me illarum dissolutionem flagitaveris. Idem ante mortem Patris Didaci calamo, pater tuus postulavit; idem posteà Fremonæ Rasza Christôs, & ipsius pellex, soror tua Onguelavi, per domesticum quemdam Ioannem. Quibus omnibus respondi, promptum me esse absolutioni impendendæ, si ipsi priùs à peccato, quod contraxerant, solverentur, cùm excommunicatio medicinale sit remedium, non arbitrarium, & officiosum.

Imperatoris quidem mandatum intercessisse, non diffitemur; sed illud nihil ad excommunicationem; nec in rebus Fidei Principem locum sibi vendicat; nec Ecclesiæ mandatum præcedit, sed submissè consequitur. Cùm enim Petrus dixit: Ecce duo gladii hìc, Ecclesiam duobus gladiis munitam ostendit; altero ancipiti, & bicipiti, ex ore Sacerdotum prodeunte, qui est excommunicatio; altero visibili in Regum manibus fulgurante. Sed is quidem, inquit D. Bernardus, pro Ecclesia, ille verò & ab Ecclesia est exerendus. Ille Sacerdotis, is militis manu, sed sanè ad nutum Sacerdotis. Sacerdotibus enim, non militibus, aut Regibus Christus dixit: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo; & quæcumque solveritis super terram, erunt soluta & in cælo: Tuta enim est Ecclesia, ut tradit Bonifacius Papa VIII. cùm gladius est sub gladio, & Reges, atque Sacerdotes tanta necessitudo connectit, ut secularis gladius, non ad militaris ferociæ, sed ad sacerdotalis maturitatis nutũ opportunè distringatur. D. Bern. 4. de Consid. & epist. 256. Extrav. unam sanctam.

Alter clypeus ad veritatis pedes abjiciendus, est quod dicatur, Romanam Fidem sponte à nemine susceptam; quasi ii soli, qui ultrò collum ipsi submisêre, compotes esse possint, excommunicationis, refractarii verò exortes, cùm tamen excommunicatio actus sit Iurisdictionis contentiosæ, quæ in solos contumaces, ac rebelles exeratur. Si Ecclesiam non audierit, inquit Christus, sit tibi sicut Ethnicus, & publicanus. Et mox subdit: Amen dico vobis: quæcumque alligaveritis super terram, erunt ligata & in cælo: en excommunicatio in non audientes, & obluctantes asperatur. Vinculum illa est, & ab Ecclesia in locum à dæmone frequentatum ejectio, & ideò excommunicati Satanæ tradi dicuntur; nemo autem sponte alligatur, & ab Ecclesiæ splendoribus in tenebras exteriores eliminatur. Ut verò eliminetur, satis est, ut sit intra Ecclesiæ limen per Baptismum, quod est janua Sacramentorum. Si ergo gens Æthiopica ingressa est in Ecclesiam per baptismum, & Episcopus est in Ecclesia, & Ecclesia in Episcopo, ut ait martyr Cyprianus, planum est ea depelli posse à suo Episcopo, vel Patriarcha, nec illi prodesse defectum voluntarii consensûs. Matth. 18. n. 17. 18. 1. Corinth. 5. n. 5. 1. Timoth. 1. n. 20. Epistol. 69.

Ex eadem voluntatis ingente Æthiopica claudicatione V. Celsitudo dispicit n. 5. nostram cùm hac Ecclesia desponsationem, mutuum, in his nuptiis consensum, velut in carnalibus reposcens. Similitudines tamen non per omnia congruunt rebus, quibus exponendis adaptantur. Si enim V. Celsitudo spirituale, & carnale connubium in omnibus

Digitized by Google

nibus æquare velit, ut in isto, quæ Virgo est, mulier efficitur, sic in illo pudicitiæ
2. Corinth. 11. n. 1. flosculus marcesseret, cùm tamen Paulus dicat: desponsi vos uni viro Virginem castam exhibere Christo; & ut carnales nuptiæ sunt unius cùm una conjugium, ita singulis fidelium animabus singuli debuêre Episcopi assignari; cùm non ità sit, sed in unius Episcopi plures & in Christi, totius Ecclesiæ sponsi, manus omnes animæ tradantur. Veni, & ostendam tibi sponsam, uxorem Agni, inquit Joannes,
Apocal. 21. n. 9. & Episcopi Christi sint vicarii, & procuratores. Sicut misit me pater (ille dicebat) & ego mitto vos. Numquid omnes, ad quos missus est Christus, eum, velut sponsæ sponsum, cum lucernis, ac tædis expectârunt? In propria venit, inquit amicus sponsi,
Ioan. 20. n. 21. & sui eum non receperunt. An ideò ille sponsus non fuit, nec illi dicendi sunt adulterasse? Si ergo ut Christus à Patre sic Apostoli, eorúmque successores Episcopi, à Christo mittuntur, æquè omnes illos excipere tenentur, ac Christum tenebantur, & æquè
Ioan. 1. n. 11. peccant, illos non admittentes, ac peccarent, si Christum non admitterent. An cùm Deus Petrum Ecclesiæ caput instituit, & Romam, cùm adhuc pagana esset, ad sedem in ea figendam misit, in mundi vel Romanorum optione reliquit, ut qui vellet, ipsum Ecclesiæ caput haberet, & qui refragaretur, omnis culpæ esset immunis? Absit, ut quis tale quidquam commentetur. Idem D. Marco, à S. Petro in Alexandrinam Sedem misso applicandum. Sic ergo & qui Patriarcham à Romano Pontifice, Petri successore, in Æthiopiam missum, & ipsius doctrinam non exceperunt, & multò magis, qui exclu-
serunt, adulterio spirituali sunt contaminati, partem suam cum mœchis, & certam damnationem habentes. Ad Apostolos, & Episcopos, ipsorum successores, Christus ait: Euntes, docete omnes gentes. Ad ceteros homines: docentes eos servare omnia, quæcumque mandavi vobis. Nec ergo Episcopi culpæ liberi sunt, si non doceant, nec isti, si docentibus non obsequuntur. Quid igitur nostram cum Æthiopica Ecclesia desponsationem V. Celsitudo cavillatur? Aut certè Catholicis, qui Pseudo-Abunæ, vel illi, quem ab Ægypto vocavit, parere nolint, connivere debet, cùm ipsorum sponsus non sit, & voluntate ab eo dissentiant, sine qua, juxta V. Celsitudinis mentẽ, desponsatio non consistit.

Cum etiam dixerimus, nos voto constringi, ne Æthiopiam deseramus, & ipsam alio, ne nos dimittat, dicit V. Celsitudo n. 6. Voti materiam multas habere distinctiones. Sed cùm Æthiopiæ Doctores in hac Epistola se in iis rimandis maceraverint, & divisio saltem bimembris in duas species esse deberet, unum tantum surculum, suo instituto perutilem, de votis quorum materia libera est, proposuerunt. Vera ergo distinctio, & divisio ità habet. Aliquandò voti materia, res est, quæ ut consilium suadetur, aliquandò, quæ ex præcepto imperatur. Consilii materia ante votum in neutram partem est
1. Corinth. 7. n. 38. 39. piacularis, ut si quis voveat absolutè, se nulli nupturum, vel limitatè post viduitatem. Nemo enim ad ineundas nuptias sub peccato astringitur, vel ab ineundis, etiam viduis, inhibetur. Qui matrimonio jungit Virginem suam, inquit Paulus, benefacit, & qui non jungit, melius facit. Et mox de vidua: cui vult, nubat. Beatior verò erit. Si sic permanserit, secundum meum consilium. Sed post votum nuncupatum, quod à sola voluntate vires sumpsit, nefas est in utroque casu nuptiis studere. Ait enim Romanus
Innoc. III. cap. licet de voto. Pontifex: licèt universim liberum sit arbitrium in vovendo, tamen solutio necessaria est post votum. Et magnus Pater Augustinus: Vovisti? te astrinxisti: gaude, tibi
D. August. Epist. 45. jam non licere quod cum tuo detrimento licuisset. Felix necessitas, quæ ad meliora compellit. De viduis enim post emissum votum nubentibus ait alibi Paulus, certam damnationem habere, quoniam priorem fidem (voti scilicet) irritam fecerunt. Ubi valida
1 Tim. 5. n. 12. sunt exempla illius unicaulis distinctionis, quæ in V. Celsitudinis epistola referuntur: eorum qui continentiam, vel Monachismum, vel similia voto pollicentur, ad quorum solutionem post votum conceptum sub peccato, non antè, obligantur.

Sed quia alter illius distinctionis caulis à V. Celsitudinis Doctoribus fuit omissus; aliquandò voti materia est res, quæ præcepto, vel divino, vel naturali; vel Ecclesiastico jubetur, aut vetatur. Ut si quis voveat, se non pejeraturum, non mœchaturum, singulis diebus Dominicis sacra rei adfuturum, & similia, quæ Christiani, etsi nullo voto sint damnati, exequi tenentur. Sed post illius assertionem, duplici nodo vinciuntur, & voti, & præcepti, quin ea patrocinetur, excusatio, si voluntatis defectum prætendant: illam enim ex vi solius præcepti, adhibere, & perpolire debuerunt. Si autem cùm votum conceptum est, verè fictio intercessit, non ideò culpâ vacant, quia etsi voti nodus deficiat, præcepti vinculum satis est ad illam contrahendam. Tale votum est, quo se ad sectandam Romanam fidem gens Æthiopica obstrinxit. Ad illam enim amplectendam,

&

Digitized by Google

& se in Ecclesiam, ædificatam supra Petri fundamentum, inserendam, & claves regni cœlorum ab illius manibus quærendas, & ipsius ovile, & pastoritiam curam indagandam, ex divino præcepto tenebatur. Quòd si non egit, agere debuerat; nec ideò à peccato mancæ voluntatis objectu liberatur.

Præter hanc, alia est solemnis votorum distinctio, quæ etiam Æthiopiæ sapientes prætervolavit. Quædam sunt vota, promissiones, & contractus, qui inter duas tantùm personas celebrantur. Ut votum, quo se Jacob ad solvendas Deo decimas: David ad templum erigendum: & Deus, ut Jacobum duceret, & reduceret: ut Davidis regnum, & solium firmaret in æternum, alligavit. Matrimonii quoque contractus in terrestri horto inter Adamum, Evámque initus est; & nunc inter duos ipsorum nepotes, virum & uxorem celebratur. Alia sunt vota, & fœdera, quæ inter unam personam ex una parte, & multas ex altera præstantur; ut ictum à Deo cum Abrahamo fœdus multiplicandi semen ejus, sicut stellas cœli, & sicut arenam quæ est in littore maris, si ipse, & ipsius posteri carnem circumcisione circinaret; & votum illius incidendæ, quod suo, & omnium posterorum nomine Abrahamus emisit. Hujus naturæ fuit contractus, Romanæ Fidei à se, & à suis profitendæ, quem Rex Onag Seguedus suo & omnium Abassinorum nomine, cùm Serenissimo Joanne III. Lusitaniæ celebravit; si ab eo sibi auxilium contra Mahometanos Adelenses mitteretur. Genes. 28. n. 15. 22. Psalm. 131. n. 14. 11. Gen. 2. n. 24. Genes. 17. n. 11. 23.

Cùm votum, aut contractus prioris est generis, & duabus tantùm personis continetur, opus est expresso utriusque consensu. Cùm verò est secundi, haudquaquam exigitur, ut omnes, & singuli assentiantur, sed sufficit patrum, capitum, & primariorum consensus. Sic ex Abrahami promissione omnes ipsius posteri concidendæ carni sunt adstricti, quin eorum, quisquam, si illius pacti transgressor esset, dicere posset, se à Dei populo non delendum, quod pacto non adfuerit, nec assenserit. Nam omnes in Abrahamo parente illi adfuerunt, & cum eodem consensum præstiterunt.

Sic Onag Seguedo Romanæ fidei receptum in communem totius Imperii utilitatem, & libertatem, spondenti, & juranti omnes ipsius clientes astiterunt. Et multò fortiùs & arctiùs Seltani Seguedo Socinios cùm ipse, & omnes regni Principes (quorum tu post patrem primus eras) in aula regia, die 11. Februarii, anni 1626. in meis manibus illud Onag Seguedi, & sequentium Imperatorum, & clientium debitum solverunt, eamdem fidem admittentes, & usque ad extremum spiritum servaturos solemni jurejurando pollicentes. An quod jam novem anni ab illa promissione sint exacti, se, & suos V. Celsitudo omni vinculo solutos arbitratur? Gabaonitis Josue & Principes multitudinis juraverant, iis se nulla re incommodaturos; cùm ecce post annos trecentos, & septuaginta, sub Saüle, zelo justitiæ, ut ipse putabat, ducto, aliqui ex ipsis sunt occisi, quasi in pœnam fraudis, quam olim Iosue tempore confinxerant. Sed ob illam cædem, neglecti jurisjurandi sacrilegio pollutam, facta est fames, Davide regnante, tribus annis jugiter, cujus causam fuisse cædem illam, Deus, quem nulla subeunt pactorum oblivia, respondit. Bella, famem, & pestem quæ nunc totâ Æthiopiâ grassantur, V. Celsitudo hujus voti, & jurisjurandi contemptui apponat. Ios. 9. n. 15. 2. Reg. 21. n. 1.

A cujus nexibus adeò liber est V. Celsitudo, ac ego à mei voti obligatione, quamvis me ab illo, non jam regia, sed Pontificali auctoritate absolvat, cùm ait n. 6. Quid sibi vult, quod V. Dominatio dicat, voto obstringor Æthiopiam non deserendi. Non illam V. Dominatio, sed illa V. Dominationem dimisit. Quod argumentum ità concinnandum. Non Æthiopiam V. Dominatio dimittit, sed illa V. Dominationem; Ergo V. Dominatio libera est à voto in ea permanendi. Et quod est consectarium. Æthiopia libera est à voto V. Dominationem retinendi, quæ testificatio, si ipsa mihi non pareat, me quidem crimine, verum sollicitudine ipsam curandi, fugientem persequendi, & opportunè, importunè instandi, non exolvit. Non ideò, quod oves ab ovilibus discedant, & in deserta facessant, liber est pastor à cura illas quærendi, in humeros imponendi, & reducendi. Non ideò quod æger phreneſi raptus medicamenta projiciat, liber est Medicus ab aliis adhibendis, quia quod prior hora negavit, possunt secunda, & tertia largiri. Scio tamen me, si à V. Celsitudine, & ipsius palpatoribus emittor, à reliqua Æthiopia non emitti; & dicere posse, quod olim Deus ad Eliam: Reliqui mihi septem millia virorum, qui non curvaverunt genua ante Baal. Mihi satis erant copiosæ familiæ Ras Selæ Christos, fratrum Cabæ Christos, Zadanguilis, Oloagensis, & plurium Abassinorum, & omnium Lusitanorum, quæ ultra ter millenas animas complectuntur, quibus saltem me præesse V. Celsitudo pati debebat, ut Asnaf Seguedus passus est Bermudium 3. Reg. 19. n. 16. Rom. 11. n. 4.

Digitized by Google

mudium præsidere, cum Abassinos Iosepho Ægyptio credidisset. Gregorius ille, quem dicitis HABARE TAMRAT, id est patratorem miraculorum, morti proximus rogavit, quot in sua civitate Neocæsariensi essent Christiani. Cumque responsum esset, septemdecim numerari, addidit: Totidem (quæ Deo sint Gratia cùm Episcopatum cœpi, erant Christiani. Si Gregorio septemdecim sufficiebant, cur mihi non sufficerent ter milleni. Si ille cæteros ad Fidem adduxit, cur ipse, si persistam, me aliquos ad eam adducturum diffidam? Si me hi non deserunt, cur V. Celsitudo omnes Æthiopiæ cultores meos jactat desertores.

Dum verò ex eadem fidelia (nempè, quod Æthiopia me deserat, non illam ego) me, & illam V. Celsitudo, dealbare conatur, ut ego indè non candesco, sic nec illa ex hac istius penicilli linea, sed ampliùs nigrescit. Non enim sanctus Augustinus, & cetera Theologi peccatores absolvunt, sed damnant, cùm dicunt, neminem à Deo deseri, nisi priùs ab ipso deseratur. Simul tamen norit V. Celsitudo, hominem, si assignato sibi à Deo pastori renuntiet, non homini, sed Deo renuntiare, ipso ad Samuelem dicente: Non te abjecerunt, sed me, ne regnem super eos: Et si V. Celsitudo retur, impunè licere Æthiopiæ à nostri baculi ductu defectionem, & jurisjurandi, in nostris manibus concepti, violationem, eadem opera judicare tenetur, impunitam omnibus futuram à suo Regno in rebellium castra migrationem, & voti, ac juramenti; ut ipsum post parentis mortem, Imperatorem admitterent, neglectum. Non enim illos V. Celsitudo, sed ipsi V. Celsitudinem contemnunt.

1. Reg. 8. n. 7.

Ingentes V. Celsitudini gratias referimus, quòd nobis coram Deo testis sit n. 6. nos plurimùm Æthiopiam dilexisse, sed non ita fuisse ab Æthiopia dilectos, verum multis amaritudinibus infartos. Nobis quoque Deus testis est, Æthiopiam à nobis summoperè dilectam, non tamen Æthiopiæ milium, & hordeum; & semper in ea laboribus non modicis, & egestate conflictatos: quam non solùm patienter, sed jucundè tolerabamus, ex desiderio salutis ipsius, & tot animarum quæ nesciebant, quid interesset inter dexteram, & sinistram; & dispersæ palabantur, sicut oves non habentes pastorem, in die nebulæ & caliginis, ut eas in Dei tabernacula traheremus, & fieret unum ovile, & unus Pastor. Si verò Æthiopia nos amaritudinibus replevit, odio habuerunt non gratis. Et videat V. Celsitudo, quis illarum amaritudinum fuerit conditor, quis propinator. Nos tamen amaritudines non reputabamus, sed dulcis aquæ scaturiginem, sicut parentes vestri, cùm in deserto morarentur, de petra melle dicuntur saturati; quæ aquam de petra ad virgæ tactum profluentem, ob sitim, & fastigationem, melle credebant dulciorem.

Ezech. 34. n. 11. Ioan. 10. n. 16. Psal. 24. n. 19. Ioan. 15. n. 25.

Si nostri pro Æthiopia labores tanta conditi sunt dulcedine, miramur, cur V. Celsitudo n. 8. percuntetur: Cur oblectamini, & obfirmatè dicitis, vos non ituros? Putabam, me superfluas hujus repugnantiæ rationes jam edidisse; quòd, scilicet, ab Æthiopia vocati fuerimus, quod à superioribus nostris legati, quod voto, sacramentis, & desponsatione constricti. Sed quandò illas V. Celsitudo iterùm efflagitat, illa pro cunctis satis sit, quam Divus Ioannes Afa ore, id est aurei oris reddit, cur Paulus Apostolus Iconium, Lystras, & in alias civitates, in quibus saxis, & opprobriis fuerat impetitus, non autem in illas, in quibus tractatus amanter, & honorificè, sit reversus, dicens: Numquam legimus Apostolos diù commoratos in urbibus, ubi benignè sunt habiti; nec post egressum ad eas rediisse, sed solùm ad illas, in quibus fuerant persecutionibus exagitati. Ita nos, ultrà prædictas rationes, illa gravissimè impellit, ne Æthiopiam deseramus, quod illam in nos adeò truculentam, & inhospitalem experiamur.

Psalm. 88. n. 17. Act. 14. n. 20. Homil. 31. in Acta Apostol.

Nos à V. Celsitudine hactenus propugnatos, & bellum cum Xagnensibus nostrarum fortunarũ direptoribus, susceptum ac restitutionem inventorũ imperatam hæc Epistola n. 7. buccinatur. Sed illius testimoniũ supervacaneũ erat, cũ hæc defensio abundè cõprobetur nostrarum fistularum, cùm in exilium, & prædones mitteremur, avulsione, stipatus Lusitanorum militum à nobis petiti negatione; & unius, quem nobis cũ ex India duxeramus, à Lamalmonis radicibus revocatione. Quid pugnæ contra Xagnenses susceptum? Scimus tamen grave bellum ipsis indictum; sed omne ipsius pondus in mille pannos, ab eis solvendos, conversum, quorum nec filum nobis accessit. Sed quorsum opus erat, Xagnenses è longinquo sollicitare, cùm tam propè adesset Paulus Benedictionis, & sororis V. Celsitudinis filius, dux eorum, qui nos expilarunt? Quod Imperatam dicit inventorum, & non addit retrimentorum, & recisamentorum, quæ sibi nullo erant usui restitutionem? Cùm enim nobis ex Ecclesiæ ornamentis, Pontificiis vestibus, & aliis rebus, quingentarum

Digitized by Google

quingentarum auri unciarum æstimationem Xagnenses abstulerint, nobis V. Celsitudo nihil de vitello; sed exiguum follem misit, aliquot fragmentorum institas ad valorem quinque unciarum, continentem, quæ non rejecimus, ne inurbani, & superbi judicaremur. Hic tamen Iuda leoni, quod montano contigit, ut ove, seu vitulo devorato, aurium, & pedum extrema pastori in testimonium relinquat. Ubi Pontificalis gloria pallia? rei divinæ indumenta? tunicæ, tunicellæ, dalmaticæ, altarium velamenta, umbracula, baldachini, sellæ, pulvinaria, vela, lintea, tunicæ talares, & cætera, quæ longum est enumerare? Ubi scrinium illud, sacrorum librorum conditorium, quod in Raphaëlis domo deposuimus, hebeno, & ebore tessellatum, & inauratis muricibus clavatum? Isaias tamen illis verbis: Rapina pauperis in domo vestra, V. Celsitudinem respondendi labore deonerat. Gaudete tamen, & exultate Pontificii amictus, quod ab egeni Patriarchæ humeris ad Imperatorios transistis. Laneum etiam Pallium in Xagnensi præda raptum, quod tenui cuidam Religioso totum fuerat contra frigora munimentum, in Æthiopici priùs regnatoris, posteà ipsius Rás, seu Prineipum capitis, redditum est paludamentum.

Amos. 3. n. 12.

Isai. 3. n. 14.

Hanc materiam V. Celsitudo prosequens, n. 8. subdit: Num vestras fortunas huc invectas, aut hîc partas expilavimus? Si V. Celsitudo ità continens fuit à nostris facultatibus, quis fisco addixit omnes patrum fortunas, & mancipia Gorgorræ reperta quæ redempta fuêre quindecim auri unciis, quas Lusitani promisêre, P. Ludovicus solvit, & inter Damo Christôs Zamarianum, & aliam personam, cujus nomen V. Celsitudo tam benè, quàm suum novit, sunt distributæ?

Ut autem loquamur de iis, quæ à nobis parta sunt in Æthiopia V. Celsitudinem, cui optima quæque, quæ nobis à Xagnensibus adempta sunt, obvenerunt: Xagnenses ipsos, qui illa disperserunt; & Turcas, qui residua quàm diligenter excusserunt, obsecramus, & obtestamur, ut sub religione jurisjurandi exponant, numquid in Æthiopia quæsitum, in tota supellectile nostra apparuerit: an omnia ex Lusitania, & India sint advecta? Quid umquam habuimus in Æthiopia præter frumentum, quo domestici vitam trahebant? Et quod supererat, & majorem facultatum, quæ singulis annis ex India mittebantur, partem pauperes, & hospites, & munera Imperatori, aulicis, & Dynastis collata absumebant: si quid erat reliqui, domibus, & templis ædificandis tribuebantur, quæ modò in fratrum ac sororum V. Celsitudinis, qui Patriarchæ hæredes sunt, ex asse potestatem concesserunt. Cui relictæ sunt ædes à Patriarcha Depsa, & in rupe Mariam extructæ? Claudio, tuo Germano. Cui Domus, & Templum Nebessæum? Non Troianæ, sed Æthiopicæ Helenæ, tot virorum mundinatrici? Cui Ligenegus subtructiones? sorori tuæ Oleta Neguist. Cui Collela, & nunc proximè Fremona? Illi Faci, cui nomen ab Evangelio, non tamen propagando, sed destruendo, quæ semper non minùs ardenter Patrum, & Patriarchæ perniciem, quàm Herodias sancti Ioannis Baptistæ caput, anhelavit. Ego ad Abrahami similitudinem, levo manum meam ad Deum altissimum possessorem cœli, & terræ, & cum eodem affirmo, me à filo subtegminis usque ad corrigiam calceamenti, nihil quod in Æthiopia partum sit, ab illa exportare; ne ipsa umquam dicat: Ego ditavi Patriarcham, qui se cunctis Æthiopiæ habitatoribus opulentiorem nunc reputat, cùm nudus ab ea depellitur, & à solo Deo, & Lusitaniæ Regis, Deo simillimi, beneficii pendulus. Ut enim ille solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super justos & injustos; sic iste liberalitatis suæ radios à nullo orbis angulo, nec hominum genere avertit.

Genes. 14. n. 23.

Matth. 5. n. 45.

De munditie, quam V. Celsitudo n. 7. à nostris malis, & nostrarum facultatum eversione profitetur, tam certi sumus, quàm de Pilati innocentia, cùm Christum morti adjudicans, lavit manus suas coram omni populo dicens: innocens ego sum à sanguine justi hujus. Sic V. Celsitudo cujusvis purus est criminis cùm dicat; Deum testem proferimus, puros nos esse omnium, quæ nobis illata sunt, malorum. Et iterum: In posterum si vestræ facultates perierint, & Gentes vobiscum certaverint, omni culpâ vacabimus.

Matth. 27. n. 24.

Nobis ad finem V. Celsitudo præcipit n. 7. Navem Mazuæ pretio comparate, & in vestras Patrias navigate. Si navem Mazuæ emere, tam facile esset, quàm cymbam papiraceam quinque salis laterculis Mecharequæ, vel Carinha, ad Nilidem trajiciendam, nulla in nobis esset cunctatio. Sed unde nobis sumptus ad navem pretio comparandam? Non tamen discedemus à V. Celsitudinis voluntate, & voluptate, plures illas auri Naræa uncias, quibus nos V. Celsitudo oneravit, in eam emptionem expendentes. Nec nos, quamvis multorum dierum sit navigatio, commeatus mille frumenti

Digitized by Google

ſarcinis, & quingentis bobus, qui nobis toties in viam ſunt promiſſi, cùm nec frumentum illud ſatum eſſet, nec boves nati. Et per totum Orbem terrâ marique pervulgabimus inſignes victorias, quas V. Celſitudo à Patriarcha, Patribus, & Luſitanis, in Æthiopia natis, reportavit, proſtratis eorum Eccleſiis, & arcibus: Nebeſſea, Collenſi, Serquenſi, Ligenegus, Nefaſſenſi, Gorgorrenſi, Azazenſi: Dancaziana, Depſanenſi, & Fremonenſi: Toti ſimul Orbi anuntiabimus, in Æthiopia alterum regnare Alexandrum, qui dicebat, durius ſibi futurum, ſi à quoquam munificentiâ, quàm ſi armis vinceretur; & alterum Titum Romanum, qui aſſerebat, nefas eſſe, quemquam ab Imperatoris ore triſtem abire; & ſi qua dies eſſet, quæ ipſi ſine ducta ullius beneficii in aliquem linea tranſiret, dolens exclamabat, illum ſe diem perdidiſſe.

Quid homini, Regis perſonam ſuſtinenti indignius, & abjectius poreſt exprobari, quàm ſi dicatur, Patriarcham, Epiſcopum, & tot ac tantos Patres qui ipſum ſemper ſunt aſſectati & ſerviliter obſecuti, ab eo cunctis bonis à parente collatis fuiſſe exutos, nec ultra annum, & dimidium, ex quo regnat, uno Teſi grano donatos; & nunc famelicos, & ut triviorum mendicabula, exturbatos. Meminerit V. Celſitudo inclytum parentem ſuum, cum acciſus miles eſſet, & lucis fugitans, nec quidquam claritatis haberet præter Regii ſanguinis generoſitatem, ad Imperium conſilii magnitudine, brachii ſui fortitudine & manuum largitate, tamquam gradibus aſcendiſſe; & illum, qui compos non eſt donandi, impotem eſſe regnandi. Si V. Celſitudo cenſet nos, quod honeſtis orti natalibus reputemur, iis, qui nobis in via quinque vel decem, vel quindecim dierum comitatum præſtiterint, teneri laborem donis, aliquibus rependere; idque beneficii loco iis tribuit quos ditare velit, ut Teclæ Selûs, Aſmæ Gueorguis, & egregio illo adoleſcenti Paulo, cùm nos ad Tigræos dimiſit; & hac nunc Epiſtolâ teſtatur, ſe Zamariano, & capitibus Saroenſium, & Amacenorum præcipere, ut nos Mazuam deducant. Quomodò non ſibi putat indecorum, Romani Pontificis, & Luſitaniæ Regis Legatos ad exemplum Hanonis, Regis filiorum Amon, è regno ſuo fame enectos, nudos, & abraſos fugare, ſicut ille Davidis Oratorum dimidiam barbæ partem raſit, & præcidit veſtes eorum medias uſque ad nates, & dimiſit eos. Si verò David, avus tuus, tam indignè tulit hanc injuriam ſuis Legatis injunctam, cur non perpendit V. Celſitudo, Luſitaniæ Regem æquo dolore pulſandum ob tot damna ſuis inflicta.

2. Reg. 10. n. 4.

Suum diploma V. Celſitudo, iſtius bipennis impreſſione concludit n. 8. Hæc ſit Epiſtolæ noſtræ Reſolutio: omnes cùm ſalute, & pacis viâ in ſuas patrias diſcedant. Quæ ſalus, ubi nullam datur ſperare ſalutem? Quæ pacis via nos per diſtrictos Turcarum gladios, per infeſtas haſtas, per ferreas fiſtulas, plumbeis glandibus gravidatas, & per dentatas luporum catervas, vinctos, fuſtibus, & plagis oneratos, & inſtar canum undique exagitatos, in rapinam, & ſervitutem propelli? Pro ſola evectionis facultate Mazuæ Præfectus, & alii ipſius adminiſtri ultra ſexcentos aureos extorſerunt; & gratias illis ingentes debemus, quòd vitæ pepercerint, cujus delectionem ſibi dicebant ab Abaſſinis enixè commendatam. Ilicet ibimus; ſiquidem indeclinabilis eſt abitio, verùm ſicut mater oblivi ſci non poteſt infantis uteri ſui, nec virgo ſuæ faſciæ pectoralis, ſic nec nos plurimorum, quos Chriſto genuimus, filiorum; quos ſcimus, oculos, & corda, ſi liceret, & oporteret, ſibi expreſſuros, & in nos tranſlaturos. Nec diù, vel noctu à procurando ipſorum animarum remedio dormitabimus; & Patrem luminum indefeſſi orabimus, ut V. Celſitudinis cor ad agnoſcendam veritatem illuſtret, & voluntatem ad eam perſequendam corroboret; ne in tenebras exteriores projiciatur, & cum iis Imperatoribus, qui Fidem Catholicam, Apoſtolicam & Romanam perſecuti ſunt, connumeretur. Mazuæ 19. Junii, anni 1634.

Iſai. 49. n. 15. Ierem. 2. n. 32. Galat. 4. n. 15.

Hactenùs Patriarchæ Epiſtola ante egreſſum ſuum qui fuit 24. Auguſti anno 1635. poſtquam è carcere redemptus fuit ſeptem circiter millibus aureorum, poſt trimeſtre deindè iter quà mari, quà terrâ, tandem Goam ingreſſus 19. Decembris ejuſdem anni, quò recens advenerat novus prorex Petrus Sylvius, coram quo & toto Indiæ Senatu 8. Janvarii ſequentis anni multis peroravit Patriarcha de remedio facili & efficaci reſtituendæ in Æthiopia Religionis. Jam anteà, anno ſcilicet 1633. Romam præmiſerat ſex Abaſſinos Sacerdotes qui de rerum ſtatu & Sanctam Urbem & reliquam Europam certiorem facerent. Ex his in itinere duo obiêre, è reliquis quatuor, dein reverſus unus martyrii lauream eſt adeptus. Miſſus quoque anno 1635. Madritum & in Luſitaniam

Digitized by Google

sitaniam P. Hieronymus Lupus, sed tot obstacula rerum ac temporum ubique invenit, ut re infecta Goam redierit 19. Septembris 1640. in comitatu Joannis Tellii Menezii Indiæ Proregis. Alphonsus verò spem omnem succurrendæ Æthiopiæ succisam cernens, nunquam tamen usque ad supremum vitæ spiritum intermisit curam pastoralem providendæ Ecclesiæ suæ & ovibus suis per imperium dissipatis. Egit in primis ut vicinior esset Æthiopiæ, ut hac ratione expeditiùs faciliúsque eidem consuleret; verùm Patriarcham Goæ quàm alibi commorari utilius esse decrevit publicum Status Concilium. Coactus igitur Goæ consistere, Religiosæ vitæ spiritum quem in ipso Societatis tyrocinio in Lusitania hauserat, & in Æthiopia magnis semper incremẽtis conservaverat, Goæ inter socios constanter tenuit vir integerrimus & Religiosissimus, sic ut omnibus nostris & cæteris admirationi esset & exemplo tanti Prę sulis modestia, humilitas, affabilitas & mansuetudo. Nihil sibi unquã, singulare præ cæteris deferri patiebatur, nihil à communitate Religiosa particulare admittebat, officiisque domesticis quamtumvis abjectis cum reliquis vacabat, ac si nunquam fuisset effectus Patriarcha. Sanctæ paupertatis & parsimoniæ & continuæ in omnibus mortificationis perquam tenax, etiam cùm in Æthiopia Patriarchali fulgeret dignitate, & pro status sui conditione & honore Romanæ Ecclesiæ coram Aula & populi multitudine cogeretur sacram quamdam majestatem repræsentare quando ità exigebat major Dei gloria, quam unam unicè in omnibus ubique spectabat. Cum illa sui & honorum despicientiâ eminebat animi quædam & ampli pectoris magnitudo & generosæ indolis ad maxima quæque pro Dei gloria suscipienda, & contra adversa omnia & persecutiones constanter perferendas fortitudo, nullis succumbens laboribus, & pro Ecclesia sua tuenda millies sanguinem paratus profundere. Continuum orationis studium & unionis cum Deo, ad hæc filialis erga sanctissimàm Dei Parentem affectus & pietas, cujus præsidio illibatam fertur conservasse virginitatem, cor ipsius in dies magis magisque confortabat & inflammabat, ut cùm ab Ecclesia sponsa sua avelli, animus non sustineret, vias omnes & latebras inter montes & sylvas, inter antra & rupes indagaret velut alter Athanasius si fortè tempestas illa & furor Schismaticorũ subsideret, sin minùs pro grege suo sibi credito & fide gloriosè occumberet. Sed huic consilio cæteri Patres obstitêre, eò quod nec diù nec tutò latere posset, & siquidem detegeretur, actum fore omninò de omnibus, spémque omnem restituendæ aliquandò Religionis in perpetuum ablatam iri. Post discessum interim Alphonsi, sex Patres cũ Episcopo Nicæno in Æthiopia relicti è quibus duo inter Lusitanos, alii hinc indè dispersi clam degebant, alii insuper quatuor ad Æthiopiæ confinia per Arabiam circumcursabant. E Goano suo exilio Patriarcha oculis & animo in Æthiopiam suam tamquam pastor vigilantissimus, semper intentus identidem litteras scribebat ad Imperatorem Faciladâs, si quo modo adamantinum illud pectus emollire posset, ad ipsum quoque Zela Christôs Fratrem Imperatoris, Seltan Seguedi Socinidôs, aliosque viros magnates & Senatorii quondam Ordinis viros, qui ob fidei constantiam bonorum spoliatione, & exilii per Imperium angustiati, afflictos ærumnis, & paupertate penè confecti vagabantur, velut alter Paulus vinctus in Domino confortabat, consolabatur & ad coronas immarcessibiles perseverantibus promissas provocabat. Suppetias quoque temporales ex piæ gentis Lusitanicæ, & ipsius ærarii Regii ex præscripto Regis Joannis in eleemosynis congestas identidem submittebat. Abassini autem hæretici omnes undequaque aditus conabantur occludere, usque eò ut ipse Imperator & Proreges ac Primores Æthiopiæ, animos Præfectorum Mahometanorum qui portibus præerant (per quos dumtaxat patet aditus in Æthiopiam) tam litteris quàm muneribus sibi omninò devinxissent, sic quidem ut per annos aliquot nec nuntia, nec litteræ ultrò citróque permeabiles essent: quæ res Patriarchæ animum supra quam credi potest lancinabant; non despondit tamen corde, in quo scilicet regnabat fortis ut mors dilectio & amor ingeniosus, qui, frendente licèt erebo, viam tandem aperuit mittendis novis præconibus qui aut Æthiopiam penetrarent, aut certè circa illam versarentur, datâ occasione interiora

Digitized by Google

penetraturi. Intereà Goam advenêre nuncia de morte glorioſa Sociorum ſuorum quos in Æthiopia reliquerat, & in primis Gaſparis Paezii Luſitani qui anno 1635. haſtis confoſſus interiit, quem paulò poſt ſecutus Joannes Pereyra ſucceſſit anno 1638. 13. Aprilis Epiſcopus Nicenus Apollinaris de Almeida cum Hiacintho Franciſco Florentino & Franciſco Roterigio Luſitano, & poſt biennium Ludovicus Caldeira Luſitanus & Pater Bruni Romanus, qui omnes aſcenderunt in palmam Martyrii ex arbore ſuſpenſi & lapidati. Quæ nuntia incredibile dictu eſt quo animi ſui ſenſu exceperit Patriarcha, & lachrymis ubertim prægaudio fluentibus repetebat ſæpiùs Eccleſiæ hymnum *Te Deum laudamus*, ingemiſcens identidem præreptam ſibi, quàm tot votis ſemper expetierat, tam beatam pro Fide moriendi ſortem. Nec tamen à ſubmittendis quaqua viâ poterat novis Sociorum ſuppetiis qui vices morientium ſupplerent, & vacillantes Abaſſinorum quorumdam animos novis ſtimulis ad dura quæquæ, ipſámque mortem pro Chriſto conſtanter perferendam animarent & incitarent.

Anno 1642. in Æthiopiam miſſus P. Joannes Maravius Piſanus cum P. Antonio Andradio Patriarchæ Capellano, ſequenti mox anno in Æthiopiam miſſus eſt P. Antonius Almeida Luſitanus cum ſubſidiis pecuniariis ad ſublevãdam inopiam eorum qui pro Fide bonis ſuis ſpoliati ægrè vitam jam trahebant. Rursùs 1646. P. Antonius Botelius Rector Dienſis veſtitu Armeni Inſtitoris & P. Franciſcus Ferreyra Luſitani ambo, & magni vir talenti P. Antonius Ceſquius Germanus eò profecti ſunt; hos ex Ægypto cõſecuti ſunt tres RR. PP. Capucini è Gallia oriundi, qui dum conſilio fortè intempeſtivo litteras Mazuâ ad Imperatorem ſcribunt, ut liceret ſibi Æthiopiam ingredi, pro reſponſo glorioſum Martyrium à Mahometanis juſſu Imperatoris interfecti, reportarunt 25. Martii 1648. quorum illuſtrem exitum celebrat Patriarcha libro quarto Auctarii Æthiopicæ Expeditionis. Miſſus denique eodem ipſo anno P. Torquatus Pariſianus Tuſculanus habitu diſſimulato, qui oleo & operâ perditâ ſequenti anno coactus regredi ſecum detulit duo crania duorum PP. Capucinorum & tertii brachium, quæ magna ſagacitate & ſtudio hinc indè diſperſa colligere licuit, & authenticè comprobata Seraphicæ Familiæ Moderatori Goæ conſignavit.

Litteræ deindè ſcriptæ de ſtatu Eccleſiarum in Æthiopia & Martyrum triumphis ſubſecutis à P. Bernardo Nugeira Societatis JESU Patriarchæ quondam Amanuenſi uſque ad annos 1650. 51. 52. Quòd ſi numerum eorũ qui ab anno 1630. uſque ad annum 1652. ſanguinem ſuum Fidei cauſâ profuderunt, Lector deſideret, è Societate noſtrâ omninò novem, ex Abaſſinis autem Catholicis ſexaginta circiter numerantur, quorum agmen clauſit ipſe P. Bernardus anno 1653. ex arbore ſuſpenſus & lapidatus, & quidem Abaſſinos inter Martyrii lauro coronatos cenſebantur Proreges & Senatorii Ordinis viri, cœnobiarchæ, Monachi, clerici, nec non Luſitani, & nobiles matronæ, ut non commemorem innumeros alios qui exiliis, bonorum ſpoliationibus ærumnis & calamitatibus penè confecti in patientia & gaudio expectant fœliciſſimam æternitatem.

Et hæc quidem fuêre poſtrema ex Æthiopia nuntia quæ ante obitum ſuum percipere potuit Patriarcha, ex quo intelligebat in dies magis magiſque & veluti clauſtris adamantinis aditum omnem obſerari Evangelicæ prædicationi. Et quamvis adeò funeſta & exitialis rerum viciſſitudo tam indefeſſi & ſolliciti pro grege ſibi credito paſtoris viſcera intimè commoveret, nihilominùs inſcrutabilium Dei judiciorum & æternæ Providentiæ quæ in ſui diſpoſitione non fallitur, contemplatione & adoratione cordis ſui amaritudinem temperabat ſolabaturque. Revocabat ſibi in memoriam quot regna, & Nationes jam ab ipſis naſcentis Eccleſiæ exordiis & quidem ab ipſis Apoſtolis horúmque ſucceſſoribus quos præſcius futurorum eventuum Dominus JESUS ſelegerat & in omnem terram dimiſerat tot linguarum & miraculorum donis ac virtutibus inſtructos, ut gentes ſibi commiſſas è vitiorum cœno & dæmonis ſervitute ad veram ſanctitatem & filiorum Dei libertatem & hæreditatem revocarent; quæ tamen Regna occiſis Chriſti

Digitized by Google

sti Apostolis & fidei præconibus in antiquum vitiorum & damnationis barathrum relapsa sunt, sic ut, ne vestigia annuntiati quondam Evangelii vix reliquerint, uti patet in Achaia, Thracia, Scythia, Media, Mesopotamia, India, Palestina, Ægypto, Græcia, aliisque regionibus, ut nihil referam de Europæ nostræ Regnis & populis quos hoc & priore sæculo ab avitæ Religionis & Catholicæ legitimæque matris suæ Ecclesiæ gremio avulsos in tot hæresum & errorum labyrinthos concupiscentia carnis, obfirmata præsumptio & arrogantia, necnon falsæ libertatis cœca cupiditas, justo Dei permittentis judicio miserandum in modum præcipitârunt, hodiéque præcipitant.

Consolabatur interim, animum suum Alphonsus noster suavissimâ recordatione tot myriadum animarum & suorum, quos in Christo genuerat, filiorum, quos inter tot persecutiones, exilia, & calamitates Altissimi virtus usque ad sanguinem roborabat, & in electorum suorum numerum, & societatem inter innumeros infideles, evehebat, qui videlicet in magno illo judicii die aliquandò consurgent futuri testes coram Orbe toto irrefragabilis annuntiatæ per nostros veritatis Evangelicæ, & condemnaturi perfidiam gentis suæ Abassinæ inexcusabilis de peccato suo, ipso etiam sanguine civium suorum Orthodoxorum justissimam in æternum vindictam postulante. Quapropter tametsi Patriarcha desperatam quodammodò cognosceret Æthiopiæ cum Romana unionem atque concordiam, existimabat tamen magno operæ pretio tot impensos fuisse labores quos sola JESU Societas, adjutoribus scilicet Abassinis tam Clericis quàm Monachis per annos novem & nonaginta, ab anno scilicet 1556. usque ad annum 1653. sub septem Æthiopiæ Imperatoribus ordine succedentibus constanter & fortiter inter mille ærumnas & pericula exantlaverat; undè tot myriadum animarum salus æterna cum tanta Dei & Romanæ Ecclesiæ gloria promanavit, & porrò propitio numine in multos annos, exulante licèt Societate, promanatura est, quippe quæ tot isthic reliquerit scriptorum librorum monumenta, & superstites etiamnum Romanæ fidei athletas hinc indè in solitudinibus errantes & montibus & speluncis quos inter ipse Tazzela Christôs patruus Imperatoris Apostatæ Faciladâs, numerabatur, qui invictâ constantiâ, fidei zelo, & exemplo suo reliquos corroborabat, & in fide vacillantes reducebat.

Agebatur annus 1656. quo Lusitaniæ Rex Joannes IV. Patriarcham ad Archiepiscopalem dignitatem & Indiæ Primatum destinaverat & nominaverat, quandò Deus disposuit ab exilio tam diuturno eumdem ad cœlestem patriam, & tot filiorum suorum ac Martyrum, qui jam præiverant, beatissimam Societatem evocare, ad quam tot votis & lachrimis anheleverat, cupiens dissolvi & esse cum Christo & Christi fidelibus. Quare cùm jam animo præsentiret instare tempus resolutionis suæ, sepositis lucubrationibus suis aliisque curis ac negotiis, cœlestium rerum contemplationi dumtaxat intentus, ad beatam æternitatem ad quam toto mentis affectu in dies suspirabat, sese comparavit. Ineunte Junio ejusdem anni languere cœpit, & sensim magis magisque viribus destitui, donec ad ultimum agonem cum Christiana fortitudine sustinendum, postremis Ecclesiæ Sacramentis præmuniri voluit, ac deindè inter dulcissima cum JESU & MARIÆ quam tenerrimè semper dilexerat colloquia inter Patrum & Fratrum suorum manus & lachrymas illibatam animam placidissimè suo reddidit Creatori ac Redemptori 29. Junii ætatis suæ anno 76. initæ verò Societatis 63. exilii sui 21. Patriarchatûs sui anno 33. vir equidem æternâ dignus memoriâ qui pro tuendâ Ecclesiæ Romanæ authoritate & fidei incremento contra innumerabilium in tanto imperio hæreticorum colluviem se firmissimum tam scriptis quàm verbis murum, opposuit velut magnus alter Alexandrinæ Ecclesiæ Patriarcha Athanasius Catholicæ Religionis propugnator acerrimus, de cujus in tot adversis constantia & exitu non multum dissimili, in Horis Canonicis legimus, quod postquàm *gravibus ac diuturnis tempestatibus jactatus & incredibiles calamitates perpessus, magnam orbis terræ partem peragrasset, denique ex tot tantisque periculis ereptus, Alexandriæ mortuus sit in suo lectulo.* Neque mysterio carere videtur quod fœlix Alphonsi obitus in diem Sacrorum Ecclesiæ principum

Digitized by Google

principum Petri & Pauli memoriæ sacrum inciderit, quo ipso die ante annos unum & triginta in Æthiopia Pontificali apparatu (uti suprà meminimus) primùm celebraverat in urbe Fremona. Quo ipso etiam loco & die Apostolis sacro (hoc est 29. Junii) ante annos 76. plenus meritorum Æthiopiæ Patriarcha, in cujus Sedem successit Alphonsus) Andreas, inquam, Oviedus diem clausit extremum, anno videlicet 1580. non autem uti annales nostri & quidam Authores referunt, anno 1577. quod ex Historia & Commentariis magis authenticis Viri Apostolici Petri Paëzii, posteà fuit comprobatum, cujus Operis authographum in Archivio Assistentiæ Lusitanicæ Romæ asservatur, de hoc consulat Lector Bibliothecam Societatis à P. Philippo Alegambe editam: ubi unà comperiet quæ ab utroque Patriarcha edita sunt tam Latinâ quàm Æthiopicâ linguâ: Et Alphonsus quidem Mendezius scripsit relationem de martyrio D. Apollinaris de Almeyda Episcopi Nicæni & sociorum ejus, Manilæ impressum 1642. Librum item quem hîc subjicimus cui titulus Bran-Haymanot, seu Lux Fidei in XII. libros catecheticos distributam, tam Latino quàm Æthiopico Idiomate & characteribus. Ad hæc Historiam Æthiopicæ suæ Expeditionis cum Auctario libri quarti quem dicavit R.P. Francisco Piccolomini Societatis Præposito Generali. Reliquit item Tomum concionum ad populum in Æthiopia. Librum Synodalem corrigentem errores Librorum Alexandrinorum. Tractatus aliquot pro Societate contra maledicos. Librum de Magia. Expositiones denique super S. Scripturam, quas olim Conimbricæ & Eboræ dictaverat, & Goæ locupletavit. Quæ omnia publicam Europæ lucem, cùm ità visum fuerit, aliquandò videbunt.



EPISTOLA

Digitized by Google

EPISTOLA APOLOGETICA.

SI ex Apoſtoli vel conſilio, vel præcepto, *bona providenda ſunt non ſolum coram Deo, ſed etiam coram hominibus, & Chriſtianos ſemper paratos eſſe debere ad ſatisfactionem reddendam de ea, quæ in ipſis eſt, ſpe*, Eccleſiæ Princeps edixit. Quantò major illius reddendæ obligationis incumbit, quibus credita eſt animarum adminiſtratio: maximè in iis locis, quæ obſtruſiora ſunt, & longiùs ab Europæ gentis commercio: nec tamen à linguis divulſa? quæ inter poſtremum locum vendicat Æthiopia ſupra Ægyptum, quam & ſitus & ſoli tenuitas in extremo Africæ angulo collocavit; & natura in eam ingredientium, non aream, vel Theatrum extendit, ſed ſepulchrum excîdit. Cùm enim in eam ingreſſi fuerint ante centum & decem annos cum invictiſſimo Duce Chriſtophoro à Gama, quater centeni Luſitani, illius a Mahometano jugo vindices, & aſſertores ibidem ferreis vectibus, & repagulis obſerati remanſerunt, quin hactenùs data fuerit poteſtas evadendi, & nos, cùm indè exacti fuerimus ante decem, & ſeptem annos, nullum per eos foramen invenire potuimus, quo unam illuc Epiſtolam immitteremus; & cùm ubique nota ſit noſtra depulſio, & plerumque contra damnatos & relegatos ſiniſtrè præſumatur, & liberæ ſint cavillantium linguæ, & judicia, cauſæ verò noſtræ depulſionis ignotæ, neceſſitas nos urget ut illas toti Mundo diſpiciendas proponamus, ne, inauditâ cauſâ, judicemur. Præcipuè cùm audierimus, ab aliquibus, quorum pectori innatum eſt nigræ loliginis atramentum, temerè in Europa diſſeminatum, nihil in Æthiopia amiſſum, quia à Societatis Operariis nihil anteà, in ea geſtum, vel Eccleſiæ Romanæ partum: & Patriarcham, & Patres ab ea, non perſecutione compulſos, ſed clementioris cœli, & opulentioris ſoli dulcedine allectos exiiſſe, & ſi qua ibi perſecutio ſæviit, non in Romanæ fidei, ſed in Jeſuitarum odium exarſiſſe. Quod me impulit ad meam hanc expeditionem exarandam, & Mundo divulgandam, ut quæ privatim geſta ſunt, publicè innoteſcant, & quanta fuerit illius Eccleſiæ ruina ex veritatis trutina, non ex obtrectantium maledicentia, pernoſcatur. Minùs quidem ſuſpecta videri poſſet hæc ratio, ſeu narratio, ſi alium Scriptorem ſortiretur, non illum, in quem multarum rerum perperam geſtarum, culpa conferri poteſt. Sumus enim plerumque in rebus propriis ſuſpecti, & nobis in ipſis erroribus abblandimur. Sed nulla certior hiſtoria, quàm illius, quem ea, quæ narrantur ſivè proſpera, ſivè adverſa, ubique præſentem repererunt, nec minùs creditur Julio Cæſari in iis, quæ ipſe de ſe in ſuis Commentariis ſcribit, quàm iis, quæ Titus Livius, & Plutarchus de ipſo in ſuis monumentis promulgârunt. Nec magni Athanaſii veritas labaſcit, imò commendatur, ex iis, quæ ipſe de ſe memorat in ſuis Apologiis, & in Epiſtola ad ſolitariam vitam agentes, nec fides illi inferior adhibetur, quàm Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ contextoribus, qui plura ex illis ſunt mutuati. Nec Gregorii Nazianzeni fides elevatur, quòd ipſe totam vitam ſuam exhametro carmine, & in oratione de laudibus contubernalis ſui Baſilii deſcripſerit. Recens quoque habemus exemplum Illuſtriſſimi, & Re-

2. Cor. 8. n. 21.

1. Petr. 3. n. 15.

**** verendiſſi

verendissimi Alexii Menesii, Archiepiscopi Goani, & Indiæ Primatis, qui lustrationem suam Malabaricam Lusitanicè vulgavit, cum Sancti Ohomæ Christianos à Nestorianorum fæce repurgatos Romanæ Ecclesiæ copulavit. Nemo enim res meliùs novit, quàm illi quos continuæ laborum stillæ, vel frequens fluctuum incursatio extrivit: ne tamen in rebus gravissimis, nostro tantùm dicto stetur, Pontificias, & decorum Imperatorum Epistolas huic expeditioni atteximus, ut si quis in nostra fide hæsitaverit, illarum lectione & auctoritate solidetur.

Et ut à priori calumnia diluenda incipiamus, nullo in agro excolendo, & truncando attentiores, & cunctantiores fuêre Societatis Operarii, quàm in Æthiopico, quem ut verè Romani consilio suo, & patientiâ per annos septuaginta & unum possederunt. Tot enim fluxêre ab anno Christi millesimo, quingentesimo, quinquagesimo quinto, quo primùm in Æthiopiam penetrârunt, usque ad millesimum sexcentesimum vigesimum sextum, quo publica Romanæ Sedi obedientia est persoluta. Eam verò tanti fecit sanctissimus ipsius Præses, Urbanus VIII. ut in litteris ad Imperatorem Seltan Seguedum ità scripserit: *Nili fluminis impetus latificat Civitatem Dei, & ex sitientibus Æthiopiæ campis expertantur ad Regiam Beati Petri fructus digni conviviis Angelorum. Plantasti planè cœlos in Regnis istis.* Et in alia ad Patriarcham Epistola. *Negotiatio Æthiopiæ, quæ tamdiù in viam gentium aberravit, facta est hoc tempore Thesaurus Ecclesiæ & gaudium Cœli. Manda Deus virtuti tuæ, confirma hoc Deus quod operatus es in populis Æthiopum.* Ergo supremi Ecclesiæ Judicis testimonio, & præconio, aliquid actum, & partum fuit in populis Æthiopum, aliquid dulcedinis ex Nili aquis haustum. Si verò juxta Apocalypsim, *aquæ populi sunt, & gentes & linguæ*, magna judicata est illa conversio, de qua summus Pontifex ait, *Nili fluminis impetus latificat hoc tempore Civitatem Dei*: Ibi enim tantùm est aquarum impetus, ubi illarum vis, & multitudo, ut in Canticis canticorum: *puteus aquarum viventium, quæ fluunt impetu de Libano.* Si negotiatio Æthiopiæ facta est hoc tempore Thesaurus Ecclesiæ, & gaudium Cœli, magnæ in illam, & istud illatæ sunt gazæ, cùm thesaurus sine ingenti divitiarum congerie non consistat, & Cœlum non mediocri gentium accessione ditescat. Cur Dei virtutem, & confirmationem Christi Vicarius advocat, si nihil actum est, quod perficiatur, nihil partum quod confirmetur? Inferiùs verò ad hujus Missionis Operarios conversus, addit: *Quod verò attinet ad fraternitatem tuam, & Sacerdotes Societatis JESU, venerabilis Frater, triumphatis in benedictione Apostolici Senatus, & plausu Europæ; nec vobis constanter perseverantibus ea perfecti decoris diademata in cœlo deerunt, quæ pollicetur Omnipotens propagatoribus Regni cœlestis. Benedicimus Sacris laboribus vestris.* Nos igitur propagatores, esse Regni cœlestis sentit Sedes Apostolica, & aliquid à nobis laboratum, & nostros labores sua dignos fuisse benedictione. Quid igitur eorum, qui rerum ignari, & acido sunt stomacho, maledicta curemus? Maledicent illi, & tu benedices, ait Regius Psaltes. In quem locum D. Ambrosius: *Ambienda hominum maledictio quæ acquirit Dominicam benedictionem.*

Major hujus Dominicæ, & Apostolicæ benedictionis pars cadit in Missionarios Societatis JESU, qui segetem ad priorem illam redditæ obedientiæ messem, & vineam ad illam vindemiam præparârunt. *Illi enim laboraverunt, & nos in labores eorum introivimus.* Sed post nostrum accessum indecores, & veternosi nequaquam stertuimus, sed tunc ab illis, & à nobis instantiùs insudatum: (qui præcipuus est edendæ hujus expeditionis scopus:) & relictis aliis annis, duo tantùm priores post redditam obedientiam perpendantur, & planum evadet, in illis tam numerosas copias in Ecclesiam invectas, ut si aliæ non essent, ob eas tantùm dici potuisset *castrorum aciem ordinatam & Æthiopiæ negotiatio* maximè quæstuosa. Nam anno millesimo sexcentesimo vigesimo septimo, his omissis quos Societatis Patres in suis Residentiis, quæ præcipuè erant conversionis officinæ, Deo pepererunt, à Clericis & Monachis à nobis recèns Sacrorum Canonum charactere in-

Lib. 2. c. 20. n. 1.

Lib. 2. c. 20. n. 3. Isai. 45. n. 14.

Apocalyps. 17. n. 15.

Cant. 4. n. 15.

2 c. 20.

m. 108. 3.

25. ad f. ell.

4.

6. n6.

signitis, inter eos, qui avitas hæreſes abjecerunt, & eos qui ſalutari lavacro, vel ſub conditione, vel abſolutè ſunt abluti, recenſita fuêre ducenta viginti quinque millia, & ſeptemdecim anno milleſimo ſexcenteſimo vigeſimo octavo, ultra centena eorundem millia præter decem myriades Goiamenſium Agaorum, qui inanium Deorum ſuperſtitione, & barbaris moribus ablegatis, Baptiſmum ſuſceperunt, & ex iiſdem Abba Jacobus Semi-Luſitanus, ſui poſteà ſanguinis laureâ coronatus, octodecim millia propriis manibus luſtravit, & in Regno Tigræo quinque hominum millibus ſuo labore, & doctrina Romanæ Eccleſiæ conciliatis, Euchariſtiam impartivit. Eodem anno à nobis inviſitatione Ogarenſi ultra quadraginta millia ſacro Chriſmate ſunt peruncta. Quibus ſi accedant reliqui, qui poſteà in aliis viſitationibus Oinadeguæ, Enfrazii, & Dambææ divinum idem Signaculum acceperunt, longè centena millia excedunt. Nec ulla dies pauciores ſeptingentis inſignivit, multæ octies & novies centenos, aliquæ millenos, & ampliùs, & una mille centum triginta ſex. Pater ſocius & noſtri Capellani, qui ipſius erant adjutores, intereà dum nos grandiores inungebamus, quingentos octoginta infantes, quibus Baptiſmus nondùm fuerat collatus omnibus ceremoniis, quas Romana Eccleſia præſcribit, in Ogarenſi luſtratione abluerunt. In Oindagenſi, & Enphraziana ſexcenti viginti numerati. Dambæenſes pauciores non fuêre, ſed ob feſtinationem in calculum non venerunt.

Lib. 2. c. 6. n. 9.

Lib. 2. c. 11. n. 1.

Lib. 2. c. 9. n. 10.

Lib. 2. c. 7. n. 4. 5.

Quidam ex Patribus Societatis in miſſione ad Dek Nili Inſulam, infantes mille quater centenos proluit, adultos millenos trecentenos quadragenos confeſſione expiavit, & ſacra ſynaxi refecit. Alius in alia miſſione infantes ſexcentos octoginta, adultos mille ſeptingentos, & octo; alibi infantes millenos quingentos octogenos, adultos ter millenos quatercentenos ſexagenos Chriſto adjunxit. Alius in alia infantes plus bis millenis. Quidam ſuâ reſidentiâ egreſſus, ultra triginta Eccleſias à Catholicis Parochis à nobis auctoratis excultas, & duo Monachorum Cœnobia Romanæ jam diſciplinæ & obſervantiæ aſſueta perluſtravit. Alius in ſuo territorio centum Eccleſias ſimilibus Parochis creditas, & plura Monaſteria religioſè viventia perviſit, in quibus numeroſa puerorum multitudo in eandem formam educabatur. Quis hos calculos ſupputans, non dicat: *vidi turbam magnam quam dinumerare nemo poterat?* Imperator ipſe Faciladas, immaniſſimus Patrum perſecutor, hæreticis Monachis ipſum crebrò obtundentibus, ut firmiores aliquos Catholicos ad Alexandrinam communionem ſui brachii potentiâ adigeret, reſpondit: non poſſum cum tot obnitentibus luctari: vos cum illis laborate, ut Patres diu noctúque agebant, & ideò tot animarum myriades ſibi adjunxerunt.

Lib. 2. c. 21. n. 6.

Lib. 2. c. 25. n. 5. 6. Ibid. n. 7.

Lib. 2. c. 11. n. 6.

Lib. 2. c. 5. n. 8.

Apocalyp. 7. n. 9.

Lib 1. c. 1. n. 4.

Dicunt tamen obtrectatores: quidquid de eo fuerit, lumen illud fuit ſtipulæ, & ocyſſimè tota illa expectatio evanuit. Nemo unquam culpa vertit Agricultori, ſi poſt ſegetem curioſè terræ traditam, & ſulcis turgentem, tota ſeges nebulæ, & æruginis incubitu vitietur. Nec calamitas illa fuit ſolius Æthiopiæ, ſed plurium Eccleſiarum ab Apoſtolis, & ab ipſo Chriſto Domino erectarum. Jeroſolymitanam & plenâ Evangelii doctrinâ & miraculis ab ipſo, & Jacobo ipſius fratre inſtitutam major, quàm cæteras vaſtitas inceſſit, & *uſque in conſummationem, & finem*, juxta Danielis vaticinium *perſeverabit deſolatio*. Quid actum de Eccleſiis, quas in Aſia dilectus Domini Joannes fundavit, & adminiſtravit, quas ipſe in Apocalypſi propter eximium Fidei ſplendorem, ſeptem candelabra, & ſtellas appellavit? Turcicæ tyranidis, & perfidiæ tenebris, & caligine obruuntur. Quid de Thraciâ Phrygia, & Achaia, quas Andreas Apoſtolorum tam ætate, quàm vocationis tempore antiquiſſimus excoluit? iiſdem damnis & ærumnis involvuntur. Quid de Armenia, quam Bartholomæus ſuæ pellis exuviis nobilitavit? ſchiſmatis, & hæreſum tumultibuſque laniatur. Quid de Ægypto, & Nubia, Æthiopiæ contermina, quas D. Matthæus ſui Evangelii lumine illuſtravit? Rudera tantùm, & cadavera ingentium Eccleſiarum à ducentis annis everſa-

Dan. 9. n. 27

Apocalyp. 1. n. 12. & 16.

Digitized by Google

rum, & Chriſtianorum nominum umbræ in hominibus apparent. Ut ad propinquiora veniamus, ut magna pars Germaniæ, Galliæ, Belgii, & tota Dania, & Suecia ab antiqua & Apoſtolica fide deficerent, ſatis fuêre Tartaria illa Lutheri, & Calvini claſſica, vitæ libertatem permitentia: Ut Anglia infinitarum, & ſibi contrariarum hæreſum flammis conflagraret, ſcintilla libidinis Henrici VIII. effecit. Florentem in Japponia Chriſtianam fidem levis ſuſpicionis aura oppreſſit, fore ut ſub ipſius pallio Hiſpanorum arma ſupergrederentur: Quæ ergo alias orbis Regiones diviſa labefactârunt, ea conglobatim in Æthiopiam agmine facto irruerunt. Nullibi in ea intermiſſæ domeſticorum bellorum, obtentu fidei, occidiones, externorum timores veris majores, avaritia, invidiæ, carnis licentia, confinium Turcarum & Arabum exemplis nutrita, præceps malæ conſuetudinis in polygamiam, & circumciſionem, ex inveterata Ægypti contagione, flumen vix ulli adverſo pectore tranandum; quin Cymbæ Rectori vitio tribui poſſit, ſi nunc illam medio alveo fortiter impellat, nunc cautè oram legat, ipſa tamen fluctuum importunitate ad latentes ſyrtes allidatur, ut neque Medico vel Chirurgo, ſi cùm ipſi medicamenta ſcitè applicent, ægrotus ſuâ intemperantiâ efferatur: Scimus enim Cœleſtes Medicos dixiſſe: *Curavimus Babylonem, & non eſt ſanata. Curatio nobis commiſſa eſt*, inquit D. Bernardus, *non ſanatio*; quia non eſt in Medico, ſemper relevetur ut æger, cùm Hippocratis, & Galeni doctâ plus valet arte malum.

Irem. 51. n. 9. Lib. de conſider.

Lib. 4. c. 14. & 15. per totum. Lib. 4. c. 1. n. 5.

Nec tanta fuit labes fidei æthiopicæ, ut non in ea multi tam ex clariſſimis, quàm ex popularibus, poſt noſtrã depulſionem, conſtantiſſimè perſeveraverint. In Dambæa multò plures nunc eſſe Catholicos, quàm priùs, ſcribit Presbyter Bernardus Noguera noſter quondam auditor, & nunc digniſſimus Vicarius Generalis, nec ſibi, otium eſſe ad cibum ſumendum præ eorum multitudine, qui ad exomologeſim faciendam ad ipſius aures convolarent, & veteris Imperatoris familiares cæteris eſſe exemplo, & incitamento. Addit que idem de Gojama circumferri, ampliùs nunc ibi Catholicos, quàm Ras Selæ Chriſtôs temporibus effloreſcere. Cui dicto concinit illuſtris Senator Tecla Selaſe Tino, Imperatori Seniori à Secretis, & annalibus, cœleſti verò à palmis, & coronis, fuſi ſanguinis pretio comparatis, ſic dicens in Epiſtola ad Patriarcham: *Multi Damotum, & Goiamenſium conſtanter perſeverant in fide, quam à veſtris Dominationibus & Patribus didicerunt.* Idem Pater Bernardus in Epiſtola decimoquarto perſecutionis anno ad nos ſcripta: *Plurimi*, inquit, *Fidei amore languent, ob eam exulant, & ſuis ædibus relictis, viri, fœmina adoleſcentes, pueri & puellæ perſecutionibus obruuntur.* Et teſtis omni exceptione major Ras Selâ Chriſtôs in Epiſtola ad omnes Principes, & Epiſcopos Catholicos ab exilio directa, conqueſtus quòd ſibi aliis Catholicis tam graviter in Æthiopia conflictatis, aliqua ratione, non ſuccurratur, concludit: *Olim cum nulla eſſet Eccleſia, nec nomen Chriſtianorum, accurrerunt, & terram iſta, à Mahometanorum poteſtatem redemerunt. Cum verò noſtris temporibus infiniti ſint fideles, nemo eſt, qui nobis ſuppetias ferat, & noſtri reminiſcatur.* Tantum veritati eorum verba, qui dicunt à Patribus Societatis in Æthiopia nihil geſtum, quantum infinitas à tanto viro commendata, & nihil opponuntur.

Lib. 4. c. 6. n. 16.

Lib. 4. c. 21. n. 4.

Lib. 4. c. 27. n. 2.

Si verò unus David à ſuo populo *pro decem millibus computabatur*, ſatis eſſet ad illam Catholicorum infinitatem, vel ſaltem multitudinem comprobandam unius Râs Selæ Chriſtôs ad Romanam fidem à Societatis JESU Patribus vocatio, inſtitutio, in ea firmitudo, fortunarum, & primatuum pro ea deſpectio, in unde viginti annorum exilio conſtantia, & gaudium, quo illi in loco relegationis ſuæ cantabiles ſunt ejuſdem fidei Juſtificationes. In eo enim ad æmulationem centum & quinquaginta Pſalmorum Davidis, totidem cantiones in illius Patriarchæ, Epiſcopi, & Patrum commendationem elegantiſſimis numeris, in quibus primus eſt, compoſuit, quas nobis, cùm maximè expeteremus, viarum difficultas impedivit. Palmarii quoque fuêre illi triumphi, quos triginta ſex indigenæ poſt noſtram emiſſionem

2. Reg. 18. n. 3.

Lib. 4. c. 18.

procul

Digitized by Google

procul ab noſtris oculis egere, proprio ſanguine purpurati, cùm nulli verborum, & hortationum ſtimuli acceſſiſſent, ſed illa tantùm doctrina, quam à nobis olim expreſſerunt, ſemen fuit centeſimi illius fructus, quo cœli horrea ruperunt.

Illud æquè falſum Patres ab Æthiopia non perſecutione compulſos, ſed alterius Cœli mitioris & ſoli opimioris deſiderio invitatos prodiiſſe. Nam ex hoc libello liquet, hæreticos in eorum exturbationem nervos omnes intendiſſe, cùm ſcirent, gentiles ſuos Catholicos infractos ſemper ſtaturos, dum eorum præſentia, & monitionibus fulcirent, & ut à Goiama in Dambæam & indè in exilium ſecederent, plurium Senatorum vocatu pertractos, & quaſi neſcirent Eccleſiam Dei cuſtodiendam non eſſe more caſtrorum, omnibus, quæ habebant, armis ſpoliatos, & ita inermes tribus viæ cuſtodibus commiſſos, quorum quilibet quàm multis militibus cingebatur. Ipſos verò ne Æthiopiam deſererent plures latebras quæſiiſſe & in Burenſem Provinciam valde montoſam, & ſaxoſam profugiſſe, & ex ipſis *a* Epiſcopum Nicænum, & ipſius ſocium hyemem inter Mahometanos tranſegiſſe, & in profundam vallem dejectos aquam de torrente ſicut alterum *b* Eliam hauſiſſe; nec tamen annonam à corvo, ut illum accepiſſe, ſed exiguâ hordei placentâ vitam toleraſſe, & indè poſt ſpatium trimeſtre ſemineces, ac penè exanimes extractos, & Epiſcopi ſocium per annum in tugurii gurguſtio latuiſſe, quin per totum diem cœlum daretur intueri, nec cibum niſi per noctem ſumpſiſſe. Quem verò nigerrimi frumentiquadram ſemiuſeultatam. Tres alii eorum æmulatores, quibus dignus non erat Mundus, in Aſſenſi ſpelunca lætiſſimam vitam duxerunt, & mortem conſtantiſſimè ſubierunt. Duos per octo annos rupem Salamam undique inacceſſam coluerunt, fame, ſiti, & nuditate ſingulis diebus confecti, & tandem in publicis nundinis ſuſpenſi. Qui nunquam milites fideliùs ſuam ſtationem ſervârunt, aut propriis corporibus texerunt; quæ illos alterius cœli clementia aut opulentia prolectavit, & à priori propoſito deduxit: unum inter omnes certamen erat, quis eorum, aliis in Indiam diſcedentibus, in Æthiopia periculis expoſitus eſſet remanſurus. Vel in ipſo congreſſu, ubi Turcis fuimus commiſſi, duo ipſorum. Sexcentorum militum haſtatorum, & cetratorum, qui nobis cuſtodes additi fuerant, manus, oculos, & cuſpides in medio tumultu evaſerunt, quorum alter ante annum in Tigræo Regno haſtilibus in fidei odium eſt tranſfixus, alius poſt quatuor in Dambæa ſuſpendium ſubivit, & lapidibus cæſus fuit, & obtectus.

Lib. 3. c. 3. n. 5.
Ibid. n. 7.
Lib. 3. c. 10. n. 1.
Lib. 3. c. 16. n. 9. & c. 17. n. 2. & 7. & c. 18. n. 1. & c. 19. per totum.
a lib. 3. c. 25. n. 7.
b 3. reg. c. 17. n. 6.
Lib. 3. c. 25. n. 9.
Lib. 3. c. 29. n. 2.
Lib. 4. c. 10. a. 2.
Cap. 12. n. 7
Lib. 3. c. 27. n. 6. & c. 29. n. 1.

Hæc de Patribus: quid de Patriarcha? Mortem quidem ipſe non eſt promeritus, Deo debitam ipſi coronam in Epiſcopum Nicænum, ſuum Coadjutorem, & futurum ſucceſſorem tranſmovente, ſed ipſum eandem ambiendi, & vitam in Æthiopia ponendi ſtudium, & inſtantia non defecit. Numquid, cùm monitus eſt, ut Æthiopiâ recederet, illicò abiit, exceſſit, erupit? Videatur ejus Epiſtola ad Imperatorem Faciladâs, in cujus initio apertè denuntiat, ſe nec diſcedere poſſe, nec ſaltem, ut diſcedat, vultu annuere. Plurimas deindè in hanc ſententiam aggerat rationes. Cùm poſteà Fremonæ à regio Senatore, & Tigræis Dynaſtis ad egreſſum ex domo urgeretur, conſtanter obſtitit, illaſque vehementi oratione, ſignatim verò, illa in fine conteſtatione deterruit. *Vos tandem coram Deo, omnium Judice, obteſtor, me, nec velle, nec poſſe ab hac Eccleſia loco, nec divortio ſegregari; nec iſtud tantum nolle, ſed & debere cum eadem, & in eadem ad extremum uſque ſpiritum permanere, & ſi propter ipſam vitæ jacturam facere opus eſſet: (quid unam memoro? ſi plures haberem, plures effunderem,) Si verò animus vobis eſt experiundi, quàm ſim in hac voluntate obfirmatus, en manus, habetis ad manicas, pedes ad compedes: fauces ad ferrea focalia, & gladios: pectus ad omnia tormenta præparatum: Cùm enim me ad hoc Chriſti charitas urgeat, nulla corporis cruciamenta me ab hac Eccleſia licèt ortu, & colore Æthiopiſſa, Sponſa mihi in Chriſto, & propter Chriſtum dilectiſſima, divellent, niſi pedibus vel obtorto*

Lib. 4. c. 7. n. 4.
Lib. 3. c. 4. n. 1.
Lib. 3. c. 16. a. 1. n. 1.
Ibid. n. 8.

Digitized by Google

collo raptatum, & dehonestatum abducatis. Ad quæ verba ultima utrumque
Lib.3.c.17. n.2. poplitem in terra defiximus, & quotquot aderant, stupore correpti longotemporis spatio obmutuerunt, & illius decreti executio, usque ad novum Imperatoris responsum est prorogata. Quod cùm nostris votis adversarium futurum sciremus, nocturnam fugam Fremona adornavimus, & capessivimus,
Ibid. n.7. Ibid. c.19. n.5. & Adicotam quæ rupes est in via in Provincia Burensi, & Aquilarum nidus advolavimus, è qua nos cibariorum, & aquæ penuria propulsavit, &
Ibid. n.6.7. alii uberiori commisit. Cùm verò nos ex illa insomnis Imperatoris solicitudo, & cujusdam, quem fidum Patronum, omnium amicorum judicio, futurum censebamus, proditio depulisset, & addito Senatore in Turcas in
Ibid.n.10. stimularet, antequam viæ nos dederemus eundem proditorem & Senatorem exilii coactores interrogavit, num illud Imperatoris mandatum aliquem regressum haberet, cúmque ipsi respondissent, nullum, nisi ad suum jugulum ab Imperatore amputandum, si quidquam dormitarent. Multa adjeci, ut illos ab executione urgenda avocarem, quorum audiendorum impatiens Senator, dicentis verba abrupit, & itineris exordium militibus, & mulionibus edixit. Quid tunc faciendum Patriarchæ? In saxo quod insidebat, hærendum, & dicendum se indè non progressurum? nec Sanctorum Patrum Ignatii, Athanasii, Chrysostomi, & aliorum, cùm ad exilium mitterentur, exempla suadebant, non satellites, & stipatores sequebantur, nec Patribus jam anteà de ea re consultis, ut ita fieret probatum, cùm Rex jam decrevisset, ut si Patriarcha mulam conscendere detrectaret, lecto impositus à succollantibus Mazuam grabato decumbens gestaretur. Id verò sibi fore valdè pernicioſum Patres ominabantur. Dicebant enim, si Patriarcha Mazuam grabato decumbens importaretur, Turcas dicturos, ipsum, & Patres sibi vinctos, & mancipiorum jure traditos, ac proindè servitutem sibi servituros, & ingenti pecuniâ, servorum instar, redimendos.

Adeò verò Æthiopiæ, & ipsius Imperatori exploratum fuit Patriarcham,
Lib.3.c.21. n.1. & Patres suæ depulsioni restitare, ut alludens ad illam ultimam Patriarchæ contestationem Fremonæ factam, dicat in ultima ad ipsam, & Patres Epistola: *En Ama Gueorguis, Taca Christos, & Melcha Christos multa à vobis dicta nobis scripto retulerunt, & plures, quas objeciſtis, excusationes, cum vobis ab iis nostro nomine, & jussu diceretur: In terram vestram, à qua egressi fuistis, redite, nuntiarunt.* Et in fine: *Quid sibi illud vult, quod V. Dominatio dicit: vobis obstringor Æthiopiam non deserendi? non illam V. Dominatio, sed illa V. Dominationem dimisit. Nec V. Dominatio illam fugit, sed illa V. Dominationem, sicut à prælii facie meticulosus. V. Dominationi nos coram Deo testes sumus, V. Dominationem plurimum Æthiopiam dilexisse, sed illam non ita fuisse cum V. Dominatione lætatam, & illi ingentes amaritudines intulisse.* Iterum. *Hæc nostræ est Epistolæ resolutio. Omnes cum salute, & pacis via in suas Patrias discedant.* Et prope finem. *Nil jam prodest post hanc rem constitutam, & dissectam, flexus, & ambages pervestigare: Scitote nihil nobis hoc consilium, nec ullas morandi causationes profuturas. Hoc enim æternum vestri exitii, & pugnæ barathrum existeret. Cur obluctamini, & obstirmatè dicitis vos non ituros? Numquid aliquam offensionem vobis intulimus, aut vestras fortunas hùc invectas, aut hîc partas expilavimus? Nec res hæc, nec verba commoda sunt, sed abeant, nec ullo modo quidquam opponant. Hæc verbi nostri clausula, & vectis, hoc est nostræ Epistolæ repagulum.* Lector nunc judicet, an Patriarcha, & Patres Æthiopiam ultrò reliquerint,
Isai.5.n.3. num gladiorum cuspide, & hastilium mucronibus exagitati.

Nunc ergo habitatores Hierusalem, & viri Iuda: dicebat Isaias: ego verò dico: nunc ergo viri Romani, & Lusitani, *Judicate inter me, & vineam meam.*
Isai5.n.4. vestrum enim judicium post causæ momenta proposita non pertimesco. *Quid amplius debui facere vineæ meæ, & non feci?* Quid, ne ab illa extruderer, tentandum omisi? Quas latebras, & rupes inaccessas non quæsivi? Numquid doctrinæ sepem illi non circumduxi? Singulis diebus Dominicis,

Digitized by Google

nicis, & festivis ipsam prædicationis vallo muniebam. Numquid cùm malarum consuetudinum frondibus silvesceret, luxuriantes palmites falce non repressi? Expendantur ad utrumque Imperatorem Epistolæ, & Conciones, & videbitur, non quidem hebetem, sed acutiorem, & ardentiorem meæ falcis aciem fuisse, quàm patitur regia Majestas, ad magni Theodosii, cùm objurgatus est à Sancto Ambrosio, religionem nondum provectam. Numquid propter somnolentiam mihi dici poterat: *Custos quid de nocte? custos quid de nocte?* nocte & die pervigil fui in ea custodienda, & à magnis lupis, & à parvulis vulpibus defendenda; nec dum pax viguit, tempus ullum elabi passus sum, quo ab illa lustranda, & excutienda sim feriatus. Quid ergo? *An quod expectavi, ut faceret uvas, & fecit labruscas*, vel spinas, quibus Patres cultores suos, Episcopum Nicænum, & me coronavit? Solatio nobis est, quòd easdem dilecto tulerit vinea, quæ facta est ei in loco pingui, in cornu filio olei, eidémque fudit *fel draconum, & venenum aspidum insanabile*: ut sicut ibi nulla illius culpa fuit, sed spectata patientia, sic neque ulla nostrum in aceto, & absynthio, quod nostra torcularia expresserunt.

Isai. 21. n. 11.

Isai. 5. n. 2.

Deut. 32. n. 33.

Odiosos indigenis nos fuisse, (quæ erat ultima obtrectatio) negare non possumus, non tamen omnibus, sed iis tantùm de quibus Christus Dominus: *Beati estis, cùm vos oderint homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum adversum vos*; iis nempè, qui homines sunt, nec cœlestia, nec terrena sapiunt. Catholici enim & æternæ vitæ curatores suos oculos eruissent, & nobis dedissent si oculi lachrymis fluentes amoris sunt indices, cùm per eos cordis fibræ colliquescant, quot lachrymarum flumina in nostro exitu effusa? Nebessenes, Collelenses, Damotes, Agai, Gorgotrenses, Patres à suis residentiis egressos ad extremos suorum agrorum, & Provinciarum fines, cum lachrymis & intimo doloris sensu, sunt prosecuti. Depsæ in oppido Patriarchæ ad extremam concionem, & contestationem, & posteà in Regno Tigræo in ultimo excessu Catholicorum ex Proregis castris accurrentium, qui clamores, quæ comploraciones? Quæ nunc, vel ipsorum hæreticorum, desideria, quæ commendationes? Inspiciatur Patris Bernardi Nogueiræ Epistola, cujus verba sine pudore proponere non possumus. Vel Claudius Imperatoris frater, qui ipsum aliquandò à Catholicæ fidei restituendæ animo abduxit, & tres Sacerdotes in illius odium trucidavit, cùm de manifestis Abunæ Marci, qui Patriarchæ successor ex Ægypto vocatus fuit, stupris, & nepotatibus inter curiales coram Imperatore ageretur, in eo consessu dixit: Patriarcham malâ nunquam fabulâ fuisse læsum, nec similem ei Prælatum in Æthiopia unquàm visum, vel in posterum videndum, nisi idem in eam redeat, aut alius ab eo, à quo ipse missus est, mittatur. Quod dictum magis forsitan ex Abunæ odio, quàm ex opinione Patriarchæ profectum, graviter Imperatorem pupugit ob culpam in altero dimittendo, & in altero invitando admissam. Et in Claudium graviter commotus est Abuna, & Imperatorem in eundem irritavit, undè sumptum creditur initium ejusdem in eum rebellionis & internecionis. *Si majorem dilectionem nemo habet* (Christi Domini testimonio) *quam ut animam suam ponat pro amicis suis*, quæ major unquam extitit dilectio, quàm illa quâ D. Zamarianus Tembenensis, ex Patrum amore fortunas, præfecturam, cognatos, & filios, suúmque caput in extremum periculum, vel potiùs perniciem projecit?

Matth. 5. n. 15. Luc. 6. n. 26.

Lib. 2. c. 34. n. 6. 7. Lib. 3. c. 7. n. 6. Lib. 3. c. 8. n. 1. Lib. 8. c. 19. n. 15.

Lib. 4. c. 23. n. 7. Lib. 4. c. 1. n. 3. Cap. 8. n. 7.

Lib. 4. c. 31. n. 4.

Ioan. 15. n. 13.

De insano illo dicto, Æthiopicam persecutionem, non ex fidei Romanæ, sed ex Jesuitarum odio concitatam, non est cur modò eloquar,

quar, cum tot Athletæ; qui Jesuitæ non erant, & sanguinem suum generosè, & prodigè effuderunt, tot oribus veritatem buccinentur, quot vulnera receperunt, & contraria temeritas alibi satis confutata sit cum suo Auctore libro 4. Expeditionis meæ Æthiopicæ. Hæc sunt, quæ te, benevole Lector, monitum velim, certus si ea primis digitis attingas statim mendacia à te damnanda, & veritatem animo inserendam. Vale.

INDEX LIBRORUM

Digitized by Google

INDEX
LIBRORUM ET CAPITUM
hujus Operis inscripti Bran-Haymanot.

LIBER PRIMUS.
DE LEGE CONNVBIALI, IDEST, DE LEGE, & Fide Christi.

In Primum verbum Symboli Apostolici, quod est *Credo*.

SUMMA CAPITUM.

PROOEMIUM. p.1.

CAPUT I. OSTENDITUR, *Christianos à Christo, Christum verò ab unctione nomen sumpsisse.* p.6.

II. *Qualis Christi fuerit, & Christianorum sit unctio.* p.8

III. *Ostenditur, Christum esse Legislatorem, & quantâ obligatione Christiani ad profitendam ipsius legem adstringantur.* p.15

IV. *Veteris, ac novi Testamenti auctoritate ostenditur, legem Mosaicam abrogatam fuisse, extremámque perniciem suis sectatoribus afferre.* p.21

V. *Solvuntur aliqua dubia, quæ ex Superioris capitis doctrina oriuntur.* p.27

VI. *Ostenditur, legem veterem tam Iudæis, quàm Gentilibus mortuam esse in die Pentecostes; Sed Gentilibus statim mortiferam, non autem Iudæis redditam.* p.30

VII. *De Catechismo, in quo summatim; & de signo Crucis, in quo typicè omnia legis Christiana mysteria, & præcepta continentur.* p.35

VIII. *De Symbolo Apostolorum.* p.36

IX. *De primo verbo Symboli Apostolici, quod est.* Credo, *& exponitur, quid sit Fides, & divina revelatio, cui Fides innititur.* p.37

X. *Quanta auctoritatis sit Sacra Scriptura, & Patrum in eam expositio ad Fidei mysteria confirmanda.* p.40

24. Qui peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum. l.5.c.7. n.5. l.6.c.8.n.9. l.8.c.7.n.5.

Cap.3. ℣.1. Mulieres subditæ sint viris suis. l. 12.c.22.n.3.
3. Quarum non sit extrinsecùs capillatura. l.12. c.5.n.18.& c.20.n.14.
4. Sed qui absconditus est cordis homo. l.2. c. 13.n.7.& c.15. n.10. l.4. c.7. n.9. & c. 8. n.1.
18. Christus semel pro peccatis nostris mortuus est. l.2.c.2.n.19.l.12.c.7.n.15.
18. Mortificatus quidem carne, vivificatus autem spiritu. l.4.c.7.n.6. l.5.c.20. n.12. & c.22.n.14.& c.27.n.3. l.6.c.8.n.9. l.7. c.17. n.5.
19. 20. In quo & his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit. &c. l.4.c.7. n.6. & c.8.n.1.l.6.c.10.n.7.
21. Quod & vos nunc similis formæ salvos facit Baptisma. l.12.c.3.n.2.6.& c.4.n.5.
21. Non carnis depositio sordium, sed conscientiæ bonæ interrogatio in Deum. l.8.c.7.n.3.
22. Deglutiens mortem. l.6.c.10.n.4.
22. Profectus in cœlum, subjectis sibi Angelis. l.6.c.13.n.1.7.

Cap.4. ℣.1. Christo igitur passo in carne. &c. Quia qui passus est in carne. l.5.c.7. n.1.15. & c. 22.n.14. & c.24. n.90. 146. 204. & c. 27. n.3. l.6.c.8. n.9.10. l.7.c.17. n.5. l.12.c 6. n.4.
3. Sufficit præteritum tempus ad voluntatem Gentium consummandam, his qui ambulaverunt in luxuriis. &c. l.1.c.5.n.6.
3. Illicitis idolorum cultibus. l.12.c.20.n.14.
5. 6. Qui reddent rationem ei, qui paratus est judicare vivos, & mortuos. l. 6. c. 10. n.8.
8. Charitas operit multitudinem peccatorum. l.1.c.7.n.3. l.10.c.1.n.1.l.11.c.2.n.3. l.12. c.11.n.4.
10. Unusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. l.11.c.8. n.4.
17. Tempus est, ut incipiat judicium à domo Dei. l.12.c.18.n.7.
17. Si autem primùm à nobis, quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio? l. 1. c.3.n.24.l.8.c.12.n.2.

Cap.5. ℣.1. Seniores, qui in vobis sunt, obsecro. l.7. c.7.n.6.l.12.c.13.n.3.
2. Pascite, qui in vobis est, gregem Dei. l.7. c.4. n.2.14.& c.11.n.7.l.12.c.18.n.6.
4. Cùm apparuerit Princeps pastorum. l.7.c.11.n.7.
8. Adversarius vester diabolus, tamquàm leo rugiens, circuit quærens quem devoret. l. 1. c.7.n.7.& c.15.n.1.l.4.c.4.n.13. l.10. c.5.n. 4.& c.6.n.5.20.
10. Qui vocavit nos in æternam suam gloriam. l.7.c.1.n.2.
13. Salutat vos Ecclesia, quæ est in Babylone coëlecta. l.7.c.1.n.7.
13. Et Marcus filius meus. l.3. c.7. n.12. l.7.c. 15.n.1.& c.16.n.1.

Secunda Epistola B. Petri.

Cap.1. ℣.1. Qui coæqualem nobiscum sortiti sunt Fidem. l.12.c.8.n.7.
4. Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit. l.4.c.7.n.5. l.5.c.5.n.12.& c. 9.n.2.
4. Ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ. l.5.c.3.n.10.& c.11.n.1.l.12.c.8.n.7.
12. Propter quod incipiam vos semper commonere. l.7. c.10.n.6.
15. Dabo autem operam, & frequenter habere vos post obitum meum. l.7.c.10.n.6.
17. Accipiens enim à Deo Patre honorem, & gloriam. l.3.c.1.n.4.& c.5.n.10.l.5.c.21.n.10. & c.22.n.14.& c.24.n.170.
17. Hic est Filius meus dilectus. lib.5. cap.22. n.14.
18. Et hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam. lib. 3. cap. 9. num.4. lib.5. cap.22. num.14.
19. Habemus firmiorem Propheticum sermonem. l.1.c.9.n.2.
20. Hoc primùm intelligentes, quòd omnis Prophetia Scripturæ propria interpretatione non fit. l.1.c.10.n.10.l.7.c.6.n.2.
21. Sed Spiritu sancto inspirati locuti sunt Sancti Dei homines. l.1.c.10.n.11.& c.12.n.3.l.3. c.10.n.4.

Cap.2. ℣.4. Si enim Deus Angelis peccantibus non pepercit. l.4.c.6.n.6.l.5.c.5.n.17. l.8. c.10.n.12.
5. Octavum Noë justitiæ præconem custodivit. l.7.c.6.n.11.
9. Iniquos verò in diem judicii reservare cruciandos. l.10.c.1.n.15.& c.14.n.14.l.12.c.5. n.15.& c.18.n.5.
10. Qui post carnem in concupiscentia immunditiæ ambulant. l.10.c.14.n.14.
10. Dominationemque contemnunt. l.12.c.5.n.15.
16. Correptionem verò habuit suæ vesaniæ: subjugale mutum animal, hominis voce loquens. l.7.c.21.n.9.
19. A quo enim quis superatus est, hujus & servus est. l.10.c.3.n.2.
22. Sus lota in volutabro luti. l.12.c.7.n.12.

Cap.3. ℣.1. Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam. l.1.c.12.n.10.
3. Hoc primùm scientes, quòd venient in novissimis diebus in deceptione illusores. l. 1. c.15.n.2.14.
5. Quòd cœli erant priùs, & terra de aqua, &

per

Digitized by Google

per aquam consistens Dei verbo. l.4.c.5.n.4. & c.6.n.1.
9. Patienter agit propter vos, nolens aliquos perire. l.4.c.6.n.3.
13. Novos verò cœlos,& novam terram secundùm promissa ipsius expectamus, in quibus justitia habitat. l.8.c.3.n.23.
15. Sicut charissimus frater noster Paulus secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis. l.1.c.12.n.10.l.7.c.9.n.7.
16. In quibus sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant. l.1.c.10.n.7.

Epistola prima B. Joannis.

Cap.1. ℣. Quod fuit ab initio. l.5.c.22.n.14.
1. Quod audivimus. l.3.c.3.n.13.
1. Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus. l.2.c.12.n.9.l.5.c.24.n.239.
1. Et manus nostræ contrectaverunt. l.5.c.7.n.11. & c.19.n.9.l.6.c.1.n.1.
1. De verbo vitæ. l.3.c.10.n.7.
2. Et vita manifestata est. l.3.c.3.n.13. l.5.c.5.n.5.& c.22.n.14.
2. Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem. l.3.c.5.n.13.& c.10. n.7.l.5.c.15.n.6.
5. Quoniam Deus lux est, & tenebræ in eo non sunt ullæ. l.2.c.5.n.3.& c.12.n.2.
8. Si dixerimus, quoniam peccatum non habemus, ipsi nos seducimus,& veritas in nobis non est. l.8.c.8.n.2.
9. Si confiteamur peccata nostra, fidelis est, & justus, ut remittat nobis. l.2.c.20.n.22.l.8.c.3.n.3.
Cap.2. ℣.1. Advocatum habemus apud Patrem, JESUM Christum justum. l.7.c.22.n.21.l.9.c.1.n.5.& c.3.n.10.
2. Ipse est propitiatio pro peccatis nostris. l.5.c.1.n.16.l.8.c.5.n.7.l.11.c.1.n.6. l.12. c.16. n.15.
2. Non pro nostris autem tantùm, sed etiam pro totius mundi. l.11.c.1.n.8.
6. Qui dicit, se in ipso manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare. l.1.c.3.n.10.
12. Quoniam remittuntur vobis peccata propter nomen ejus. l.8.c.3.n.3.
15. Nolite diligere mundum, neque ea, quæ in mundo sunt. l.10.c.9.n.4.
16. Omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est,& concupiscentia oculorum, & superbia vitæ. l.10.c.9.n.4.l.12.c.8.n.10.
19. Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis. l.1.c.3.n.14.l.7.c.1.n.7.
20. Sed vos unctionem habetis à sancto. l.1.c.2.n.27.l.12.c.9.n.3.
22. Quis est mendax, nisi is, qui negat, quoniam JESUS est Christus? Hic est Antichristus. l.5.c.22.n.14.
27. Et vos unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis. l.1.c.2.n.28.l.12.c.9.n.3.
27. Unctio ejus docet vos de omnibus. l.7.c.3.n.10.
Cap.3. ℣.1. Ut filii Dei nominemur, & simus. l.5.c.5.n.10.
2. Quoniam cùm apparuerit, similes ei erimus. lib.5.c.3.n.10.l.8.c.10.n.1.
2. Videbimus eum, sicuti est. l.2.c.1.n.8. & c.15.n.10.l.3.c.4.n.2.l.8.c.12.n.3.
5. Ille apparuit, ut peccata nostra tolleret. l.5.c.9.n.4.
8. In hoc apparuit Filius Dei,ut dissolvat opera diaboli. l.4.c.6.n.7. l.5.c.9.n.4.l.10.c.6.n.13.
9. Quoniam semen ipsius in eo manet. l.4.c.9.n.9.l.5.c.9.n.4.l.8.c.3.n.7.
16. In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit. l.6.c.8.n.2 l.8.c.6.n.7.
Cap.4. ℣.1. Nolite omni spiritui credere. l.1.c.10.n.10.l.7.c.6.n.1.
1. Sed probate spiritus, si ex Deo sint. l.1.c.10.n.11.n.12.
2. Omnis spiritus, qui confitetur, JESUM Christum in carne venisse, ex Deo est. l.5.c.16.n.6.& c.22.n.14.
3. Omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est. l.11.c.7.n.3.l.5.c.13.n.9.& c.16.n.6.& c.22.n.14.
6. Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos. l.1.c.13.n.16.l.11.c.1.n.1.
8. Quoniam Deus charitas est. l.2.c.19.n.6.
9. In hoc apparuit charitas Dei in nobis,quoniam Filium suum unigenitum misit Deus in mundum. lib. 5. c.2. n. 8.& c. 5.n.1.
10. Non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos. l.7.c.26.n.1.l.8.c.3.n.14.
12. Deum nemo vidit unquàm. l.2.c.13.n.2.
19. Nos ergo diligamus Deum,quoniam Deus prior dilexit nos. l.8.c.3.n.14.
Cap.5. ℣.3. Mandata ejus gravia non sunt. l.10.c.1.n.11.
6. Spiritus est, qui testificatur. l.3.c.1.n.1.
6. Quoniam Christus est veritas. l.3.c.10.n.8.
7. Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo. l.3.c.1.n.1.2.4.
7. Hi tres unum sunt. l.3.c.1.n.7.
9. Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est. l.1.c.9. n.9. l.3.c.1.n.1.
9. Quoniam testificatus est de Filio suo. l.3.c.3.n.1.
20. Ut cognoscamus verum Deum. l.5.c.4.n.20.
20. Hic est verus Deus. l.2.c.16. n.7. & c.18. n.8. l.3.c.7.n.9.& c.9.n.10.& c.10. n.7.l.5. cap.4. n.3.& c.5.n. 1. & c. 15. n.6.l.6. c.8. n.2.
20. Et vita æterna. l.2.c.16.n.7. l.5.c.22.n.14. l.6.c.8.n.12.13.

Epistola secunda B. Joannis.

7. Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, JESUM Christum venisse in carnem: hic est seductor,& Antichristus. l.5.c.15.n.6.& c.22.n.14.
8. Videte vosmetipsos, ne perdatis, quæ operati estis: Sed ut mercedem plenam accipiatis. l.7.c.26.n.15.
10. Nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. l.1.c.38. n.14.15.l.7.c.2.n.12.& c.21.n.10.

Digitized by Google

Index Locorum

11. Qui enim dicit illi Ave communicat operibus ejus malignis. l. 1. c. 3. n. 14. 15. l. 7. c. 21. n. 10.

12. Plura habens vobis scribere, nolui per chartam, & atramentum : spero enim, me futurum apud vos, & os ad os loqui. l. 1. c. 13. n. 10.

3. Epistola B. Joannis.

13. 14. Multa habui tibi scribere, sed nolui per atramentum, & calamum scribere tibi ; spero autem protinùs te videre, & os ad os loquemur. l. 1. c. 13. n. 10.

Epistola Catholica B. Judæ.

4. Subintroierunt enim quidam homines. l. 7. c. 27. n. 7.

6. Angelos vero, qui non servaverunt suum principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit. l. 4. c. 4. n. 14. l. 5. c. 5. n. 17. l. 6. c. 10. n. 6.

7. Sicut Sodoma, & Gomorrha, & finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram factæ sunt exemplum, ignis æterni pœnam sustinentes. l. 6. c. 10. n. 6. l. 10. c. 1. n. 15. & c. 14. n. 13.

8. Dominationem autem spernunt. l. 10. cap. 1. n. 15.

9. Non est ausus judicium inferre blasphemiæ, sed dixit : imperet tibi Dominus. l. 7. c. 20. n. 10. l. 10. c. 6. n. 13.

13. Quibus procella tenebrarum servata est in æternum. l. 6. c. 10. n. 6.

14. Prophetavit autem & de his septimus ab Adam Enoch. l. 7. c. 6. n. 11.

18. Quoniam in novissimo tempore venient illusores secundùm desideria sua ambulantes. l. 1. c. 15. n. 2.

19. Hi sunt, qui segregant semetipsos. l. 7. c. 1. n. 12.

Apocalypsis B. Joannis.

Cap. 1. ℣. 2. Qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium JESU Christi. l. 7. c. 22. n. 20.

4. Joannes septem Ecclesiis. l. 7. c. 1. n. 3. & c. 2. n. 3.

4. Ab eo, qui est, & qui erat, & qui venturus est. l. 3. c. 4. n. 13 & c. 6. n. 7. l. 5. c. 5. n. 8. & c. 15. n. 11. & c. 22. n. 14.

5. Primogenitus mortuorum. l. 5. c. 23. n. 4. & c. 24. n. 443. l. 6. c. 11. n. 3.

5. Qui dilexit nos, & lavit nos à peccatis nostris in sanguine suo. l. 5. c. 9. n. 11.

6. Fecit nos regnum, & sacerdotes Deo. l. 7. c. 4. n. 6.

7. Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt. l. 5. c. 9. n. 11. l. 6. c. 11. n. 11.

8. Ego sum Alpha, & Omega ; principium, & finis. l. 2. c. 15. n. 5. & c. 19. n. 3. l. 5. c. 5. n. 3. & c. 10. n. 3. l. 10. c. 3. n. 10. l. 12. c. 21. numer. 9.

10. Fui in spiritu in Dominica die. l. 7. c. 12. n. 1. l. 10. c. 11. n. 4. 8.

12. Vidi septem candelabra aurea. l. 1. cap. 2. num. 2. l. 11. cap. 2. n. 4.

16. De ore ejus gladius utraque parte acutus exibat. l. 7. c. 19. n. 4.

17. Ego sum primus, & novissimus. l. 2. c. 5. n. 11., l. 5. c. 10. n. 5. & c. 15. n. 11.

Cap. 2. ℣. 1. Angelo Ephesi Ecclesiæ. l. 7. c. 1. n. 3.

2. Qui se dicunt, Apostolos esse, & non sunt. l. 7. c. 27. n. 11.

4. Quòd charitatem tuam primam reliquisti. l. 8. c. 3. n. 24. & c. 12. n. 2. l. 12. c. 1. n. 5.

10. Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ. l. 2. c. 20. n. 17. l. 7. c. 26. n. 15.

17. Vincenti dabo manna absconditum. l. 5. c. 22. n. 2.

28. Sicut & ego accepi à Patre meo. l. 3. c. 5. n. 10.

Cap. 3. ℣. 4. Habes pauca nomina in Sardis, qui non inquinaverunt vestimenta sua. l. 12. c. 8. n. 12.

5. Non delebo nomen ejus de libro vitæ. l. 2. c. 20. n. 13.

7. Qui habet clavem David, qui aperit, & nemo claudit ; claudit, & nemo aperit. l. 7. c. 7. n. 8. & c. 8. n. 9. l. 12. c. 3. n. 9.

20. Ecce sto ad ostium, & pulso. l. 8. c. 3. numer. 15.

Cap. 4. ℣. 3. Iris erat in circuitu cœli. l. 11. c. 7. n. 3.

Cap. 5. ℣. 3. 4. Et nemo poterat neque in cœlo, neque in terra, neque subtus terram aperire librum. l. 5. c. 28. n. 7. l. 8. c. 9. n. 4.

5. Vicit Leo de tribu Juda. l. 7. c. 17. n. 12.

6. Agnum stantem tamquàm occisum. l. 7. c. 17. n. 12.

10. Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes. l. 1. c. 2. n. 28. l. 7. c. 3. n. 3. & c. 4. n. 6. l. 12. c. 8. n. 5.

11. Erat numerus eorum millia millium. l. 4. c. 4. n. 6.

12. Dignus est Agnus, qui occisus est, accipere virtutem. &c. l. 3. c. 5. n. 10.

14. Adoraverunt viventem in secula seculorum. l. 2. c. 16. n. 7.

Cap. 6. ℣. 1. Dicens tamquàm vocem tonitrui. l. 3. c. 9. n. 4.

4. Datum est ei, ut sumeret pacem de terra, & ut invicem se interficiant. l. 10. c. 6. numer. 15.

8. Data est illi potestas super quatuor partes terræ, & interficere gladio, fame, & morte. l. 10. c. 6. n. 15.

9. Vidi subtus altare animas interfectorum. l. 4. c. 10. n. 7. l. 8. c. 10. n. 11.

10. Et clamabant voce magna, dicentes : usquequò Domine. &c. l. 3. c. 3. n. 14. l. 8. c. 10. n. 11. & c. 11. n. 12.

11. Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ. l. 8. c. 10. n. 11. l. 12. c. 8. n. 7.

Cap. 7. ℣. 2. Clamavi voce magna quatuor Angelis, quibus datum est nocere terræ, & mari. l. 10. c. 6. n. 15.

9. Post hæc vidi turbam magnam. &c. l. 8. c. 10. n. 1.

14. Laverunt stolas suas, & dealbaverunt eas in sanguine Agni. l. 12. cap. 22. numer. 14.

15. Ideò sunt ante thronum Dei, & serviunt ei die, ac nocte. l. 8. c. 10. n. 11.

17. Agnus, qui in medio throni est, reget illos, &

Digitized by Google

& deducet eos ad vitæ fontes aquarum. l.4. c.5.n.5.l.8.c.9. n.3.

Cap.8.℣.3. Super altare aureum.l.11.c.1.n.3.

13. Væ,væ,væ habitantibus in terra. l.9.c.3. n.2.

Cap.9. ℣.3.4.5.Data est illis potestas, sicut habent potestatem scorpiones terræ. l. 10. c.6. n.15.

10. Potestas earum nocere hominibus mensibus quinque.l. 10.c.6. n.5.15.

13. Audivi vocem unam ex quatuor cornibus altaris aurei.l.11.c.1.n.3.

Cap. 10.℣.2. Posuit pedem suum dextrum super mare, sinistrum autem super terram. l.2. c.12. n.3.l.7.c.19.n.3.

3. Locuta sunt septem tonitrua voces suas. l. 3. c.9.n.4.

6. Juravit per viventem in secula seculorum.l.10. c.7.n.2.

Cap.12. ℣.1. Luna sub pedibus ejus.l.4.c.1.n.1.

1. In capite ejus corona stellarum duodecim.l.1. c.8.n.1.

4. Cauda ejus trahebat tertiam partem stellarum cœli.l.4.c.4.n.2.

5. Raptus est filius ejus ad Deum, & ad thronum ejus. l.4.c.4.n.15.

7. Michaël, & Angeli ejus præliabantur, cum dracone.l.4.c.4 n.7.

10. Quia projectus est accusator fratrum nostrorum.l.12.c.12. n.2.

12. Væ terræ, & mari, quia descendit diabolus ad vos habens iram magnam. l.10.c.6.n.5.

17. Et iratus est draco in mulierem, & abiit facere prælium cum reliquis de semine ejus. l.10.c.4.n.2.

Cap.13. ℣. 1. Habentem capita septem,& cornua decem.l.5.c.14.n.2.

2. Dedit illi draco virtutem suam,& potestatem magnam.l.16.c.6.n.6.

4. Adoraverunt draconem, qui dedit potestatem bestiæ.l.10.c.5. n.6.

5. Data est ei potestas facere menses quadraginta duos.l.10.c.6.n.15.

7. Datum illi bellum facere cum Sanctis, & vincere eos.l.10 c.4.n.2. & c.5. n.4. & c. 6. n. 15.

8. Quorum non sunt scripta nomina in libro vitæ Agni, qui occisus est ab origine mundi.l.6.c.5.n.3.l.7.c.17. n.12.l.8.c.4. n.19.

12. Et potestatem prioris bestiæ omnem faciebat in conspectu ejus.l.16.c.5.n.6.

13. Et fecit signa magna, ut etiam ignem faceret de cœlo descendere. l.10.c.5.n.4.5.10.12.

14. Et seduxit habitantes in terra propter signa, quæ data sunt illi facere.l.10.c.5.n.5.6. & c.6. num.15.

15. Datum est illi, ut daret spiritum imagini bestiæ.l.10.c.5.n.11.& c.6.n.15.

16. Et faciet omnes habere characterem in dextra manu sua.l.1.c.3.n.8.

Cap.14.℣.4. Hi sequuntur Agnum, quocumque ierit.l.7.c.4.n.4.l.8.c.10.n.11.

5. Sine macula enim sunt ante thronum Dei. l.8.c.10.n.11.

9. Si quis adoraverit bestiam, & imaginem ejus, & acceperit characterem in fronte sua. l.12.c.6.n.4.

13. Opera enim illorum sequuntur illos. l. 8. c.6.n.7.

18. Angelus exivit de altari, qui habebat potestatem supra ignem. l.4.c.4.n.7.

Cap.16. ℣.2. In homines, qui habebant characterem bestiæ l.12. c.6.n.4.

5. Et audivi Angelum aquarum.l.4.c.4. n.7.

14. Sunt enim spiritus dæmoniorum facientes signa. l.20.c.5. n.4.6.

Cap.17. ℣.1. Ostendam tibi damnationem meretricis magnæ, quæ sedet super aquas multas. l.7.c.7.n.10.

3. Vidi mulierem sedentem super bestiam coccineam, plenam nominibus blasphemiæ. l.7. c.27. n.3.

4. Habens poculum aureum in manu sua. l.1. c.3.n.25.

5. Babylon magna mater fornicationum,& abominationum terræ. l.7.c.16.n.1.

6. Vidi mulierem ebriam de sanguine Sanctorum, & de sanguine Martyrum JESU. l. 7. c.27.n.3.

15. Aquæ, quas vidisti, ubi meretrix sedet, populi sunt. l.7.c.7.n.10.l.12.c.10.n.18.

17. Dedit in corda eorum,ut faciant, quod placitum est illi, ut dent regnum suum bestiæ. l.10. c.6.n.14.

Cap.18. ℣.2. Cecidit, cecidit Babylon magna : & facta est habitatio dæmoniorum, & custodia omnis spiritus immundi.l.7.c.16.n.1.l.10.c.6. n.17.

7. Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantùm date illi tormentum, & luctum. l.2. c.20.n.19. l.8.c.5.n.3.4.10.

23. In veneficiis tuis erraverunt omnes gentes. l.10.c.6.n.11.12.17.

Cap.19. ℣.2. Quia vera, & justa judicia sunt ejus, qui judicavit de meretrice magna. l. 10. c.6. num. 12.

13. Et vocatur nomen ejus verbum Dei.l.3.c.9. n.14.l.5.c.5.n.5.& c.22.14.

16. Habet in vestimento, & in femore suo scriptum : Rex Regum, & Dominus dominantium.l.5 c.4.n.19.& c.24.n 260. l.7.c.7. n.7.

20. Apprehensa est bestia, & pseudopropheta, qui fecit signa coram ipso.l.10.c.10.n.5.

Cap.20. ℣.15. Qui non inventus est in libro vitæ scriptus,missus est in stagnum ignis. l.2.c.20. num.13.

Cap.21.℣.3. Ipsi populus ejus erunt, & ipse Deus cum eis erit eorum Deus.l.7.c.4. n.4.

4. Absterget Deus omnem lacrymam ab oculis eorum,& mors ultra non erit neque luctus, neque clamor.&c.l.8.c.10.n.10.

5. Ecce nova facio omnia.l.6.c.14.n.6.

12. Habebat murum magnum, & altum habentem portas duodecim.l.1.c.8.n.1.

14. Et murus civitatis habens fundamenta duodecim.l.1.c.8.n.1.

16. Civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo. l.2. c.12. n.4.

19. Fundamenta muri civitatis omni lapide pretioso ornata.l.10.c.9.n.17.

23. Claritas Dei illuminavit eam, & lucerna ejus est Agnus.l.8.c.12. n.5.

27. Non intrabit in eam aliquod coinquinatum.l.2.c.20. n.13. l.6. c.4. n.3. l.8. cap.8. num.3.

27. Abominationem faciens,& mendacium. l.2. c.20.n.22.

Digitized by Google

Index Locorum Sacræ Scripturæ.

27. Nisi qui scripti sunt in libro vitæ Agni. l.2.c.20.n.13.

Cap.22. ℣.1. Ostendit mihi fluvium aquæ vitæ splendidum tamquàm crystallum, procedentem de sede Dei, & Agni. l.4.c.5.n.5.

8. 9. Cecidi, ut adorarem ante pedes Angeli, & dixit: vide, ne feceris. l.5.c.1.n.11. l.7.c.1. num.1.

11. Qui in sordibus est, sordescat adhuc. l.1. c.3.n.21.

11. Qui justus est, justificetur adhuc. l.8. c.7. n.4.

16. Ego sum radix, & genus David, stella splendida, & matutina. l.5.c.22.num.2. & cap.24. n.315.

18. 19. Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto. l.1. c.10.n.6. l.10.c.1.n.10.

20. Etiam venio citò: Amen. Veni Domine JESU. l.5.c.22.n.14. l.8.c.12.n.13.

INDEX ET EXPLICATIO

Digitized by Google

INDEX,

Et Explicatio nominum Æthiopicorum, quæ in hoc Opere occurrent.

NOMINUM ÆTHIOPICORUM SONUS.	EXPLICATIO.
A	
Abâ.	Pater.
Abbaüi.	Pater Aquarum, Nili nomen.
Abolidis.	S. Iulius Pontif. Rom.
Abold.	Patria putatur maleficorum.
Abraclis. Abraelios.	S. Proclus Constantinopolitanus.
Abrotàrios.	Proterius Patriarcha Alexandrinus.
Acal.	Persona.
Adâm Sina.	Pulchritudo Adæ.
Adamâs Seguêd.	Adamas adorationis.
Afaorea.	Os aureum; S. Chrysostomus.
Aforosios.	S. Ambrosius Mediolanensis.
Agnateôs.	S. Ignatius Antiochenus.
Amara Christôs.	Ancilla Christi.
Amlac.	Deus, quasi regnans, vel imperans.
Anfûr.	Nomen proprium Gallarum.
Arbô.	Valens, fortis.
Areosfagos.	Areopagita: Cognomen S. Dionysii.
Arogaüi.	Senex; Cognomen Monachi insignis.
Arza Selassê.	Cedrus Trinitatis.
Ascala Christôs.	Racemus Christi.
Asfara Christôs.	Vestigium Christi.
Asmache.	Dux.
Asnaf Seguêd.	Fines terrâ adorent.
Athanateos.	S. Athanasius Alexandrinus.
Attisos.	S. Atticus Constantinopolitanus.
Azage.	Senator regius.
Azeguê.	Imperator.
Ayocàndios.	S. Innocentius Pontifex Romanus.
B	
Bagamedîr.	Bona terra, vel ovium terra.
Bageronde.	Gentis gubernator.
Baonû.	Certo: Iuramentum Lusitanorum.
Basi Christôs.	Homo Christus.
Barî.	Natura.
Barnagaes.	Præfectus maris.
Barsenâ.	Mare Senâ, quæ est insula in stagno Dambeæ.
Baselcan segued.	Per vitam Selcan Segued; Iuramentum Abassinorum per vitam sui Imperatoris.
Beda Mariam.	Dexteta Mariæ.
Beth Christian.	Domus Christianorum; ideſt Ecclesia.
Bethgoitâ.	Dominus domus, vel, Iudex.
Bianê cassaust.	Cœnobium Pantaleonis in regno Tigræo.
	Instructio Sacerdotum.

Bubula

Index, & Explicatio

SONUS.	EXPLICATIO.
Birindô.	Bubula cruda.
Bran Haymanot.	Lux Fidei.
Budâ.	Veneficus, seu Venefica.
Budâ Ras.	Judex Veneficorum.
C	
Cabâ Kedûs.	Unctio, vel, oleum Sanctum.
Cabâ Christôs.	Unctio Christi.
Casla Mariam.	Pars Mariæ.
Çalaſſê.	Imperatoris Nuntius.
Calêb.	S. Elesbaan Imperator Æthiopiæ.
Cantiba.	Præfectus hæreditarius.
Capraêl.	Gabriel.
Capte.	Vaccæ, vel pecuniæ, vel ſupellex.
Caſſauſt.	Clericus.
Chereôs	S. Guiricus Martyr.
Christôs bezana.	Christus Redemptor noſter.
Colâ.	Terra calens.
Corbân.	Sacra Euchariſtia.
D	
Debterâ.	Cantor.
Degâ.	Tèrra frigida.
Dege Aſmache.	Dux portæ; Prorex.
Dege Selâm.	Porta pacis, id eſt, principalis porta Eccleſiæ.
Deonaceos.	S. Dionyſius.
Didaſcalîa.	Doctrina Apoſtolorum, id eſt, Conſtitutiones D. Clementis.
E	
Egziabeher.	Deus, quaſi Dominus, Pater, Bonus; vel Dominus mundi.
Ehaoa Christôs	Frater Christi.
Elos	Julius.
Emana Christôs.	Dextera Christi.
Erût.	S. Aretas Martyr.
F	
Facilidâs. Facilô.	S. Baſilides Martyr.
Fremonâ.	Oppidum in regno Tigræo.
Fremonàtos.	S. Frumentius. I. Epiſcopus Æthiopiæ.
Feliquîs.	S. Felix Pontifex Rom. & Martyr.
G	
Gabare tamrat.	Operator miraculorum, vel Thaumaturgus.
H	
Habetchûn.	Dom Europæorum; iis tribuitur, qui regii ſanguinis fœminas ducunt.
Habetô.	Dom; & iis ſolis tribuitur, qui ſunt è ſanguine regio.
Hadera Mariâm.	Habitavit cum Maria.
Hayle Christôs; Haylon.	Fortitudo Christi.
Haymanot.	Fides.
Hamelmala Christôs.	Viror, ſeu pallor Christi; qualis eſt in auro.
Heraclîs.	D. Proclus Conſtantinopolitanus.
I	
Cheguê.	Generalis Monachorum Teclæ Haymanot.
Iteguê.	Regina uxor Imperatoris.
K	
Kedûs Corbân.	Sanctum Euchariſtiæ Sacramentum.
L	
Lebna Denguil.	Thus Virginis.
Libonâ.	Cordatus.
M	
Maiguaguâ.	Suſurrus aquarum; idem quod Tremorâ.
Malac Segued.	Potens adoratione.

Maquedâ.

Digitized by Google

Nominum Æthiopicorum.

SONUS.	EXPLICATIO.
Maqueda.	Regina Sabâ Æthiopiæ.
Marcoriôs.	S Mercurius Martyr.
Marî.	Misericors, vel Dominus, Syriacè.
Mariâm.	Maria, vel, per Mariam, juramentum.
Maſcalmoâ.	Crucis victoria.
Melac Deb.	Victor urſorum.
Melca Chriſtôs	Pulchritudo, vel ſpecies Chriſti.
Menacosât.	Monachi.
Membera Chriſtos.	Altare Chriſti.
Minâs.	Mennas Imperator Æthiopiæ.
N	
NAhû.	Imperator Æthiopiæ ità dictus.
Naod.	Idem Imperator aliâ inflexione.
Natalisân.	Vitalis Epiſcopus Antiochenus.
Nebabi melacôt.	Locutor divinitatis, ſive Theologus; nomen D. Gregorii Nazianzeni.
Negûs	Rex.
Nella Chriſtôs.	Pœnitentia Chriſti.
O	
OLda Chriſtôs.	Filius Chriſti.
Olda David.	Filius David.
Olera Chriſtôs, vel Gueorguis.	Filia Chriſti, vel D. Georgii.
Onag Seguêd.	Adoret terra Onag, ubi Imperator David natus?
Onguelavît.	Evangelica.
Oracî Chriſtôs.	Hæres Chriſti.
Ozoro.	Mulier de Semine Regio.
Q	
QUirôs.	Cyrus Epiſcopus Alexandrinus.
R	
RAs.	Caput; & Caput Principum Æthiopiæ.
Romana orch.	Malum granatum aureum.
Romavît.	Romana.
Romeâ.	Roma.
Rom ſeguêd.	Roma adoret.
Rum.	Romania, ſivè Thracia, unde Rumes.
S	
SAbla onguel.	Spica Evangelii.
Salàma.	Pacificus, cognomen S. Frumentii.
Sarſa Chriſtôs.	Germen Chriſti.
Sarſa Denguîl	Germen Virginis.
Sayros.	Severus hereticus; & Severianus Catholicus.
Scander, vel Aſgader.	Alexander.
Sefalâm.	Caput, ſeu Gubernator.
Selabàſtros.	S. Silveſter Pontif. Rom.
Sela Chriſtôs.	Imago Chriſti.
Seltan Seguêd.	Poteſtas adoret.
Sociniôs.	S. Siſynius Martyr.
Sol Petrôs.	S. Silveſter, alio nomine.
T	
TAbot.	Arca, & Ara portatilis.
Taſcara Chriſtôs.	Memoria Chriſti.
Tecla Gueorguis.	Planta Georgii.
Tecla Haymanot.	Planta Fidei.
Tecla Mariâm.	Planta Mariæ.
Tecla Selaſsê.	Planta Trinitatis.
Tecla Selûs	Planta Trini.
Temirte habuata.	Doctrina abſcondita.
Temirte Haymanot.	Doctrina Fidei, vel Catechiſmus.
Tenſa Chriſtôs.	Reſurrectio Chriſti.

Digitized by Google

Index, & Explicatio Nominum Æthiopic.

SONUS.	EXPLICATIO.
Tinô.	Parvulus: Agnomen cujuſdam Senatoris Martyris.
V	
UMbar.	Cathedra, vel Judex ſedens in cathedra.
X	
XAncô.	Cafre.
Xancor.	Saccari arundo.
Z	
ZA Aureat	Apoſtolorum.
ZÀ Chriſtôs	Chriſti.
Zâ Denguil.	Virginis
Zà Jeſus.	JESU, in genetivo.
Za Matiâm.	Mariæ.
Za Michaêl.	Michaelis.
Zaminâs	Mennæ.
Za ſelaſsê.	Trinitatis.
Zena Gabriêl.	Hiſtoria, vel annuntiatio Gabrielis.
Zera Jacob.	Semen Jacob.
Zera Joannes.	Semen Joannis.



BRAN

Digitized by Google

BRAN HAYMANOT, ID EST, LUX FIDEI IN EPITHALAMIUM ÆTHIOPISSÆ, SIVE IN NUPTIAS VERBI, ET ECCLESIÆ.

LIBER PRIMUS.

DE LEGE CONNUBIALI ÆTHIOPISSÆ, ideſt, de Fide, & Lege Chriſti.

PROOEMIUM, ET TOTIUS OPERIS SYNOPSIS.

Interloquuntur Abaſſinus, & Romanus.

ABASSINUS. Auctorem famoſi adverſus Romanam Fidem libelli, qui cùm verè eſſet mendaciorum ſentina, falsò inſcriptus fuit *Maſgueb Haymanot*, ideſt, Fidei theſaurus, inter cætera Romanos Patriarchas ante Domini Alphonſi adventum, quòd annulatis eſſent dexteris, cavillantem optimi præceptores noſtri Societatis JESU Patres, qui nobis Romanam fidem ſuo cum ſanguine propinârunt, confutantes, nos docuêre, annulum in Epiſcopali dextera nihil profanum redolere, ſed ſymbolum eſſe caſtiſſimi, & omninò ſpiritualis conjugii, & mutuæ fidei inter Epiſcopum, & Sponſam ipſius Eccleſiam intercurſantis. Quod accedens poſtmodùm Patriarcha ſæpiùs confirmavit. Illum enim non rarò in concionibus audivimus intonantem, & in epiſtolis ad duos Imperatores conteſtantem, Æthiopicam Eccleſiam non minùs ſuam eſſe Sponſam, quàm Moyſis fuerit Sephora Æthiopiſſa; ſéque paratum eſſe vitam pro illius

Digitized by Google

cultu, & defensione omnibus periculis, & ipsi adeò morti objectare, quidquid Aaron, *Num.* 12. 1. ideſt (ut exponebat) uxorium nostrorum Clericorum, & Monachorum Sacerdotium; & Maria lepræ maculis conspersa, ideſt, licentiosæ Regii seminis fœminæ nostrorum Castrorum faces, & omnium malorum instigatrices oblatrarent. Harum tamen, & illorum instinctu ab aviis rupibus Buranæ Provinciæ, in quas profugerat (adfui ipse, & ærumnarum exantlatarum aliqua pars fui) extractus est Patriarcha, & additis à tergo sexcentis militibus peltatis, & hastatis, ductore Barnagazio, & duobus supremi Concilii Senatoribus, in Erythræum mare est compulsus; & propè Mazuam cum Societatis Jesu Patribus Turcarum cohorti traditus, à quibus primùm publicè fuit expilatus, & denudatus; deindè missus ad ipsorum Præfectum Suaqueni consistentem; ubi per annum in vinculis detentus, & ad extremum ingenti pecuniæ summâ, quam Bassa ipse ad suæ cupiditatis taxationem ab Indicis mercatoribus, à Patriarcha ipsis in India solvendam extorsit, multatus; in eam, ubique quiritans, ubique reluctans, Deúmque, & homines obtestans, se à sua Sponsa injustè divelli, fuit exturbatus. Ubi frustrà reditum in eam omnibus artibus affectans, spe semper dejectus excidit, eò quòd noster Imperator, & potentiores Hæretici excubiis, & validissimis munerum Turcis oblatorum repagulis viam obrepserint, eámque vel mutuo epistolarum commercio abruperint. Cùm ergo nunc illò redire non possit Patriarcha, libellum aliquem Romanæ Fidei doctrinam continentem, qui fluctuantibus Catholicis instar sacræ sit anchoræ, ad suam Sponsam mittere, me portitore, ne cunctetur, sui in eam monumentum, & pignus amoris.

1. Reg. 18. 14. 2. *ROMANUS.* Altiùs cor meum tribus doloris hastilibus, quàm Joab pendentem è quercu Absalonem, transfixisti. Proindè non verba proferam, quæ prudens meditatio excuderit, sed illa, quæ doloris impatientia extundet. O fuscam! O Sole decoloratam! O perfidiâ discolorem, & nocti concolorem: Non tortis quidem crinibus, sed moribus: Nec naso simo, & subacto, sed in tetrum cujusvis erroris odôrem immodicè projecto: nec labiis tumentibus, sed fallentibus: nec repandis plantis prodigam, sed conversis in Ægyptum vestigiis fugacem Æthiopissam! *Pro iniquitate*, tua sum intuitus terræ aperta, & cœlo penitùs occlusa *tentoria*; quæ si aliquâ Sponsæ nomen promereris, *sponsa sanguinum tu mihi es.* Nam præter perennem avitæ Circumcisionis sanguinem, quo semper mades, charissimos sodales meos, & fidissimos administros Societatis Jesu Patres: Ludovicum Carderiam, Gasparem Paësium, Joannem Pereriam, & Franciscum Roterigium, Lusitanos; & Hyacinthum Francisci Florentinum, & Brunum Bruni Romanum; & duos ex Seraphico Capucinorum Ordine, Agathangelum, & Cassianum Gallos; necnon plures filios tuos à me Sacerdotio auctoratos, vel sacri Chrismatis signaculo, & aliorum Sacramentorum armaturâ munitos; & (quod omnem superat indignitatem) meum quondam discipulum, posteà fratrem, & Coadjutorem, successorémque destinatum Apollinarem ab Almeida Episcopum Nicænum, Lusitaniæ Academiarum delicias, & animæ dimidium, sivè totum meæ, proprio sanguine sævissima proluisti; eò immanior, quòd meo fallacis cujusdam reverentiæ obtentu pepercisti. Quod ergo bibax cruoris lamia, & Ægyptiorum lena: in Romanos verò, & Lusitanos leæna, mei speras, vel exoptas amoris, & non potiùs justæ indignationis monumentum: &, ut omnia (si quæ apud me sunt) tui pignora, & cum iis sponsalis ipse annulus aboleantur? *Vivo ego*, dicit Dominus per Jeremiam, *si fuerit Jechonias filius Joakim Regis* 24. *Juda* (ego dicam: Filia Reginæ Saba, Æthiopissa) *annulus in manu dextera mea, inde evellam eum*; & ad ipsam, & universos ipsius liberos, cum alio Propheta: *Numquid non ut filii Æthiopum vos estis mihi?* Cum *Jerem.* 22. *Am.* 9. 7. quibus ut delasser, laterem lavabo, & Æthiopem dealbabo.

3. *Abass.* Memorem monere stultum esse, ex Patriarcha sæpiùs audivi; Magistrum, audax reor; Antistitem, ac pastorem, extremæ insaniæ deliramentum. Sed cùm Patriarcham videam lethalis mœstitiæ veterno consopitum, ab eodem didici, Medicos peritissimos, cùm ægritudine corripiuntur, suâ se scientiâ, & opinione exuere, & venam, ac viram discipulis tradentes condîta ab ipsis secundùm temperaturam à se anteà insinuatam pharmaca haurire. Quoties docuisti, Romam illam esse ex Apocalypsi meretricem aquis inconstantiæ, & bestiæ, seu dæmoni, velut equo insidentem: sanguine Sanctorum ebriam: blasphemiæ nominibus litteratam: & decem ethnicorum Imperatorum, & duabus Christianorum; alterius Hæretici, alterius Apostatæ persecutionibus agitatam? Num, quia Nero primam Cæsariano gladio persecutionem in Petrum, & Ecclesiam excitavit, Romam ipse protimùs, aut illius curam dimisit? Imò ad vitandam Christianorum orbitatem dimittere cogitantem Christus Cruce oneratus revocavit. An quia Petrus Romæ occisus est, illâ ipsius Successores discesserunt? Tenuêre, institêre, & suum cum illius sanguine sanguinem miscuêre. Et meretrix illa in fidei integerrimæ virginem traducta *scriptam in fronte blasphemiam Christi confessione delevit.* Nec omnes, qui ob Romanæ Fidei confessionem recèns in Æthiopia triumpharunt, Itali sunt, aut Galli, aut Lusitani; sed Æthiopes Æthiopum, & Æthiopissæ filii; qui *si stolas suas laverunt, & dealbaverunt in sanguine Agni*, non est cur desperes à te posse illorum germanos dealbari. Ut illos per Evangelium, & Sacramentorum exhibitionem Deo genuisti, sic multos alios per vastum illud, & dilaceratum imperium palantes, quibus ad similia tormenta superanda non animus, sed ipsa defuerunt. Quos expedit à te opportunis Catholicæ doctrinæ offulis, & sorbitiunculis, ne deficiant in via, vel exilio, aut desperatione corruant, foveri. Quis etiam novit, an ii, qui tot Christi Confessorum sanguinem

Apocalyps. 17. 1. 3. 6. Tertul. in Apolog. cap. 5. Hegesip. de excid. Jerosol. l. 2. D. Ambros. de non trad. Basilic. D. Hieron. l. 2. in Jovin. in fine. *Apocalyp.* 7. 14.

Habac. 3. 7. *Exod.* 4. 25.

Digitized by Google

sanguinem immaniter fuderunt, si per te veritatis aliqua scintilla ipsis affulgeat, suum sint in illius compensationem, & suorum scelerum obliterationem impensuri, & Christi calicem potaturi? Aliquem igitur libellum salutarem, qui tuam absentiam suppleat, quantò citiùs citra cunctationem, aut tergiversationem ad *gentem expectantem, expectantem* mitte, mitte. *Isai. 18. 7.*

Rom. Inchoaveram quidem, dum apud vos essem, Æthiopicum Catechismum priùs inscriptum *Temirte Haymanot*, id est, *Doctrinam Fidei*; quem Lusitano idiomate ad finem, vestro ad medium perduxeram. Verùm in immani illo latrocinio, quo in me ab Hæreticis ex Dambæensi Regno in Tigræum depulsum, & in mea noti grassatores involarunt, in eum quoque, magnam ipsius partem lacerantes, sævierunt; Deo forsan judicante, talium Cacorum, & Autolycosum matrem indignam esse, quæ illius luce potiretur; sicut Moïses priores Legis tabulas confregit, indignum esse existimans, ut vult Magnus Basilius, temulentum populum Dei Lege gloriari. *Exod. 32. 19* D. Basil. serm. 1. de Jejunio.

4. *Abas.* Si Moïses priores tabulas confregit, alias postèà dedolavit, in montem avexit, Domino conscribendas obtulit, & conscriptas ad populum produxit illarum observantiam Dei nomine indicens; & ulteriùs quinque Pentateuchi libros rerum gerendarum formam, & suæ gentis institutionem continentes divulgavit. Ut igitur priores Catechismi tabulas prædatorum furor, vel nostrum demeritum disjecerit, illas sanare, vel sarcire tuæ sit benignitatis; sartâ enim veste meliùs aliquandò frigus, quàm integrâ depellitur, & refectâ rate ad portum frequenter appellitur. *Rom.* Centonarium sartorem, & sutorem veteramentarium (quos me fieri suades) non me magis esse pudebit, quàm Deum parietinarum interpolatorem, & vulnerum alligatorem, cùm ait: *Suscitabo tabernaculum David, quod cecidit, & readificabo aperturas murorum ejus.* Et iterùm: *Quod confractum fuerat, alligabo; & quod infirmum, consolidabo.* Sed quandò me urges, measque manus Moïsis, atque Æthiopissæ exemplo (quo me sæpiùs usum non inficior) constringis, meum vincam animum, ut Catechismo in nuptialem libellum commutato, nuptiarum non jam Moysis, sed Verbi cum Æthiopissa Epithalamium concinnem, duce mellifluo Bernardo, qui nono supra trigesimum in Cantica Sermone sic pectoris sui alvearia diducit: *Recordare nunc mihi Moysis, & Æthiopissa, & agnosce jam tunc præfiguratum conjugium Verbi, & animæ peccatricis; & discerne, si potes, quid tibi dulcius sapiat in consideratione suavissimi Sacramenti; Verbine nimium benigna dignatio, an animæ inæstimabilis gloria, an inopinata fiducia peccatoris. Sed non potuit Moyses Æthiopissæ mutare pellem, potuit Christus.* *Am. 9. 11.* *Ezech. 34. 16.* D. Bernard. serm. 39. in Cant.

5. *Abas.* O nectaream cælestis eloquii dulcedinem! O virginei lactis non tantùm ad labia asperginem, sed ipsum uber, imò canalem! O felicem Æthiopissam, non tam mutatâ à Verbo pelle, quàm (quod anteà ominabar) mente mirabiliter candicantem! *Rom.* Quandò tibi castissimum Verbi, & Ecclesiæ in Moïse, & Æthiopissa connubium veneranti hæc figura arridet; ordine catechetico, & dramaticâ, atque amabæâ interlocutione *dico ego opera mea* in duodecim libros tamquàm in totidem tedas ad vincendas noctis, & ignorantiæ tenebras digesta *Regi*, & non jam Æthiopissæ, sed *Regina* ad illius dexteram assistenti. Quorum priores sex Verbo Regi, posteriores Æthiopissæ Reginæ hinc devovebuntur, ut in hoc *Bran Haymanot* (quod illi nomen, priori immutato, imposuit Râs Selâ Christôs Imperatoris Seltan Segued Sociniôs extincti frater, & Seltan Segued Faciladâs, sive Basilidis nunc viventis, & in nos sævientis patruus omnium Æthiopicorum quondam Principum, & tunc, & modò in honorificentissimo ob Romanæ Fidei defensionem, cujus lumen est, & columen, exilio ingeniorum apex) amici Sponsi Epithalamium, ut ipsi gratificentur, adolescentulæ verò Sponsæ assectatrices, ac pediseguæ ad fugandam perfidiæ, & insciticæ caliginem Catechismum tanquàm tedas, non spineas, ut olim Romani, sed cedrinas, aut cedro linendas nanciscantur. *Ps. 44. 2.* ℣. 10. Catul. in Hymenæo.

6. *Abas.* Quid in utroque Verbi, & Æthiopissæ librorum senario sit differendum, quæso, ne sit grave summatim indicare, ut, cùm ad nuptias pulsatum fuerit, geminum illum tedarum fascem & amicis Sponsi, & Sponsæ pediseguis offeramus. *Rom.* Et tibi absque fœnore lucem fœnerem, tedam ipse accensam quatiens præibo. Primi Libri hæc est periocha. *Laudabile connubium in omnibus esse*, docet D. Paulus; sed tale tunc evadit, *cùm*, ut Anselmus, *legitimum est.* Tunc autem legitimum, cùm ad legum præscripta celebratur; Cæsareæ námque sanciunt, *contra legis prohibitionem inutum ipso jure non valere.* Ut ergo legitimum esset Verbi, & Æthiopissæ conjugium, debuit ad legum constitutionem adornari. Nam & olim Deus, cùm Synagogam sibi *in deserto, in terra, quæ non seminatur*, Sponsam elegit: *Sponsabo te mihi*, inquit, *in judicio, dans ei*, ut sentit D. Hieronymus, *pro sponsalibus legis justitiam, atque judicia*; Sic Verbum Æthiopissæ dedit pro sponsalibus non Mosaicam illam, sed quam Apostolus vocat *legem Fidei* jam anteà per eumdem Vatem promissam: *Sponsabo te mihi in Fide.* In cujus *signaculum* (sic loquuntur D. Aforosius, & Chrysologus) illi tradidit *annulum pronubum* (sic Tertullianus) quem Jurisconsultus in muliebri mundo primum recensset, *signatorium* appellans, crucis figura in gemmæ hyacinthinæ cœli adeptionem portendentis, pala, & in gyrum duodecim Apostolici symboli articulis cœlatum; ut ipsum adeò Apostolorum symbolum, & primum ipsius verbum, quod est *Credo*, quodque divinam Fidem, & totius legis Christi incorruptè servandæ obligationem invehit, Æthiopissæ sit sponsalis annulus, & fidei custodiendæ auctoramentum. Undè primus Liber inscribetur *De Lege connubiali*, id est, *de Fide, ac Lege Christi* in primum illud Symboli verbum *Credo.* Argumentum Libri primi. *Hebr. 13. 4.* D. Anselm. in cap. 13. Epist. ad Hebr. L. Præfectus. 63. ff. de rit. nupt. *Ierem. 2. 2.* *Os. 2. 19.* D. Hieron. in cap. 2. Os. *Rom. 3. 27.* *Os. 2. 20.* D. Ambros. lib. 7. in Luc. D. Chrysolog. Serm. 5 Tertul. in Apolog. cap. 6. n. 79. L. Argumentum. 27. ff. de arg. & aur. leg.

7. *Abas.* Quod Secundi Libri argumentum? *Rom.* cùm de Matrimonio, juxta leges connubiales, Libri secundi argumentum.

Digitized by Google

Alex. ab Alex. gen. dier. lib. 2. cap. 5.

nubiales, est agendum, duo leguntur auspices, alter Sponsi, alter Sponsæ curatores; ità quondam dicti, quòd, ut fastæ essent nuptiæ, auspicia captabant. Sponsi pater ipsius plerumque est auspex; & suus Verbo fuit, qui in Evangelio dicitur *Homo Rex, qui fecit nuptias filio suo. Rex iste*, inquit D. Hieronymus, *Deus Pater est. Facit autem nuptias Domino nostro JESU Christo, & Ecclesiæ*, Æthiopissam Verbo in auspiciis conjungens; Quia, cùm illius pater, utpotè Æthiops, & notis servilibus compunctus cum Verbi Patre componi non possit, nec filiæ in ancillari statu editæ competentem dotem assignare, ut ad Verbi conjugium evehatur, ipsius Verbi Pater se in illius etiam patrem, & auspicem obtrusit, illi apud Jeremiam dicens: *Saltem amodò voca me: Pater meus, dux*, ideſt, auspex *Virginitatis meæ tu es*, ut eam ab adolescentiæ scopulis vindicatam tutâ colloces Matrimonii statione. Illam ideò hac interrogatione convenit D. Augustinus: *Quid in dotem à priori patre, & populo accepisti: Ipse sponsus abjecit pannos tuos, discidit cilicium tuum; misertus est, ut amaret; amavit, ut ornaret. Pro infideli, & fœda sanguinem fudit; fidelem, ac pulchram reddidit. Dona sua in te amavit.* Cùm ergo Deus Pater unus sit auspex Verbi, & Æthiopissæ, idemque *Deus unus*, secundus Liber erit *De Auspice connubiali Verbi, & Æthiopissæ*, vel *de Deo, ut unus est*, in sequens Symboli verbum: *In unum Deum.*

Matth. 22. 2. D. Hieron. in cap. 22. Matth. Jerem. 3. 4. D. August. lib. 1. de serm. Dom. in monte, cap. 6. Deuter. 6. 4.

Tertii Libri argumentum.

8. *Abass.* Libri Tertii quæ conflatura? *Rom.* Compositis inter auspices, Sponsum, & Sponsam conditionibus, laudati testes quæruntur, qui mutuæ pactioni auctoritatem commodent, & firmitatem. Nam ex Lege, & Evangelio: *In ore duorum, vel trium testium stabit omne Verbum. Hoc modo*, inquit D. Augustinus, *per Mysterium Trinitas commendatur, in qua est perpetua stabilitas veritatis.* Verbi igitur, & Æthiopissæ nuptiarum testes sunt duæ aliæ divinæ Personæ, quæ Verbo carnem assumenti affuerunt, & ipsius electioni gratanter annuerunt, ut in vestro Haymanot Abbau dixit D. Deonaceos Areosfagos. [Zacama afcrotomu Sebâ; Esma basedcu tasatafuna baahadu acalem acalatihomu Vaharaiu lomu labahatitomu mahadera la eguala emeheiau, basemreta abuhu, Vamanfesu Keduſa; Besha Vuald Vuahed JESUS-Christôs, icun sebâ; Uhadara usta carsa la Kediſt Denguil Mariam; Vataolda emeneha bemanquir mestir Zelealem,] ideſt: *Tanquam amatrices hominum verè communicaverunt nobiscum in una earum Personarum; & elegerunt sibi ipsis habitationem hominum. In beneplacito Patris, & Spiritus sancti eò pervenit Filius unicus, JESUS-Christus, ut homo fieret, & habitaret in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ, & nasceretur ex ea admirabili mysterio in æternum.* Inter homines etiam, ex vi legis Ecclesiasticæ, duo testes ultra Parochum Matrimonii stabilitatem absolvunt. Quin Christus ipse, quatenus Deus, cum Patre humanæ suæ desponsationis testis fuit, ut ipse pandit dicens: *Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de me, qui misit me, Pater.* Atque ità *tres sunt, qui* nuptiis Verbi, & Æthiopissæ *testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.* Et ideò forsan apud Oseam tertiò desponsationis nomen repetitur (quod notat D. Hieronymus) cùm dicitur: *Sponsabo te mihi in sempiternum; & sponsabo te mihi in justitia, & judicio; & sponsabo te mihi in fide.* Et Sponsa, ut veniat, ter in Canticis, velut coram tribus testibus comperendinatur: *Veni de Libano Sponsa: veni de Libano: veni, coronaberis.* Dicabitur igitur hic liber *Testibus connubialibus*; ideſt, *Mysterio Sanctissimæ Trinitatis*, in illa verba Symboli *Patrem.* Et in illa: *Et in JESUM Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Et in illa: *Et in Spiritum sanctum.*

Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. de Matrim. Sanch. de Matri. l. 3. d. 41. n. 1. Joan. 8. 18 1. Joan. 5. 7. D. Hieron. in cap. 2. Os. 2. 19. 20. Cant. 4. 8.

Quarti Libri argumentum.

9. *Abass.* Quod Libri quarti molimen? *Rom.* Illud, de quo quidam: *Dùm comuntur, dum moliuntur, annus est.* Muliebris nempè Æthiopissæ mundus, qui post compactas nuptias Sponsæ, *quò mundior fiat*, ab Sponso præparatur. Illius verò nomine illa venire Jurisperiti docent, *quæ à viro utendi causâ tradita sunt uxori, vel parata. Paratis verò omnia contineri, quæ ipsius usibus fuerè destinata.* Nostræ igitur Æthiopissæ mundus, quod nomen Græcis ornatum significat, mundus est universus, ut ex cœlo, terra, elementis, Angelis, & hominibus constat, in ipsius ornatum procreatus, Sponso ipso pronunciante: *Omnibus his velut ornamento vestieris, & circumdabis eos tibi quasi Sponsa*; Et ad alteram ipsius sponsam Æthiopissæ domesticam Mariam Magdalenam in secessu Massilienſi: *Propter te, Maria, hæc loca constitui.* Nec citima tantùm cœli facies ad illius mundum spectat, sed extima superficies, & intima conclavia ipsius, & Beatorum felicitati ab ævo destinata, & ideò paratis ad numeranda, ex ipsius etiam Sponsi declaratione, in supremo judicio dicturi: *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi.* Proindè quartus: Liber titulum præferet: *De Mundo nuptiali Æthiopissæ*, in illa verba Symboli: *Omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.*

Terent. in Heaut. L. argumentum. 27. ff. de aur. & arg. leg. L. penult. ff. eodem. L. item legato, 5. interest. ff. de leg. 3. Isai. 49. 18. Sur. tom. 4. 22. Jul. ex Silvestro Prierate. Matth. 24. 34.

Quinti Libri argumentum.

10. *Abass.* Quinti Libri quis apparatus? *Rom.* Verbi cum Æthiopissa in die Conceptionis, *& lætitia cordis ejus desponsatio; in qua*, inquit breviter, sed cumulatissimè D. Augustinus, *Verbum est Sponsus, caro Sponsa; & thalamus uterus Virginis.* Hujus igitur Libri ambitus Incarnationis mysterium complectetur sub hoc titulo: *De Desponsatione Verbi cum Æthiopissa*, sive *de Mysterio Incarnationis*, in illa verba Symboli: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*

Cant. 3. 11. D. August. in Psal. 90.

Sexti Libri argumentum.

11. *Abass.* Libro Sexto quid agendum? *Rom.* Cum Verbo, & Æthiopissa in nuptiali convivio (quale in nuptiis Rebeccæ, Liæ, ac Saræ fuit exhibitum) lautè, & opiparè epulandum. In quo non deficiet *frumentum electorum, & vinum germinans Virgines*, nec *vitulus saginatus*; &, ut fercula proponentur augustiora ipsius vitæ mysteria: Nativitatis, Passionis, Resurrectionis, Ascensionis, ad Patris dexteram Sessionis, & ad extremum judicium reversionis. Elogium igitur Sexti Libri erit, *De convivio nuptiali Verbi, & Æthiopissa,*

Genes. 24. 54. & 29. 12. Tob. 7. 9. & 8. 21. & 11. 20. Zach. 9. 17. Luc. 15. 27. D. Ambros. l. 1. de Abrah. c. 5.

Digitized by Google

& in Prolog. libr. de Spiritu sanct.

Æthiopissæ, in illa verba Symboli: *Natus ex Maria Virgine*, & cætera, usque ad illa: *Qui venturus est judicare vivos, & mortuos.*

Septimi Libri argumentum.

12. *Abass.* Quæ Senatii Librorum Æthiopissæ progressio? *Rom.* Illos non singulatim, sed acervatim percensebo. Septimus ipsi Æthiopissæ Verbi Sponsæ sub nomine Ecclesiæ, vel, si mavis, Romanæ (quæ vobis est *Romavit*) dicabitur, in illa verba: *Sanctam Ecclesiam Catholicam.* Et licèt plerumque fœmina, dote constitutâ, ad sustinenda onera Matrimonii virum emere soleat, Christus tamen Æthiopissam emit, & à peccati servitute redemptam *acquisivit sanguine suo.* Si verò, apud Jurisprudentes, *nuptia sunt divini, & humani juris communicatio*, easque etiam consequitur omnium bonorum communitas, suam Æthiopissam Verbum ad omnium suorum bonorum tàm gratiæ, quàm gloriæ consortium vocavit, ut indicant illa ipsius verba: *Ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis.* Et iterùm: *Sicut misit me Pater, & ego mitto vos.* Et tertiò: *Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo.* Erit igitur Octavus Liber *De communione bonorum inter Verbum, & Æthiopissam* ad illa verba Symboli: *Sanctorum communionem: Remissionem peccatorum; Carnis resurrectionem; Vitam æternam. Amen.* Sed cùm par sit, ut Æthiopissa tot donis ab Sponso cumulata eidem *ad suum cor loquenti*, non solùm corde, sed & ore gratias rependat; & ipsa in sylvis, ac tentoriis rusticanè, & serviliter enutrita, linguâ sit impolitâ, & impeditâ, & labiis nondùm satis exasciatis, *ille mel, & lac sub* ipsius *lingua* collocat, & *vittam coccineam*, ideſt, orationem charitatis cocco rubentem ejus labiis apponit, eam, ut secum colloquatur, illis è Cantico Canticorum blandimentis invitans: *Sonet vox tua in auribus meis; vox enim tua dulcis.* Nonus ergo Liber titulum præferet: *De Verbis nuptialibus Æthiopissæ*, ideſt, *de Oratione:* & Orationem Dominicam, ac Salutationem Angelicam explicabit, ut ipsa cum Sponso non extemporaliter, sed meditatò confabuletur. Decimus erit *de Monilibus aureis Æthiopissæ*, ideſt, *de Decalogi præceptis*; quæ aurea vocamus, quia divina; Dei enim *caput aurum optimum, & manus tornatiles, aureæ*; Monilia, quia mentem monent, ut cervix (de qua ibidem: *Collum tuum sicut monilia*) Dei jugo, ad portandum subdatur, guttur, & pectus ad dilectionem, & elocutionem exornetur. Quod Salomon, ad mentem D. Chrysostomi, commendans ait: *Conserva, fili mi, præcepta Patris tui, & ne dimittas legem Matris tuæ; liga ea in corde tuo, & circumda gutturi tuo. Quemadmodum*, inquit, *divitum filii ornatûs gratiâ aureum monile collo gestant, nec id unquàm deponunt, illud ut nobilitatis insigne circumferentes, & ostentantes.* Si enim divina præcepta perfectè custodiantur, aurea torquis erunt; si negligantur, ferrea catena. Quod tacitè Pharaonem Josepho insinuasse, cùm torquem illius collo injecit, prudenter Hæbræus Philo commentatur. *Amici* quoque *Sponsi*, ideſt, Ecclesiæ Prælati, Æthiopissæ sua munera sponsalitia offerre gestiunt; Sed cùm ad auri fulgorem aspirare non possint (utpotè homines) argenteas illi armillas quinque sistunt. Quæ sunt illa, quæ vulgò Ecclesiæ, & in Actis dicuntur *præcepta Apostolorum, & Seniorum.* De quibus Salomon proximè: *Ne dimittas legem matris tuæ*, ideſt, *Ecclesiæ*, ut addit Glossa Interlinealis; Sed quamvis argentea sint, apud Deum adeò sunt pretiosa, ut sua, ipso judice, videantur adæquare. Astruit enim: *Qui vos audit, me audit; & qui vos spernit, me spernit.* Et dilectus ipsius consectator: *Qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos.* Prænotatur ergo Liber Undecimus: *De Armillis argenteis Æthiopissæ*, ideſt, *de quinque Ecclesiæ præceptis.* Quid ergo restat, nisi ut Æthiopissa tàm pingui dote ab Sponso coëmpta, peccatorum remissione dealbata, orationis tæniis vittata, aureis Dei mandatorum monilibus torquata, & argenteis Ecclesiæ præceptorum circulis armillata in secretiora ipsius cellaria, & conclavia, hoc est, in Ecclesiæ Sacramenta, *ubi bona sunt libamina*, inquit D. Aforosius, introducatur, & ipsorum, ac totius domus claves, ex Romana consuetudine, accipiat? Ipsum enim Sacramenti nomen aliquid opertum, abstrusúmque importat. Et in ea se inductam contemplans, lætabunda & admirabunda exclamat: *Introduxit me Rex in cellaria sua.* Claudetur igitur hoc Epithalamium extremo Libro: *De Promptuariis Æthiopissæ*, ideſt, *septem Ecclesiæ Sacramentis.* Et nos illi intrò invectæ gratulemur, & ità sequentibus Salomonici Epithalamii verbis acclamemus: *Lætabimur, & exultabimus in te, memores uberum tuorum*, lacte turgentium, & in tuorum filiorum labia, & corda influentium.

Octavi Libri argumentum.

Act. 20. 28. L. 1. ff. de rit. nup. L. 1. ff. rer. amot. Cap. significavit de donat. inter vir. & uxor.

Joan. 17. 12. *Joan.* 20. 21. *Luc.* 22. 29.

Noni Libri argumentum.

Os. 2. 14.

Cant. 4. 11. *Cant.* 4. 3.

Cant. 2. 14.

Decimi Libri argumentum.

D. Isid. in lib. Etymol.

Cant. 11. 14. *Cant.* 1. 9.

D. Joan. Chrysost. in Procem. Epist. ad Philippenses.

Prov. 6. 20. 21.

Gen. 41. 42.

Phil. lib. de Joseph.

Joan. 3. 29.

Undecimi Libri argumentum.

13. *Abass.* Tu quoque Domine Patriarcha, memor esto tuorum filiorum, eorúmque Æthiopum, ac rudium. Lacteum nobis liquorem, non acetum, nec adeò vinum mordax immulge; & multò minùs corticosum, aut retorridum panem propone, Doctrinam ità temperans, ut parvuli ad illam tamquàm ad matris ubera provolemus, nec duritiâ, vel obscuritate propellamur, Magistrum illum imitatus, qui, ut aliquandò in Æthiopia in concione de Eucharistia dixisti, non solùm se hominibus in cibum, sed in potum lacteum objecit; illa verba adducens ex divino Augustino: *Quid homo posset ad cibum illum? Unde cor tam idoneum illi cibo? Oportebat ergo, ut mensa illa lacteſceret, & ad parvulos perveniret.* Sic tua lacteſcat doctrina, ut nobis tamquàm anguſti colli vasis guttatim instilletur.

Act. 15. 41. *Prov.* 6. 20.

Glos. Interlineal. ibid.

Luc. 10. 16. 1. *Joan.* 4. 6.

Duodecimi Libri argumentum.

D. Ambros. lib. 5. de Sacram. c. 2. Cic. Phip. 2. Tertul. de Pudicit. c. 12.

Cant. 1. 3.

Cant. 1. 3.

D. August. in Psal. 33.

14. *Rom.* Tuam in repetendo fideliter D. Augustini testimonio ante tot annos à me audito memoriam collaudo. Nunc illud, quod ad me attinet, & tunc in alium locum, ac tempus reservavi, animo insculpe. *Quod*, inquit ibidem Augustinus, *Mater manducat, manducat infans; Sed quia minùs idoneus est infans, qui pane vescatur, ipsum panem mater incarnat, & per humiditatem, & mamillæ, & lactis succum de ipso pane pascit infantem.* Incarnare vellem (utar verbo Augustiniano) & in me convertere totum Romanæ doctrinæ panem; illúmque in lac transmittere, ut per hujus Catecheseos papillam in vos infunderem.

D. August. ibid.

Digitized by Google

derem. Sedquî possim, cùm micam ejus vix capiam? Labori tamen non parcam, & vestro captui, ac Sermoni me affingere totis viribus enitar; Memor de supremo Doctore, quem Clemens Alexandrinus *Patris mamillam* vocavit, dictum ab Isaia: *In loquela labii*, ideſt, labiorum motum, ac sonum hominibus adaptans, *& in lingua altera* nativam pronuntiationem in alienam, blæsam, vel hæsitantem invertens, *loquetur Dominus ad populum istum*; & ut ab hominibus percipiatur, trita illa inter elementarios Hebræorum pueros ad discendum firmiùs repetitione utetur: *Manda, remanda: Manda, remanda: Expecta, reexpecta: Expecta, reexpecta; Modicum ibi, Modicum ibi.* Si ergo mihi velis præcipere, ut loquar, vel taceam, *Manda, remanda*, Si festinare tibi videbor, dic audacter: *Expecta, reexpecta: Modicùm ibi, modicùm ibi*; Hoc est, in tali puncto, vel quæstione paululùm cunctator, vel maturato. Te quoque extrema hac cera ter, ac sæpiùs admonitum volo, ut etiam mecum ipse colloquens lacteſcas, & in pueri, si non sensum, saltem speciem refingaris, & recoquaris, illa à me ad aliorum eruditionem quæritans, de quibus apud vos pueri (quorum te personam nunc sustinere decet) Ludimagistros solent ad nauseam sciscitari.

Clem. Alex. 1. Pædag.

Isai. 28. 11.

Isai. 28. 13.

CAPUT PRIMUM.

Ostenditur, Christianos à Christo; Christum verò ab unctione nomen sumpsisse.

Antiochiæ primùm dicti Christiani.

1. *ABASSINUS.* Tuis jussionibus divinarum erga me vicariis obtemperans, & redditus puerilis innocentiæ, & hæsitantiæ candidatus, quandò legem connubialem Æthiopissæ indicis; non quidem Paganæ, ut fuit ante Reginæ nostræ Sabæ ad Salomonem accessum; nec Hebrææ, ut ab illius regressu cum Mosaicæ legis auctuario; Sed Christianæ vel jam factæ, vel mox post Verbi conjugium futuræ; mihi, oro, quid dignitatis Christiani nomen apportet, indicato. *Romanus.* In ipsis Evangelicæ prædicationis incunabulis Antiochiæ, Lucâ teste, Christianorum nomen discipulis fuit inditum; à Christo Dei filio vero Deo, veróque homine, & ab illius Chrismate, sive unctione mutuatum.

Act. 11. 26.

Tria sunt nominum genera.

2. *Abass.* Quale isthuc Christi est nomen? *Rom.* Quædam sunt nomina, quæ communem aliquam substantiam, vel naturam multis particularibus sub ea contentis æqualiter participabilem significant; ut homo, leo, equus, & similia; quæ naturam humanam, leoninam, & equinam æqualiter omnibus particularibus, quæ iis subsunt, impertitam ostendunt. Alia sunt nomina, quæ illa particularia, vel personas, quæ sub naturis communibus hospitantur, nudè sumptas, nullâ adventitiâ dignitate consideratâ, significant; ut Davidis, Petri, Pauli & Joannis nomina. Sunt tandem alia, quæ personam aliquam significant, non jam nudè sumptam cum sola natura communi, sed adornatam aliqua proprietate, vel dignitate, quæ resultat ex aliqua actione, quæ circa ipsam exercetur; Qualia sunt nomina Prophetæ, summi Pontificis, Apostoli & Evangelistæ, cùm Davidi, Petro, Paulo & Joanni adaptantur. Cùm enim Prophetam dicimus, non puram humanam naturam, vel quamvis illius personam intelligimus, sed Davidem Propheticâ gratiâ, ex divina revelatione, illustrem. Sic Christianorum Pontifex Petrus dicitur ob Christi electionem; Paulus Apostolus ob missionem; Joannes Evangelista ob Dei inspirationem, & Evangelii conscriptionem.

D. Cyril. lib. de Incarn. cap. 1. & lib. 13. thes. c. 4.

Christi nomen est nomen personæ dignitate aliqua convestitæ.

3. *Abass.* In quo trium istorum nominum genere Christi nomen censetur? *Rom.* In tertio. Non enim Christi vocabulum significat communem aliquam naturam à multis particularibus æqualiter participatam; cùm non sit aliqua Christorum, sicut hominum, leonum, atque equorum species; nec plures Christi, sed unus tantùm, vel ipso teste: *Magister vester unus est Christus.* Nec item significat puram alicujus naturæ rationalis, vel divinæ, vel humanæ, vel Angelicæ personam. Quia Christi nomen non dicitur de persona nudi hominis, quales sunt Petrus & Paulus; alioqui purus homo esset; nec item de solius Verbi Persona, quia Verbum solitarium, & in se ipso consideratum Christus non dicitur, ut mox indicabimus. Significat ergo Christi nomen peculiarem quamdam divinæ naturæ Personam, quæ est Verbum; non nudè in se ipsa, ut erat in principio apud Deum, consideratam, sed humanitatis velo convestitam, atque adeò in utraque natura divina, atque humana subsistentem; ità ut si alteram istarum naturarum à tua cogitatione distraxeris, non jam Christum, sed vanum aliquod figmentum cerebro excudas. Illa verò divinitatis, & humanitatis unio in Persona Verbi fit per unctionem, à qua Christi nomen profluxit. Nam propriè Christus unctum significat; ac proindè tertii generis nomen est, sicut nomina Prophetæ, Pontificis, Apostoli & Evangelistæ, quæ nec communem naturam, nec nudam alicujus naturæ rationalis personam, sed peculiarem personam ex sacra aliqua actione ad divinum cultum, seu ministerium segregatam designant.

Matth. 23. 10.

Christi nomen significat personam Verbi divini subsistentem in natura divina, & humana.

Christus unus tantùm est.

4. *Abass.* In cæteris quiescit animus, sed fluctuat in duobus. Primum est, quòd dixeris, plures Christos non esse, cùm David Saulem sæpiùs Christum; & Isaias semel Cyrum nominaverit; & generaliùs in Psalmo: *Nolite tangere Christos meos. Rom.* Plures puros homines esse, qui Christi dicantur, non ambigo; Sicut multi sunt, qui dicantur Apostoli, Prophetæ, Doctores, & Sacerdotes, juxta illud Pauli: *Plures facti sunt Sacerdotes*; quia pluribus potest externa unctio, missio, & revelatio applicari; Sed non ideò communis aliqua est Christorum species, in qua omnes homines, sicut in humana natura, conveniant. Quemadmodùm neque ulla est species Apostolorum, Prophetarum, atque Doctorum. *Numquid* enim (inquit idem Paulus) *omnes Apostoli? Numquid omnes Prophetæ? Numquid omnes Doctores?* At Dei Verbum humanæ naturæ conjunctum unicum tantum est, nec aliud dari

1. *Reg.* 24. 7. 11. & 26. 9. 11. 16. *Isai.* 45. 1. *Ps.* 104. 15.

Hebr. 7. 23.

1. *Cor.* 12. 29.

potest.

Digitized by Google

1. Cor. 8. 6. potest, sicut necalius Pater, eodem Apostolo attestante: *Unus Deus Pater, & unus Dominus IESUS-Christus*; de quò latiùs cap. 2. n. 21.

Christum non cogitat, qui vel solùm Deũ, vel solùm hominem cogitat.

5. *Abass.* Illud animum secundò pungit, quòd asserueris, non posse nos in Christo cogitatione divinitatem ab humanitate, nec humanitatem à divinitate segregare. Nonne liberæ sunt hominum cogitationes? Quis illis has compedes injecit? *Rom.* Si divinitatem cogitatione ab humanitate sejungas, solùm Dei Verbum: Si humanitatem à divinitate, purum tantùm hominem cogitasti. Magnum Leonem sic audi à Romanis montibus rugientem: *Hoc Catholica Fides tradit, hoc exigit, ut in Redemptorem nostrum duas noverimus convenisse naturas, & manentibus proprietatibus suis, tantam factam unitatem utriusque substantiæ, ut*

D. Leo Serm. 3. De Passione.

Joan. 1. 14. *ab illo tempore, quo sicut humani generis causa poscebat, in B. Virginis utero Verbum caro factum est, nec Deum illum sine hoc, quòd homo est: nec hominem sine hoc liceat cogitare, quòd Deus est.*

Testimonia D. Athanasii in confirmatione præcedentis doctrinæ.

6. *Abass.* Novi quidem ex hisce verbis, sicut ex unguibus Leonem; Sed quia illius nomen multis Orientalium immeritò est execrationi, & Æthiopum, gentilium meorum aures diutiùs linguæ, & doctrinæ Ægyptiæ assueverunt, si quid in dictorum confirmationem Patres Alexandrini, signatim verò D. Athanateus, & Cyrillus extulêre, quæso, in medium producas. *Rom.* Beasti me hac postulatione. D. Athanateus: *Christus*, inquit, *non*

D. Athanas. lib. de Incarn. Verbi. *simpliciter dicitur, sed in ipso nomine, quod unum*

Idem lib. de Salut. Christi advent. contra Apollinarium. *est, utraque natura significatur & divinitatis, & humanitatis. Ideoque Christus & homo, & Deus appellatur, quamquàm unus sit Christus. Si Christus proprium est vocabulum divinitatis citra carnem, nimirùm applicandum id quoque est Patri, & Spiritui sancto; eritque passio ipsis communis, ut nonnulli errones arbitrantur.*

Testimonia D. Cyril. ex lib. de Incarn. cap. 5. 7. *Abass.* Satis expressè loquitur D. Athanateus; videamus, an eâdem perspicuitate loquatur D. Cyrillus. *Rom.* Libro de Incarnatione: *Non*, inquit, *absque humanitate intelligimus Deum Verbum, sed unum dicimus ex ambobus effectum ut Deum hominem factum; eumdem ex Patre, ut Verbum natum divinè,*

Ibid. cap. 15. *& ex muliere humanè, ut hominem.* Cap. 15. *Quoties nobis Sacra littera nominant Christum JESUM, ne hominem seorsim putaveris non verè adunatum ipsi Dei Verbo, sed existimaveris magis, ipsum esse ex Deo, & Patre Verbum JESUM Christum, cùm factus sit homo.*

Idem lib. ad Imp. Theodosium. Alibi: *Neque spoliantes Deitate humanitatem, Neque humanitatem Verbo post ineffabilem unionem; sed unum, & eumdem confitentes ex duabus rebus in unum quoddam.*

Idem lib. ad Reginas. Alibi: *Nomen Christus nullo modo convenit Verbo ex Deo Patre nato.* Et infrà; *Opinari verò hanc vocem seorsim illi congruere, omninò stultum foret, imò impium vel sentire, vel dicere.*

Non officit, quòd Scripturæ aliquando de Christo solùm, ut de Deo; aliquando, ut de homine loquuntur. 8. *Abass.* Aliquandò Scripturæ de Christo tantùm ac de Verbo, & Dei Filio, aliquandò tantùm, ac de homine, atque hominis Filio loquuntur. Poterimus igitur nunc de eo solùm, ut Deo: nunc de eodem tantùm ut de homine, citra injuriam, cogitare? *Rom.* Innocua plerumque locutio, sed iniqua semper illa erit cogitatio, quæ seorsum in divinitatem absque humanitate, vel in humanitatem absque divinitate collineaverit. Cùm ergo Scripturæ Christum solùm ut Deum nominant, hominem non negant; & quod litteræ cortex non exprimit, cogitationis medulla supplere debet, ad humanitatem se extendens: Cùm verò hominem dicunt, divinitatem non inficiantur, eámque nostra mens debet cogitatione complecti. D. Cyrillus loco citato: *Si*, inquit, *nominatur alicubi Christus, Incarnatum mihi intelligas illum, & si non fiat unita carnis mentio.* Alibi: *Prædicatur per Sacras Scripturas aliquando quidem ut totus homo, siletur autem dispensativè ejus divinitas; Aliquandò verò contra, ut Deus, & siletur ejus humanitas; nullo autem modo hoc præjudicat unitati ex ambobus.* Semper igitur Deum, atque hominem debes considerare: Sive Christum dicas, sive JESUM, sive Deum, sive Dei Filium, sive Verbum, sive Hominem, sive Filium hominis.

D. Cyril. lib. ad Reginas. Idem lib. ad Imp. Theodosium.

Christi nomen Verbo ante Incarnationem non competebat

9. *Abass.* Ubi, aut quandò Christi nomen Verbo accessit? *Rom.* Cùm suprà ostenderim, Christi nomen nudo, ac solitario Verbo non competere, liquet illud ante susceptam carnem non admisisse. D. Athanateus: *Certum*

D. Athanas. lib. de Salut. Christi advent. *est*, inquit, *Verbum ante suum in carnem adventum hominem non fuisse; Quippe qui Deus erat apud Deum, invisibilis, & impatibilis. Non igitur hoc nomen, Christus, absque carne allegatur, quoniam hanc vocem mors, & passio consequuntur.* D. Cyrillus: *Extra carnem*, in-

D. Cyrillus Epist. ad Monach. Ægypti. quit, *existens, ac veluti separatum Verbum, quod ex Deo est, non dicitur Christus; convenit autem illi id nomen potiùs, ubi homo factum est.* Alibi: *Cùm Verbum caro factum est, Christum ipsum nominatum esse dicimus. Nam quoniam*

Idem lib. ad Regin. *unctus est oleo exultationis, hoc est, sancto Spiritu à Deo, & Patre, ideò Christus nominatur.* Et infrà. *Omninò*, inquit, *necessarium est, Christum nominari Verbum, quod est à Deo, non quandò ad hoc nudum erat, & nondùm incarnatum, sed quandò factum est sicut nos, idest, homo, unctum est secundùm humanitatem.*

Christi nomen Prophetice tantùm reperitur in veteri Testamento. 10. *Abass.* Quot verba, tot gemmas duo illi Patres emiserunt; sed obstare videntur Sacræ litteræ, quæ Christi nomen Dei Filio accomodant, antequam apud homines diverterit. Ipso enim plus mille annis anterior David, ipsius Pater, ait: *Unxit te, Deus,*

Psal. 44. 7. *Deus tuus oleo lætitiæ.* Ergo cùm David viveret, jam tunc Verbum inunctum erat, & Christi nomenclaturam adeptum, ut patet ex alio Psalmo: *Tu verò distulisti Christum*

Psal. 88 39. *tuum.* Et Jeremias: *Spiritus oris nostri Christus Dominus captus est in peccatis nostris.*

Thren. 4. 20. Duplici solutione ab Alexandrinis Patribus petitâ tuum pectus oleo tranquillius reddam. Prima est D. Athanatei & Cyrilli; Prophetas

D. Athanas. Serm. 4. contra Arian. loqui, non proprio, sed Dei Spiritu impulsos; Deo verò in æternitate, ac prævisione

D. Cyril. lib. 5. thes cap. 8. tàm præsentia esse omnia, quæ futura sunt, ac si jam præteriissent; Ideò hac certitudine imbuti sic loquuntur de futuris, ac si jam transacta essent. Ut ergo Baruch septingentis

Baruch. 3. 38. ante Christum annis dixit: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est*, sic ipsius Magister Jeremias: *Spiritus oris nostri*

Thren. 4. 20 *Christus Dominus captus est in peccatis nostris*;

&

Digitized by Google

& exercendam in ipsum unctionem, quasi jam exercitam Vates Regius descripsit. Similiter Divus August. *Dixit, unxit, non unctурus est, quia in prædestinatione jam factum erat, quod suo tempore futurum erat.*

D. August. lib. contra Maximin. cap. 16.

11. *Abass.* Optima est illa prior duorum Alexandriæ luminarium Athanatei, Cyrilliique solutio. *Rom.* Deterior non est illa, quam Dionysius Alexandrinus utroque antiquior assignavit. *Dictus*, inquit, *est Christus ante Incarnationem, quia quod parti, id est, divinitati propriè conveniebat, esse, scilicet, ante tempora, & ævum (sicut esse ubique) de toto propter unionem humanitatis cùm Persona Verbi divini dicitur.*

D. Dionys. Alex. lib. cont. Paulum Samosat.

Totum ab una tantùm parte denominatur.

12. *Abass.* Istorum Verborum sensus denso est obscuritatis velamento obtectus, illud vellem, ut removeres. *Rom.* Explicatior istius materiæ tractatio quintum Librum sibi vendicat. Sed ad intelligenda D. Dionysii verba nunc summatim scias, toti attribui quidquid est partium, ex quibus constat; & interdùm ab una tantùm, interdùm ab altera cognosci; sicut totus homo, qui ex anima, & corpore constat, interdùm solùm anima, interdùm corpus tantùm dicitur. Cùm ergo Christi Persona totum quoddam sit compositum ex divinitate, & humanitate, ut eodem loco cap. 12. latiùs dicetur, aliquandò ex una tantùm parte, nempè ex divinitate, vel aliquâ illius proprietate; aliquandò ex sola humanitate, vel aliquâ illius affectione totus Christus denotatur. Cùm ergo Sacræ Literæ Verbum nondùm humanitati copulatum Christum dicunt, non id faciunt ratione carnis, quæ nondùm aderat, sed ratione alteriùs partis, idest, divinitatis, quam Verbi Persona habuit ab æterno, & postèà carni conjuncta fuit.

Verbum antè Incarnationem aliquando Christus dicitur, ob solam divinitatem postèà corpori conjungendam.

In utero Beatissimæ Virginis in Conceptione unctum est Verbum, & Christi nomine insignitum.

13. *Abass.* Videor eam doctrinam plenè hausisse; nunc mihi instilla, quis ille fuerit articulus, quo Christi nomen Verbo fuit adjunctum. *Rom.* Cùm primùm caro Verbo accessit, tunc unctio facta humanitatis, & Christi nomen adjectum. Caro autem, ut dicendum lib. 5. cap. 3. Verbo accessit in utero Beatissimæ Virginis, cùm illud ex Spiritu sancto concepit. D. Gregorius Magnus: *Ipse*, inquit, *qui existens Deus antè sæcula per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine sæculorum, ibi ab eodem Spiritu sancto unctus est, ubi conceptus. Nec antè conceptus, & postmodùm unctus est, sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à Spiritu sancto ungi fuit.* Id verò Angelus significavit, cùm Virgini sanctissimæ dixit: *Ecce concipies, & paries Filium, & vocabis nomen ejus JESUM.* En Jesu nomen, quod idem est cum Christi nomine, in ipso conceptu ab Angelo indicitur; quod posteà in Nativitate à cœlesti choro pastoribus declaratum fuit: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus*; Et in Circuncisione ipsa impositum: *Vocatum est*, inquit D. Lucas, *nomen ejus JESUS, quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in utero concipereтur.* Undè agnosces, quàm rectè D. Proclus, qui à vobis dicitur Abraclis, sivè Heraclis, in Oratione de Christi Nativitate, quam præsente Nestorio habuit, Beatissimæ Virginis *Ventrem unitarum naturarum officinam*, vocaverit. In eo enim tanquàm in taberna olearia, humana natura pinguissimo fuit divinitatis oleo delibuta.

D. Greg. lib. 9. Epist. 61. ad Quirinum.

Luc. 1. 31.

Luc. 2. 11.

Luc. 2. 21.

D. Proclus Orat. de Christi Nativit. Habetur in Concilio Ephesino.

14. *Abass.* Dici-ne potest, factam fuisse in Baptismo Christi unctionem? *Rom.* Immanem istam Photini impietatem à tua mente, & labiis, & à meis auribus penitùs averte. Si enim Joannes *repletus est Spiritu sancto adhuc ex utero matris suæ*, quomodò expectaturus esset Dei Filius, ut Spiritus unctione in Baptismo post annos triginta imbueretur? Si verò eatenùs eo vacuus fuit, per incrementa Deus factus est, & ex homine in Deum profecit. Contra quem errorem, lib. 5. cap. 5. n. 11. sumus ex professo disputaturi. Id solùm tutò dices, occultam illam Christi in conceptu unctionem in Baptismo toti mundo fuisse manifestatam, Patre clamante: *Hic est Filius meus dilectus.*

Christi unctio facta non fuit in Baptismo.

Luc. 1. 15.

Matth. 3. 17.

CAPUT II.

Qualis Christi fuerit, & Christianorum sit unctio.

Christi unctio fuit invisibilis.

1. *Abass.* Nulla est quæstio, quæ à nostris populari contentione vehementiùs agitetur: nulla, in qua luculentiùs, & lutulentiùs erretur, quàm in Christi unctione. Ne igitur me, neu meos Unctionis expertes abire patiaris, inprimis edoce, num illa Christi unctio fuerit visibilis, & corporalis: num intelligibilis, & spiritualis. *Rom.* Nec visibilis, nec corporalis fuit Christi unctio, sed invisibilis, & spiritualis. Verùm illa omnia, quæ in visibilem, & corpoream unctionem concurrunt, in invisibili Christi unctione reperiuntur.

In Christi unctione septem considerandа.

Zach. 4. 2.

Genes. 1. 16.

Apoc. 1. 12.

Joan. 1. 9.

D. Cyril. Comment. in cap. 4. Zachar.

2. *Abass.* Quænam illa sunt, quæ corpoream unctionem absolvunt, & ab invisibili Christi unctione non desiderantur? *Rom.* Septem omninò. Sicut enim Zacharias Candelabrum vidit, in cujus lampadem duæ olivæ hinc, & indè oleum perpetuum instillabant, quòd indè dispertiebatur per septem infusoria in totidem lucernas, sic in Christi unctione, qui est luminare majus, & Ecclesiæ candelabrum *illuminans omnem hominem venientem in hunc mundum*, ut exponit D. Cyrillus, septem quasi infusoria considerandа sunt. Primum est: quis ungatur. Secundùm; Ubi ungatur. Tertium; à quo ungatur: Quartum; Quo oleo ungatur. Quintum: quanam actione ungatur. Sextum; quænam sit unio olei cum re unctâ. Septimum; quæ sit utilitas unctionis.

Christi persona ungitur, cùm de unctione agitur.

3. *Abass.* Ut à primò incipiamus; Quis ungitur, cùm de Christi Unctione pertractatur? *Rom.* Actiones suppositorum esse, Philosophorum Princeps affirmavit, quia à suppositis, vel personis exire debent, & recipi in personis. De quo latè lib. 2. cap. 8. à n. 18. Cùm ergo unctio, actio sit, necessum est illam ab aliqua persona, vel personis egredi (de quo à num. 8. dicendum) & in aliqua persona

Digitized by Google

persona recipi. Ideò cùm de Christi unctione agitur, tenendum est, unctionem in illius Persona recipi, ipsúmque ungi; sivè illum Christi, sivè Dei, sivè hominis nomine significemus, quia in eo eadem est Dei, atque hominis Persona. Christum ungi dixit D. Petrus: *JESUM à Nazareth, quomodò unxit eum Deus Spiritu sancto.* Idem verò esse Christi, ac Jesu nomen, superiori capite n. 8. docuimus. Hominem quoque ungi, idem Apostolus prædicavit, dicens: *Convenerunt enim verè in civitate ista adversum sanctum puerum tuum IESUM, quem unxisti.* Pueri verò nomen hominem inunctum comprobat. Quòd tandem Deus ungatur, testantur illa Davidis Verba: *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Ubi priori loco Dei nomen est in vocativo, & sic clariùs efferendum esset. *Vnxit te, ô Deus, Deus tuus.* Sed quo pacto dici possit, Deum ungi, in sequenti quæstiuncula indicabo.

Act. 10. 38.

Act. 4. 27.

Ps. 44. 7.

4. *Abass.* Ad illam accedamus, & ubi Christus ungatur, ostende. *Rom.* Corporalis unctio aliquandò unum tantùm membrum, aliquandò totum corpus imbuit; Sed licèt ex integro illud pervadat, semper unam tantùm hominis partem contingit (anima enim expers est unctionis) sed indè ad totum, quod est persona, transfluit denominatio. Sic Maria Magdalene primò *unxit unguento pedes Domini*, posteà *caput*. Et tamen Joan. 11. Non jam pedes, aut caput, sed *Dominum unxisse* dicitur. Eodem modo unam tantùm partem Christi, hoc est, humanitatem unctio permeat, sed illa intermedia totam Personam afficit.

Luc. 7. 38. *Matth.* 26. 7. *Joan.* 11. 2.

Abass. Quid est, quòd in sola humanitate unctionem perpendis? *Rom.* In ea consideratione ductorem habeo D. Cyrillum in vestro Haymanot Abbau. *Vnctus*, inquit, *fuit sicut nos secundum ritum humanitatis.* Infrà: *Vocatus est Christus, quia unctus est sicut nos tanquàm homo.* Alibi: *Vnctus est nobiscum sicut homo, quandò incarnatus fuit.* Alibi: *Vngitur sicut homo.* Infrà: *In forma servi factus unctus dicitur, quia id homini convenit.* Alibi: *Quandò Verbum factum est. Sicut nos, idest, homo, unctum est secundùm humanitatem.* Patrocinatur D. Athanasius. *Non Verbum*, inquit, *quatenus Verbum est; & Sapientia, à Spiritu inungitur, cùm is ab eo donetur; Sed caro assumpta ab ipso illa est, quæ in eo, & ab eo inungitur.* D. Ambrosius, quem vos in Aforosium vertistis: *In Assumptione naturæ humanæ unctus Dei Filius designatur.* Infrà: *Servus homo dictus est, in quo sanctificatus est; Homo, in quo unctus est.*

Probatur ex Patribus. D. Cyril. p. 51. n. 19. ex expositione 12. Anathem. & 11. p. 53 n. 32. Lib. 8. thes. cap. 1. & 3. Lib. de recta fide ad Reg. D. Athanas. orat. 2. contra Arianos. D. Ambros. lib. 1. de fide cap. 2. & lib. 5. cap. 2.

6. *Abass.* Quænam causa est, cur Christus dicatur unctus in sola humanitate, non autem simul in divinitate? *Rom.* Unctio fit ad assequendam sanctificationem; sanctificatione verò indiget humanitas, quæ peccatis est obnoxia: non divinitas, quæ fons est totius sanctitatis. Quam rationem hisce verbis proponit D. Cyrillus: *Sanctificatione Deus non indiget; indiget autem natura humana; ipsa igitur sanctificatur, cùm dicit: Ego pro eis sanctifico me ipsum.* Libro ad Imperatorem Theodosium. *Quòd*, inquit, *unctio sit secundùm humanitatem, nemo qui rectè sapere solet, dubitabit. Nam si Deus est, & Verbum, non opus habet unctione. Non enim quis dixerit unctum, & sanctificatum esse Dei Verbum suo Spiritu, quasi alius ab ipso natura superior, & excellentior; Nam absque omni controversia minùs à majore benedicitur. Quoniam autem mensuris humanitatis convenit, sanctificari, & ungi, omninò necessarium est, Christum nominari Verbum, quòd ex Deo est; Non quandò adhuc nudum erat, & nondùm incarnatum, sed quandò factum est sicut nos, idest homo, unctum est secundùm humanitatem.*

In sola humanitate Christus ungitur. Imperat. Theodosium. *Ioan.* 17. 19. *Heb.* 7. 7.

7. *Abass.* Verba illa Psalmi, quæ superiùs attulisti: *Vnxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ*, demonstrare videntur, unctum fuisse in divinitate. Si enim Deus unctus est, quomodò exors unctionis esse potuit divinitas? *Rom.* Eadem Psalmi verba innuunt, Christum, sivè Deum in humanitate, non verò in divinitate inunctum fuisse; addunt enim unctum fuisse præ consortibus, seu participibus; ergo in ea natura, in qua ipsius participes unguntur. Quinam verò sunt participes, & consortes, nisi homines, qui communem cum Christo naturam ab Adamo, & ab ipso Christo gratiam participant, Paulo teste: *Qui enim Sanctificat, & qui Sanctificantur, ex uno omnes.* Id est, tàm Christus, qui sanctificat, quàm homines, qui sanctificantur, ab uno Adamo profluunt. Omnes ergo ejusdem carnis, & sanguinis consortes sunt, ut idem Apostolus addit: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem.* Et infrà: *Vnde debuit per omnia fratribus similari.* In eo verò fratrum dissimilis fuit, quòd gratiam unionis, quæ altioris est ordinis, & ampliorem gratiæ habitualis portionem, accepit, sicut olim primogenitis inter fratres suos duplex fors hæreditatis deferebatur, juxta illud ejusdem Pauli: *Vt sit ipse primogenitus in multis fratribus.* Inde est, quòd dicatur oleo lætitiæ præ consortibus delibutus; Quòd gratiam in eâdem naturâ citra mensuram omnibus uberiùs acceperit. Quam explicationem ex eisdem Psalmi verbis eruunt D. Aforosius, & Augustinus. Ille enim, *Deus*, inquit, *est, qui ungit, & Deus, qui secundùm carnem ungitur, Dei Filius. Denique quos habet Christus unctionis suæ, nisi in carne participes? Vides igitur, quia Deus à Deo unctus; Sed in assumptione naturæ unctus humanæ Dei Filius designatur.* D. Augustinus: *Vnctus est Deus à Deo. Quo oleo, nisi Spirituali? Oleum enim visibile in signo est, oleum invisibile in Sacramento est. Oleum spirituale intùs est, Oleum visibile exteriùs est. Vnctus est nobis, Deus, & missus est nobis; Et ipse Deus, ut ungeretur, homo erat; Sed ita homo erat, ut Deus esset; Ita Deus erat, ut homo esse non dedignaretur. Verus homo, verus Deus, in nullo fallax, in nullo falsus; Quia ubique verax, ubique veritas. Deus ergo homo, & ideò unctus Deus, quia homo Deus, & factus est Christus.*

Psalmi verba innuunt Christum ungi in natura, in qua habet consortes, ideſt, in humana. *Ps.* 44. 7. *Heb.* 2. 11. *Heb.* 2. 14. 17. *Gen.* 48. 22. *Rom.* 8. 29. D. Amb. lib. 1. de fide cap. 2. D. Aug. in Psal. 44.

8. *Abass.* Agnosco, Christum unctum fuisse in humanitate, non in Divinitate, sed

A tota Trinitate

Digitized by Google

Christus ungitur.

jam tertium infusorium, nempè, à quo inunctus fuerit, invade. *Rom.* Cùm Christum in humanitate unctum concedas, necesse est, actionem, quâ ungitur, in ipsa humanitate constitutam fatearis. Porrò si in humanitate sedem habet, est extra Trinitatem; Quia humanitas Trinitas non est. Si actio illa est extra Trinitatem, toti communis est Trinitati; Quia, ex communi Theologorum axiomate, omnia Trinitatis opera ad extra sunt indivisa, actionésque communes; Quia nihil una Persona operatur, quòd duæ aliæ æqualiter non operentur. Ergo Christi unctionem Trinitas perfecit; Ac proindè non tantùm Pater, & Spiritus sanctus, sed & ipsum Verbum. D. Dionaceos Areosfagos. *Divinus*, inquit, *Cœlestium Spirituum ordo non ignorat, IESUM ad nostra assumenda se ipsum abjecisse, & pro divina, & quæ exprimi non potest, benignitate, & à Patre, & à se ipso, & ab Spiritu sancto sanctificatum.* Christum à se ipso Sanctificatum, non ab alio didicit Dionaceos, quàm ab ipso, cùm dicit: *Ego pro eis sanctifico me ipsum.* Ubi Cyrillus: *Caro*, inquit, *Christi non natura Sancta, Sanctificata in Christo est à Verbo Dei, quòd inhabitat in ea.* Et infrà. *Arbitramur, carnem Domini per Spiritum fuisse sanctificatam, similitudine aliarum creaturarum, proprio templo à Filio Dei permuto.* Sæpè tamen in Scriptura Christi unctio in æternum Patrem, sæpiùs verò in Spiritum sanctum refertur.

D. Dionys. Areop. de Eccl. Hierarch. cap. 4. p. 3.

Se ipsum etiã Christus ungit. *Joan.* 17. 19.

D. Cyril. lib. 12. in Joan. c. 25.

Dici potest, Christum ungi, & se ungere.

9. *Abass.* Suprà dixisti, Christum illum esse, qui inungitur, nunc dicis ipsum quoque ungere; Ergo simul ungitur, & ungit; quæ duo contraria videntur. *Rom.* Contraria quidem sunt; sed quæ in Christo Sancti Patres ad concordiam redigunt. Nam in vestro Libro D. Cyrillus. *Intelligimus*, inquit, *ipsum fuisse unctum secundùm ritum humanitatis; & ipsum esse, qui se unxerit in Spiritu tantùm.* Alibi: *Christus non est unctus ex necessitate, quam habuerit, sed ipse est ungens.* Alibi: *Ungitur quidem humanè* secundùm carnem, Ungit autem divinè. D. Joannes Damascenus: *Idem ipse & ungens erat, & unctus; ut Deus nimirum se ipsum velut hominem ungens.* D. Athanateus: *Ipse*, inquit, *est, qui dat, & accipit Spiritum sanctum; Dat ut Verbum: accipit ut homo.* Ut verò contraria de Christo dicantur, facit composita ipsius Persona ex duabus naturis invicem oppositis, quæ oppositas etiam proprietates nanciscuntur. Altera enim est æterna, immortalis, & invisibilis: altera temporaria, mortalis, & visibilis; quæ affectiones de eadem Persona affirmantur. Quod locum non haberet, si ipsa immunis esset compositionis, ut fuit ante Incarnationem, ut subtiliter docuit D. Gregorius Nazianzenus: *Progressus*, inquit, *Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis: carne nimirum, & spiritu; quorum alterum divinitatem dedit, alterum accepit.* Quod tantumdem est, ac si diceret; quorum alterum unxit, alterum inunctum est; nimirùm Deus unxit, homo unctus est. Sed quia idem Deus est, & homo; & non alius, & alius; licèt aliud, & aliud haberet, quiddam mirabilius actum est, quod idem Pater Nazianzenus observavit in eadem Oratione; ut cùm ungere, & sanctificare proprium Dei sit, hominis verò ungi, & sanctificari; in hoc mysterio dici possit, hominem ungere, & Deum ungi. Ungit enim homo, quia Deus est; ungitur verò Deus, quia homo est. *Audacter*, inquit, *dicam ὁμόφυλον; quòd illud, quod unxit, homo factum sit; & quòd illud, quod unctum est, Deus sit.* Similia D. Augustini verba posui n. 7.

D. Joan. Damasc. lib. 4. de Fide cap. 15.

D. Athanas. orat. 1. contra Arianos.

D. Gregor. Naz. Orat. de Nativit. Christi.

D. Gregor. Naz. ibid.

Patri aliquando tribuitur unctio Christi.

10. *Abass.* Plenè constat, Christum suam sibi unctionem subministrasse; cur eadem unctio Patri accommodetur, agnoscamus. *Rom.* In divinis illa Persona, quæ aliam producit, eumdem ad effectum aliquem temporarium mittit; Cùm ergo Pater Filium per æternam generationem producat, eumdem quoque hominem factum, & mystica unctione sanctificatum mittit ad redemptionem generis humani. Quod infinitis Scripturæ Testimoniis ostendi posset, sed sufficiat illud ex Joanne: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* En Pater Filium sanctificat, atque inungit, cùm hominem factum in mundum mittit. Eum verò locum exponens D. Aforosius: *Hæc ipsa*, inquit, *littera nos docet, sanctificatione non divinitatem eguisse, sed carnem. Denique ipse Dominus dixit: Ego pro eis sanctifico me ipsum; ut agnoscas, quòd & sanctificatur in carne pro nobis, & divinitate sanctificat.* Davidis, quoque testimonium: *Unxit te Deus tuus*, Filium à Patre inunctum comprobat; Illa enim verba, *Deus tuus*, Patrem connotant, qui respectu Verbi in se ipso considerati Pater est; Sed cùm jam homo factus perpenditur, Deus illius est. D. Gregorius Nazianzenus: *Deus*, inquit, *dicitur, non ratione Verbi, sed partis in oculorum sensum cadentis*, ideft, humanitatis. (*Quomodò enim illius, qui Deus est, Deus dici queat?*) *Quemadmodum Pater dicitur non humanitatis, sed Verbi respectu.* Hanc doctrinam confirmant Christi verba tàm cùm in cruce ad Patrem vociferatus, ipsum Deum suum dixit: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* quàm cùm post Resurrectionem discipulis renuntiari jussit: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Quem priùs Patrem ob divinitatem, posteriùs Deum suum dixit ob humanitatem. Undè patet, Davidem, cùm dixit: *Unxit te Deus tuus*, Patrem unitionis auctorem erga Filium hominem factum significasse.

D. Thom. 1. p. q. 43. a. 1.

Joan. 10. 36.

D. Ambros. lib. 2. de fid. cap. 4.

Joan. 17. 19.

Psal. 44. 7.

D. Gregor. Naz. orat. 36.

Ephes. 1. 17.

Matth. 27. 46.

Joan. 20. 17.

Psal. 44. 7.

Unctio Christi specialiter tribuitur Spiritui sancto.

11. *Abass.* Quo fundamento dixisti sæpiùs, Christi unctionem in Spiritum sanctum referri? *Rom.* Quia sæpiùs ita Prophetæ, & Evangelistæ loquuntur. Isaias enim dicit: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me.* Quam prophetiam cùm in Synagoga Christus Dominus legisset, subjecit: *Hodie impleta est hæc prophetia in auribus vestris.* Et iterum: *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Matthæus;

Isai. 61. 1.

Luc. 4. 21.

Isai. 48. 16.

Matth. 1. 20.

Quod

Digitized by Google

Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est. Lucas: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi.* Quibus locis vides, Filii Dei Incarnationem, (quæ eadem est unctio) tribui Spiritui sancto. Luc. 1. 35.

Nam juxta D. Gregorium Magnum superiori capite, num. 13. allegatum, *ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à Spiritu sancto ungi fuit.* Tribuitur autem potissimùm Spiritui sancto Filii unctio, ob duplicem causam. Prima est, quòd Dei Filium Incarnari summum gratiæ erga homines donum fuit, ipso testificante: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum Unigenitum daret.* At Spiritus sanctus essentialiter amor est, & gratiarum distributor ex D. Paulo: *Divisiones gratiarum sunt, idem autem Spiritus, dividens singulis, prout vult.* Secunda, quòd Spiritus sanctus, quem Sapientia intelligibilem, mundum, subtilémque appellat, mirabili solertia, & celeritate Christi Domini corpus ex purissimo B. Virginis sanguine momento compingens, & simul creatam animam rationalem infundens, idem corpus, atque animam divinitati copulavit. Quam rationem egregiè tangit D. Gregorius Nyssenus in vestro Libro. *Spiritus sanctus*, inquit, *sanctificavit, & mundavit carnem B. Virginis Mariæ, & fecit eam dignam, quæ Verbum susciperet; & univit carnem, quam ex ea sumpsit, cum divinitate.* In hac igitur operatione, qua Spiritus sanctus carnem ex B. Virgine sumptam divinitati coaptavit, illius unctio propriè consistit.

D. Greg. Mag. Unctio Christi opus est gratiæ, & ideò Spiritui sancto tribuitur. Joan. 3. 16. 1. Cor. 12. 4. Sap. 7. 23. Spiritus sanctus Christi Corpus organizavit, & totam humanitatem univit divinitati. D. Greg. Nyss. p. 4. n. 11.

12. *Abass.* Unctionem Spiritus sancti erga Christum ponis in efficientia; Scriptura tamen innuit intimam Spiritus inhæsionem cum Christo, sicut olei cum corpore, quod eo perfunditur. Vates enim dicit: *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ.* Quod istud est oleum, nisi Spiritus? Sic enim exposuit D. Cyrillus à te superiori capite num. 9. allegatus. Prætereà D. Petrus ait: *Quomodò unxit eum Deus Spiritu sancto.* Ergo Spiritus sanctus oleum est, quo Christus fuit inunctus, non unctionis operator. *Rom.* Vel Spiritum sanctum fingis esse oleum materiale, vel spirituale? Si materiale arbitraris, scias te nulla olei stilla madidum esse, sed insaniæ vino penitùs cum illis ebrium, quos ita carpit D. Cyrillus. *Si nos istorum amentiam sequeremur, & carnalia, non spiritualia saperemus; & ex eo, quòd Deus Spiritu sancto nos ungit, Spiritum sanctum oleum esse crederemus: Quis nos dicere prohiberet, non solùm aliud natura esse Spiritum sanctum, aliud Deum; verùm etiam compositionem esse in Spiritu sancto? Unguentum siquidem ex multis, ac variis compositum est: Ad hæc, irrationalis creaturæ unguentum est; ergo quoniam Spiritu sancto perungimur, erit Spiritus sanctus irrationalis creatura. Sed hæc talia, atque impia in capita Hæreticorum convertantur.* Hactenus D. Cyrillus.

Num Spiritus sanctus discendus sit oleum in Christi unctione. Ps. 44. 7. Act. 10. 38. Spiritus sanctus non est oleum materiale. D. Cyril. lib. 13. Thes. c. 3.

13. *Abass.* Non ità dejecti sumus à mentis statione Æthiopes, ut somniemus, Spiritum sanctum succum esse oleaginum, vel amygdalinum; de spirituali tantùm solliciti sumus. *Rom.* Nec spiritualis olei vicem subire potest Spiritus sanctus; quia oleum spirituale similitudinem communis gerere debet. Oleum verò commune immediatam unionem habet cum corpore, quod perungit. At Spiritus sanctus, cùm non sit incarnatus, eam unionem cum Christi carne non sortitur. Prætereà inter oleum, & personam, quæ ungit, aliqua debet distinctio intercedere; cùm ergo Spiritus sanctus Christum unxerit, ut probatum est, ejusdem unctionis oleum esse non potest. Cùm ergo dicitur, Christum Spiritu sancto unctum, per synedochen ponitur nomen causæ pro effectu, idest, nomen Spiritus sancti, qui est causa gratiæ, pro ipsa gratia, quæ est ejus effectus. Christus verò delibutus fuit gratiâ sive unionis, sive habituali, sive alia quacumque, ut statim dicemus. Nec novum est, ut gratia Spiritus sanctus dicatur, sicut Act. 1. *Baptizabimini Spiritu sancto*; Fideles enim Spiritu sancto non baptizantur, sed aquâ, & tuno gratiæ dona recipiunt, ut declaravit D. Petrus loquens ad baptizandos: *Baptizetur unusquisque vestrum, & accipietis donum Spiritus sancti.* Et ad Romanos, Paulus: *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Iterùm: *Quicumque Spiritu Dei aguntur, hi sunt Filii Dei.* Alibi: *In quo signati estis Spiritu promissionis sancto.* Quòd si pertinaciter contendas, Spiritus sancti Personam denotari, cùm dicitur: *Unxit eum Deus Spiritu sancto*; sic accipe, quòd Pater Christum unxerit, ascito in operis consortium, non verò in ministerium, aut instrumentum, Spiritu sancto.

intellige gratiâ spiritus. Gratia sæpè significatur nomine Spiritus sancti. Act. 1. 5. Act. 2. 38. Rom. 5. 5. & 8. 14. Ephes. 1. 13. Vel dic, Christum unctum Spiritu sancto, idest, à Spiritu sancto.

Cùm dicitur, Christum unctum fuisse Spiritu sancto,

14. *Abass.* Instrumentalem operam demonstrat ablativus ille casus: *Unxit eum Deus Spiritu sancto*; Et ille: *Unxit te Deus tuus oleo lætitiæ*; sicut ille: *Oleo sancto meo unxi eum*; Et ille: lachrymis lavit pedes ejus, *& unguento ungebat.* Est ergo Spiritus sanctus oleum, & instrumentum Patris in Filii unctione. *Rom. Oportet*, inquit D. Cyrillus, *locutionum formulas, non anxiè excutere, sed ipsas rerum naturas potiùs contemplari, earúmque ductum, ad ipsum veritatem contendere.* Et alibi. *Naturæ rerum verba, non verbis naturas accommodamus.* Quid ergo Spiritus sancti naturam per omnia oleo, & instrumentario casui niteris accommodare? Verba potiùs, & nomina, illorúmque inflexiones divinæ naturæ, Personisque ità accommoda, ut de illis nihil indignum vel dicas, vel suspiceris. Si ergo quia dictum est: *Unxit eum Deus Spiritu sancto*, Spiritum sanctum Patris instrumentum ad Filii unctionem opinaris, Filium quoque, & eumdem Spiritum instrumenta fuisse in mundi conditione opinabere, quia dictum est in Psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt, & spiritu oris eius omnis virtus eorum.* Sed quemadmodùm illa locutio non evertit alias, in quibus mundi creatio Verbo, ac Spiritui sancto tribuitur, quales sunt illæ: *Cum eo eram cuncta*

Spiritus sanctus nec est Patris instrumentum, nec oleum Christi. Act. 10. 38. Ps. 44. 7. Ps. 88. 21. Luc. 7. 38. D. Cyril. lib. ad Regin. Idem lib. 9. Thes. cap. 1. Verba rebus, non res verbis accommodandæ. Act. 10. 38. Ps. 32. 6. Prov. 8. 30.

Digitized by Google

Ioan. 1. 3. *cuncta componens; Omnia per ipsum facta sunt:* *Iob.* 26. 13. *Spiritus ejus ornavit cælos*; Sic illa locutio: *Quomodò unxit eum Deus Spiritu sancto*; alias non obruit, quæ Spiritus sancti efficientiam *Isai.* 61. 1. ostendunt; Ut illæ: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me. Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi* *Luc.* 1. 35. *obumbrabit tibi. Quod enim in ea natum est, de* *Matth.* 1. 20. *Spiritu sancto est*; & Apostolorum Symbolum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, ex Maria Virgine.* Quam sententiam siquis rigidus verborum satelles excuteret, diceret, æqualiter, & eodem causæ genere Christum esse de Spiritu sancto, atque de Beatissima Virgine; siquidem æqualiter dicitur de Spiritu sancto, & de Virgine conceptus. Licèt tamen verba sint eadem, longè dispar est sensus; quia Christus conceptus est de Virgine suam substantiam, & carnem ei conferente; de Spiritu sancto verò illam tantùm præparante.

Increatum Christi oleum est divinitas.

15. *Abass.* Ad quartam quæstiunculam properantes, jam discutiamus, quod sit oleum, quo Christus inungitur. *Rom.* Duplex oleum in Christi unctione intercedit; aliud increatum, aliud creatum. Increatum est ipsa divina natura: Nam juxta D. Aforosium, *Ea olei natura est, ut nequaquam natura alterius humido misceatur*; Et juxta D. Augustinum; *Omnibus humoribus superemineat*; sic divinitas omnes creaturas longè exuperans, nullam ipsarum concretionem, labémve admittit. Oleum ergo increatum, quod in Verbi conceptione ipsius humanitatem, omnésque ejusdem potentias medullitùs penetravit, est divinitas; Sic enim sæpè loquitur Theologorum apex Nazianzenus. Nam Orat. 36. *Divinitate*, inquit, *delibutus est*; *hæc enim humanitatis unctio est.* Et infrà: *Christus dicitur propter divinitatem*; *ea enim humanitatis unctio est.* Et Orat. 42. *Perfectus*, inquit, *est, non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius*; *sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam, idemque effectam, quod id, à quo peruncta est, atque, ut audacter dicam, divinitatis sociam.* Sic ille. Nec Sacrarum litterarum testimoniis ea veritas destituitur; illam enim suffulciunt nota illa verba D. Petri ex cap. 10. Actorum, *Act.* 10. 38. si ex integro referantur. *Quomodò unxit illum Deus Spiritu sancto, quoniam Deus erat in illo.* Ubi vides, Dei nomen pro divinitate positum, sicut & apud Paulum: *Deus erat in* *2. Cor.* 5. 19. *Christo mundum reconcilians sibi.* Ergo quia divinitas Christo insidebat, ideò Spiritu sancto unctus dicitur, & divinæ gratiæ erga homines consiliator. Sed magis propriè locutus est idem Apostolus, cùm dixit: *In* *Col.* 2. 9. *ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Cujus sententiæ egregiam explicationem recole ex D. Cyrillo. *Bonum est*, inquit, *dicere veram Dei nativitatem in carne,* *quam sibi univit. Et ducis nos in illud miraculum Beatus Paulus, dicens: quòd perfecta divinitas habitavit in carne, non per lucrum, neque per receptionem, neque per donum gratiæ, sed corporaliter per esse substantiæ.*

D. Ambros. lib. de Spirit. sanct. cap. 8.

D. August. Serm. 23. de Verb. Domini.

D. Gregor. Naz. orat. 36.

D. Cyrill. ex lib. ad Regin. p. 52 n. 80.

En humanitatem ungit divinitas per esse substantiæ, illam semper ut oleum, pervadens.

Persona Verbi non est propriè oleum, sed divinitas.

16. *Abass.* Si ex eo, quòd divinitas per esse substantiæ humanitatem afficiat, ipsius oleum vocatur, idem videtur dicendum de Persona Verbi, quæ etiam per esse substantiæ unita est humanitati. *Rom.* Ità Patres sæpiùs innuunt, ex quibus satis sit unus Augustinus, qui alicubi: *Oleo*, inquit, *spiritus anima ungitur, cùm Verbo Dei immaculata fœderatione conjuncta est.* Et alibi: *Mystica*, inquit, *& invisibili unctione tunc intelligendus est unctus quandò Verbum Dei caro factum est*; *idest, quando humana natura, nullis præcedentibus bonorum operum meritis, Dei Verbo est in utero Virginis copulata, ita ut cum illo fieret una Persona.* Sic ille. Magis tamen intellige, in conceptione humanitatem non ipso Verbo, ut oleo inunctam, sed à Verbo divinitate delibutam; Verbum enim propriè ungens est, divinitas autem oleo assimilatur; quia ut ipsa ad intra est principium, quo divinæ Personæ essentialiter sanctæ sunt, sic est principium ad extra, quo humanitas Christi sanctificatur. Si enim quæras à perito Theologo, cur Pater æternus sanctus sit? Respondebit, quia ingenitam divinitatem habet, quæ veluti olei fons est, & origo totius sanctitatis. Similiter de Filio, ac Spiritu sancto. Eodem ergo modo Christi humanitas sancta est, quia divinitate quasi oleo undique perfunditur, atque roboratur. Sed quia intima hæc Verbi, atque divinitatis assistentia erga humanitatem completur illa unione, quæ divinitatem, & humanitatem invicem connectit, à multis Theologis gratia unionis dici solet, de qua commodiùs in sexta quæstione pertractandum.

D. August. lib. 2. de Incarn. cap. 19 & lib. 15. de Trinit. cap. 26.

Creatum Christi oleum est gratia.

17. *Abass.* Quodnam est creatum Christi oleum? *Rom.* Oleum creatum, quo madefacta fuit Christi humanitas, voco gratiam, cæteraque virtutes, ac dona supernaturalia ipsam consequentia, quæ perpetuam ex sua natura in justorum animabus sedem sibi vendicant, undè habitualis gratiæ nomen advenit, ut libro 8. cap. 3. numero 23. dicendum. Eam verò gratiam creatam esse, innuit illa Davidis petitio: *Cor* *Psal.* 50. 12. *mundum crea in me Deus*; & Paulus indicabat, cùm scribebat: *Si quæ ergo in Christo nova creatura*; Et ad Ephesios: *Creati in* *2. Cor.* 5. 17. *Eph.* 2. 10. *Christo JESU in operibus bonis*; Et cap. 4. *& 4. 24. Induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est in justitia, & sanctitate veritatis.* Dicitur autem creatio, quia à peccati vetustate mens reflorescit, & quasi de nihilo instauratur; Fuisse verò habitualem gratiam in Christo docet D. Joannes, cùm *Ioan.* 1. 14. vocat *plenum gratiæ, & veritatis.* Et D. Lucas: *Et gratia Dei erat cum illo.* Et iterum: *Luc.* 2. 40. *JESUS autem proficiebat sapientia,* 52. *ætate, & gratia.* Ubi patet sermonem esse de gratia creata, in qua Christus proficere poterat, non autem de increata, sive de

Digitized by Google

de gratia unionis, quia factu impossibile est, ut ista augeatur. Id confirmant Patres, quos retuli, num. 5. cùm docent, Christum fuisse gratiâ, sicut homines, inunctum; homines verò nullâ aliâ, quàm creatâ gratiâ lustrantur. Quibus adde duo testimonia D. Cyrilli: *Unctus est*, inquit, *more nostro humana natura spiritum accipiens.* Alibi: *Æquè, ac unus ex nobis unctione potitus est, utpote proprietates, ac conditiones humanæ naturæ consentaneas propter dispensationem nequaquàm aspernatus.*

D. Cyril. lib. de Incarn. cap. 2. & in Exegesi ad Valerian.

Et gratiâ unionis, & habituali Christus omnes homines antecellit.

18. *Abass.* Si creatam, & æqualem in natura hominum gratiæ gratiam Christus accepit, quomodò excellentior est hominibus? *Rom.* Ut cunctis hominibus excellentior esset, sufficeret gratia unionis, seu divinitatis unctio, quam nulla creatura potest attingere; sed quamvis solam habitualem, & ejusdem conditionis atque homines, gratiam sortiretur, adhuc illis multò superior evaderet. Natura enim eadem est unius, ac multorum auri talentorum; non tamen ideò æquales sunt divitiæ illius, qui unum, & illius, qui habet decem millia talenta. Sic ergo licèt eadem sit natura gratiæ habitualis in Christo, ac justis, non ideò non excellentior est Christus, de quo David

Psal. 44. 7. recinit: *Unxit te, Deus, Deus tuus oleo lætitiæ præ consortibus tuis.* Hominibus enim pro dispositionis, ac meritorum mensura gratiam Deus elargitur: Christo tamen, ut-

Matth. 3. 17 Coloss. 2. 3. Joan. 3. 34. 35. pote *Filio dilecto, in quo sibi benè complacuit*, omnes gratiæ suæ thesauros patefecit. Nam de ipso dixit: *Non enim ad mensuram dat Deus spiritum. Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus.* Si enim, ut nobis omnia Pater donaret, validum argumentum Paulus censuit, quòd Filium proprium

Rom. 8. 32. nobis dederit, dicens: *Qui etiam proprio filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum; Quomodò non cum illo omnia nobis donavit?* Quis credet eumdem Patrem omnia gratiæ munera in eumdem Filium, hominem factum non effudisse, ut illius redundantiam in homines ejusdem naturæ consortes declinaret? Quod Joannes agno-

Joan. 1. 16. vit, cùm dixit: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia*, id-est, pro Christi, & ex Christi gratia suam quique justi gratiæ portiunculam in suam

D. Athan. in Ser. 2. contra Arianos. animam derivant. D. Athanateus: *Ex eo*, inquit, *quòd Christus, ut homo, gratiam Spiritus accepit, factum est, ut nos illam ex plenitudine dimanantem acceperimus.* Homines igitur gratiam pro suo modulo, ac modiolo tanquàm homines accipiunt, Christus verò, ut Deus. Undè magno cum pon-

Luc. 2. 40. D. Cyril. ex lib. ad Regin. P. 52. n. 56. dere dixit D. Lucas: *Et gratia Dei erat in illo.* Ideſt, non gratia puro homini, sed vero Deo competens, ut animadvertit D. Cyrillus dicens: *Non ait Evangelista, ipsum sumpsisse gratiam ab alio Deo: Sed gratia Dei erat in illo, sicut convenit divinitati.*

Unctio propriè est actio à Trinitate egrediens.

19. *Abass.* Olei satis porro in auricula: Quintam quæstionem delibemus. *Rom.* Quamvis olei sit copia, nihil prodest ad medicamenta, si cornu, vel vitreâ phialâ clausum retineatur; sed opus est aspersione, vel effusione, vel manûs confricatione; quæ actio, dicitur propriè unctio. Habebat quidem Verbum ab æterno divinitatem, sed Christus non erat, quia *Divinitas cœlo tanquàm ampullâ claudebatur.* At ubi accessit effusio, seu actio, per quam carni applicata fuit, tunc verè dictum est: *Oleum effusum nomen tuum*; Et Verbum Christus est appellatum.

D. Ambros. lib. 3. de Virgin. *Cant. 1. 2.*

Unctio essentialis est unitio divinitatis cum humanitate,

20. *Abass.* Quænam illa fuit actio, seu olei effusio, & applicatio? *Rom.* Suprà dixi, Christi unctionem à tota Trinitate processisse. Habuit ergo Trinitas communem actionem, quâ compactum à Spiritu sancto Christi corpus, & animam rationalem eodem momento creatam, & eidem corpori conjunctam divinitati in Verbi Persona sociavit. In ea unitione illam habes actionem, quæ humanitatem increato divinitatis oleo irrigavit. Quam secuta est alia Trinitatis actio, quæ gratiam, & virtutes ipsam consequentes (quæ sunt oleum creatum) produxit, & animæ, atque ipsius potentiis impressit. Sunt verò duæ actiones, tàm unitiva divinitatis cum humanitate, quàm gratiæ cum anima, operationes transeuntes, quæ receptæ sunt in Christi humanitate in primo conceptionis momento, illud tamen non excesserunt; at permanentes in ea reliquerunt duas uniones, alteram divinitatis cum humanitate, alteram gratiæ cum anima; quæ sunt unctio tota, & formalis.

Unctio accidentalis est unitio gratiæ habitualis cum animâ Christi.

Non ungitur Christus sola gratia, aut operatione transeunte, sed permanente divinitatis assistentia.

21. *Abass.* Ponis, ut video, Christi unctionem in operatione, & gratiæ infusione; quod si verum est, quid obstat, quò minùs Christi nomen non minùs conveniat justis omnibus, quàm Dei Filio? Omnes enim justi Dei operatione, & gratiæ infusione unguntur. *Rom.* Duas actiones in Christi unctione collocavi; alteram unitivam increatæ divinitatis cum humanitate; alteram creatæ gratiæ productivam, & infusivam. Posteriorem istam cum Christo communem habent omnes justi, undè Christi, ac Filii Dei vocantur; non verò primam, ob quam dicitur *unctus præ consortibus suis.* Ea verò non est sita in solo dono aliquo creato, sed in assistentia, immeatione, & reali unione divinitatis cum humanitate, cum qua est, ut suprà dicebat D. Cyrillus, *corporaliter, seu per esse substantiæ.* Et D. Augustinus: *Quòd*, inquit, *præ participibus dixerit, indicat, quia non gratia Spiritus Christo data est, sicut Prophetis, sed ipsius Verbi Dei in eo substantialis inerat plenitudo.* Idem mirabiliter declaravit D. Gregorius Nazianzenus: *Christus*, inquit, *dicitur propter divinitatem; Ea enim est humanitatis unctio; non operatione, ut in aliis, qui Christi nuncupantur, sed tota ungentis præsentia.* Et alibi: *Si quis divinitatem in eo velut in Propheta, per gratiam operatam, ac non secundùm essentiam connexam fuisse, atque connecti dixerit, divino afflatu careat; imò contrario spiritu impleatur.* Ut igitur in te

Psal. 44. 7.

D. Cyrill. P. 52. n. 83. D. August. lib. 2. de Incarn. cap. 19.

D. Greg. Naz. Orat. 36.

Orat. 51.

Digitized by Google

sit immundi spiritus solitudo, & divini plenitudo, perspice, cum aliis justis, ac Christis esse tantùm Dei operationem, localémque indistantiam; Sed cum Christo realem, & essentialem totius divinitatis ungentis unionem. Quæ Sexta est quæstio ex propositis.

Unio hypostatica est vera, & formalis unctio.

22. *Abass.* Quidnam est illa unio? *Rom.* Mentis oculos converte in corporalem unctionem. In ea præter actionem illam transeuntem, quâ oleum corpori applicatur, & peractâ unctione evanescit, tria permanent in esse quieto. Oleum carni applicitum; caro oleo delibuta; & unio olei cum carne, quam dicere possis unctionem permanentem. Eadem tria in Christo considera: Divinitatis oleum humanitati inditum; humanitatem divinitatis oleo perfusam; & unionem, quæ divinitatem, & humanitatem in Verbi Persona invicem constringit; Et ideò dicitur unio hypostatica, & gratia unionis. Hæc est propria, ac formalis Christi unctio, & de qua locuti sunt Patres; Singillatim verò Nazianzenus, cùm toties dixit, *Divinitatem esse humanitatis unctionem.* Non enim sermonem fecit de divinitate seorsim, ac secundùm se consideratâ, sed humanitati per hypostaticam unionem colligatâ.

Unio hypostatica dicitur gratia unionis.

23. *Abass.* Cur illa unio dicitur gratia unionis? *Rom.* Gratia dicitur quodvis donum, quod ex mera donantis liberalitate, absque ullo recipientis pretio, vel merito conceditur. Cùm ergo Deus humanam naturam ad æterni Verbi thalamum absque ullo ipsius merito vocet, illique insolubili vinculo desponset, illa conjunctio, unionis gratia vocatur. Quam locutionem stabiliunt illa verba, D. Augustini, quæ retulimus, n. 16. ex lib. 15. de Trinitate, cap. 26. & illa ex tract. 74. in Joannem. *Quòd Christus*, inquit, *Vnigenitus æqualis est Patri, naturæ est, non gratiæ. Quòd autem in unitate Personæ Vnigeniti, ille homo assumptus sit, non naturæ, sed gratiæ est.*

Hæc maxima est gratiarum, quas Deus communicare potest. D. Thom. 3. p. quæst. 6. a. 6. & q. 7. a. 11.

Adde, gratiam illam unionis maximam esse omnium gratiarum, quas suis Deus creaturis impertiri valet; cùm enim divinitatem, & humanitatem constringat, ex ea parte, quâ divinitatem attingit, dignitatis est infinitæ. Imò D. Thomas alicubi ipsam divinitatem appellat gratiam unionis, & increatam. De quo lib. 5. cap. 3. n. 10.

Unionis gratia non fuit data Christo in præmium, sed ut radix bonorum operum. *Psal.* 44. 7.

24. *Abass.* Gratiæ illius magnitudinem perpendo; Sed admiror, quòd dixeris, Christi humanitati absque ullo ipsius merito collatam, cùm David contrarium supponat, cùm dicit: *Dilexisti justitiam, & odisti iniquitatem; propterea unxit te, Deus, Deus tuus.* Si enim Christus unctus est, quia justitiam dilexit, suis meritis assequutus est unctionem. *Rom.* Imò quia Christus unctus fuit oleo divinitatis, ideò iniquitatem odio habuit, & justitiam dilexit. Quem sensum ex eisdem verbis ità eruit D. Athanateus, cùm dicit: *Propterea unxit te Deus; non mercedem virtutis, aut operis Verbi Dei significat, sed causam adventus ejus ad nos, & illius unctionis, quæ in illo pro nobis fiebat.* Sic ille, quasi diceret; ideò unctus est, & homo factus, ut justitiam ità diligeret, & peccatum execraretur, ut omninò esset impeccabilis. Aliam interpretationem satis opportunam adducit D. Cyrillus; reliquos homines peccatores esse, ideóque non potuisse sibi, nec aliis medicinam afferre; Christum autem ex eo, quòd Deus esset, & ab æterno justitiam dilexerit, & iniquitatem odio insectatus fuerit, etiam in humanitate peccati immunem fuisse; quia ipsius anima divinitatis oleo corroborata, omnia serpentis capita eliserit. *Cætera*, inquit, *omnia mutabilia, & quia mutabilia, superare diabolum nequeunt. Tu autem ut incommutabilis Patris incommutabile Verbum, semper justitiam diligis, & iniquitatem odio habes. Propterea unxit te Deus, ut in te primò natura humana perfectam à Diabolo victoriam consequeretur.*

D. Cyrill. lib. 8. Thes. cap. 1.

Psal. 44. 7.

Unctio Christo necessaria non fuit ad tegendum peccatum aliquod ab ipso contractum. *Luc.* 10. 34. *Isai.* 53. 9. 1. *Pet.* 2. 22.

25. *Abass.* Ad septimam quæstionem tua festinet oratio, & quæ utilitas Christi unctionem consecuta fuerit, ostendat. *Rom.* Diversæ hominibus ex unctione pullulant utilitates. Prima est; hiantibus vulneribus oleum infunditur, ut foveantur, & sanentur, sicut Samaritanus saucii vulnera oleo linivit, & fasciâ colligavit. Hæc tamen utilitas in Christo locum non habuit. Etsi enim *Languores nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portavit*, cùm tamen, *peccatum non fecerit, neque dolus inventus fuerit in ore ejus*, proprium vulnus non habuit, cui oleum esset adhibendum. Sed cùm *vulneratus esset ob delicta nostra*, unctionem quoque ad illa sananda percepit, ut ipse per os Isaiæ docet: *Spiritus Domini super me, eò quòd unxerit Dominus me: ad annuntiandum mansuetis misit me, ut mederer contritis corde.* *Isai.* 61. 1.

Ex sua unctione essentiali redditus est Christus impeccabilis.

Altera unctionis utilitas est, graveolentiam, ne à corpore erumpat, impedire, illudque ad labores impendentes præmunire; qua de causa athletæ ante luctam oleo corpus macerant, & mortuorum corpora ad vitandam corruptionem unguentis condiuntur. Hæc utilitas quidem in Christo visitur; etsi enim peccatum non fecit, ipsius tamen caro, & anima, ex vi inobedientiæ primi hominis, peccato erat obnoxia, in illudque devolvenda, nisi Verbum divinitatis suæ unctione illam adversus antiqui serpentis morsus, & sibilum protexisset, atque impeccabilem reddidisset. D. Cyrillus: *Caro*, inquit, *Christi non naturâ sancta, sanctificata est in Christo à Verbo Dei, quod inhabitat in ea.* D. Augustinus: *Oleo*, inquit, *spiritus anima Christi ungitur, cùm Verbo Dei immaculata fœderatione conjuncta est. Propterea sola animarum peccati omninò incapax fuit, quia Filii Dei benè, & plenè capax fuit.* Tertia unctionis utilitas consistit in aliqua dignitate hominibus conferenda, vel manifestanda.

D. Cyrill. lib. 12. in Joan. cap. 25. D. Augustin. lib. 2. de Incarn. cap. 19.

Unctio dignitatem Regiam, Sacerdotalem, & Prophetică in Christo denotat.

26. *Abass.* Quam ergo dignitatem Christo sua unctio conciliavit? *Rom.* Triplicem. Hæ sunt: Regia, Sacerdotalis, & Prophetica. Reges enim, Sacerdotes, & Prophetæ oleo apud Hebræos initiabantur. De Regibus patet 1. Reg. 10. & 16. De Sacerdotibus Exod. 30. & Levit. 8. De Prophetis 3. Reg. 19. Christus verò regiam habuit dignitatem, non tàm quòd ortus esset de tribu Juda, quàm quòd ratione Divinæ Personæ in omnes res creatas

Digitized by Google

tas imperium exerceret, & ipsi totius orbis regnum deberetur. Id David ex ejusdem persona enuntiat: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo.* In Hebræo textu: *Ego inunxi Regem meum*; quam versionem confirmat D. Petrus. Citans enim, & approbans illum Psalmum, subdit: *Convenerunt verè in civitate ista adversus puerum tuum JESUM, quem unxisti:* Sacerdotalem illi dignitatem ex humanitatis dispensatione obtigisse, agnoscit D. Paulus ad Hebræos 4. *Habentes*, inquiens, *Pontificem magnum, qui penetravit cœlos, JESUM Filium Dei.* Et cap. 7. *Hic autem, eò quòd maneat in æternum, sempiternum habet Sacerdotium.* Cap. 9. *Christus autem assistens Pontifex futurorum bonorum.* Ipse tandem est Propheta, de quo Moyses prædixerat: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis suscitabit tibi Dominus.* Et quem videns, & audiens universus populus, clamabat: *Propheta magnus surrexit in nobis.* Ex his dignitatibus: Regia, Sacerdotali, & Prophetica consurgit alia, quæ cum ipsis connexa est, nempè potestas legislatoria, de qua sequenti capite agendum.

Hebr. 5. 14. Psal. 2. 6. Act. 4. 27. Hebr. 4. 14. Heb. 7. 24. Heb. 9. 11. Deut. 18. 15. Luc. 7. 16.

Unctionem suam Christus cum Christianis communicavit.

27. *Abass.* Communémne Christus fecit unctionis suæ gratiam cum Christianis? *Rom.* Non vacuum, & inane unctorum nomen Christianis contulit humani generis assertor, sed cum ipso visibilem in Baptismo, & Confirmatione unctionem, & invisibilem in omnibus Sacramentis gratiarum plenitudinem suppeditavit. Ideò Cant. 1. vocatur *oleum effusum*; & Paulus asseruit: *Qui unxit nos, & signavit nos, & dedit pignus spiritus in cordibus nostris.* Ad Hebræos 3. *Participes enim Christi effecti sumus.* D. Joannes: *Sed vos unctionem habetis à Sancto.* Sanctus iste Christus est, de quo Angelus: *Quod enim nascetur ex te sanctum.* Et Daniel: *Et ungatur Sanctus Sanctorum.* Sanctus verò Sanctorum est Christus, quia unctionis suæ sanctitatem sibi soli non observavit, sed in Christianos effudit; ii enim sæpiùs in novo Testamento dicuntur Sancti. Ad Romanos: *Omnibus, qui sunt Romæ, dilectis Dei, vocatis sanctis.* Similiter in 1. & 2. ad Corinthios, ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses. Consonat vestro in Libro D. Cyrillus. *Non fuit*, inquit, *unctus sibi soli, sed unctus est, ut fieret suprà virtutes multorum.* Alibi: *Dicimus ipsum unctum fuisse secundùm dispensationem, & Spiritum sanctum in ipsum descendisse, ut etiam esset in nobis.* Alibi: *Sumpsit Spiritum sanctum propter nos nobis hominibus.* In Thesauro: *Ungitur, & sanctificatur propter nos, ut per ipsum in omnes homines gratia percurrat, ipsi naturæ hominum data, & toti generi elargita.* Iterum: *Unxit ipsum Pater, ut per ipsum virtus ungentis ad nos usque perveniret.* D. Athanateus: *Unctio in illo pro nobis fiebat.*

Cant. 1. 2. 2. Cor. 1. 21. Heb. 3. 14. 1. Ioan. 2. 20 Luc. 1. 35. Dan. 9. 24. Rom. 1. 7. D. Cyrill. p. 37. n. 11. Idem ex Expo. 12. Anath. p. 51 n. 52. Idem ex lib. ad Regin. p. 52. n. 105 Thesaur. lib. 8. cap. 1. & lib. 9. cap. 3. D. Athanas. Serm. 2. contra Arianos.

Christianis cum unctione Regiam, Sacerdotalem, & Propheticam dignitatem Christus concessit.

28. *Abass.* Numquid etiam Regiam, Sacerdotalem, & Propheticam excellentiam Christianis Salvator est impertitus? *Rom.* Reges se, ac Sacerdotes esse confessi sunt illi Seniores, quos in cœlo vidit D. Joannes, dicentes: *Fecisti nos Deo nostro regnum, & Sacerdotes*; & regnabimus super terram. Et D. Petrus omnes Christianos vocat *gentem sanctam, & regale Sacerdotium*; Non quòd Reges temporales sint, sed quòd regia dignitate frui possint, si observent illud D. Pauli consilium: *Vitrà non serviamus peccato*; Et inferiùs: *Non ergo regnet peccatum in vestro mortali corpore, ut obediatis concupiscentiis ejus.* Sacerdotes quoque erunt, non quòd omnes sint sacris Ordinibus insigniti, sed quòd, juxta eumdem Apostolum, *Deo exhibere debeant corpora sua hostiam viventem, sanctam, Deo placentem*; Et juxta D. Petrum: *Sacerdotium sanctum offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo.* Tandem ultra Propheticam gratiam, quam singulariter in Ecclesia in aliquibus futuram tradit D. Paulus, omnes Christiani Prophetæ cùm de futuris agant, Prophetæ esse possunt, si temporalia negligentes consectentur æterna, ut idem Vas electionis admonet: *Non contemplantibus nobis, quæ videntur; quæ enim videntur, temporalia sunt, quæ autem non videntur, æterna.* Servemus ergo Christiani optimam illam D. Joannis admonitionem: *Et vos, unctionem, quam accepistis ab eo, maneat in vobis*; Simulque omnes vasa solida, non verò rimosa, vel confracta, *ne forte pereffluamus*, ut advertit D. Paulus sumptâ metaphorâ à vasis, quæ si rimarum plena sunt, hàc, illàc perfluunt, & creditorum sibi liquorum jacturam faciunt.

Rom. 6. 6. 12 Rom. 12. 1. 1. Petr. 2. 5. Eph. 4. 12. 12. 2. Cor. 4. 18. 1. Ioan. 2. 27 Heb. 2. 1.

CAPUT III.

Ostenditur, Christum esse Legislatorem; & quanta obligatione Christiani ad profitendam ipsius Legem adstringantur.

Ex unctione probatur, Christum esse Legislatorem.

1. *Abass.* Nec oleum, nec operam in explicanda Christi unctione perdidisti; Sed quia superiori capite pollicitus es, hîc te ostensurum Regiæ, Sacerdotalis, atque Propheticæ in Christo dignitatis consectariam esse legum ferendarum potestatem, tempus exigit, ut hac te promissione exoneres. *Rom.* Regum proprium esse leges ferre, præter universalem omnium gentium consuetudinem, confirmat illud Sapientiæ: *Per me Reges regnant, & legum conditores justa decernunt.* Sacerdotales quoque leges esse, illud Jeremiæ, & Ezechielis: *Non enim peribit lex à Sacerdote*; Et illud Aggæi: *Interroga Sacerdotes legem.* Imò quia potior Hebræi regni politia ex institutis Sacerdotalibus constabat, in Exodo *regnum* dicitur *Sacerdotale*; & *regale Sacerdotium*, apud Petrum. Tandem solitos fuisse Prophetas leges sancire, testatur Josephus, & probant illa verba Dei ad Samuëlem: *Prædic eis jus Regis, qui regnaturus est super eos.* Cùm ergo Christus unctus fuerit in Regem, Sacerdotem, ac Prophetam, consequens est, ut fuerit etiam ex omnibus hisce titulis Legislator. Ex regio quidem secundùm illud Isaiæ: *Dominus Legifer noster, Dominus Rex noster.* Ex Sacerdotali secundùm illud D. Pauli: *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Cùm enim Christus Aaronicum Sacerdotium in aliud excellentius commutaverit, opus erat, ut legem aliam conderet, quæ prioris Sacerdotii ritus

Prov. 8. 15. Jerem. 18. 18. Exech. 7. 26. Aggæi. 2. 12. Exod. 19. 6. 1. Petr. 2. 9. Joseph. lib. 1. contra Appionem. 1. Reg. 8. 9. Isai. 33. 22. Hebr. 7. 12. Deut. 18. 15.

Digitized by Google

Deut. 18. 15. *Act.* 3. 22. & 7. 37. ritus abrogaret. Ex prophetico juxta Moysis vaticinium: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis sicut me, suscitabit tibi Dominus Deus tuus; ipsum audies.* Eum verò locum de Christo exponunt D. Petrus, & Stephanus in Actis; ad eúmque respexit Dominus, cùm dixit: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit.*

Joan. 5. 46.

Perfectus Legislator Christus est ex eo, quòd Deus sit.

2. *Abass.* Non videtur Moyses eo loco, sed in aliis de Christo scripsisse; Si enim locus ille in Christum caderet, non esset unctus divinitate, ut latè ostendisti; sed purus homo, siquidem illi se Moyses exæquat, cùm dicit, *sicut me.* *Rom.* Prophetam illum, sivè Christum Moyses non in unctione, sed in Legislatoris munere sibi coæquat; quamquàm etiam in illo fuerit multò inferior, utpotè qui tanquàm notarius, vel præco legem à Deo latam promulgarit; Christus verò illam propria auctoritate sanxerit: Moyses enim dicebat: *Hæc dicit Dominus;* Christus verò, *Ego autem dico vobis.* Qui dicendi character ipsum Regem, atque Deum demonstrat, ex sententia D. Abolidis, (qui est D. Julius Pontifex Romanus) & D. Cyrilli. Ille enim dicit in vestro Libro: *Christus fecit, & locutus est omnia, sicut Deus; Legem statuit homini, dicens: Ego autem dico tibi; & imperavit ventis, & mari. Homines verò, in quibus Deus habitat, & Dei virtus, non possunt legem à se ipsis dare, nec imperare.* D. Cyrillus: *Cùm sit in divinitate sua legislator, ecce factus est sub lege.* In Thesauro: *Hinc rectè Filii Deitas vera colligitur; Regi enim maximè legum latio convenit; ac ideò Rex Deus nulli permittit addere, aut auferre aliquid à lege Mosayca; Filius autem, quod minus est abstulit: & addidit, quod majus est, atque perfectius. Vt Deus igitur, & Dominus leges magna cum licentia addidit, dicens: Ego autem dico vobis.* Alibi: *Cùm ea, quæ supra legem sunt, sancire vellet, assumens sibi convenientem Legislatoris auctoritatem, aiebat: Ego autem dico vobis.* Ergo quia simul Deus, & homo erat, nec ullus alius ei similis fuit, à D. Jacobo dicitur *unus Legislator, & judex.*

Exod. 8. 1. 20. *Matth.* 5. 22. 28. 32. 34. 39. 44

D. Abolidis, sive Julius p. 8. n. 7.

Matth. 8. 26

D. Cyril. p. 1. n. 11. & lib. 12. Th. cap. 14.

Deuter. 4. 2.

Idem lib. de Incarn. cap. 23. *Matth.* 5. 22

3. *Abass.* Ad quid Christiani ex vi legis à Christo promulgatæ obstringuntur? *Rom.* Ad Christi legem credendam, & profitendam. Interest enim discrimen inter credere, & profiteri. *Fides,* inquit Augustinus, *officium a nobis exigit & cordis, & linguæ,* Ergo credere, in cordis, sivè mentis actu consistit, Apostolo dicente: *Corde enim creditur ad justitiam;* Profiteri autem in Verborum confessione, atque operum exhibitione, ut ibidem additur: *Ore autem confessio fit ad salutem.* Neque enim satis est Christiano rectæ Fidei sensum corde premere, nisi illam verbis, atque factis attestetur; Ne sit velut illi, de quibus Apostolus: *Confitentur se nosse Deum, factis autem negant.* Licèt enim *Fides Dei donum* sit, illamque habere, vel non habere non sit in hominis potestate, ad eam tamen se, implorato ipsius auxilio, præparare homines tenentur, illam audiendo (námque *Fides ex auditu*) doctrinam Christianam perdiscendo, & memoriæ commendando. Nunquàm enim suum auxilium in hæc piè annitentibus Deus subducit.

Simer. d. 5. in Epist. D. Jacobi. *Jacob.* 4. 12. Christi legem credere, & profiteri tenentur Christiani. D. August. de Fide, & Symbolo cap. 1.

Rom. 10. 10.

Tit. 1. 16. *Ephes.* 2. 8.

Ad fidem se disponere cum Dei auxilio possunt Christiani.

Rom. 10. 17.

4. *Abass.* Quonam tempore ad actum Fidei corde eliciendum tenentur Christiani? *Rom.* Qui adultâ jam ætate, & maturo mentis judicio præditi Fidei mysteriis aures accommodant; cùm sufficientem illorum propositionem habuere; & cùm ad salutare Baptismi lavacrum accedunt, credere tenentur. At qui illo in infantia sunt abluti, postquàm perfectum rationis usum, plenamque mysteriorum intelligentiam fuerint adepti. Tunc enim necesse est, ut Deum cognoscant, ad eumque, ut ad finem suum supernaturalem per supernaturales actiones vias suas dirigant; quòd facere non possunt, nisi à Fide incipiant, quæ, ut docet D. Paulus, *est initium substantiæ,* id-est, Christianæ viæ, ac vitæ fundamentum. Naturali etiam debito astringuntur homines, ut cor suum actu Fidei confirment, quoties cum gravi tentatione contra ipsam sivè interiùs, sivè exteriùs proposita colluctantur.

Quo tempore teneatur homines actum fidei elicere.

Soar. de Fid. disp. 13. sect. 5. n. 6. Sanc. in Decal. tom. 1. lib. 2. cap. 1. nu. 6. & 7.

Hebr. 3. 14.

5. *Abass.* Quo pacto rectè Fidem Verbis profitebor? *Rom.* Id rectè præstiteris, si Verbis Christum nunquam abnegaveris, nec rubori tibi fuerit, ejus te sequacem publicè agnosci. Vera enim est ejus promissio: *Omnis, qui confitebitur me coràm hominibus, confitebor & ego eum coràm Patre meo, qui in cœlis est. Qui autem negaverit me coràm hominibus, negabo & ego eum coràm Patre meo.* Licèt enim fas sit aliquandò fidem publicè non profiteri, vel cautè obtegere, numquàm tamen datur, illam apertè verbis abnegare.

Publicè Christi fides profitenda.

Matt. 10. 32. 33.

Soar. de Fide disp. 14. sect. 1. Sanch. ubi suprà cap. 4. n. 14.

6. *Abass.* Quo tempore tenetur Christianus Fidem verbis promere, nec potest illam silentio obvelare? *Rom.* Duplici in eventu. Primus est, cùm silentio debitus Deo honor subtrahitur. Id verò obtingit, cùm magistratus, qui potestatem habet inquirendi, quemvis rogat, num sit Christianus? Tunc enim, si taciturnitas eò ducat, ut putetur non esse Christianus, aut Christianæ Fidei nævus aliquis inesse falsitatis, tenetur is, qui rogatur, absque ambage ulla se Christianum affirmare. Aliorum, qui magis pro libidine, quàm pro potestate rogant, inquisitionem fas erit solerti verborum declinatione eludere. Secundus est, quandò Christiani, qui fratres mei sunt, Fide periclitantur, nec aliud superest, ut confirmentur, remedium, quàm ut ego ad ipsorum timorem propulsandum, me Christianum deprædicem. Utriusque casus eadem est ratio. Nam ex D. Paulo: *Finis præcepti est charitas;* charitas verò priùs in Deum, secundò in proximum tendit. Si ergo aliqua ingruerit tentatio, quæ nos in illud periculum conjiciat, ut vel divinæ benevolentiæ, & honoris: Vel dilectionis proximorum jactura facienda sit, si ipsi ex nostra taciturnitate ad Fidem abjurandam, suasque animas in perditionis barathrum deturbandas incitentur, tenemur ipsos à lapsu publica Fidei confessione revocare. Qua in re facem nobis præferunt plurimorum Martyrum exempla, qui cùm vacillantes alios viderent, & jam jam præcipites in ruinam, Christianos se esse professi, timorem ab ipsis depulerunt, & amissas penè coronas reddiderunt.

Fidem suam tegere Christianus non potest, cùm de illa rogatur à magistratu.

Nec cùm alii Christiani extremè periclitantur.

Sanch. ubi sup. n. 2.

1. Tim. 1. 5.

7. *Abass.* Quandò licitum erit Christiano Fidem silentio tegere, vel simulare? *Rom.*

Fidem,

Digitized by Google

Nemo potest fingere verbis, vel factis, se non esse Christianum. Soar. suprà num. 9. Sanch. n. 7. Soar. sect. 4. Sanch. suprà n. 14.

Fidem, seu verius perfidiam verbis simulare, ut si dicas, te non esse Christianum, vel esse Paganum, vel Mahometanum, semper illicitum. Nec quidquam istorum fas est, etiam fictè verbo, vel facto profiteri; ut si ante Judæorum, vel Mahometanorum lectisternia procumbas; aut aliquam ipsorum orationem efferas, ut te exteriùs eorum perfidiæ sectatorem præferas, licèt à corde omnem superstitionem elimines. Nam quidlibet istorum moliri, est planè verbis mendacium in re omnium gravissima proferre; verba autem unam tantùm habent significationem. Qui ergo quidvis illorum gerit, tantumdem facit, ac si fronti nefarium illum titulum inscribat: *Non sum Christianus.*

Vestibus communibus Iufidelium uti possunt Christiani. Soar. disp. 14. sect. 5. Sanch. suprà à n. 16. Tertul. lib de Idolol. c. 17. & 18. Genes. 41. 42. Dan. 5. 29.

8. *Abass.* Poteritne Christianus Judæorum, Gentilium, Mahometanorum, & Hæreticorum vestes ad suam Fidem occultandam sibi inducere? *Rom.* Sunt quædam vestes communes, & obviæ, quibus primo aspectu aliquæ Nationes ab aliis discernuntur; ut Abassinorum fluentes sunt, ac laciniosæ: Lusitanorum constrictiores. Hujusce generis vestibus uti possunt Christiani, cùm non sint indices Religionis, sed nationis. Sic *Joseph, & Daniel*, inquit Tertullianus, *mundi ab idololatria, in ornamento, & purpura extitere, totius Ægypti, & Babyloniæ; quia purpura apud Barbaros insigne erat ingenuitatis, & potestatis, non superstitionis.* Sic frequenter videmus Christianos per Turcarum, & aliorum Paganorum ditionem incedentes manuleatas tunicas, & turbinatos apices citra peccati suspicionem gestare; quia vestis non determinatam, ac propriam, sed multiplicem significationem habere potest, & pro inducntis voluntate in hunc, vel illum finem applicari: Alius enim dicet, rubram se chlamydem gerere ad frigoris injurias arcendas; alius ad lætitiam cordi accersendam; alius ad diem festam concelebrandam; alius ad bellum indicendum; alius ad quemvis alium effectum. Profana tamen, & damnabilis erit illa vestis, quæ falsæ fidei à vera discretionem, aut illius professionem contestetur. Sicut illæ, quibus Pagani alicujus idoli effigiem assuunt; vel Mahometani Pseudoprophetæ sui characterem imprimunt. Sic Anti-Christus suorum emissariorum, & asseclarum manibus & frontibus characterem bestiæ inuret. Tales enim vestes non minùs noxiæ sunt Christianis, quàm illæ, quibus, ut est in fabulis, Hercules conflagravit, quòd essent Centauri sanguine medicatæ. Hæ etenim, addita videntium opinione, & gerentium silentio, clamant, ipsos esse simulatæ sectæ professores, aut veræ Fidei abnegatores.

Apoc. 13. 16.

Seneca in Hercule œteo.

Occultare fidem tenetur Christianus, cùm proximorũ utilitas id reposcit. Soar. sect. 3. n. 2. Matth. 10. 23.

9. *Abass.* Darine poterit eventus, in quo Christianus teneatur Fidem suam occultare? *Rom.* Sicut interdùm Christianis esse debet pro calcaribus Dei, & proximorum charitas, ut intrepidè ad pericula prosiliant, ut n. 6. dictum est; sic quandoque esse debet pro fræno, ne temerè irruant in discrimen, cùm ex Fidei publicatione vehemens aliqua turbatio, vel persecutio subnasci potest. Quæ causa Christum impulit, ut discipulos suos edoceret: *Si persecuti vos fuerint in una civitate, fugite in aliam. Qui enim interim cedit*, inquit Cyprianus, *non Fidem negat, sed tempus expectat.* Non enim ità mihi debet esse chara meæ salutis messis, ut dum privatam quæro, velim divinam gloriam, & proximorum segetem radicitùs evelli.

D. Cyprian. lib. de Lapsis.

Quomodò operibus fidei professio facienda. Iacob. 2. 18.

10. *Abass.* Apertè satis exposuisti, quomodò Fidei professio corde, & verbis sit edenda; nunc te ad operum professionem convertito. *Rom.* Interioris Fidei lingua in operibus sita est. *Ego*, inquit D. Jacobus, *ostendam tibi ex operibus Fidem meam.* Talia ergo sint opera, quæ nos Fideles esse comprobent, & Christi sectatores. *Qui enim dicit, se in eo manere, debet, sicut ille ambulavit, & ipse ambulare.* Ambulabunt verò, si Christianæ legis præcepta, & consilia adimpleverint, & à Gentilium, Judæorum, atque Mahometanorum ritibus, & convictu abstinuerint; illorum enim *sermo serpit ut cancer*; & *corrumpunt bonos mores colloquia mala*; neque fieri potest, ut *picem* quis tangat, nec ab illa *inquinetur.*

1. *Ioan. 2. 6.*

2. *Tim. 2. 17.* 1. *Cor. 15. 33.* *Eccl. 13. 1.*

Commerciũ cum Infidelibus decem in casibus interdicitur.

11. *Abass.* Quî fieri potest, ut ab illorum convictu abstineam, in quos singulis horis, ac locis incurro? *Rom.* Summoperè exoptandum esset, ut omnes homines, sicut sunt naturâ, sic essent ejusdem Fidei consanguinitate germani; Sed quoniam insitam à Deo fraternitatem adulterina tot sectarum dissidia distraxerunt; & nunc sumus *in medio nationis pravæ, & perversæ*, non possumus non cum Infidelibus communem aërem attrahere: aquam ex eisdem fontibus haurire, & cibos in eodem foro, macellóque coëmere. Opus tamen est, nos ab eorum societate in iis rebus coërcere, quas sacri Canones præscripserunt.

Philip. 2. 15

Decem sunt interdicta Christianis erga Infideles. Sanch. lib. 2 in Decal. cap. 31. n. 4. & deinceps.

12. *Abass.* Quænam sunt illa, quibus erga Infideles Christianis Sacri Canones interdixerunt? *Rom.* Decem omninò sunt, quæ subjicere non gravabor: Primò, interdicitur cum ipsis familiaris habitatio. Secundò, Judæorum azymis, Paganorúmque cibis, cùm ad discernendam Religionem apponuntur, victitare. Tertiò, Medicos eos accersere, dum alii Christiani æquè periti reperiantur. Quartò, uti medicamentis ab ipsis conditis, & applicatis. Quintò, simul cum eis lavari; id enim verius est, inquinari. Sextò, mutuò se ad convivia vocare, iisque interesse. Septimò, ipsorum filiis Christianas fœmin s apud ipsos divertentes lac immulgere. Octavò, ipsis continuè, sive domi, sive extra domum famulari; non tamen vetitum est Infidelis agrum colere, nec ipsius domum, ipso absente, extruere, vel resarcire. Nonò, servitutis jugo ipsis mancipari. Decimò, publicam administrationem in Christianos ipsis permitti.

Contractus humani cum Infidelibus non sunt prohibiti.

13. *Abass.* Si vera sunt, quæ dicis, nec sermonem unquàm familiarem cum Infidelibus conserere Christianis licebit. *Rom.* Interdictum ne ità universim interpreteris. Potes enim de rerum emptione, ac venditione, aliisque humanis contractibus cum ipsis agitare; magna tamen cautio interponenda. Plerumque enim assectatores esse solent Chananæi illius mercatoris, de quo Oseas: *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.*

Os. 12. 7.

Nam

Digitized by Google

Nam totos se comparant ad fraudes nectendas, & usuras magis animarum, quàm mercium multiplicandas; & nervis omnibus Christianos pervertere, & ad suarum sectarum perniciem pellicere nituntur; nihilque propensiùs anhelant, quàm ut infantes ex matrum uberibus, puerosque à parentum domibus abripiant, ut eos suis erroribus lactatos, & stigmatis compunctos in miseram servitutem aliis Infidelibus divendant.

Infidelium nomine Hæretici intelliguntur, ut vi tentur. 1. Joan. 2. 19. 2. Joan. v. 10. 11.

14. *Abass.* Dum Infideles tua pungit oratio, Hæreticis ignoscere videris, ut Fidelibus licita sit cum ipsis confabulatio, & communicatio. *Rom.* Infidelium nomine Hæretici etiam continentur, qui in nobis fuerunt, cùm Baptismi signaculum perceperunt, *sed non erant ex nobis*; illius enim gratiam leviter à nobis prodeuntes amiserunt. *Siquis venit ad vos*, inquit dilectus Deo Apostolus, *& hanc doctrinam non affert* (non ait: impugnat, vel execratur) *nolite recipere eum in domum, nec Ave ei dixeritis. Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Si nudum Ave tantam damnationem conscisit, quantam in eamdem doctrinam conspiratio, & conglutinatio? Et divinorum secretorum in tertio cœlo perscrutator, non rudi alicui Christiano, sed Timotheo, ac Tito, & in iis omnibus Episcopis, & Ecclesiæ Doctoribus, non congressum cum Hæreticis, sed fugam suadet. 1. Tim. 6. 20. Priori enim ait: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates.* Iterùm: 2. Tim. 2. 16. 23. *Profana, & vaniloquia devita: multum enim proficiunt ad impietatem.* Infrà: *Stultas autem, & sine disciplina quæstiones devita: Scies, quia generant lites.* Ne autem putaretur, damnari à Paulo profana, vaniloquia, & stultas quæstiones quasi in abstracto, nec converso ad ipsorum auctores obtutu, subdit: 3. Tim. 3. 5. *Habentes speciem quidem pietatis, virtutem autem ejus abnegantes. Et hos devita*; Hos, non illa tantùm; sed illa simul cum ipsis. Posteriori verò: Tit. 3. 10. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita: sciens quia subversus est, qui ejusmodi est.* Ubi Hæretici conveniendi causam solam increpationem, non quidem assiduam, sed unam, vel alteram, at deinceps perpetuam fugam ostendit. Apostolicæ verò auctoritatis aciem clariùs alibi distringens: 2. Thes. 3. 6. D. Cypr. Epist. 55. ad Cornel. *Denuntiamus*, inquit, *vobis fratres* (D. Cyprianus legit: Præcipimus) *in nomine Domini nostri JESU Christi, ut subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundùm traditionem, quam acceperunt à nobis.* Hæreticum, fratrem vocat, non quidem germanum, sed uterinum, quia ex eodem cum Catholicis Ecclesiæ utero, idest, Baptismo editus, Deum patrem negavit, & in matrem armatus eamdem coëgit, ut ita dolens ejularet: Cant. 1. 5. *Filii matris meæ pugnaverunt contra me.* Quorum infida conjunctio non minùs vitanda Catholicis, quàm Judæis erat Samaritanorum eodem cum ipsis Jacob patre gloriantium, de quibus Matth. 10. 5. D. Hilar. can. 10. in Matth. Christus: *In viam Gentium ne abieritis, & in civitates Samaritanorum*, idest, *Ecclesias Hæreticorum*, ex D. Hilario, *ne intraveritis.* Quæ omnia præcepti necessitatem, non consilii libertatem, optionémque prætendunt.

Cum Hæreticis vetita omnis communicatio. 2. Cor. 6. 14. D. Thom. ibid. lect. 3. Soph. 3. 9. 1. Tim. 2. 16. Can. 63. Ap.

Can. 69.

15. *Abass.* Quæ præcipuè cum Hæreticis vetatur communio: Forensis, an domestica, an Ecclesiastica? *Rom.* Mortiferum in harum qualibet est venenum; cùm enim & ipsi Infideles sint, generatim dixit Apostolus: *Nolite jugum ducere cum Infidelibus*, ut cum eis sive in agro, sive in foro, sive in Ecclesia *humero uno* aretis; illorum enim sive errores suos docentium, sive simul orantium, sive salutantium *sermo ut cancer serpit*, non tantùm retrogradum à Fide cursum trahens, sed & mortem erratico lapsu inducens. *Si quis clericus*, inquiunt Apostoli, *aut laicus, synagogam Judæorum, aut Hæreticorum conventiculum ingressus fuerit, ut preces cum illis conjungat, deponitor, & à communione secluditor.* Inferiùs: *Siquis* ex Clericorum consortio *cum Judæis jejunaverit, aut communem diem festum cum ipsis egerit; aut lætitia festi, nempè Azyma, aut aliud hujusmodi generis ab eis susceperit, deponitor; si laicus fuerit, à communione segregator:* Depositio verò, & à communione segregatio lethalis peccati sunt appendices, & vel ipsa salutatio malignantium operum haustrum, & vorago. *Qui enim dicit illi Ave, communicat operibus ejus malignis.* Nec damnosa tantùm est in magnis, sed sufficit in minusculis, ut in immundorum lege, communicatio, Paulo admonente: *Separamini, dicit Dominus, & immundum, ne tetigeritis*; Et iterùm: *Ne tetigeritis, neque gustaveritis, neque contrectaveritis; quæ omnia sunt in interitum ipso usu.* Nullibi tamen certior est interitio, quàm in templorum frequentia seu quis sponte, seu invitatus, sive etiam coactus ad Hæretica procedat.

1. Joan. v. 11.

Levit. 15. 11. 2 Cor. 6. 17. Col. 2. 21.

16. *Abass.* Quid est piaculi, si sponte quis in Hæreticorum templa se inferat, ut Fidem Catholicam illa congressione occultet? *Rom.* Non illa est Catholicæ Fidei occultatio, sed Hæreticæ hac simulatione professio, & manifestatio. Sicut enim sermo apertè prolatus, sic & facta suam habent ex communi impositione linguam; eámque multò, quàm corporalis est, vocaliorem. Quid enim prodest *si lingua* fatearis, te nosse Deum, & Catholici esse dogmatis assertorem, *factis* autem cum sermone pugnantibus ita neges, ut illius esse desertorem, nulla ratione possis inficiari? Negat enim, qui rationabilibus indiciis negasse putatur; putatur autem, qui id gerit, quod licèt naturâ suâ sit indifferens, communi tamen impositione, & existimatione, quam privatus nemo mutare potest, profitendæ pravitati Hæreticæ est determinatum. *Qui* enim *viderit fratrem* inquit Paulus *in idolio*, (idem sentito de hæreticorum conventiculis) *recumbentem, nonne conscientia ejus, cùm sit infirma, ædificabitur ad manducandum idolotheta?* Cur autem *ædificabitur*, sive roborabitur, nisi quia tali loco recumbere indubitatum est manifestæ perfidiæ argumentum? *Si tibi tantùm cor Deus concessisset*, inquit D. Chrysostomus, *sufficeret tibi Fides cordis; nunc autem os tibi creavit, ut corde credas, & ore confitearis; nec tantùm ore, sed quinque sensibus carnalibus; Si autem vel unus sensus minùs fuerit, non est perfecta confessio.* Voluntarius ipse pedum ad Hæreticorum templa accessus plena est perfidiæ, & impensioris in eam affectus

Templa Hæreticorum adire non licet ad Fidem occultandam. Soar. Defens. Fid. lib. 6. cap. 9. n. 22.

Tit. 1. 16.

1. Cor. 8. 10.

D. Joan. Chrysost. hom. 25. Oper. imperf. in Matth.

Digitized by Google

Prov. 1. 16. *Isai.* 59. 7. fectus probatio. *Pedes eorum*, inquit Sapiens, & Isaias, *ad malum currunt, & festinant, ut effundant sanguinem*, quin opus sit, ut à quoquam ducantur, aut calcaribus incitentur; emissariis illis similes, de quibus Jeremias: *Jerem.* 23. 21. *Non mittebam Prophetas, & ipsi currebant; non loquebar ad eos, & ipsi prophetabant.*

Christum negat, qui ad Hæreticorum templa vocatus, simulatè accedit.

17. *Abass.* Nos inter multi ad Hæreticorum fana nec currunt, nec festinant, sed lento perreptant gradu ab Imperatore vocati, & ab illius aulicis invitati. *Rom.* Aut vocaris, ut Imperatori in Hæreticorum templa concedenti tanquàm ipsius domesticus, & cliens appareas, ut coronam, aut sceptrum præferas, vel paludamenti caudam gestes, & ipsi, non ipsius aris genuflectas; aut ut illi oranti, & communicanti, tanquàm ejusdem fidei approbator assistas. Si priori modo; tibi dicam, *4. Reg.* 5. 19. quod Naaman Syro Elisæus: *Vade in pace*, *Galat.* 1. 10. nihil in illis officiis est contagii; si posteriori; cum Paulo: *Si adhuc hominibus placerem* (Christo, scilicet, posthabito) *Christi servus non essem.* Tunc enim in arenam Christi honor cum Imperatoris gratia descendit, & hanc primam duxisti, illum neglexisti, dicentem: *Luc.* 9. 26. *Qui me erubuerit* (non jam de exerta negatione loquitur) *& meos sermones, hunc Filius hominis erubescet. Confusioni*, inquit Tertullianus, *confusionem comminatur. Sciebat enim à confusione maximè formari negationem; mentis statum in fronte consistere.* Et D. Cyprianus. *Quemadò potest esse cum Christo, qui ad Christum pertinere, aut erubescit, aut metuit?* Dicam tandem cum Tertulliano; *si propter sacrificium vocatus assistas, eris particeps idololatriæ; si te alia causa adjungit sacrificanti, eris tantùm spectator sacrificii.*

Tertul. lib. adv. Gnost. cap. 9. D. Cyprian. lib. de lapsi. Tertull. lib. de idololatr. cap. 16.

Vocatus actionem illam ad negationem determinat. Soar. ibid. & n. 24. 25.

18. *Abass.* Quid noxæ habet vocatus, ut illi obsequentem idololatriæ, sive hæresis participem reddat, non simplicem spectatorem? *Rom.* Vocatus actionem ad illam idololatriæ, vel hæresis, ad quam quis invitatur, speciem adstringit, ut non jam officiosa, sed religiosa censeatur. *Si quis tibi dicat*, ait D. Chrysostomus, *non manducaes idolothytum, sed aspice tantùm idola, quemadò speciosa sunt, & provocatus aspexeris, Christum negasti; non quia aspicere idola, aliquid sit; sed quia invitatus aspicis, peccas. Si tetigeris, aut tenueris, Christum negasti.* Et D. Cyprianus: *Non est immune à scelere, qui vult videri proposito adversus Evangelium vel edictis, vel legibus satisfecisse; nam hoc ipso jam parùit, quod videri paruisse se voluit.* In hoc enim facto ad minimum datur palpatoria, & semper illicita hæresis simulatio; præcipuè cùm ille sit necessarius professendæ Fidei Catholicæ articulus, quo tyrannus, ut offensum n. 6. edictum adversus eamdem promulgat, quod opus est aperta confessione impugnare, & in cujus neglectu, vel saltem omissione formalis negatio spectatur.

D. Chrys. homil. 25. oper. imperf. in Matth. D. Cyprian. Epist. 31. Soar. defens. Fid. lib. 6. c. 9. n. 23.

Ob vitandam fortunarū amissionem non licet Hæreticorum templa adire.

19. *Abass.* Non Imperatoris precibus deceptus, aut jussis conterritus, nec ab aulicis invitatus, sed exilii, amissionis agrorum, & omnium bonorum non solùm comminatione, sed præsentiâ turbatus in Hæreticorum templa ægrè, ac planè invitus perducor. *Rom.* Exilii te metus exanimat? Quid est tristius, à patria te montosa, *convulsa, & dilacerata*, ut eam vocat Isaias, toto vitæ tempore (quod quamvis sit longissimum, æternitati collatum admodùm breve erit) an à Deo, & cœli gaudiis æternùm exulare? Famem perhorrescis? *Beati pauperes Spiritu*, quibus cœlestes divitiæ non jam promittuntur, sed in sinum largè conferuntur. Nuditatem aversaris? Vestes, quibus te in lucta implicet, dæmon non habebit. Corporis mortem extimescis? *Illum time, qui potest & animam, & corpus perdere in gehennam.* Agrorum te cura sollicitat? Illorum contemptu agrum Evangelicæ *Margaritæ* sequestrum, ac totum cœlestis felicitatis pretium comparato. Bonorum te amor discruciat? Ne bona illa credas, quæ habentem bonum non reddunt, sed vel iniquum, vel iniqui hæredem. Ne facias *animam tuam pretiosiorem, quàm te, ut aliquid tuorum* (quæ verè aliena sunt) *tibi præferendum existimes.* Optimos Christi Confessores, clarissimos posteà Romani Imperii moderatores Jovianum, & Valentinianum imitare, qui tenui adhuc in censu ab Apostata Juliano in Fortunæ templum delati, & ab Ædituo in illius ingressu lustrali aqua respersi, balteos deposuerunt, & hominem sic pugnis contuderunt ut illi sudor, & sanguis talos manaret ad imos; quo facto sunt adepti, ut pro dimissis balteis ad Imperii clavum posteà sint evecti. Sciat Imperator, sciant aulici, te, si quandò in templa à Romanæ Ecclesiæ communione aliena pedem intuleris, eò non conscendisse, ut Deum cum damnata ab ipso caterva adores, sed ut dæmonem sua in aula, ipsorumque jussa conculces.

Isai. 18. 2. *Matth.* 5. 3. *Matth.* 10. 28. *Matth.* 13. 46. *Act.* 20. 24. D. Bernard. Serm. 29. in Cant. Baron. tom. 4. an. 362.

Sacramenta in Hæreticorum templis migrat in sacrilegia.

20. *Abass.* Quid dæmonis aulam vocas templa, in quibus licèt regnet hæresis, verumtamen Christi corpus consecratur, & ipsius communio impertitur? *Rom.* Christi corpus ab Hæreticis consecrari, & erogari sciebat Paulus, & tamen dicebat. *Qua conventio Christi ad Belial?* Et alibi: *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum.* Idem panis, qui in Ecclesia cibus est *Angelorum*, in Hæreticorum prostibulo bolus est dæmoniorum; & vinum, quod illic est cœlestis hilaritatis, & opimitatis, hîc redditur poculum satanicæ vertiginis, & ebrietatis. Quid auro, quid margarito pretiosius? Sed utriusque præstantiam lutum appositum obscurat. Quid lacte, quid melle dulcius, & salubrius? Si tamen illis toxicum ingeratur, nec lac, nec mel hauries, sed venenum; ita salutare Christi corpus, & vivificus est sanguis in Ecclesiæ apothecis, in adulterinis Hæreticorum conventiculis mortis, *judicii*, & æternæ perditionis condimentum. Quod intelligens Hispaniarum Princeps Hermenegildus collum maluit securi, quàm linguam præbere sacrilegæ hæretici Episcopi communioni. Et Catholicus Sacerdos gustare renuit cibos ab hominibus simili perfidiâ tinctis benedictos; & D. Eusebius Vercellensis quatriduo impastus se morti devoverat, ne oblatas ab iisdem dapes cum Dei offensione, & communi scandalo primis saltem labiis præguſtaret.

Psal. 77. 25. *1. Cor.* 11. 29. D. Gregor. lib. 3. Dialog. cap. 31. D. Gregor. Tur. de glo. Martyr. cap. 80. Sever. Sulpit. lib. 2. Baron. tom. 3. an. 356.

21. *Abass.*

Digitized by Google

In frequentandis Hæreticorum Ecclesiis semper scãdalum occurſat.

21. *Abaſſ.* In frequentandis Hæreticorum Eccleſiis nullum eſſe videtur commune ſcandalum. Quem enim illius afflatus infeſtat: Hæreticoſne ipſos, an Catholicos? Non Hæreticos; quibus ſuus error adeò gratus eſt, ut neque omnibus Catholicis diſſentientibus, & obluctantibus, ab eo ſint diſceſſuri; nec ex plaudentium, ſed ex obſiſtentium multitudine ſcandalo perurantur. Non Catholicos; vel enim ii intra Æthiopiæ fines, vel extra degũnt: Si extra, quis hanc ad illos toto diviſos orbe famam prorogabit? Si intra; ii norunt egregiè, Catholicos vel terrore coactos, vel in Principum gratiam ad ſpeciem, non ex animi ſui ſententia; & non tarò præmiſſa ſecretò in adverſum proteſtatione Hæreticorum fanis advolvi; nec gradi, ſed trahi. *Rom.* Proteſtantem nihil adjuvat factis contraria proteſtatio; quorſum enim, quod quis volens peragit, ludicra proteſtatione nititur elevare? Scandalum verò tam eſt Catholicorum, quàm ipſorum Hæreticorum. Id enim tunc viget, ut latiùs dicendum lib. 12. cap. 5. num. 4. cùm aliquis malo alterius exemplo in peccatum truditur, aut in peccato, cui jam eſt affixus, jactâ velut anchorâ fundatur, ut *contra omnipotentem roboretur; currat adverſus eum erecto collo, & pingui cervice armetur.* Hæretici ergo Catholicorum in ſuas Eccleſias confluxu, ne funem unquàm ſolvant, & cùm *in ſordibus* ſint, *ſordeſcant adhuc*, tenaciùs roborantur. Catholici verò ſive infra Æthiopiam, ſive extra illam conſiſtant, ad lapſum, & omnia ſuperſtitionis corollaria perficienda impelluntur. Quid Principum gratiam obtendis? *Si Imperator jubet*, inquit D. Auguſtinus, *eſto mihi in obſequio. Rectè; ſed non in idolio. In idolio prohibet major poteſtas*; nempè divina. Quid tibi ne fama in Catholicos Æthiopia disjunctos prorogetur, de illius tarditate blandiris? Fama malum, quo non aliud velocius ullum intra annum Indiam, Luſitaniam, Romam, orbémque totum percurrit; nec ab ſcandali noxa immunis eſt, qui coram multis peccatum aliquod perpetrat, quod alibi ad præſens ignoratur; ſeriùs enim, vel ocyùs ſecreti clauſtra eſt diſrupturum.

L. 4. §. mortè. ff. de nov. op. nunt. Soar. Defenſ. Fid. lib. 6. cap. 9. n. 27.

Iob. 15. 25. 26.

Apoc. 22. 11.

D. Auguſt. Ser. 6. de Verb. Apoſtol.

Virgil. 4. Æneid.

Nec ſimplicibus, nec laicis licet de Fide diſputare.

22. *Abaſſ.* Communionem, & alia Sacramenta intra Catholicam Eccleſiam ſumpta ſalutis pharmacum, in Hæreticorum luſtris mortiferæ cicutæ potionem eſſe cognoſco. Hinc tamen digreſſus ulteriùs quæro, an Chriſtiano liceat cum iiſdem, aliiſque Infidelibus diſputationem texere, ut illos ab inextricabilibus errorum ſuorum labyrinthis exolvat? *Rom.* Pueris, ſimplicioribus, & iis, qui rudes ſunt Theologicarum diſquiſitionum, nefas eſt diſputationes ſerere cum Infidelibus, atque hæreticis; ne, dum eos ab errorum volutabro volunt educere, ſe in eos, vel in novos alios devolvant. Id verò ſolis permiſſum eſt ſapientibus, atque Epiſcopis, qui ex Pauli præſcripto, *amplecti debent fidelem ſermonem, ut potentes ſint exhortari in doctrina ſana, & eos, qui contradicunt, arguere.* Eccleſiaſtici etiam Canones ſub anathematis pœna laicis interdicunt de rebus Fidei tàm cum Infidelibus, quàm cum Fidelibus diſcep-

Soar. diſp. 20. de Fid. ſect. 1. Sanch. ſuprà cap. 6. Epiſcopis, & ſapientibus licet. *Tit.* 1. 9.

tare. Laicis enim tantùm conceſſum eſt Fidei regulis, & Eccleſiæ conſtitutionibus obtemperare, non verò docere, nec ſtabilia dogmatum fundamenta verborum velitationibus concutere. *Si quis*, inquit Apoſtolus, *non acquieſcit ſãnis ſermonibus Domini noſtri JESU Chriſti, & ei, quæ ſecundùm pietatem eſt, doctrinæ, ſuperbus eſt, nihil ſciens, ſed languens circa quæſtiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ.* Eodem modo fœminis vetatur in Fidei controverſiis curioſas eſſe, & diſceptatrices. Nam ad ipſas tantùm ſpectat tacere, & diſcere, non verò docere, neque de ſummis rebus in compitis, & Eccleſiis garrire. *Mulier*, ait D. Paulus, *in ſilentio diſcat cum omni ſubjectione; docere autem mulieri non permitto.*

Cap. 2. §. inhibemus. de Hæret. in 6.

1. *Tim.* 6. 3. 4.

Multò minùs fœminis.

1. *Tim.* 2. 11. 12.

23. *Abaſſ.* Si quilibet Chriſtianus in rebus Fidei aliqua anxietate ſe viderit præpeditum, quæreréne poterit illius ſolutionem? *Rom.* Interrogandi poteſtas nemini denegatur; dum id præſtet animo diſcendi, non tentandi, vel contentioſè diſſertandi. Liberaliter enim facultatem illam Dominus concedit, cùm dicit: *Quærite, & invenietis; pulſate, & aperietur vobis.* Qui autem quærit, ſic quærere debet, ut quod erat ignotum, inveniat; non quod jam repertum, ac in tuto ſitum, interminatis quæſtionibus amittat. *Si enim ſemper quæramus, numquàm credemus*, inquit Tertullianus. Qui pulſat, ſic fores tundat, ut illius, qui aperturus eſt, aures non obtundat. *Viderit*, inquit idem, *qui ſemper pulſat, quia nequaquàm ei aperietur.* Sic pulſet, ut qui optet valvas ſibi aperiri, non effringi; & per oſtium, non per tenebricoſum aliquod foramen aditum moliatur; nè ſit ex illorum globo, de quibus ſic D. Bernardus: *Non rationibus convincuntur, quia non intelligunt; nec auctoritate corriguntur, quia non recipiunt; nec flectentur ſuaſionibus, quia ſubverſi ſunt.*

Quærere de rebus Fidei à doctioribus quiſque poteſt.

Matth. 7. 7.

Tertul. lib. de præſcript. adverſ. Hæret. c. 10. & 11.

D. Bern. Serm. 66. in Cant.

24. *Abaſſ.* Illud inter cætera ſcire concupiſco; num præter Chriſti legem, ſit alia, quæ viam in cœlum pandat? *Rom.* Sicut diluvii tempore vitam illæ tantùm animæ conſervarunt, quæ ſe in arcam Noëticam collegerunt, ſic illi tantùm animæ ſalutem tueri poſſunt, qui ad Eccleſiam (quæ ſalutaris eſt Chriſti arca) ſe recèperint. *Non enim eſt in aliquo alio ſalus; nec aliud nomen ſub cœlo datum hominibus, in quo oporteat nos ſalvos fieri*; quæ vox eſt D. Petri Chriſtianam legem toti mundo proponentis. Et præcedenti capite Actorum illud Deuteronomii teſtimonium exponens, quod nos ſuprà, num. 1. diximus ad litteram de Chriſto intelligendum, ſubdit ex Septuaginta Interpretum verſione: *Omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Idem Apoſtolus in ſua Epiſtola: *Quis finis eorum, qui non credunt Dei Evangelio?* D. Paulus: *Sine Fide impoſſibile eſt placere Deo.* En duo ſupremi orbis Doctores Petrus, ac Paulus in ſola Chriſti lege ſalutis ſemitam agnoſcunt. Ipſorum verò Magiſter: *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, ſalvus erit; qui verò non crediderit, condemnabitur.* Hujus aſſertionis ea eſt cauſa; quòd ſola Chriſti lex nitatur in Dei veracitate,

In ſola Chriſti lege eſt via ſalutis.

Gen. 8. 18.

Act. 4. 12.

Deut. 18. 15.

Act. 3. 23.

1. *Petr.* 4. 17. *Heb.* 11. 6.

Marc. 16. 16.

Epheſ. 4. 24.

Digitized by Google

tate, *in justitia, & sanctitate veritatis*; reliquæ verò sectæ tam Ethnicorum, quàm Mahometanorum in vanis mendaciorum figmentis, & carnis, ac libidinis impunitate, & impuritate; necnon multa docent, ac præcipiunt, quæ naturali intellectûs lumini, & divinæ legi refragantur.

Non ideò sunt bonæ externæ sectæ, quia bona quædam moralia præcepta continent.

25. *Abass.* Audivi, in illis sectis utilia aliquandò præcepta, & consilia contineri. *Rom.* Præcepta, & consilia, quæ putantur veritatis, vel honestatis documentis interlucere, multorum mendaciorum permixtione vitiata, illius prostibuli labiis assimilantur, de quibus Salomon in Proverbiis: *Ne attendas fallaciæ mulieris; favus enim distillans labia meretricis: amara, quasi absynthium, & acuta quasi gladius biceps. Pedes ejus descendunt in mortem, & ad inferos gressus illius penetrant.* Eadem quoque mandata, & consilia ex eadem officina prodiêre, ex qua impudicæ alterius fœminæ ornamenta, de quibus in Apocalypsi: *Mulier circumdata erat purpura, & coccino, & inaurata auro, & lapide pretioso, & margaritis; habens poculum aureum in manu plenum abominatione, & immunditia fornicationis ejus.* D. Aforosius. *Aureum calicem dæmon excogitavit, ut quia potus placere non poterat, auri pretio illiceret ad bibendum.* Sic ergo dæmon bracteatas aliquas sententias sectis illis admiscuit, ut ementito veritatis colore homines ad fœtium suarum ebrietatem provocaret. Qui ergo venenum sibi propinari noluerit, ab illius poculi contemplatione facessat; & Gentili, vel Mahometano ad suam perfidiam invitanti dicat, quod Christus dæmoni sanctitatem suam, & potentiam prædicanti: *Obmutesce.* Quia licèt verum esset, quod dæmon testabatur, *noluit tamen Christus*, inquit D. Athanateus, *per os impurum veritatem annuntiari, nè per hanc occasionem zizania admiscentes superseminarent.* Volebat námque dæmon; & volunt Infideles dæmonis operarii veritatis specie auctoritatem suis mendaciis, quæ sunt infinita, conciliare. Vide caput 16. num. 15.

Apoc. 17. 4. *Jer.* 51. 7.

D. Ambros. in Psal. 1.

Luc. 4. 35.

D. Athanas. Orat. 1. contra Arianos.

Infidelibus bona opera nihil proficiunt ad vitam æternã.

26. *Abass.* Aliquandò aspectu, aliquandò auditione percipimus, Judæos, Saracenos, atque Hæreticos jejuniis, & aliis corporis afflictationibus se conficere: eleemosynas, atque alia virtutis opera exercere; Numquid *injustus est Deus, ut illorum operis obliviscatur*, nullúmque præmium rependat? *Rom.* Multum est temporis, ex quo D. Paulus, contra futiles illos ementitæ virtutis operarios in se ipso horribilem illam sententiam pronuntiavit. *Etsi distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas; etsi tradidero corpus meum, ita ut ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest.* Baalis Sacerdotes cum Elia contendentes cultris, & lanceolis se incidebant, nec ideò mercedem ullam reportarunt. Illi quoque, de quibus David loquitur: *Immolaverunt filios suos, & filias suas dæmoniis*; & Rex Moab filium suum super murum in holocaustum idolo suo trucidavit; nec ideò parem Eliæ, vel Abrahamo gratiam à Deo inière, quia ipsorum Fide, ac charitate destituebantur. Qui ergo in hac vita corpus abstinentiâ, variisque cruciatibus affligunt Fide in Christum carentes, jam nunc æterna gehennæ supplicia ab iis auspicantur; in qua illud Aggæi ad plenum experientur: *Seminastis multum, & intulistis parum; comedistis, & non estis satiati; bibistis, & non estis inebriati; operuistis vos, & non estis calefacti; & qui mercedes congregavit, misit eas in sacculum pertusum.*

Luc. 4. 35. *Hebr.* 6. 10. 1. *Cor.* 13. 3. 3. *Reg.* 18. 28. *Ps.* 105. 37. 4. *Reg.* 3. 27. *Aggæi* 1. 6.

27. *Abass.* Cornelii, cùm adhuc Paganus esset, *orationes, & eleemosynæ ascenderunt in memoriam in conspectu Dei.* Et D. Petrus illius pietatem intuitus, dixit: *In veritate comperi, quia non est personarum acceptor Deus; sed in omni genere, qui timet eum, & operatur justitiam, acceptus est illi.* Ergo si Judæus, vel Saracenus Deum timuerint, & justitiæ opera exercuerint, Deum promerebuntur. *Rom.* Nec verus Dei timor, nec utilis ad æternam salutem consequendam justitiæ exercitatio subsistere sine Fide possunt. Ac proindè Cornelius, ex sententia D. Augustini, *non sine aliqua Fide donabat, & orabat. Nam quomodò invocabat, in quem non crediderat?* Unde & D. Lucas sic illius historiam exorditur: *Erat religiosus, ac timens Deum.* Si Fide penitùs careret, & in cultu idolorum permaneret, nec timens Deum esset, nec religiosus: sed Dei negligens, & superstitiosus. Imperfecta verò Fides illa erat, & quæ ad sui complementum D. Petri doctrinam postulabat. Cujus verba solùm docent, nullam gentem à Dei ovilibus excludi, si in ea se velit colligere, non verò gratam ei esse posse, si in perfidia persistens, ut Judæi, ac Saraceni, quævis cortice tenùs bona opera exerceat.

Bona opera Cornelii Centurionis ex fide processerunt. *Act.* 10. 4. 35.

D. August. lib de Prædest. cap. 7. Bellarm. lib 6. de Grat. cap. 6. *Act.* 10. 2.

CAPUT IV.

Veteris, ac novi Testamenti auctoritate ostenditur, Legem Mosaicam abrogatam fuisse, extremámque perniciem suis sectatoribus afferre.

1. *Baass.* Omissis aliis sectis, quas scio damnatas esse, atque lethales, rogatum te velim, num possit modò lex Mosaica observari, quæ diù *sancta* fuit, *immaculata, & convertens animas? Rom.* Temporibus medicina valet; data tempore prosunt, & data non apto tempore vina nocent. Sic lex Mosaica aliquo tempore generosum, dignúmque Dei libaminibus vinum fuit; nunc in vappam versa est, & in acetum; imò in venenum, quod sui potores post promulgatam Christi legem, quæ mundi est *via, veritas, & vita*, præcipitat, decipit, & occidit. Mortua (crede mihi) mortua lex illa est, & mortem suis sectatoribus propinat.

Legis Mosaicæ observatio nunc mortifera est. *Rom.* 7. 12. *Ps.* 18. 8. Ovidius.

Ioan. 14. 6.

2. *Abass.* Undè tibi constat, mortuam, ac mortiferam esse legem Moysis? *Rom.* Constat ex ipsa primùm lege, ex Prophetis, Evangeliis, Actis, atque Epistolis Apostolicis.

3. *Abass.* Quomodò ex lege tibi constare potest, ipsam esse extinctam, quæ pœnas durissimas sui transgressoribus proponebat?

Lex ipsa morituram esse prædixit.

Digitized by Google

Rom. Illa eadem pœnarum coacervatio legem brevì duraturam ostendebat. Infidus enim custos est diuturnitatis metus. Quòd autem illa de suo interitu testimonium tulerit, docet Paulus: *Nunc*, inquit, *sine lege justitia Dei manifestata est; testificata à lege, & Prophetis*; ideſt, nunc sine lege, (quia lex jam non est) Dei gratia mundo innotuit, eámque gratiæ diffusionem, & legis depositionem lex ipsa, & Prophetæ prænuntiarunt. Et in Epistola ad Galatas: *Ego*, inquit, *per legem legi mortuus sum*; ideſt, ex ipsius legis testimoniis, & figuris liquidò agnovi, me legi esse mortuum; imò legem ipsam mihi extinctam esse. Sed mortem in se ipso, non autem in lege voluit exprimere, ne ipsi videretur apud Galatas legis adhuc defensores infirmitatem exprobrare; Sed tantumdèm fuit, cùm se legi mortuum dixit, quàm si diceret, legem sibi mortuam esse. Si enim mortuus ipse legi erat, nullum lex imperium erga ipsum exercebat; sicut Rex in viventes, non autem in sepultos clientes jus dicit; ergo ipsa quoque lex mortua erat. Morituram verò apertis verbis Moyses enunciavit, & factis, atque figuris adumbravit.

Rom. 3. 21.

Galat. 2. 19.

Verba, quibus Moyses legis interitum prædixit.

4. *Abaſſ.* Legem suam perituram quibus verbis Moyses enuntiavit? *Rom.* Illis præcipuè, quæ ex Deuteronomio sic recitat D. Petrus in Actis: *Prophetam suscitabit vobis Dominus Deus vester de fratribus vestris tanquàm me; ipsum audietis juxta omnia quæcumque locutus fuerit vobis. Erit autem, omnis anima, quæ non audierit Prophetam illum, exterminabitur de plebe.* Inter cætera, quæ locutus est Christus, illud fuit unum de præcipuis, ut doceret, Moysis legem funditùs interiisse, ut num. 13. videbimus. Cùm ergò Moyses præcipiat, ut audiatur ille Propheta in omnibus, quæ locutus fuerit, dubium non est, quin simul præcipiat, ut ipsi credatur, dicenti, legem à se ipso quondam latam occidisse. Illud verò verbum, *Ipsum audietis*, consonat cum illis, quæ in monte Thabor in die Transfigurationis personuerunt, cùm Christus esset medius inter Moysem, & Eliam: *Hic est filius meus dilectus in quo mihi benè complacui; ipsum audite*; ideſt, ne Moysem primæ Legislatorem, nec Eliam maximum ipsius zelatorem audiatis, sed in Christum solum, & in ipsius legem aures intendite, ne à populi Deo dilecti terminis excidatis. Illa quoque apud Moysem verba reperiuntur, quibus ipse legis suæ dejectionem significavit: *Donec nova nascantur, edetis vetera.* Et in Septuaginta Interpretum versione: *Vetera novis vementibus projicietis.* Hoc est, antiquæ legis siliquas, ubi tempestivi Evangelicæ prædicationis fructus apparuerint, porcis relinquetis.

Deut. 18. 15. *Act.* 3. 22. 23.

Matth. 17. 5.

Levit. 25. 22. Origen. hom. 16. in Levit.

Facta, quibus Moyses legis suæ interitum præmonstravit.

5. *Abaſſ.* Quibus factis Moyses legis suæ interitum adumbravit? *Rom.* Moysis baculus in ipsius manu virga erat, cùm in terram projectus esset, versus est in serpentem, quem ipse formidabat. Quod portendebat, legem ab ipso datam, virgam directionis priùs suo populo futuram; sed cùm à Christo dejecta esset, & sepulturæ tradita, in horribilem draconem venenum, ac mortem spirantem, convertendam. Qui ergo Mosaicam legem nunc consectatur, jam non Moysis virgam, sed lethiferum serpentem sinu fovet. Prætereà Ægypto Moyses egressus legem in via accepit, ut ostenderetur, legem illam perpetuam non esse, sed viam tantùm ad aliam constantiorem, quæ jam non in via, sed in stabili domo servanda esset, ideſt, in Ecclesia, quam D. Paulus *domum Dei viventis* appellat. Ad hæc, legem illam à Deo bis Moyses accepit, prioribus tabulis ab ipso non tam indignatione, quàm mysterio confractis. *Magno mysterio*, inquit D. Augustinus, *figurata est iteratio novi Testamenti; quoniam vetus fuerat abolendum, & restituendum novum.* Quæ verba ne sic intelligas, quasi deleta fuerint decem mandata, quæ Dei digito in tabulis scripta erant; pleraque enim ex ipsis sunt juris naturalis; sed quòd illis tabulis, in quibus quasi in capite tota lex continebatur, diffractis, ipsa quoque capitali vulnere confecta fuerit. Tandem, Moyses mortuus, & sepulturæ mandatus fuit in conspectu terræ promissionis, in quam filios Israël Josue, qui alio nomine dictus est Jesus, introduxit; & manna defecit, ubi iidem de promissæ terræ frugibus comederunt. Ubi enim verus Jesus legem suam frugiferam promulgavit, statim Mosaica expiravit.

Exod. 19. & 20. Glos. interl. c. 44. Ezech. 1. *Tim.* 3. 15. *Exod.* 32. 19. D. August. q. 144. in Exod. *Deut.* 34. 5. *Ioſ.* 1. 2. *Ioſ.* 5. 12. Theodoret. in procem. lib. Josue.

6. *Abaſſ.* Agnosco ex Moysis verbis ac factis, legem ipsius depositam esse; quomodò idem ex ipsius legis figuris enitescit? *Rom.* Præcipua tabernaculi, & templi Salomonici religio posita erat in oraculo, sivè propitiatorio, quod semper ad Occidentalem mundi plagam locabatur; ut ex situ eluceſceret, omnia illius legis Sacramenta, & cæremonias ad occasum vergere, & extremum sui interitum spectare. Prætereà, velo tectum erat illud oraculum à summo usque deorsum, & quidquid ibi fiebat, sub umbra, & tenebris peragebatur; Christo verò moriente discissum fuit in eum finem, quem advertit D. Leo: *Scisso*, inquit, *templi velo, Sancta Sanctorum ab indignis Pontificibus recesserunt, ut figura in veritatem, prophetia in manifestationem, & lex in Evangelium verteretur.* In universum autem tota illa lex, & cæremoniæ, ipsique adeò eventus historiales Christi, & Christianæ legis umbra erant, & imago. *Omnia*, inquit Paulus, *in figura contingebant illis.* Alibi multos ritus Judaicos enumerans: *Nemo*, inquit, *vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Alibi: *Quæ parabola est temporis instantis.* Et Infrà: *Umbram habens lex futurorum, non ipsam imaginem rerum.* Et Isaias: *Relinquetur Sion quasi umbraculum in vinea.* Sicut autem umbræ nocturnæ solis appulsu fugantur, sic ritus omnes Mosaici, ipsáque adeò lex, Christi accessu evanuerunt.

Figuræ, quibus Moyses legis suæ finem adumbravit. *Num.* 3. 23. Rupert. ibid. *Exod.* 26. 31. *Matth.* 27. 51. D. Leo ſerm. 8. de Passione. 1. *Cor.* 10. 11. *Coloſ.* 2. 16. 17. *Heb.* 9. 9. *Heb.* 10. 1. *Iſai.* 1. 8.

7. *Abaſſ.* Quinam Prophetæ legis veteris abolitionem sunt vaticinati? *Rom.* David, & Majores omnes, & complures ex Minoribus. Ut verò exordium faciamus à David, illius verba ex Psalmo 39. in Christum refert D. Paulus, egregium se reddens interpretem:

Finis legis probatur ex David. *Pſal.* 39. 7.

Digitized by Google

Hebr. 10. 5. 6. interpretem : *Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Holocaustomata pro peccato non tibi placuerunt ; tunc dixi : Ecce venio. In capite libri scriptum est de me.* Et infrà: *Quia hostias, & oblationes, & holocaustomata pro peccato noluisti, nec placita sunt tibi, quæ secundum legem offeruntur ; tunc dixi : Ecce venio, ut faciam, Deus, voluntatem tuam. Aufert primum, ut sequens statuat.* Quorum verborum hic est sensus. Antiqua sacrificia, & cæremonias illa concomitantes Deus sustulit, ut unicum corporis Christi sacrificium in Ecclesia constabiliret. En ex Davidis vaticinio legis veteris interitus, & novæ suscitatio prædicitur.

Probatur ex Isaia. 8. *Abass.* Quid in eamdem sententiam Isaias ? *Rom.* Eodem modo loquitur cap. 1. de antiquæ legis, ac rituum reprobatione. *Quò*, inquit, *mihi multitudinem victimarum vestrarum, dicit Dominus ? Plenus sum : holocausta arietum, & adipem pinguium, & sanguinem vitulorum, & agnorum, & hircorum nolui. Cùm veniretis ante conspectum meum, quis quæsivit hæc de manibus vestris, ut ambularetis in atriis meis ? Ne offeratis ultrà sacrificium frustrà ; incensum abominatio est mihi ;* Et infrà : *Cùm extenderitis manus vestras, avertam oculos meos à vobis.* Posteà subditur, filiam Sion, quæ priùs elegantibus, ac polymitis legis suæ, & sacrificiorum vestimentis, adornata erat, mansuram *sicut umbraculum in vinea, & sicut tugurium in cucumerario, & sicut quercum defluentibus foliis, & velut hortum absque aquâ.* Et cap. 5. Vineæ Synagogam comparans, & illam se ob peccata eversurum comminatus, subjungit : *Auferam sepem ejus, & erit in direptionem ; diruam maceriam ejus, & erit in conculcationem, & ponam eam desertam.* In sepis, ac maceriæ nominibus Mosaicæ legis & utilitatem & vilitatem denotat. Utilitatem ; quia Judaicum populum à reliquis gentibus segregabat, & muniebat. Vilitatem ; quia ipsa sepis, ac maceriæ nomina, ipsius infirmitatem, brevémque permansionem præ se ferunt. Quid enim sepe ex spinis compacta fragilius ? Quid maceriâ ex lapidibus nec calce, nec adeò paleis, vel luto colligatis infirmius ? Idem porrò Isaias cap. 43. sic loquitur. *Ne memineritis priorum, & antiqua ne intueamini. Ecce ego facio nova ; & nunc orientur ; utique cognoscetis ea.* Quem locum in veteris legis abrogationem, & novæ confirmationem exponit D. Paulus, ut videndum num. 17.

Isai. 1. 11. Isai. 1. 12. Isai. 1. 13. Isai. 1. 15. Isai. 5. 30. Isai. 5. 5. 6. D. Hieron. ibid. Isai. 43. 18. 19. 2. Cor. 5. 17.

Probatur ex Jeremia. 9. *Abass.* Quid in nostri patrocinium Jeremias ? *Rom.* Eadem penè verba protulit, quæ David, & Isaias. *Holocaustomata*, inquit, *vestra non sunt accepta, & victimæ vestræ non placuerunt mihi.* Et cap. 23. *Eccè dies veniunt, dicit Dominus, & non dicent ultrà : Vivit Dominus, qui eduxit filios Israël de terra Ægypti ; sed vivit Dominus, qui eduxit, & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris.* Quæ verba hunc sensum referunt. Adveniet tempus, in quo finem accipiet lex illa, quæ data est filiis Israël, cùm ex Ægypto avolarunt ; & altera prævalebit, quæ statuenda est in salutem omnium mortalium, qui in quatuor mundi angulos sunt dispersi, ut Christus ipse dixit : *Multi ab Oriente, & Occidente venient, & recumbent cum Abraham, & Jacob in regno cœlorum ; filii autem regni ejicientur in tenebras exteriores.* Filios regni vocat Judæos, ante illud tempus regali Dei legi, ac Sacerdotio subjectos. Præcipuus autem Jeremiæ locus cap. 31. continetur. *Ecce dies veniunt, dicit Dominus, & feriam domui Israël, & domui Juda fœdus novum, non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum.* Quæ verba D. Paulus commentatus in Epistola ad Hebræos, ait : *Dicendo novum, veteravit prius ; quod autem antiquatur, & senescit, propè interitum est.* Ejusdem hominis duo testamenta rata simul esse non possunt, sed secundi confectio primi est destructio. Quod magis indicant illa verba : *Non secundùm pactum, quod pepigi cum Patribus eorum.* Ubi legum diversitas magis appareret. Christus autem sua in morte novum testamentum condidit, illudque sanguinis sui effusione confirmavit, dicens : *Hic est calix novum testamentum in sanguine meo, qui pro vobis fundetur.* Novum ergo novæ legis testamentum firmum est, vetus autem cum suis ritibus abolevit.

Jerem. 23. 7. Jerem. 31. 31. Hebr. 8. 13. Luc. 22. 20.

Probatur ex Ezechiele. 10. *Abass.* Quid Ezechiel de legis interitu prophetavit ? *Rom.* Cap. 11. *Ascendit*, inquit, *gloria Domini de medio civitatis.* Quod D. Hieronymus de Angelorum, ac legis custodia ab Hebræis recedente interpretatur. Et cap. 16. dicit Dominus ad Jerusalem : *Vestivi te discoloribus* ; hoc est, variis legis præceptis, inquit idem Hieronymus. Et V. 39. *Denudabunt te vestimentis tuis, & auferent vasa decoris tui ; & derelinquent te nudam, plenámque ignominia*, eò quòd synagoga omnibus legis ornamentis spolianda erat. Et cap. 20. *Insuper & Sabbata mea dedi eis, ut essent signum inter me, & eos.* Ut autem signum tamdiù valet, quamdiù non traditur res promissa, sic antiquæ cæremoniæ tamdiù vires habuerunt, quamdiù verus Sabbatismus Dei populo per Evangelium non traderetur ; illo verò exhibito, conquieverunt.

Ezech. 11. 23. Ezech. 16. 10. D. Hieron. lib. 4. in cap. 11. Ezech. Ezech. 20. 12.

Probatur ex Daniele. 11. *Abass.* Quid in rem nostram traditum à Daniele ? *Rom.* Capite 9. sic habet : *Occidetur Christus, & non erit ejus populus, qui eum negaturus est. Et civitatem, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Confirmabit autem pactum multis hebdomada una : & in medio hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium.* Quo in textu docet Daniel, in Christi morte instituendum esse testamentum quoddam firmum, atque immobile, cujus virtute is populus, qui ipsius occidendi impulsor futurus esset, non solùm ab hæreditate, sed ab ipso populi Dei nomine deturbaretur. Dei autem populi nomenclatura exui non poterat, si veram adhuc legem posslideret, cujus observantia tantam excellentiam acquisierat, Moyse ipso admonente : *Dominus elegit te hodie, ut sis ei populus peculiaris, sicut locutus est tibi & custodias omnia præcepta illius.* Exprimens autem Daniel, civitatem, & sanctuarium dissipandum (sicut in Evangelio : *Ecce relinquetur vobis domus vestra deserta*, ideſt templum) manifestum fecit, omnia sacrificia,

Dan. 9. 26. 27. Deut. 26. 18. Luc. 13. 35.

Digitized by Google

& cæremonias illis annexas finem sortituras. Victimas enim in solo templo fas erat
Deuter. 12. 13. 14. immolari, ex Moysis præscripto: *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco, quem videris, sed in eo, quem elegerit Dominus.* Consequentiis tamen opus non est, apertè enim Daniel adjecit: *Deficiet hostia, & sacrificium.* Templo igitur dissipato, hostiisque, & sacrificiis subtractis, planum est, auferendum fuisse Sacerdotium, quod totum ad sacrificia adornanda dirigebatur. Nam, ex Paulo: *Omnis Pontifex ad offerendum munera, & hostias constituitur.* Subtracto Sacerdotio, lex etiam, quæ illius ritus præ-
Heb. 7. 12. scribebat, debuit amoveri. *Translato enim Sacerdotio necesse est, ut & legis translatio fiat:* Nec verò deletam dicit legem, vel Sacerdotium, sed translatum; quia legi Mosaicæ lex Evangelica; Sacrificiis antiquis uni tantùm
Ps. 77. 69. templo addictis (quod ideò David *unicornium* appellavit) augustius illud Sacrificium succes-
Mal. 1. 11. sit, de quo Malachias: *Ab ortu enim solis usque ad occasum magnum est nomen meum in Gentibus: & in omni loco sacrificatur, & offertur nomini meo oblatio munda: quia magnum est nomen meum in Gentibus, dicit Dominus exercituum.* Cùm igitur diversarum victimarum oblatio conquieverit, & unum tantùm sacrificium incruentum ubique terrarum sit offerendum, præstò debent esse Sacerdotes, qui illud offerant; & lex alia, ex cujus decretis offeratur. Hæc verò est Evangelica, quæ Mosaicam debellavit.

Probatur ex Prophetis Minoribus. 12. *Abass.* Ne minimi facias Minorum Prophetarum testimonia. *Rom.* Primus inter
Os. 1. 1. ipsos, imò inter omnes Oseas (nam *principium loquendi Domino in Osee*) primo statim capite
Os. 1. 9. veteris legis extinctionem prophetavit. *Voca,* inquit, *nomen ejus: Non populus meus; quia*
Os. 2. 2. *vos non populus meus, & ego non ero vester.* Et cap. 2. *Judicate matrem vestram: judicate; quoniam ipsa non uxor mea, & ego non vir ejus.* Et
Os. 4. 5. infrà: *Filiorum ejus non miserebor.* Et cap. 4. *Nocte tacere feci matrem tuam.* Quænam hæc est Judæorum mater, & Dei uxor, nisi lex, quam etiam D. Paulus uxori comparavit, quæ
Rom. 7. 2. repulsa est, & obmutuit cùm Deus jussit illius observantiam conticescere? Hinc etiam Joël
Joël. 1. 7. 9. vaticinium suum exorditur: *Posuit vineam meam in desertum, & ficum meam decorticavit; nudans spoliavit eam, & projecit. Periit sacrificium, & libatio de domo Domini.* Amos: *Odi,*
Am. 5. 21. *& projeci festivitates vestras, & non capiam odorem cœtuum vestrorum. Quòd si obtuleritis mihi holocautomata, & munera vestra, non suscipiam: & vota pinguium vestrorum non respiciam.* Iterùm: *Post hæc revertar, & readificabo tabernaculum David, quod cecidit, & diruta ejus readificabo, & erigam illud.* Hoc tabernaculum David, quod cecidit, ac dirutum est, legem
Act. 15. 16. interpretatur D. Jacobus. Act. 15. quæ in lege Evangelica instaurata est. Jonæ hederam, ex qua ipse sibi fecit umbraculum,
Jon. 4. 10. *& sub una nocte nata est, & sub una nocte periit,* D. Augustinus legem veterem interD. August. Epist. 49. q. 6. pretatur, quæ erat novæ umbra. Vermem autem matutinum, cujus arrosione hedera exaruit, Christum Dominum, *ex cujus ore Evangelio diffamato, cuncta, quæ temporaliter apud Israelitas, velut umbratili priùs fig-*
nificatione viguerunt, evacuata marcescunt. Mi-
Mich. 4. 2. cheas: *De Sion egredietur lex, & verbum Domini de Jerusalem.* Egredietur nempè lex Mosaica, ut œdat Evangelicæ. Aggæus
Aggæi 2. 7. cap. 2. *Hæc dicit Dominus exercituum: Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam; & veniet desideratus cunctis gentibus.* Quem locum exponens D. Paulus: *Declarat,* inquit, *mobi-*
Heb. 12. 27. *lium translationem, ut maneant ea, quæ sunt immobilia.* Mobilia vocat legis veteris instrumenta, quæ idem Apostolus dicere solet
Galat. 4. 3. 9 mundi elementa; quæque Propheta cœli, terræ, maris, & aridæ nominibus indicavit. Quidquid ergo erat in lege veteri in bonis mobilibus numerabatur; nos verò Christiani *regnum immobile*, ut Ecclesiam, &
Heb. 12. 28. illius promissiones vocat Apostolus, possidemus.

Probatur ex Evangeliis. 13. *Abass.* Jam relicto veteri Testamento, si quæ habes novi testimonia, propone.
Rom. 10. 4. *Rom. Finis legis Christus,* inquit D. Paulus; tam quòd omnia legis Sacramenta, & figuræ in Christum tanquàm in scopum collimarent (undè David multis Psalmis hunc titulum præfixit: *In finem*, ideſt, Christum)
Ps. 4. 5. 6. 8. 9. 10. 11. 12. 13. 17. 18. 19. 20. 21. 24. & aliis. quàm quòd in ipso terminarentur; ut etiam ipse testatus est in ultima Cœna: *Etenim ea, quæ sunt de me, finem habent.* Et in Cruce:
Luc. 22. 37. *Sciens,* inquit Joannes, *quia omnia consummata sunt,* tandem clamavit: *Consummatum*
Joan. 17. 28. *est,* hoc est, omnia veteris legis sacrificia,
Joan. 19. 30. umbræ, & vaticinia mea in morte complementum, atque exitum acceperunt; tunc enim Novum novæ legis testamentum, quod ipsius sanguine conscriptum est, ut Lucas
Luc. 22. 20. indicat, æterna firmitate corroboratum fuit;
Heb. 9. 17. quia, ut docet D. Paulus; *testamentum in mortuis confirmatum est; alioquin nondùm valet, dum vivit, qui testatus est.* Dum tamen Christus viveret, plura edidit hujusce veritatis testimonia. Nam cap. 5. Matthæi dicens sæpiùs: *Audistis, quia dictum est antiquis;* Et addens: *Ego autem dico vobis,* legem
Matth. 5. 21. 28. 32. 43. veterem antiquavit, & novam constabilivit; Cùm cap. 9. docuit, *non esse mittendam commissuram panni rudis in vestimentum*
Matth. 9. 16. 17. *vetus, nec vinum novum in utres veteres,*
Marc. 2. 21. 22. quid aliud significavit, quàm nuptialem
Luc. 5. 36. 37. Evangelii vestem nullo legis filo: & doctrinæ suæ vinum nulla putealis aquæ synagogæ permixtione contaminandum? Cap.
Matth. 21. 43. 21. *Auferetur à vobis regnum Dei, & dabitur genti facienti fructus ejus.* Cap. 23. *Ecce*
Matth. 23. 38. *relinquetur domus vestra deserta.* Cap. 24.
Matth. 24. 2 *Non relinquetur hîc lapis super lapidem, qui non destruatur.* Templo igitur ad infimum lapidem everso, cùm jam adorari non posset
Ps. 131. 7. *in loco, ubi Dei pedes* in arca, tanquàm in scabello steterunt, consequens erat, ut appropinquaret illud tempus, de quo Christus dixit: *Venit hora, quando neque in monte*
Joan. 4. 21. *hoc, neque Ierosolymis adorabitis Patrem;* quia, scilicet, exactis à templo Sacerdotibus, & cultoribus ab urbe, sublata est omnis potestas adorandi. Cessasse verò antiqua sacrificia D. Joannes Baptista signi-
Joan. 1. 29. ficavit, cùm Christum *Dei Agnum*, & mundi peccata tollentem nominavit; quòd

jam

Digitized by Google

jam in solo ipsius sanguine esset remissio; totam quoque legem radicitùs exscindi, cùm dixit: *Jam securis ad radicem arboris posita est*; quia securis Evangelicæ prædicationis Mosaicæ legis trunco impacta ipsam ab imis radicibus extirpavit. Joannis verò sententiam Dominus confirmavit, dicens, Luc. 16. *Lex, & Prophetæ usque ad Ioannem; ex eo regnum Dei evangelizatur.* Undè plures Patres Joannem dicunt legis finem, terminum, ac limitem; quos inter Tertullianus: *Limitem agnoscimus Ioannem inter vetera, ac nova; ad quem desineret Iudaismus, & à quo inciperet Christianismus.* Tandem cùm Christus ad discipulos suos dixit: *Surgite, eamus hinc*, eos invitavit, teste D. Hieronymo, ut à lege ad Evangelium transirent.

Luc. 3. 9. Cæsar Dialogo 4. D. Isidor. Pelus. Epist. 64. *Luc. 16. 16.* Tertul. lib. 4. contra Marc. c. 33. *Ioan. 14. 31.* D. Hieron. lib. 4. in c. 11. Ezech.

14. *Abass.* Hîc quoque limes esto testimoniorum Evangelicorum; ad Apostolica transeamus. *Rom.* In Actis D. Petrus, ut Ecclesiæ caput, Mosaicæ legis cessationem, & Evangelicæ initiationem indixit ex illo testimonio Deuteronomii, quod n. 3. & cap. superiori, n. 1. adduximus. Cúmque Antiochiæ suborta esset hæresis Cerinthi, & Ebionis, qui legem simul, & Evangelium servanda contendebant, & res delata esset ad Apostolos, & Presbyteros, qui erant Jerosolymis, summa auctoritate præ concione dixit Petrus: *Nunc ergo quid tentatis Deum, imponere jugum super cervices Discipulorum, quod neque Patres nostri, neque nos portare potuimus.* Ergo à legis veteris jugo liberi sunt Christiani. Eam verò D. Petri, & aliorum Apostolorum doctrinam latè prosequitur D. Clemens lib. 6. Apostolicarum Constitutionum; & in ea ità frequens est D. Paulus in suis Epistolis, ut scripserit D. Hieronymus: *Nullus Apostoli sermo est vel per Epistolam, vel præsentis, in quo non laberet docere, antiqua legis opera deposita esse, & omnia illa, quæ in typis, vel imaginibus præcesserunt, gratia Evangelii subrepente, cessasse.* At præcipuæ Epistolæ, in quibus hanc materiam ex professo discutit, sunt: ad Romanos; ad Corinthios, ad Galatas, ad Hebræos; concisiùs verò ad Ephesios, ad Philippenses, ad Colossenses.

Act. 15. 10. D. Clem. lib. 6. Apost. const. D. Hieron. in procem. Epist. ad Galat.

15. *Abass.* Quid scribit D. Paulus in usum nostrum in Epistola ad Romanos? *Rom.* Tertio capite sic habet: *Nunc autem sine lege justitia Dei manifestata est.* Et infrà: *Ubi est ergo gloriatio tua? Exclusa est: Per quam legem? Factorum? Non; sed per legem Fidei.* Quibus in verbis Paulus Fidei legem Christianam: factorum verò, sive operum, Mosaicam appellat; sicut & inferiùs: *Arbitramur enim justificari hominem per Fidem sine legis operibus*; idest, sine oneribus, ac laboribus. Hæc enim genuina est nominis significatio, ex sensu illius, qui dixit: *Hoc opus, hic labor est.* Quam verò hîc Apostolus vocat *legem factorum*, sivè operum, sivè onerum, cap. 2. ad Ephesios dixit *legem mandatorum*, ob ingentem illorum fascem, sive *jugum*, ut Petrus, & Paulus vocant; sub quo pressi Judæi laborabant. Qui enim diligenter illa enumerârunt, omnium præceptorum summam ad sexcenta, & tredecim reducunt; ex quibus affirmativa, sunt ducentà quadraginta octo (tot nempè, quot humani corporis membra) negativa totius anni dies adæquant. Consentur enim trecèta sexaginta quinque. Undè educitur, tantum esse legis illius pondus, ut ad illud portandum neque omnia corporis humani membra, neque totius anni dies sufficiant; cùm supra corporis membra sint trecenta sexaginta quinque mandata; & supra anni dies ducenta quadraginta octo. Gloriationem igitur hominum, docet Paulus excluſam per legem Fidei; quia Christi lex Mosaicam: & occasionem, ut ex ipsius factis, sivè operibus, sivè mandatis gloriarentur homines, excluſit; *ut qui gloriatur*, verè *in Domino glorietur.*

Virg. lib. 6. *Ephes. 2. 15.* *Act. 15. 10.* *Galat. 5. 3.* Abulens. in cap. 6. Ruth. q. 24. Lorinus in locum citatum Actus. Apostolorum. *2. Cor. 10. 17.*

16. *Abass.* Nihil ampliùs de istâ re effatus est ad vos D. Paulus, ô Romani? *Rom.* In capite septimo exemplum fœminæ adducit matrimonio copulatæ. *Quæ*, inquit, *sub viro est mulier, vivente viro, alligata est legi; si autem mortuus fuerit vir ejus, soluta est à lege viri; igitur vivente viro, vocabitur adultera, si fuerit cum alio viro; si autem mortuus fuerit vir ejus, liberata est à lege viri, ut non sit adultera, si fuerit cum alio viro: Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi, ut sitis alterius, qui ex mortuis resurrexit.* Cujus similitudinis ea est vis; quòd Synagogam uxori, legem autem (eò quòd Superioris locum teneat) viro comparat. Sicut autem uxor, dum vivit maritus, alterius thorum subire non potest, quin adulterii rea teneatur: eo autem mortuo, ad quasvis nuptias transire potest; ita Synagoga, dum lex Mosaica viguit, alii se subjicere non poterat; eâ tamen mortuâ, libertatem consecuta fuit, & Christi legi novo matrimonio copulata. In eo tamen à similitudine D. Paulus defecit, quòd non virũ, (idest legem Mosaicam) mortuum dixerit, sed legi Judæos: *Itaque, fratres mei, & vos mortificati estis legi per corpus Christi*; eo, scilicet, consilio, quo superiùs n. 3. adverti, eumdem Apostolum in Epistola ad Galatas se legi esse mortuum, non autem legem sibi mortuam asseverasse. Erant enim Romæ plurimi Judæi, cum quibus ipse congressus est, ut patet ex cap. ultimo Actuum Apostolorum; quorũ aures verberare, & animos exulcerare noluit legis mortuæ exprobratione; præcipuè cùm ad rem, tanti ponderis esset, hoc vel illud profiteri; sivè enim vir, sivè uxor decedat, æqualiter matrimonii vinculum dissolvitur, & conjugi superstiti manet optio ineundarum nuptiarum. Cùm ergo dixit, Judæos legi mortificatos, legem ipsis mortuam significavit; nisi enim extincta esset, ipsi esse non poterant legi mortificati. Tandem cap. 8. ejusdem Epistolæ legem illam *peccati, & mortis* appellat, non solùm quòd mortua jam fuerit, sed quòd peccati, ac mortis iis, qui ipsam sequuntur, sit conciliatrix.

Probatur similitudine sumptâ ex Epistola ad Romanos. *Rom. 7. 2. 3. 4.* *V. 4.* *Act. 28. 17.* *Rom. 8. 2.*

17. *Abass.* Quid de legalium cultu Paulus Corinthios erudivit? *Rom. Omnia*, inquit, *in figura contingebant illis; scripta sunt autem ad correptionem nostram, in quos fines seculorum devenerunt.* Ubi legis gratiæ tempus vocat *fines seculorum.* Epistola 2. cap. 3. *Littera occidit, spiritus autem vivificat:* Occidit littera, quia quotquot legê litteraliter observandâ putant, in peccatũ, quod mors est animæ, prolabuntur. Inferiùs dicit, legê veterê à Christo evacuatâ: *Ut*, inquit, *non possent intendere filii Israel in faciê ejus propter gloriam vultus ejus, quæ evacuatur.* Et infrà:

Probatur ex Epistolis ad Corinth. *2. Cor. 10. 6. 11.* *2. Cor. 3. 6.* *V. 13.* *V. 14.* *2. Cor. 5. 17.*

Digitized by Google

Quoniam in Christo evacuatur. Cap. 5. *Vetera transierunt; ecce nova facta sunt omnia.* Quia à Fidelibus vetustæ legis exuviæ, tanquàm à serpentibus, ut noxiæ deponendæ; & vitæ, ac rituum novitas graviter apprehendenda.

Probatur ex Epistola ad Galatas.

18. *Abass.* Quid tradit idem Apostolus in Epistola ad Galatas? *Rom.* Tota illa Epistola hîc exscribenda esset, cùm nullus alius ejus scopus sit, quàm inculcare, Christianos veteris legis, & circuncisionis observantiis liberos esse. Circuncisionis tamen materia in librum 12. rejecta, nunc generaliter de tota lege agamus. Capite 2. *Scientes,* inquit, *quòd non justificatur homo ex operibus legis, nisi per Fidem JESU Christi, & nos in Christo JESU credimus, ut justificemur ex Fide Christi; & non ex operibus legis. Propter quod ex operibus legis non justificatur omnis caro.* Inferiùs: *Ego enim per legem mortuus sum.* Et iterum: *Si per legem justitia: Ergo gratis Christus mortuus est.* Cap. 3. *O insensati Galatæ, quis vos fascinavit non obedire veritati?* In eo autem veritati non obediebant, quòd legis observationem Evangelio admiscebant. Iterùm: *Quicumque ex operibus legis sunt, sub maledicto sunt.* Iterùm: *In lege nemo justificatur apud Deum.* Iterùm: *Christus nos redemit de maledicto legis.* Iterùm: *Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen.* Quod autem semen istud fuerit, sic exponit; *Et semini tuo, qui est Christus.* Ut ergo semine in horrea collecto messis cessat, sic Christo adveniente lex quievit. Et in eamdem sententiam inferiùs: *Priusquàm veniret Fides, sub lege custodiebamur conclusi, in eam Fidem, quæ revelanda erat:* Cap. 4. *Quomodò convertimini iterùm ad infirma, & egena elementa, quibus dennò servire vultis?* Illis autem capitibus tertio, & quarto duabus similitudinibus ostendit Apostolus, convenire invicem non posse, neque eâdem sede morari legis Mosaicæ, & Evangelicæ observantiam. Prima est ætatis puerilis, ac virilis, quæ simul non cohærent; sed puero deest virilis fortitudo: vir omninò exuit puerilem infirmitatem, ut alibi idem Apostolus testatur. *Cùm essem parvulus, loquebar ut parvulus, sapiebam, ut parvulus; quando autem factus sum vir, evacuavi quæ erant parvuli.* Sub lege autem viventes parvulis comparat, quibus opus est pædagogi ferula; viventes autem sub Evangelio, viris, qui nullo indigent pædagogo. Hunc sensum reddunt illa verba capitis tertii: *Itaque lex pædagogus noster fuit in Christo, ut ex Fide justificemur; at ubi venit Fides, jam non sumus sub pædagogo.* Secunda est; conditionis ingenuæ, ac servilis, quæ simul etiam subsistere non possunt. Status autem legis veteris servorum erat: novæ, liberorum. Undè dixit cap. 4. *Ita & nos, cùm essemus parvuli, sub elementis mundi* (ideſt, Judaicis observationibus) *eramus servientes. At ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret; ut adoptionem filiorum recipiremus.* Quibus similia profert in Epistola ad Romanos: *Non enim accepistis Spiritum servitutis iterùm in timore; sed accepistis spiritum adoptionis filiorum.* Idem quoque indicat metaphorâ duorum testamentorum, *quorum unum,* inquit, *in monte Sina in servitutem generans; illa autem, quæ sursùm est Jerusalem, libera est, quæ est mater nostra.* Ut autem probet, duo illa testamenta, sive status non posse simul demorari, illud ex Genesi ad Abraham dictum producit: *Ejice ancillam, & filium ejus; non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ: quâ libertate Christus nos liberavit.* Indè subsequitur caput 5. *State,* inquit, *& nolite iterùm jugo servitutis contineri. Ecce ego Paulus dico vobis, quoniam si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit. Testificor autem rursùs omni homini circumcidenti se, quoniam debitor est universæ legis faciendæ. Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini: à gratia excidistis. Currebatis benè: quis vos impedivit veritati non obedire? Persuasio hæc non est ex eo, qui vocat vos.* Vide quot sagittis Paulus transfigat quot gladiis trucidet, quot fulminibus in una Epistola obruat legis veteris æmulatores.

Galat. 2. 16. 19.
V. 10. V. 11. V. 13. 19. V. 16.
Gen. 13. 15.
V. 23.
Galat. 4. 9.
1. Cor. 13. 11.
Galat. 3. 24. 25.
Galat. 4. 3. 4
Rom. 8. 15.
Galat. 4. 24. 26.
Galat. 4. 30. 31.
Gen 21. 10.
Galat. 5. 1. 2
V. 3.
V. 4.
V. 7.
V. 8.

19. *Abass.* Quid in Epistola ad Ephesios? *Rom. Christus,* inquit, *est pax nostra, qui fecit utraque unum, & medium parietem maceriæ solvens, inimicitias in carne suâ: legem mandatorum decretis evacuans.* Quæ sententia designat, Christum in concordiam Judæos, ac Gentiles evocasse, destructa lege, quæ illos ab invicem ut maceria separabat; & Evangelicis decretis legem veterem (quæ ob causam n. 15 expositam, lex mandatorum dicebatur) suis viribus exhausisse, ac penitùs inanem reddidisse.

Probatur ex Epistola ad Ephesios.
Ephes. 2. 14. 15.

20. *Abass.* Quid in Epistola ad Philippenses? *Rom.* Cùm tertio capite præmisisset, se perfectè omnibus legis Mosaicæ præceptis, ac ritibus inserviisse, cùm putaret ex sola ipsorum observantia posse salutem comparari, ad extremum subdit: *Verumtamen existimo omnia detrimentum esse propter eminentem scientiam JESV Christi Domini mei, propter quem omnia detrimentum feci, & arbitror ut stercora, ut Christum lucrifaciam, & inveniar in illo non habens, meam justitiam, quæ ex lege est; sed illam, quæ ex Fide est Christi JESV.* Ut Christiani discerent, quàm longè deberent à Judaicis ritibus divertere, illorum infirmitatem, & vilitatem in se ipso depinxit, non solùm justitiæ illos expertes asserens, sed & fimo comparans, cujus nec aspectus, nec odor admittendus.

Probatur ex Epist. ad Philippenses.
Philip. 3. 8.
V. 9.

21. *Abass.* Quid in Epistola ad Colossenses? *Rom.* Capite secundo: *Videte,* inquit, *nequis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam secundùm traditionem hominum: secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* En Christo, sive Christi legi Mosaicam opponit; eam verò mundi elementa dicit, sicut & in Epistola ad Galatas, quia tota in rebus sensibilibus, & elementaribus (quales sunt hostiæ, purgationes, lotiones, ac similia) versabatur. Undè concludit: *Si ergo mortui estis cum Christo ab elementis hujus mundi, quid adhuc tanquàm viventes in mundo decernitis? Ne tetigeritis, ne gustaveritis, neque contrectaveritis, quæ sunt omnia in interitum ipso usu.* Nullis verbis clariùs posset Apostolus usum legalium

Probatur ex Epistola ad Colossenses.
Coloss. 2. 8.
Coloss. 2. 20.
V. 21. 2.
V. 22.

Digitized by Google

legalium damnare, quandò eorum visu, & tactu interdicit.

Probatur ex Epistola ad Hebræos.

22. *Abass.* Multa jam sparsim testimonia ex Epistola ad Hebræos protulisti, ullusne adhuc supereſt racemus? *Rom.* Quæ superiùs recensui, & quæ adhuc superant, ut tibi præstò sint, in unum veluti fascem congeram.

Hebr. 7. 12. Cap. 7. *Translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* De quo suprà n. 10.

V. 18. 11. Infrà: *Reprobatio quidem fit præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem; nihil enim ad perfectum adduxit lex; introductio verò melioris spei.* Sensus est, veterem legem exclusam, prælatam verò Evangelicam; perfectúmque esse, quod aiunt Philosophi, ut introductio unius corruptio sit alterius. Cap. 8. *Si illud prius culpa vacasset, non utique secundi locus inquireretur.* Subjicit verò illa omnia, quæ n. 9. posuimus cum testimoniis Jeremiæ. Illustris verò locus ille

Heb. 9. 8. est ex cap. 9. *Hoc significante Spiritu sancto; nondùm propalatam esse sanctorum viam, adhuc priore tabernaculo habente statum, quæ parabola est temporis instantis; juxta quam munera, & hostiæ offeruntur, quæ non possunt juxtà conscientiam perfectum facere servientem: solummodò in*

V. 9.

V. 10. *cibis, & in potibus, & variis baptismatibus, & justitiis carnis usque ad tempus correctionis impositis.* Correctionis tempus, tempus Christi

Theophyl. & Cornel. ibid. est; ille enim *correxit orbem terræ*, David teste. Corrigendus ergo, & graviter puniendus,

Ps. 95. 10. qui permissam tantùm usque ad Christi adventum Judaicorum rituum exercitationem in longinquum adeò tempus producit. Capite decimo, post citatum testimonium Davidis,

Hebr. 10. 9. 18. quod n. 7. exposuimus, subdit: *Aufert primum, ut sequens statuat.* Et infrà: *Jam non est oblatio pro peccato.* Infrà: *Voluntariè peccantibus nobis* (in legalium observatione) *post acceptam notitiam veritatis, jam non relinquitur pro peccatis hostia.* Quia nempè Judaicæ victimæ jam ex se nihil valent, Judaisantes autem Christi hostiam, & gratiam contemnunt.

Heb. 10. 28. 29. Undè concludit: *Irritam quis faciens legem Moysi, sine ulla miseratione duobus, vel tribus testibus moritur; quantò magis deteriora putatis mereri supplicia, qui Filium Dei conculcaverit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est; & spiritui gratiæ contumeliam fecerit?* Quisnam est, qui spiritui gratiæ contumeliam facit, nisi, qui legi gratiæ ab Spiritu sancto promulgatæ renuntiat, præferens Judaicas observationes? Quis pollutum ducit sanguinem testamenti, & Filium Dei conculcat, nisi qui novi Testamenti legem Filii Dei sanguine signatam Mosaicâ facit posteriorem?

Pleraque testimonia ex superioribus probant peccare mortaliter legis veteris observatores.

23. *Abass.* Copioso testimoniorum nimbo meum hortum irrigasti; at magis videntur legis Evangelicæ gratiam commendare, & Mosaicæ imbecillitatem ostendere, quàm peccati arguere illius sectatores. *Rom.* Id tibi, non dico in linguam, sed nedùm in mentem veniret, si pleraque ex illis maturo judicio pensitares. Et, ut à postremis incipiamus, ex supplicio culpæ gravitas colligitur; nec à Deo pœna mortis nisi mortali noxæ imponitur. Si ergo Deus olim secundùm Paulum mortis supplicium Mosaicæ legis transgressoribus indixit, & in ea nunc amplectenda cernitur *Christi sanguinis conculcatio*, quod multò gravius est crimen quavis priori transgressione; Quid ais, prædicta testimonia peccati non arguere legis Mosaicæ Sectatores? Nonne clariùs idem Paulus ait: *Voluntariè peccantibus nobis nulla relinquitur pro peccatis hostia?* Quis voluntariè peccat, nisi qui sciens, ac volens se ad legis amplexum confert? Quid illud ex Epistola ad Colossenses? *Quæ omnia sunt in interitum ipso usu?* Cui, nisi exercenti interitum afferunt legalia? In quorum cultu si peccatum non esset, cur diceret Paulus ad eosdem: *Ne quis vos decipiat?* Si legem mandatorum Mosaicorum Evangelii sui *decretis* Christus *evacuavit*, quomodò illius asseclæ non sunt gratiâ vacui, & peccatis omnibus onusti? Quam explicationem requirit illud ex Epistola ad Galatas: *Christus vobis nihil proderit*; Et: *Evacuati estis à Christo*; Et: *A gratia excidistis, qui in lege justificamini.* Cur lex illa dicitur *mortis, & maledicti, occidensque littera*, nisi quia, qui illam observat, mortem, æternámque maledictionem demeretur. Etsi verò nihil aliud esset, quàm nuda Dei erga legem Mosaicam prohibitio absque ulla pœnæ interminatione, & Evangelicæ commendatio; illa satis esset ad homines ad istam attrahendos, & ab illa ex peccati incursione ob inobedientiam deterrendos.

Heb. 10. 29.

Heb. 10. 26.

Col. 2. 22.

Col. 2. 8.

Eph. 2. 15.

Galat. 5. 2. 4

Rom. 8. 2.

Galat. 3. 13.

2. *Cor.* 3. 6.

CAPUT V.

Solvuntur aliqua dubia, quæ ex superioris capitis doctrina oriuntur.

Lex vetus primò dicitur æterna, quia fuit diuturna.

1. *Abass.* Mero meridie clariùs demonstrasti, Moysis legem mortuam esse, mortémque suis nunc cultoribus inferre; sed aliquæ meum pectus vellicant dubitationes; Quarum prima est, legem illam in Scripturis dici æternam. Genes. 17. *Erit pactum meum in carne vestra in fœdus æternum.* Psalmo 104. *Statuit illud Jacob in testamentum æternum.* Si circumcisio, totáque lex vetus æterna est, quî dici posset, interiisse? *Rom.* Æternum in Scripturis non illud tantùm dicitur, quod nullo unquàm fine terminandum est, sed etiam illud, quod multo est tempore duraturum. Nec probatio longiùs, quàm ab eo Genesis capite, quod retulisti, emendicanda. In eo enim simul cum æterni pacti circumcisionis

Gen. 17. 18.

Ps. 104. 10.

pollicitatione Deus Abrahæ dixit: *Dabo tibi, & semini tuo terram peregrinationis tuæ, omnem terram Chanaan in possessionem æternam.* Quæ promissio falsa esset, si per promissionem possessionis æternæ intelligendum esset, Hebræos à terra Chanaan nunquàm egressuros, aut exturbandos; quia post ducentos, & quindecim annos Jacob ab illa in Ægyptum cum tota familia discessit; & decem tribus priùs à Salmanazar in Assyriam: posteà Juda, & Benjamin à Nabuchodonosor Babylonem translatæ. Et quamvis post septuaginta annos Judæi à captivitate reversi fuerint, quadragesimo à Christi morte à Tito, & Vespasiano Jerosolymis

Gen. 17. 8.

Gen. 46. 1.

4. *Reg.* 18. 11.

4. *Reg.* 25. 11.

Digitized by Google

lymis magna ex parte sunt depulsi, & centesimo trigesimo septimo in totum ab Hadriano; adeò ut nullus in ea civitate permanere permissus esset; ut capite sequenti n. 15. plenius ostendemus. Ut igitur expones possessionis illius terræ, sic expone legis veteris æternitatem, nec istam illâ velis diuturniorem; cùm utraque eodem tempore, æquali verbo, & modo promittatur. Si tamen verbo hærere malis, & perfectam æternitatem legi tribuere: dic, illam non in se ipsa, sed in significatione, partu, & successione æternam esse; sicut de bono patre dixit Sapiens: *Mortuus est pater ejus, & quasi non est mortuus, similem enim reliquit sibi post se.* Sic æterna est lex vetus, quia ab ea significatus, & sub ea natus est Christus, cujus redemptio, & regnum (quod est Ecclesia) æternum est. De redemptione Paulus: *Introivit semel in Sancta, æterna redemptione inventa.* De regno Daniel: *Potestas ejus potestas æterna, quæ non auferetur; & regnum ejus, quod non corrumpetur.* Et Gabriël: *Regnabit in domo Jacob in æternum, & regni ejus non erit finis.* Cùm verò regnum sine lege administrari non possit, & regnum hoc æternum sit, æternam quoque legem exigit, sicut illam appellat D. Paulus. *Eduxit*, inquit, *de mortuis pastorem magnum ovium in sanguine testamenti æterni.* Tandem, ex sententia D. Cyrilli, æterna est lex non in carnali, & litterali, sed in spirituali observatione, quæ Christianis commendatur. *Et ita*, inquit, *æternam legem nominatam esse dicimus, minimè enim cessavit, quæ in nobis impletur juxta spiritualis cultus modum.* Tandem præcepta moralia, quæ ad jus naturale spectabant, minimè sunt abrogata, ut mox audies n. 4.

Secundò lex æterna est in partu legis novæ, & significatione.

Eccl. 30. 4.

Heb. 9. 12.

Dan. 7. 14.

Luc. 1. 32. 33.

Heb. 13. 20.

Tertiò æterna est in sensu spirituali, & præceptis legis naturalis.

D. Cyril. lib. 9. contra Julian.

2. *Abass.* Secunda dubitatio hæc est. Ipse Christus testatus est, *non se venisse solvere legem, & Prophetas, sed adimplere.* Non ergo legem veterem destruxit, sed perfecit, & corroboravit. *Rom.* Duplex est legis observantia; altera spiritualis, quæ potior est; altera litteralis. Utramque Christus in se ipso complevit; spiritualem, ut illam Christianis commendaret; litteralem, ut illos ab ipsius jugo liberaret. Nonne id Paulus tradidit, cùm dixit: *Ubi venit plenitudo temporis, misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege, ut eos, qui sub lege erant, redimeret?* Hæc autem redemptio non est tantùm ab aliis peccatis, sed ab iniquo etiam ipsius legis fasce; ut in eadem Epistola: *Christus nos redemit de maledicto legis.* Sicut qui in captivitatem se conjicit, ut captivum aliquem à vinculis exolvat. Ut verò perfectè probaret, se Christianos à legis onere sublevare, eodem loco, quo dixit, se venisse, non ut legem solveret, sed adimpleret, adjecit: *Audistis, quia dictum est antiquis*; Et mox: *Ego autem dico vobis*; quasi diceret: ferreas illas legis veteris compedes, quibus antiqui præligabantur, à vobis aufero: aurea verò novæ monilia injicio. Illa verò antiquæ legis vincula non ab alio, quàm ab ipso fuere fabricata. Ibidem enim dixit: *Iota unum, aut unus apex non præteribit à lege, donec omnia fiant. Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Ubi notat D. Cyrillus, Christum verba sua legem dicere, quia olim ab ipso tanquàm à Deo lata fuit; sicut etiam indicat Isaias: *Ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* Et D. Irenæus in vestro Libro loquens de Christo: *Ipse*, inquit, *fuit Legislator in lege.* Legem ergo servavit, ut bonam, & à se sanctam probaret; abstulit, ut se Deum ostenderet, cui potestas est, quidquid velit, pro temporum ratione, permittendi, vel prohibendi.

Legem Christus litteraliter, & spiritualiter adimplevit, ut spiritualem illius cultu Christianis commendaret; litteralem tolleret.

Matth 5. 17.

Galat. 4. 4.

Galat. 3. 13.

Matth. 5. 21. 27.

Matt. 5. 18. & 24. 34. D. Cyrill. lib. de Incarnat. c. 16.

Isai. 52. 6.

D. Irenæus p. 1.

3. *Abass.* Ex dictis proximè tertia consurgit dubitatio. Si Deus, priori lege repudiatâ, aliam tulit, consilium simul cum illa mutavit; ac proindè mutabilis videtur. *Rom.* Sicut Pater non mutatur, qui parvulo filio bullatam tunicam concinnat; grandiori prætextam, viro autem pallium, sive paludamentum offert; vel qui illum sub pædagogo usque ad certum tempus constituit; Sed quidquid est mutationis, in ipso filio reperitur; sic mutatus non est Deus, cùm Hebræorum populo, quem Jeremias vocat *filium honorabilem, & puerum delicatum*, imperfectam legem dedit; Christiano autem, qui ipsi occurrit *in virum perfectum*, & in suæ *ætatis plenitudinis mensuram*, nuptialem novæ legis vestem. Homines autem, cùm id destruunt, quod priùs extruxerant, ideò mutabiles videntur, quòd cùm fabricam quamvis moliuntur, cognitione non attingunt eas rationes, ob quas illam posteà sunt eversuri. Deus tamen ab æterno fixum legi veteri inchoandæ, & infirmandæ tempus præfinivit, ut ostendunt illæ sententiæ D. Pauli: *Donec veniret semen. Vsque ad præfinitum tempus à Patre. Vsque ad tempus correctionis impositis.* Ideò cùm lex mutata est, primævum illud Dei consilium non est eversum, sed consummatum. Quin imò mutabilis Deus esset, nisi legem mutaret, quam mutandam præfinierat.

Mutabilis non est Deus ex eò, quòd legem veterem mutaverit.

Ephes. 4. 13.

Galat. 3. 19

Galat. 4. 2.

Hebr. 9. 10.

4. *Abass.* Hæc quarta sit dubitatio. Cessántne omnia, an aliqua tantùm legis veteris præcepta? *Rom.* Inter præcepta legis veteris quædam fuêre moralia, quædam judicialia, quædam cæremonialia. Moralia propriè dicta sunt præcepta, sivè mandata, quibus homo ad honestatem, & interiorem sanctitatem dirigebatur; quorum caput erant decem verba Decalogi, ad quæ per suas classes multa alia affinia revocabantur. Judicialia, quæ quid in litibus decernendum esset, definiebant. Cæremonialia, in quibus de externo Dei cultu agebatur, quatuor ordines habebant. Primus erat Sacramentorum, quæ signa erant visibilia gratiæ comparandæ; in quibus præcipuum erat Circuncisio, deindè agni Paschalis immolatio, & unctio Sacerdotum. Secundus erat sacrificiorum, in quibus numerabantur holocausta, hostiæ pacificæ, sacrificium pro peccato, & munera. Tertius erat sacrorum; in quibus continebatur Tabernaculum, Propitiatorium, Mensa propositionis, candelabrum, & similia. Quartus erat observantiarum, ad quas spectabant specialia legis illius jejunia, ciborum delectus, & purificationes ab immunditiis vel nocturnis, vel occurrentibus; & plura alia. Ut ergo tuæ dubitationi satisfaciam, pleraque præcepta moralia in lege conscripta, vim suam non à Mosaica, sed à lege naturali sunt mutuata; Ut Deum honorare,

Præcepta naturalia legis veteris non sunt abrogata.

Digitized by Google

honorare, idola non colere, non pejerare, non occidere, non mœchari, non furari. Hæc igitur non cessarunt, quia lex naturalis, quæ ipsorum est origo, est immutabilis. Undè dixit D. Iræneus: *Christus legem non dissolvit, sed extendit, & implevit.* Judicialia verò, quæ robur ab ipsa lege sumpserunt, illud, ipsa moriente, perdiderunt; *translato enim Sacerdotio, necesse est, ut & legis translatio fiat.* Sacerdotes enim summi erant Judices in illo populo. Etsi autem mortua fuerint, non sunt reddita ita mortifera, ut si quis Princeps iis uti velit in suo regno ad justitiæ administrationem, non quidem ex veteris legis præscripto, sed ob illam, quam in se continent, juris æquitatem, id facere non possit absque peccati incursione. Cæremonialia autem, cujusvis sint ordinis, omninò vetita sunt Christianis, & exercentibus mortifera.

D. Clem. lib. 6. Const. Apost. cap. 23.
D. Irenæus lib. 4. c. 27.
D. Thom. 1. 2. q. 104. a. 3.
Judicialia non sunt abrogata.
Hebr. 7. 12.
Deut. 17. 9.
Ezech. 44. 24.

5. *Abass.* Quid causæ est, cur judicialium usus liber sit, omnium verò cæremonialium exitiabilis? *Rom.* Cæremonialia omnia gratiæ, quæ à Deo ad eorum præsentiam dabatur, signa fuere; & Christi venturi, & ipsius redemptionis mysteriorum figurativa. Nam de iis potissimùm Paulus dixit: *Omnia in figura contingebant illis.* Et: *Nemo vos judicet in cibo, aut in potu, aut in parte diei festi, aut neomeniæ, aut Sabbatorum, quæ sunt umbra futurorum.* Et: *Umbram habens lex futurorum.* Quia Christi adventum promittebant, & adumbrabant, hominesque ducebant *in eam Fidem, quæ revelanda erat*; ipsisque per ritus illos lex penè loquebatur, tanquàm *si verba isthæc promeret*, inquit D. Augustinus, *Christus nasciturus est, passurus, resurrecturus.* Cùm enim puerum lex in membro genitali, circumcidi jubebat, duo dicere videbatur. Primum; ad istius signaculi præsentiam peccatum originale Deus dimittit, & gratiam infundit. Secundum; ex istius populi semine Messias est proditurus. Cùm sanguinaria sacrificia præscribebat, Christum sanguinis sui effusione novum Testamentum consignaturum clamabat. Cùm ex duobus capris alium cædi, alium vivum abire imperabat, Christi mortem, & resurrectionem demonstrabat; & sic in aliis, quæ retexere longissimum esset. Cùm ergo, ut ait D. Joannes, *lex per Moysen data* fuerit, *gratia, & veritas per IESUM Christum facta*, ut sub Moysis lege verum erat dicere: Nasciturus est, passurus, & resurrecturus; ità nunc verum est dicere: Natus est, passus, & resurrexit. Si quis autem dixerit: Nasciturus, passurus, resurrecturus, & mendacii, & infidelitatis flagitio se contaminabit. Qui ergo nunc cæremonialia exercuerit, facto profitebitur, se gratiam illorum meritò acquirere; Christum, qui natus est, passus, & resurrexit, nondùm venisse, nec illa mysteria, quæ tota confitetur Ecclesia, peregisse. Quod nihil aliud est, quàm turpiter mentiri, & impiè Judaisare. Id verò contagium non contrahunt præcepta judicialia, quia nec olim gratiam conferebant, nec quidquam præfigurabant, sed homines tantùm ad justitiam disponebant.

Cæremonialia sunt omninò vetita, quia erant Christi venturi figurativa.
1. *Cor.* 10.
Colo. 2. 16. 17.
Hebr. 10. 1.
Galat. 3. 23.
D. August. contra Faustum, lib. 19. cap. 16.
Levit. 12. 3.
Exod. 24. 8.
Levit. 16. 10.
Joan. 1. 17.

6. *Abass.* Ex hac doctrina emergit quinta dubitatio. Dixisti, omnia cæremonialia interiisse; Quomodò ergo Apostoli Christianos, aliis sublatis, ad illa quatuor adegerunt; *ut abstinerent se à contaminationibus simulacrorum, fornicatione, & sanguine, & suffocatis?*

De quatuor, quæ Apostoli interdixêre.
Act. 15. 20. 29.

Rom. Quatuor illa, quæ Apostoli excipere, non tam legis Mosaicæ, quàm naturalis interdicto prohibentur, vel ex naturæ pravitate, vel ex ascitis circumstantiis. Nam fornicatio deformitatem habet legi naturali repugnantem, ut indicabimus lib. 10. cap. 14. num. 4. Peculiarem autem illius mentionem fecêre Apostoli, quia cum Gentilibus agebant, qui fornicationem, quam D. Petrus vocat, *Gentium voluntatem*, peccatum non reputabant. Nam secundùm Paulum, *evanuerunt in cogitationibus suis, & obscuratum est insipiens cor eorum. Propter quòd tradidit illos Deus in desideria cordis eorum, in immunditiam, ut contumeliis afficiant corpora sua.* Velum igitur, quod voluptas Gentilium oculis obtenderat, amovent Apostoli, dum primò jubent à fornicatione, quæ mala est intrinsecè, abstinere. Cætera non intrinsecè mala sunt, sed ex idolatriæ vicinia & contaminatione. Carnes enim immolatitiæ naturâ suâ bonæ sunt. *Omnis*, inquit Paulus, *creatura Dei bona est*; At ex eo, quòd idolis offerantur, arbitrariam quamdam, & in sola hominum opinione consistentem pravitatem induunt. Ait enim communis Magister: *Scimus, quia nihil est idolum in mundo.* Si verò idolum nihil est, nihil potest operari, nec oblationes ante se positas polluere. Si tamen ipse pollutas arbitreris, & manduces; vel si alii easdem pollutas arbitrati, téque ipsarum tactu, & victu pollui, ad edendum tuo exemplo incitentur, peccatum vel ex tuæ conscientiæ jactatione, vel ex alienæ sententiæ, & ruinæ contemptu non effugies. Qua de re lib. 11. cap. 11. n. 6. & lib. 12. cap. 6. num. 10. Cùm igitur Apostolorum tempore discipulis *essent omnia communia*, communes etiam mensæ erant. Videntes ergo conversi ex Judæis conversos ex Gentilibus adhuc vesci idolothytis, putabant nondùm primam illam antiquæ superstitionis rubiginem absterssisse. Ergo si non propter ullam malitiæ contagionem, quæ carnibus illis inesset, nec propter propriam conscientiam Fideles se ab illis abducere tenebantur, tenebantur tamen ab extrinseco, & jam ex vi legis naturalis, ne aliorum conscientias scandalo jugularent. Naturalis enim lex dictat, nihil à quopiam gerendum, quo alius non prudens in peccatum protrudatur. *Non manducabo*, inquit Paulus, *carnem in æternum, ne fratrem meum scandalisem.* Ob eamdem causam sanguinis, & suffocatorum usum Apostoli interdixêre. Nam Gentiles vano errore decepti omnem cæsorum animantium sanguinem, ubicumque effunderetur, statim diis Manibus, sivè inferorum animabus sacrum esse putabant; eò quòd illas exangues esse ducebant, ipsum sanguinem animam credentes. Suffocata verò dæmonum esse cibum iidem asserebant, teste Origene; quia sanguis, (quod gratissimum ipsorum ferculum opinabantur) intra ipsa concluſus asservatur. Cùm ergo fratres ex Hebræis cernerent, ex Gentibus aggregatos suffocatis, & sanguine victitare, forsitan illis dicebant,

Fornicatio prohibita est ex lege naturali.
1. *Petr.* 4. 3.
Rom. 1. 21.
Rom. 1. 24.

Immolatitia non sunt intrinsecè mala, sed ex opinione, vel ob scandalum.
1. *Tim.* 4. 4.
1. *Cor.* 8. 4.
Act. 4. 32.
1. *Cor.* 8. 13.

Ob scandalum sanguis, & suffocata prohibentur.
Orig. lib. 8. in Celsum.
1. *Cor.* 10. 20.

Digitized by Google

Magnes lib. 3. Apologiæ Evangelicæ apud Turrian. lib. Const. Apost. c. 12.

dicebant, quod est apud Paulum : *Non potestis calicem Domini bibere, & calicem dæmoniorum. Non potestis mensæ Domini participes esse, & mensæ dæmoniorum. Magna enim pars victus humani dæmonibus erat dicata*, inquit Magnes Auctor antiquissimus. Ergo etiam vis legis naturalis Christianos eo tempore adigebat, ut non secùs à sanguine & suffocatis, quàm ab idolothytis sibi temperarent. En Apostoli nihil ex lege Mosaica in Evangelicam transtulerunt, sed quod erat naturalis, intactum reliquêre. Cessante autem scandalo, cùm jam totus orbis ad Christum conversus esset, consopita est Apostolorum prohibitio ; ita ut nulli jam debeat esse religioni vèl sanguine, vèl suffocatis ventrem infercire. Adde, præceptum illud de sanguine Moysis lege esse antiquius, & Noë, cùm ex arca egressus esset, injunctum.

D. August. lib. 23. contra Faustũ, cap. 13.

Gen. 9. 4.

Lex à Christi Conceptione infirmari cæpit.

7. *Abass.* Sexta sit dubitatio. Quo tempore legis Mosaicæ servandæ obligatio cessavit : in Christi Nativitate, an in Passione, an in Resurrectione ? *Rom.* Diversa est hac in re locutio Scripturarum. Daniel in Christi unctione, sivè Conceptione legem tumulatam indicat : *Donec*, inquit, *impleatur visio, & prophetia, & ungatur Sanctus Sanctorum.*

Dan. 9. 24.

Idem D. Paulus innuit in Epistola ad Hebræos : *Ideò ingrediens mundum dicit : Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi. Aufert primum, ut sequens statuat. Ingressus est autem in mundum*, inquit D. Cyrillus, *cùm factus est homo.* Aliis locis ostenditur, cùm Christus natus est, legem objisse.

Heb. 10. 5.

D. Cyril. lib. de Incarn. c. 26.

Galat. 3. 19. 23.

D. Paulus ad Galatas : *Lex posita est, donec veniret semen.* Inferiùs : *In eam Fidem, quæ revelanda erat.* Quæ de Christi Nativitate explicantur. D. Lucas Joannis prædicationem legis cædem designat : *Lex, & Prophetæ usque ad Ioannem.* D. Joannes Evangelista, Christi mortem : *Sciens quia jam omnia consummata sunt, dixit : Consummatum est.* Cùm enim lex illa novum esset Testamentum, *ubi Testamentum est, necesse est, mors intercedat testatoris.* Dico tamen, legem Moysis nec in Christi Conceptione, nec in Nativitate, nec in Joannis prædicatione, nec in ipsa Cruce penitùs extinctam esse, sed exindè ad mortem præmonitam, & sepulturæ destinatam ; verè autem depositam, & omni virtute denudatam in die Pentecostes, quæ in ipsius olim in tabulis Dei digito exaratæ memoriam singulis annis cum plausu, & hilaritate recurrebat. Eamdem enim Spiritus sanctus elegit, in qua D. Petrus ipsius abolitionem, & Evangelicæ legis, ac Baptismi necessitatem promulgaret toto cap. 2. Actuum Apostolorum ; præcipuè cùm dixit : *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum in nomine JESU Christi.* Illa enim verba salutarem Baptismi intinctionem indicunt ; innuunt autem internecinam Circumcisionis, & cæterarum cæremoniarum extinctionem, juxta illud D. Pauli : *Reprobatio fit præcedentis mandati ; introductio verò melioris spei.*

Luc. 16. 16. Joan. 19. 30. Heb. 9. 16.

In die Pentecostes lex vetus quoad gratiæ efficaciam defecit.

Act. 2. 38.

Hebr. 7. 18. 19.

CAPUT VI.

Ostenditur, Legem veterem tam Iudæis, quàm Gentilibus mortuam esse in die Pentecostes ; sed Gentilibus statim mortiferam, non autem Iudæis, redditam.

In die Pentecostes lex vetus Gentilibus, non Hæbræis reddita est mortifera.

1. *Abass.* Adversùs postrema verba septima consurgit dubitatio. Si in die Pentecostes lex Evangelica constabilita fuit, Mosaica verò Circumcisio, & cæremoniæ enervatæ, quomodò multis posteà annis D. Paulus Timotheum circumcidit ; séque ipsum in templo cum Nazaræis ritu Judaico sanctificavit ? *Rom.* Sapienter advertit D. Hieronymus, ut Domini gloria à templo, & urbe Jerosolymitana subitò non discessit, sed primùm à propitiatorio ad limen domûs : à limine ad portam Orientalem templi : indè ad medium civitatis : indè ad montem per intervalla digressa est ; sic legem veterem paulatim defecisse : Nam in die Pentecostes tam in Gentiles, quàm in Judæos omnem in posterum sanctificandi efficaciam amisit ; sed cum hac distinctione ; quòd statim omnibus Gentilibus ad Christi Fidem convolantibus & mortua, & mortifera est reddita ; ita ut si illam exercerent, nullum gratiæ lucrum facerent, & lethale peccatum perpetrarent ; Judæis verò non mortifera, sed tantùm mortua ; poterant enim in paternis cæremoniis permanere sine timore peccati, quod Dei dispensatio tollebat ; sed nihil gratiæ ex illo exercitio metebant : imò peccarent, si quam justitiæ, & sanctitatis medullam crederent sub veternoso illorum Judaicorum rituum cortice delitescere.

Act. 16. 3. & 21. 26.

D. Hieron. lib. 4. in cap. 11. Ezechiel.

Ezech. 10. 4. v. 19.

Lex Mosaica à die Pentecostes omnẽ sanctificandi virtutem amisit.

2. *Abass.* Multa in hac tua responsione in unum veluti cumulum coacervasti, quæ oportet per singula expendere ; & illud in primis, quod dixisti, legem veterem à die Pentecostes tam in Gentiles, quàm in Judæos omnem in posterum sanctificandi efficaciam amisisse. *Rom.* Sicut in naturalibus duæ simul formæ stare non possùnt, sed unius introductio, alterius est destructio ; ità post diem Pentecostes (quæ itidem promulgationis fuit) lex Mosaica, & Evangelica simul cohærere non potuerunt, sed, ut dixit D. Paulus, *reprobatio facta est præcedentis mandati propter infirmitatem ejus, & inutilitatem ; introductio verò melioris spei, per quam proximamus ad Deum.* Si enim ab illa die lex Mosaica sufficeret, quid opus erat Evangelicam introduci ? Si autem Evangelica, quæ multò est perfectior, introducta est, quid egeret illius adminiculo, de qua Paulus dixit : *Nihil enim ad perfectum lex adduxit ?* Omnia igitur, quibus capite 4. legis Mosaicæ imbecillitatem post Evangelicam confirmatam demonstravimus, (ut illud : *Scientes, quòd non justificatur homo ex operibus legis.* Et illud : *Ex operibus legis non justificatur omnis caro.* Et illud : *Evacuati estis à Christo, qui in lege justificamini*, & similia) ostendunt, illam deinceps

Heb. 7. 18.

Heb. 7. 19.

Galat. 2. 16.

Rom. 3. 10.

Galat. 5. 4.

Digitized by Google

deinceps omni virtute sanctificandi vel Judæos, vel Gentiles fuisse denudatam; aliter mortua non fuisset.

Semper ab Evangelii publicatione mortiferum gentilibus fuit cæremonias Judaicas exercere. *Act.* 15. 10.

3. *Abass.* Illud secundò protulisti; legem Mosaicam statim ab illa die Pentecostes omnibus Gentilibus ad Christi Fidem confluentibus non solùm mortuam fuisse, sed & mortiferam; ità ut si illius cæremonias peragerent, & gratiâ carerent, & peccatum perpetrarent. *Rom.* Id me protulisse non inficior. Nam Apostoli in Concilio Jerosolymitano decreverunt, ex gentibus conversos cogendos non esse ad servandam legem Moysis. Et D. Paulus de Tito, qui Gentilis erat, dicit in Epistola ad Galatas: *Sed neque Titus, qui mecum erat, cùm esset Gentilis, compulsus est Circumcidi.* Et in illa, quam cum Petro habuit, disceptatione: *Si tu*, inquit, *cùm Judæus sis, Gentiliter vivis, & non judaicè, quomodo Gentes cogis Judaizare?* Undè patet, à primis Evangelii auspiciis semper Gentilibus illicitum fuisse, Judaicis se ritibus involvere. Cùm enim D. Paulus interdùm Judæis indulgeret, ut in avitis cæremoniis persisterent, in Gentiles iis studentes semper se vindicem durissimum exhibuit. Hinc aculeatæ illæ in Galatas ethnicos increpationes: *O insensati Galata, quis vos fascinavit? Christus vobis nihil proderit. A gratia excidistis.* Et illæ ad Colossenses: *Ne quis vos decipiat per inanem Philosophiam. Ne gustaveritis, neque contrectaveritis; quæ omnia sunt in interitum ipso usu.* Causa verò, ob quam à Deo nunquàm Gentilibus, Judæis autem permissum est, ut legalia amplecterentur, illa fuit; quia cùm Judæi sub illa lege nutriti fuerint, & educati, rationabile non videbatur, illos violenter, & uno quasi impetu ab innata consuetudine avellere, sed tempus dandum erat, quo ad transitum ab extremo ad extremum faciendum se disponerent. Quæ ratio vim in Gentilibus non habebat; cùm enim à maternis uberibus vanæ idolorum superstitioni addicti essent, non jam ad Judaicos ritus, quibus expiari non poterant, & quibus tandem essent renuntiaturi, sed ad veritatem Evangelicam sine ulla fermenti veteris corruptione erant traducendi.

Galat. 1. 3. 14.

Galat. 3. 1. & 5. 2. 4.

Col. 2. 8.

Col. 2. 21. 22.

Conversi ad Christum ex Judæis primo tempore legalia exercebant.

4. *Abass.* Tertiò dixisti, Judæis eo tempore legem fuisse mortuam, non mortiferam; poterant enim in paternis cæremoniis permanere sine timore peccati. *Rom.* Dictum non muto. Si enim peccatum in ea observantia intercederet, peccaret Paulus, cùm Timotheum circumcidit, & cùm se ipsum Nazaræis purificandum immiscuit; quod à nemine dicendum, cùm ipse sine pudore asserat: *Factus sum Judæis tanquàm Judæus, ut Judæos lucrarer; iis, qui sub lege sunt, quasi essem sub lege, cùm ipse non essem sub lege.* Nec solus Paulus, sed omnes, qui ex Judæis in Christum crediderant, eo tempore Jerosolymis legalium exercitio operam dabant, ut D. Iacobus ipsorum Episcopus Paulo dixit: *Vides frater, quot millia sunt in Judæis, qui crediderunt, & omnes æmulatores sunt legis.* Eumdem verò Jacobum, qui totos triginta annos post Christi Ascensionem illam Ecclesiam administravit, narrat D. Epiphanius, Sacerdotum permissu, semel singulis annis in Sancta Sanctorum ad orationem admissum; quod vir tantus (quique in Concilio Jerosolymitano censuerat, non oportere *inquietari eos, qui ex Gentibus convertebantur*, ad legalium observantiam) non patraret, si erga Judæos ità irrefragabilis prohibitio jam ipsius ætate esset obfirmata, ut nullâ posset indulgentiâ, vel interpretatione mitigari.

Act. 16. 3. & 21. 26.

1. *Cor.* 9. 20. 21.

Act. 21. 20.

D. Epiphan. hæres. 29.

Act. 15. 19.

Ex Dei dispensatione Judæi conversi legalia exercebant, licèt talis dispensatio scripta non sit.

5. *Abass.* Addidisti, id licitum fuisse Judæis ex dispensatione; cujusnam illa fuit dispensatio, & ubi Sacris in litteris continetur? *Rom.* Cùm legalium prohibitio à Deo interposita fuerit, ab illo tantùm poterat illius relaxatio dimanare. Quia dispensatio actus est jurisdictionis; in Deum verò, & illius decreta nemo jus dicit præter ipsum; ut videbimus lib. 10. cap. 1. num. 10. Fateor tamen, illam dispensationem expresè in Sacra pagina non reperiri; sed indè non evincitur, illam confictam, atque umbratilem fuisse. Multa enim, quæ in ea non sunt plenè litteris consignata, ita ex antecedentibus, & consequentibus infallibiliter colliguntur, ut non minùs in ea contineri dicendum sit, quàm illa, quæ scripta sunt, ex quibus necessariò inferuntur. Quæ doctrina est D. Gregorii Nazianzeni. *Si te*, inquit, *bis quinque, aut bis septem dicente: ego decem, aut quatuordecim ex tuis verbis colligerem; aut ex eo, quòd animal rationale, & mortale diceres: hominem esse concluderem, an tibi viderer delirare? Neque enim magis illa verba sunt ejus, qui loquitur, quàm illius, qui loquendi necessitatem simul affert.* Hæc ille. Sic in re proposita: ex eo, quòd astruatur Apostolos conversis ex Judaismo usum legalium concessisse, in eas angustias deventum est, ut necessariò dicendum sit, eos à Deo dispensationem obtinuisse.

D. Gregor. Naz. Orat. 5. de Theologia.

Cùm Sancti contra Dei prohibitionem impunè operantur, censendum est, dispensationē præcessisse.

6. *Abass.* Videre cupio, undè hæc necessitas prorumpat. *Rom.* In hujus rei, & aliarum intelligentiam sequentem Canonem tuæ mentis tabulis incide. Quotiescumque in Scripturis aliqua prohibitio à Deo præfigitur, & viri sancti contra ipsius præscriptum operantur, aut alios suæ curæ concreditos operari permittunt, quin à Deo reprehendantur, aut ab illius gratia excidisse dicantur, omninò credendum est, præcessisse aliquam ipsius dispensationem, quæ scripta non est, cujus auctoritati innitantur. Si enim talis dispensatio non esset, transgressio daretur; transgressionem verò Dei odium consequeretur. *Similiter enim odio sunt Deo impius, & impietas ejus*, inquit Sapiens. Videmus autem viros illos Deo placentes, dilectos, & amicos nuncupari; ergo aliquam ab illo adepti sunt interpositæ prohibitionis dispensationem. Hinc D. Hieronymus: *Vita*, inquit, *Sancto unu, interpretatio est Scripturarum.* Cùm igitur legalium interdictio in die Pentecostes omnibus denuntiata fuerit, nobisque ex adductis testimoniis constet, Judæos, imò ipsos Apostolos in iis per aliquod tempus perstitisse; & aliundè sciamus, illos Deo probatos fuisse, & potestate ad edenda miracula instructos; omninò statuendum est, eosdem aliqua Dei relaxatione ad prosequenda sine peccato legalia præmunitos. D. Augustinus: *Si fortè*, inquit, *occultum*

Sap. 14. 9.

D. Hieron. apud Salm. tom. 1. prolog. 9. can. 10.

D. August. lib. de mendacio ad Consent. cap. 15.

Digitized by Google

occultum est, quomodò accipiendum sit, quod præcipitur, in factis justorum intelligatur.

Patriarcharú polygamia fundata in Dei dispensatione.

7. *Abass.* Optima quidem est hæc ratio; vellem tamen illam aliquo simili ex Sacris litteris exemplo confirmatam. *Rom.* Confirmabo. Unam tantùm uxorem cum viro copulandam in prima Matrimonii institutione Deus edixit. *Adhærebit*, inquit, *uxori suæ*; *Gen.* 2. 24. non uxoribus; ideóque *masculum, & fœminam creavit eos*, ut uni viro una uxor adscriberetur. *Gen.* 1. 27. Videmus autem posteà Abraham, & alios Patriarchas amplam uxorum familiam ductasse, nec apertam Dei dispensationem erga ipsos invenimus; eam tamen necessariò ex superiori Canone colligimus. Nam, ut de cæteris taceam, Abraham non poterat illam Dei prohibitionem ignorare, cùm illa non solùm positivæ legis sit, sed etiam naturalis. Si non ignorabat, & absque Dei indulgentia plures uxores alebat, in peccatum collabebatur, & peccató Dei inimicitiam contrahebat. Omnis enim, qui peccatum facit, *inimicus Dei constituitur*, teste D. Jacobo. *Jacob.* 4. 4. Abraham tamen, ex eodem Apostolo, *credidit Deo, & reputatum est illi ad justitiam; & amicus Dei appellatus est.* *Jacob.* 2. 23. Ergo necessariò dicendum, ex Dei dispensatione usum polygamiâ.

Ex Dei dispensatione Hebræi per annos 40 in deserto non sunt circumcisi.

8. *Abass.* Si quod habes simile exemplum, ne subjicere cunctator. *Rom.* Ab ipsis legalibus non discedam. Non te latet, quàm graviter Deus Hebræis præceperit, ne quisquam octavum vitæ diem sine Circumcisione præteriret. *Masculus*, inquit, *cujus præputii caro circumcisa non fuerit, delebitur anima illa de populo suo.* *Gen.* 17. 14. Hanc legem Moyses neglexit, filium in terra Madian natum non circumcidens. *Exod.* 4. 25. Ob quod peccatum, *cùm esset in diversorio, occurrit illi Dominus, & volebat occidere eum*; neque mortem evasisset, nisi Sephora uxor ejus illicò petrâ acutissimâ damnatam pueri pelliculam abscidisset. Constitutus tamen dux illius populi, passus est, ne quisquam per totos quadraginta annos in deserto natus circumcideretur; sed omnes edicto Josue posteà fuêre cruentati. *Josue* 5. 7. Numquid dices, illam populi somnolentiam Moysi ignoratam? Credi non potest in tanta puerorum multitudine, & ipsius erga morum disciplinam sedulitate. Quid ergo? Vivum, videntémque populi socordiam dissimulasse? Multo minùs. *Levit.* 24. 11. Qui enim uno tantùm Dei nomen blasphemante, & altero ligna in die Sabbati colligente nihil dormitavit: utriusque peccatum ad Deum retulit: & ex illius decreto jussit utrumque lapidari; quomodò sterteret in communi totius populi delicto? *Num.* 15. 35. Si verò illi peccati alicujus somnolentia irrepsit, cur propter tot myriades à Deo non est excitatus, ut quondam propter unum filium in diversorio? Tandem si Deus Aaronem impunitum non reliquit, cùm Hebræos vitulum conflantes non compescuit; neque ipsum Moysem, cùm silicem ex levi commotione, vel diffidentia bis percussit; quomodò conniveret, si ipsum videret toties peccantem, quoties tot pueri incircumcisi, & tot ipsorum parentes divinæ legis proculcatores remanerent; & in ipsius caput velut in duum, omnia illa peccata retorquerentur? Quòd autem non peccaret, patet ex superiori argumento, & illo Exodi testimonio: *Dominus autem loquebatur ad Moysem, sicut solet loqui homo ad amicum suum.* *Exod.* 33. 11. Credendum igitur absque ulla hæsitatione, Moysem causam illam ad Deum retulisse, & expressa illius dispensatione, cum Hebræis dissimulasse; tum ne parentes iter facientes in filiis sauciandis laborarent: tum ne ipsi pueri saucii solitudinis, ac viarum inclementiâ læderentur. Præcipuè cùm per eos annos cessaret una ex potissimis rationibus, cur Deus Circumcisionem Hæbræis injunxerat; nempè, ut ab aliis populis, quos inter viverent, eo signo secernerentur, cùm in deserto nulli alii populo essent commisti, ut Balaam agnovit, cùm dixit: *Populus solus habitabit, & inter Gentes non reputabitur.* *Num.* 23. 9.

Ex Apostolorum erga Deum gratia probatur, hanc ab illo dispensationem audiisse.

9. *Abass.* Nullum exemplum aptius ad nostrum institutum posset, non dico inveniri, sed nedùm excogitari. *Rom.* „At nondùm ad illius metas, adaptationémque perveni. Si, ex eo, quòd Scriptura dicat, Moysem Deo charum fuisse, educendum censes, eum in illa permissione nihil deliquisse, & disertis verbis illam à Deo impetrasse; idem crede de Apostolis, quibus Christus semel dixit: *Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* *Exod.* 33. 11. *Joan.* 15. 15. Et iterùm: *Eritis mihi testes in Jerusalem, & Samaria, & usque ad ultimum terræ.* *Act.* 1. 8. Amici Christi esse non poterant, si quovis peccato essent infecti; nec quidquam ignorare, vel fallere Christianos in ea permissione, quibus omnia ipsorum Magister manifestaverat; quosque incorruptos suæ veritatis testes elegerat. Quod singillatim de Paulo Timotheum circumcidente, & se Nazaræorum ritu devovente sentiendum; *Act.* 16. 3. cùm Christi legatus esset: Christus in eo vi- & 21. 26. veret: & per linguam ipsius loqueretur. *Pro Christo*, inquit, *legatione fungimur, quasi Deo exhortante per nos.* *2. Cor.* 5. 20. *Vivo ego, jam non ego; vivit verò in me Christus.* *Galat.* 2. 20. *An experimentum quæritis ejus, qui in me loquitur, Christus?* *2. Cor.* 13. 3. Illam ergo dispensationem Christus in Judæos ad Fidem suam trahendos Apostolis aperuit vel in ultima Cœna, vel post Resurrectionem suam *in multis argumentis apparens eis, & loquens de regno Dei.* *Act.* 1. 3. Tunc enim illos de multis, quæ relata non sunt in monumenta Evangelica, instruxit. *Multa quidem alia signa fecit JESUS in conspectu discipulorum suorum, & quæ non sunt scripta in libro hoc*; ait Joannes Evangelista. *Joan.* 20. 30. & 21. 25. Si multa signa non sunt scripta, plura fuêre verba, quæ mandata non sunt litteris; è quibus unum refert D. Paulus Actor. 20. *Oportet meminisse verbi Domini JESU, quoniam ipse dixit: Beatius est magis dare, quàm accipere.* *Act.* 20. 35. Ut ergo hæc, & alia verba non sunt scripta, sic neque illa, quibus legalium dispensationem Judæis per illud tempus impertivit.

Per quadraginta annos permissum fuit Judæis exercitium legalium.

10. *Abass.* Admitto, dispensationem illam legalium cæremoniarum Judæis ad Fidem vocatis à Christo vel expressè, vel tacitè factam, Apostolis internuntiis; nunc, quantum temporis illa licentia duraverit, expone. *Rom.* D. Paulus Timotheum anno decimo octavo post Christi Ascensionem circumcidit, *Act.* 16. 3.

Digitized by Google

& vigesimo quarto se Nazaræis votum persolventibus adjunxit. Quo tempore multa fratrum millia legem æmulari dicebat D. Jacobus; qui & ipse legalium cæremoniarum studiosus erat; & anno trigesimo à Christi morte diem obiit, decimo verò ante Jerosolymæ eversionem; in qua legem veterem cum omni instrumentorum suorum apparatu in æternum consepultam, asserendum. Quod Daniel expressit, qui de tempore adventûs, & mortis Christi clariùs omnibus prophetavit: *Civitatem, inquit, & sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo. Et post finem belli statuta desolatio.* Et infrà: *Deficiet hostia, & sacrificium.* Priùs statuit urbis, & templi à populo Romano, & ipsius Imperatore Vespasiano eversionem: & posteà subiicit legalium in hostiis, & sacrificiis cessationem. Quo tempore tradit Josephus, ipsa die Pentecostes, auditam vocem Angelorum templi tutelarium ex adytis erumpentium, atque clamantium: *Transeamus ex his sedibus.* Quibus verbis significabant, sibi everso jam templo, & cæremoniis legalibus obliteratis, nihil restare, quod illic curarent, sed esse ad Gentium Ecclesiam toto jam orbe dilatatam transeundum. Nec sine mysterio audita est vox illa in die Pentecostes, ut sicut lex Evangelica priùs in ea promulgata fuerat, & securis ad radicem Mosaicæ admota, sic in eadem post quadraginta annos penitùs exscinderetur.

Act. 21. 20. 26.

Baronius anno Christi 63.

Dan. 9. 26.

Josephus lib. 7. De bello Judaico, cap. 12.

Cùm lex illa priùs à Deo data fuerit non debuit subitò exscindi.

11. *Abass.* Quas ob causas legalium in illos quadraginta annos prorogationem Deus permisit? *Rom.* Tres sunt præcipuæ. Prima petitur ex ipsa legis natura. Lex illa à Deo, & ab ipso Christo, qui Deus erat, Moysi dictata fuerat; ac proindè sancta erat, & justa. Si ergo ipsam colentibus subitò exitialis declarata fuisset, adeò ut nec tantillùm in ipsa sine peccato persistere possent; Ethnici nihil illam à suorum idolorum cultu differre arbitrarentur; Judæi verò non futilem titulum adepti essent, ut se priùs deceptos, & Deum malorum tentatorem esse causarentur. Dandum igitur illis fuit tempus commodum, quo ipsi se ab avitorum rituum consuetudine, quæ propè verterat in naturam, paulatim avellerent, suámque matrem, honestâ pompâ in tumulum inferrent. Patris enim, vel matris cadavera non statim ubi animam egêre, ab iis, quas erexerant, domibus extruduntur; sed maturatò lavantur, unguentis condiuntur, & convocato amicorum stipatu, decentíque funeris apparatu in sepulchrum importantur. Si verò Jezabelem, quamvis multis titulis damnabilem, honestè sepeliendam Jehu censuit, quòd Rege nata esset; *Sepelite*, inquit, *maledictam illam, quia filia Regis est*; Cur non honorificè in sepulchrum condenda esset lex illa, quæ priùs fuerat Dei digito exarata; & cùjus præceptis ceu benedictionibus, ad homines benedicendos se ipse induerat? Psalte dicente: *Etenim benedictionem dabit Legislator*; in Hebræo: *Benedictionibus amicietur Legislator?*

Dandum fuit legi tempus cõmodum, ut cum honore se eluctur.

4. Reg. 9. 34.

Psal. 83. 8.

Ut lex Evangelica

12. *Abass.* Quæ secunda fuit causa legis ex intervallo tumulandæ? *Rom.* Secunda ratio petenda est ex ratione legis Evangelicæ, quæ Mosaicam sua sede deturbavit. Nam lex Evangelica non ad unum populum, sed in totum orbem lata est: *Euntes in mundum universum*, inquit Christus, *prædicate Evangelium omni creaturæ.* Sed totum orbem non poterat una die, vel uno, vel paucis annis ad sui receptionem obligare. Ut enim obligaret, priùs debebat omnibus innotescere; non quidem confusè, & tumultuariè, sed perfectâ mysteriorum suorum traditione. *Quomodò enim*, inquit Paulus, *credent ei, quem non audierunt? Quomodò autem audient sine prædicante?* Oportebat ergo mitti in mundum universum prædicatores; qui tamen simul mitti non poterant, sed per intervalla. Illud ergo quadraginta annorum tempus sufficiens fuit, ut Apostoli, ipsorúmque auditores longè, latéque dispersi Christianam Fidem per totum terrarum orbem disseminarent. Quod suo jam tempore magna ex parte factum Paulus testatur: *Numquid*, inquit, *non audierunt? Et quidem in omnem terram exivit sonus eorum, & in fines orbis terræ verba eorum.* Et alibi: *In verbo veritatis Evangelii, quod pervenit ad vos, sicut & in universo mundo est, & fructificat, & crescit.* Et infrà: *Quod prædicatum est in omni creaturâ, quæ sub cœlo est.* Ergo Gentium plenitudo facta est Judaicarum cæremoniarum evacuatio; & perfecta Evangelicæ legis per illos quadraginta annos introductio, Mosaicæ fuit exterminatio.

paulatim in mundum inducebatur, sic Mosaica exturbabatur.

Marc. 16. 15

Rom. 10. 14.

Rom. 10. 18.

Col. 1. 6. 23.

Dum templum, & civitas starét, lex vetus tolli non poterat.

13. *Abass.* Adde tertiam rationem. *Rom.* Tertia ratio sumenda est ex civitate Jerosolymitana, & templo; quæ Deus statim in ipsa Filii sui morte non excîdit, sed per illos quadraginta annos stare passus est; quo concesso, ipsam quoque legem durare permisit. Manente námque civitate, manere quoque oportebat leges judiciarias, quibus fundata fuerat; aliàs enim ad exiguum tempus sancire, esset ab omni ratione alienum. Templo verò persistente, necessum erat, Sacerdotes, & sacros ritus, quibus peragebantur sacrificia, persistere. Ideò D. Paulus, cùm duriusculè locutus esset adversùs summum Antistitem, quem non agnoscebat, se apud adstantes purgavit, dicens: *Nesciebam, fratres, quia Princeps est Sacerdotum*; adhuc enim illius in sacris principatum suspiciebat. Templo, ac civitate dissipatis, ipse simul leges, & cæremoniæ corruerunt. Mansit enim Jerusalem, ut Isaias prædixerat, *sicut civitas, quæ vastatur.* Vastatur autem secundùm leges humanas, immisso aratro; & tunc tam civilitatis, quàm religionis privilegia amittuntur. Urbes enim, non jam urbes sunt, sed segetes: & loca religiosa desinunt esse religiosa, cùm ab hostibus capiuntur. Mansit etiam *velut quercus defluentibus foliis, & velut hortus absque aqua*; quia lex aquam gratiæ *salientis in vitam æternam* non habebat; & sacra domus exuta cæremoniis, quarum ornatu tanquàm foliis tegebatur, remansit truncus informis,

Act. 23. 5.

Isai. 1. 8.

L. Si usus fructus, ff. quib mod. usus fruct. amittatur.

Isai. 1. 30. *Joan.* 4. 14. & 7. 38.

Digitized by Google

inutile lignum ; nec jam domus , sed solitudo , juxta Christi Verbum , *relinquetur vobis domus vestra deserta :* sine Sanctuario , sine Sacerdotibus , sine Sacrificiis.

Matt. 23. 38

Post eversionem Jerosolymæ nulli permissa sunt legalia.

14. *Abass.* Viguitne legalium observatio aliquantulum temporis post urbis , ac templi sub Vespasiano demolitionem ? *Rom.* Nec viguit , nec vigere potuit. Quòd non viguerit , ostendunt luculenta Apostolorum , & antiquissimorum Ecclesiæ Patrum , testimonia , qui cum ipsis Apostolis & illius excidii tempore vixerunt. Ii sunt D. Clemens , D. Agnateus , & D. Deonaceos Areosfagos. In primis Apostoli ità decrevêre in Synodo Antiochena , quam refert Turrianus libro pro Canonibus Apostolorum , cap. 25. *Ut baptizati jam non circumcidantur more Judæorum ; siquidem Baptismus sit circumcisio non manu facta.* Deindè D. Clemens lib. 6. Apostolicarum Constitutionum cap. 11. docet , Judaicam legem , & circumcisionem jam desiisse , ut patet ex vestro Haymanot Abbau in Didascalia parte 1. quæ totum illud caput complectitur. *Ne* , inquit , *circumcidamur unquàm sicut Judæi ; cognoscimus enim venisse illum , qui complevit legem , & Prophetas.* Et cap. 14. *Neque carnem circumcidere , sed satis esse Fidelibus circumcisionem cordis in spiritu.* De totius legis fine agit cap. 20. 21. 23. De Sacrificiis cap. 22. De observantiis. Cap. 26. & 29. D. Agnateus : *Si adhuc* , inquit , *juxta legem Judaicam , & circumcisionem carnis vixerimus , negamus , nos gratiam accepisse.* Et iterùm : *Absurdum est JESUM Christum sonare lingua , & non habere abolitum Judaismum. Ubi enim Christianismus , non est Judaismus.* D. Deonaceos Areosfagos : *Illi , qui legis signis perficiebantur , ad perfectiorem , & absolutiorem mysteriorum disciplinam traducebantur. Perfectiorem autem disciplinam divina Scriptura hierarchiam nostram* , (ideſt , Ecclesiæ ordinem) *nuncupat , cùm eam illius expletionem , sacrúmque finem vocat.* D. Irenæus discipulus Polycarpi , qui & ipse D. Joannis Evangelistæ fuerat auditor , lib. 4. cap. 16. *Quomodò finis legis Christus , si non & legis initium esset ? Qui enim finem intulit , hic & initium operatus est.* Et cap. 34. *Sacrificia in populo , Sacrificia in Ecclesia , sed species immutata est.* Et cap. 35. *Munera , & oblationes , & Sacrificia : omnia in typo populus accepit.* Tertullianus , qui vivebat tempore Irenæi : *Neque de victus exceptionibus , neque de solemnitatibus dierum , neque de ipso signaculo corporis , neque de consortio nominis cum Judæis agimus.* Vides igitur, antiquissimos Ecclesiæ auctores post Apostolos , qui proximè post Jerosolymæ cladem scripsêre , legis exauctorationem , & cæremoniarum interitum testari.

Turrian. pro Canon. Apostol. cap. 25. Concil. Apost. D. Clemens lib. 6. Const. cap. 11. Didascalia p. 1. n. 15.

D. Ignat. ep. 6. ad Magnesianos.

D. Dionys. Areop. lib. de Eccl. hier. cap. 1. p. 1.

D. Iren. lib. 4. cap. 16.

Cap. 34.

Cap. 35.

Tertullian. in Apolog. cap. 21.

Eversâ Jerosolymâ lex vetus manere non poterat.

15. *Abass.* Quid illud , quod proximè appositi : post extremam Jerosolymæ ruinam cultum cæremoniarum vigere non potuisse ? *Rom.* Pleraque legalia Palestinæ , & Jerosolymæ sic erant alligata , ut extra illas exerceri non possent. De Paschate id expressè asseritur in Deuteronomio : *Non poteris immolare Phase in qualibet urbium tuarum ; sed in loco , quem elegerit Dominus Deus tuus , ut habitet nomen ejus ibi.* Idem generaliter de Sacrificiis præcipitur cap. 12. *Cave ne offeras holocausta tua in omni loco , quem videris ; sed in eo , quem elegerit Dominus.* Jubebat etiam Deus , ut tribus anni festivitatibus : Paschæ , Pentecostes , & Tabernaculorum omnes Hebræorum masculi in templo apparerent. *Ubi nunc* , inquit D. Hieronymus , *compleri potest illud , subversa Jerusalem , & templo ad cineres dissipato ?* De illo dixit Christus : *Non relinquetur hic lapis super lapidem , qui non destruatur.* In quo ergo altari Sacrificandum ? In cujus rei confirmationem divino consilio evênit , ut cùm Julianus Apostata in odium Christiani nominis , & Judæorum gratiam templum instaurare vellet , & sæpiùs illius fundamenta jecisset , toties ignis è terræ sinu ebulliens illa disjecerit , & combusserit. Et primùm Vespasianus anno Christi septuagesimo quarto , deindè Hadrianus centesimo trigesimo septimo Judæos Jerosolymis expulerit , eósque illius non solum ingressu , sed etiam aspectu interdixerit ; ut præter Eusebii Chronicon , & Historiam declarant illa verba Tertulliani in Apologetico : *Dispersi , palabundi & cœli , & soli sui extorres vagantur per orbem sine homine , sine Deo Rege ; quibus nec advenarum jure terram patriam saltem vestigio salutare conceditur.* Nec desunt divina oracula ; sed pro omnibus sit illud Danielis : *Usque ad consummationem , & finem perseverabit desolatio.* Desolatio verò non solùm civitatis , & templi , sed & cæremoniarum. Redde ergo pristinum urbis , & templi statum , tunc de cæremoniarum jure contende ; ut ad Judaismi sectatorem dixit idem Tertullianus : *Redde statum Judææ , quem Christus inveniat , & alium contende venire.*

Deut. 16. 5. 6

Deuter. 12. 13. 14.

Exod. 23. 17. & 34. 23.

D. Hieron. in cap. 3. Epist. ad Galatas. *Matth.* 24. 2.

D. Gregor. Naz. Orat. 2. in Julian.

D. Joan. Chry. Orat. 2. adverſ. Judæos.

Baronius anno 363. tom. 3.

Euseb. in Chron. & lib. 4. Historiæ, c. 6.

Tertul. in Apolog. cap. 21.

Dan. 9. 26.

Tertull. lib. adversùs Judæos , cap. 13.

Legalia intra illos 40. annos exercita falsam significationem non habebant.

16. *Abass.* Ex omnibus isto capite prolatis octava dubitatio erumpit. Suprà dixisti, ideò nunc perniciosam esse legis veteris observantiam , quia cùm illius cæremoniæ signa fuerint internæ gratiæ , & typi atque umbræ futurorum Christi mysteriorum , qui nunc illas exercet , factis mentitur , & Christum , qui natus est , passus , & resurrexit , venturum adhuc , passurum , & resurrecturum protestatur ; sed idem militat in Judæis , qui ab Evangelicæ legis promulgatione , usque ad Jerosolymæ vastationem legalium exercitationi incumbebant , quia gratiæ jam signum non erant , & eum , qui venerat , quasi venturum obumbrabant ; ergo nulla ratione potuit illo tempore cultus legalium vigere. *Rom.* Idem actus potest ex multis rationibus motivis imperari ; ut jejunium ad animarum , quæ sunt in igne purgatorio , subsidium ; ad culparum solutionem ; ad corporis afflictationem ; & ad festi alicujus insignioris celebrationem ; & una ratione cessante (exempli gratiâ , quia anima priùs in purgatorio detenta jam ad cœlum devolavit) possunt adhuc aliæ subsistere. Legalia verò etsi præcipuè ordinata sunt à

Deo

Digitized by Google

Deo ad præsignanda Christi mysteria, ex aliis etiam motivis honesta fuêre; ut circumcisio præter Christi expectationem signum fuit distinctionis ab idolorum cultoribus, obedientiæ, castitatis, aliarúmque virtutum. Sacrificia verò non solùm mortis Christi, & Eucharistiæ, sed religionis etiam, otii, & idolatriæ vitandæ, & devotionis erga Deum fuêre monumenta. Quamvis ergo legalia post Christi mortem rationem illam motivam non haberent, ut ipsum venturum significarent; nec gratiam conferebant, aut significabant; aliàs adhuc obedientiæ, religionis, devotionis, & sanctæ exercitationis rationes conservabant; propter quas Judæi, Deo permittente, illa religiosè, & laudabiliter obibant. Si qui verò inculpabiliter Christi adventum ignorabant, legalium quidem cultu minimè sanctificabantur, sed nullum peccatum admittebant. At qui Spiritui sancto resistentes, & in Judaica perfidia pervicaces illis gratiam lucrari se credebant, aut Christum adhuc venturum sperabant, nulla ratione possunt à mendacio, & falsa superstitione excusari: *Si enim non venissem, & locutus eis non fuissem, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent à peccato suo.* *Joan. 15. 22.*

Legem à Deo positam nemo transgredi potest ex quovis motivo, quod ipsi honestum videretur.

17. *Abass.* Ultima vires ex tuis dictis sumit dubitatio. Si illi, qui inter Christi mortem, & Jerosolymæ eversionem vixêre, rationes motivas in legalibus discernere potuerunt, illáque ex obedientiæ, vel religionis affectu laudabiliter exercere, etsi cessarit ratio significationis, ob quam Deus illa potissimùm indixit; poterit modò quilibet Christianus operam iisdem dare, & signarim circumcisioni absque ullo Judaico affectu; utpote qui firmissimè illa gratiam non conferre, & Christum jam venisse teneat, & confiteatur; sed ex honesto fine, ut Deum colat illis ritibus, séque ipsi præstet obsequentem. *Rom.* Hujus dubii, quod gravissimum est, solutionem in Cap. 5. & 6. Libri 12. differamus, in quo tractandum de Circumcisione. Nunc solùm aio: absoluto Dei interdicto de legalibus excludendis omnes, quas congessisti, rationes jugulari.

CAPUT VII.

De Catechismo, in quo summatim: & de signo Crucis, in quo typicè omnia legis Christianæ mysteria, & præcepta continentur.

Quid sit Catechismus, & quatuor illius partes.

1. *Abass.* Fateor, omnes alias leges esse detestabiles, Mosaicam verò abrogatam, solámque Christianam solio, ac sceptro dignam. Sed ubi, quæso, illa continetur? *Rom.* Lex Christiana quatuor potissimùm Evangeliis, Actis, & Apostolorum litteris includitur. Sed quia campus ille spatiosus est, quem Fideles simpliciores ingenioli sui aratro proscindere non possunt, pia ipsorum parens Ecclesia Catechismum, & Crucis signum excogitavit, in quæ tanquàm in summam, ac typum omnia Christianæ legis mysteria, præceptáque compegit.

Catechismi partes.

2. *Abass.* Quid est Catechismus? *Rom.* Catechismus est compendiaria Christianæ legis propositio in quatuor partes distributa. Prima Apostolorum Symbolum, & Fidei articulos complectitur. Secunda Orationem Dominicam, & Angelicam. Tertia decem divinæ legis Mandata, & quinque Ecclesiæ Præcepta. Quarta septem ejusdem Ecclesiæ Sacramenta.

Domum spiritualem Christianis moliuntur tres virtutes Theologicæ.

3. *Abass.* Cur isto ordine Christianam legem, doctrinámve proponis? *Rom.* Ecclesia *Dei est ædificatio* secundùm Paulum, *& domus spiritualis* secundùm Petrum. Domus autem constat fundamentis, parietibus, & tecto; & ad fundamenta jacienda, ad erigendos parietes, tectúmque componendum, opus est fabrilibus instrumentis. Ergo Fides, quæ prima est ex virtutibus Theologicis, *& initium substantiæ*, sivè fabricæ istius spiritualis, solida illi fundamenta locat in Symbolo Apostolorum; cujus explicationem prioribus octo libris prosequemur. Parietes ad cœlum usque spes, *quæ incedit usque ad interiora velaminis* per orationem, quæ *nubes penetrat*, attollit. Ideò Orationem Dominicam, & Angelicam libro nono, quàm brevissimè explicabimus. Charitas *quæ finis est præcepti, & operit multitudinem peccatorum*, tectum, sivè operimentum domui consummatæ libro decimo, & undecimo, explicatis Dei, & Ecclesiæ Præceptis, concinnabit. Tandem duodecimo proponentur Sacramenta, quæ sunt instrumenta, quibus Fides cæmentum sternit, Spes parietes evehit, & Charitas tectum extendit, totíque molitioni coronidem apponit.

1. Cor. 3. 9.
1. Petr. 2. 5.
Heb. 3. 14.
Heb. 6. 19.
Eccl. 3. 11.
1. Tim. 1. 5.
1. Petr. 4. 8.

In signo Crucis typicè continetur totus Catechismus.

4. *Abass.* Quomodò in signo Crucis hæc omnia typicè continentur? *Rom.* Cùm signum Crucis exprimitur, verba quædam, & dexteræ delineationes adhibentur; & tam verbis, quàm lineis præcipua divinæ legis mysteria ostenduntur. Verba hæc sunt: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster. In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti. Amen.* Verbis illis: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster,* Incarnationis Dominicæ mysterium, quod in Cruce consummatum est, declaratur. Illis autem: *In nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, mysterium unitatis divinæ naturæ, & Trinitatis Personarum. Quæ duo mysteria omnium sunt præstantissima, eorúmque fides omnibus Christianis ad salutem necessaria. Dicentes enim: *In nomine*, Dei, cujus unum est nomen & substantia, unitatem confitemur. Addentes verò: *Patris, & Filii, & Spiritus sancti*, Personarum Trinitatem declaramus. Quapropter libro secundo de Dei unitate, tertio de ejusdem Trinitate, quinto, & sexto de Incarnatione, & illius mysteriis agendum.

Sigilli sanctæ Crucis mysteria ex-penduntur.

5. *Abass.* Sigilli priùs delineationem consideremus. *Rom.* Cùm dicimus: *Per signum Crucis de inimicis nostris libera nos, Deus noster*, tres Cruces describimus: primam fronti, secundam ori, tertiam pectori imprimentes.

Digitized by Google

Per primam testamur, firmiter nos mente Fidei mysteriis assentiri; per secundam, paratos esse ad publicam illius professionem; per tertiam, nos addituros gnavam operum exhibitionem. Cùm verò ampliorem Crucem à fronte ad pectus, & ab humero sinistro ad dextrum producimus, unum esse Deum designamus. Cùm verò dicentes: *In nomine Patris*, frontem tangimus, Patrem Filii, & Spiritus sancti principium esse innuimus. Cùm pectus ad summum ventrem leviter premimus, addentes: *Et Filii*, æternam verbi à Patre *ex utéro ante luciferum* generationem connotamus. Cùm dextram utrique humero applicamus, eosque velut in amicitiam contrahimus, dicentes: *Et Spiritus sancti*, tertiæ Personæ, quæ essentialiter amor est, à Patre, & Filio processionem indicamus; eámque, cùm duæ aliæ Personæ simplex nomen habeant, composito vocabulo Spiritum sanctum appellamus; quòd in se ipso ambarum concursum, inspirationémque collegerit. Tandem frontis, & pectoris tactu Fidem mente, & corde retinendam: utriusque humeri designatione præceptorum executionem, & Sacramentorum susceptionem, vobis adjungendam demonstramus. Undè dignosces, totum Catechismum in signo Crucis tanquàm in typo contineri.

Ps. 109. 3.

Crucis signo contra adversarios munimur.

6. *Abass.* Quorsùm toties fronti, ori, & cordi signum Crucis appingimus? *Rom.* Christiani vita perpetua militia est. Ut ergo milites signo aliquo visibili ab hostibus discernuntur, sic Dei milites Crucis signo ab inimicis discriminantur. Inimici verò, cùm quibus belligeramus, sunt mundus, diabolus, & caro; qui cùm bellum in nos commoveant, accersitis in sui auxilium malis cogitationibus, Crucem fronti, ac cerebro imprimimus. Quia nos ad iniqua verba provocant, aliam ori subjicimus. Quia nos ad perversa opera (quorum fons est cor, & humeri velut administri) inducunt, idem signum pectori, atque humeris admovemus. Præcipuè tamen signo Crucis nos adversus dæmonem obmunire debemus; cùm enim sub illius vexillo debellatus, & illo velut Goliath gladio fuerit obtruncatus, mirum in modum Crucis potentiam, & aspectum perhorrescit.

1. Reg. 17. 51.

Semper uti debemus signo Crucis.

1. Pet. 5. 8.

7. *Abass.* Quonam sumus tempore Crucis signaculo muniendi? *Rom.* Cùm adversarius noster diabolus omni tempore, & loco, *tanquàm leo rugiens* incurset, *quærens quem devoret*, ubique debemus ad Crucis vexillum, tanquàm ad tutissimum salutis nostræ propugnaculum advolare, exemplo militum primævæ Ecclesiæ, quorum illa vox est apud Tertullianum: *Ad omnem progressum, atque promotum; ad omnem aditum, & exitum; ad vestitum, & calceatum; ad lavacra, ad mensas, ad lumina, ad cubilia, ad sedilia, quacumque nos conversatio exercet, frontem Crucis signaculo terimus.* Semper igitur salutari hoc munimento vallari debemus, ut Deus illius intuitu nobis præstò sit; ad nos Angelorum examina conglobentur, & fuligineæ dæmonum catervæ in fugam compellantur.

Tertul. de Corona militis, cap. 3.

In locis publicis Cruces erigendæ.

8. *Abass.* Cur apud vos Lusitanos Cruces in vestibus assuuntur: in montibus, locis publicis, summísque domorum verticibus eriguntur? *Rom.* Dæmones D. Paulus dixit *aëris principes, mundíque rectores*; ut igitur Christus in aëre suspensus est, ut illos ab aëris potestate, mundíque dominatu exturbaret, sic Christiani Crucis vexillum passim in aëre, & sedibus eminentibus statuunt, ut quam ipsorum dux olim consecutus est, ipsi nunc victoriam prosequantur, nullúmque dæmoni in toto orbe perfugium relinquant.

Eph. 2. 2. & 6. 12.

Crucis adoratio non est idololatria.

Ps. 113. 4.

9. *Abass. Simulacra Gentium argentum, & aurum*; si ergo Cruces ex auro, argento, & interdùm ligno componuntur; quomodò Christianis fas erit illas colere, & adorare? *Rom.* Christi, & Crucis, & Sanctorum imagines adorare credentem ipsas habere innatam divinitatem, vel sanctitatem; vel inanium Deorum simulacra, quasi divinitatem spirantia suspicere, scelus est idololatriæ, à qua longissimè abest sanctissimæ Crucis veneratio. Neque enim auream, vel argenteam, vel ligneam materiam adoramus, sed Christum verum Deum, atque hominem, qui Crucem pretiosi sanguinis sui effusione, & morte sanctificavit. Nulla similiter labes est idololatriæ in Sanctorum, imaginum ipsorum, & reliquiarum, ac sepulchrorum cultu. Isthæc enim non adoramus, quòd Deos esse, vel Deorum corollaria putemus, sed quòd virtutum merito divinæ naturæ consortes, & sanctitatis participes effecti, Deo sint maximè familiares; & apud illum & gratiâ polleant, & auctoritate. Qua de re latiùs lib. 10. cap. 3. à n. 9. ad 21.

CAPUT VIII.

De Symbolo Apostolorum.

Symbolum ab Apostolis compositum.

1. *Bass.* Signum Crucis ut felix, ac faustum omen nostræ molitioni præmittentes spiritualem domum, Deo auspice, te autem architecto, aggrediamur. *Rom.* Si me destinas tantæ machinæ architectum, *ne sapiens architectus* (licèt longè distem à Paulo) fundamentum ponam, inchoans à prima parte Catechismi, quod est Symbolum Apostolorum. *Abass.* Cur ità pars hæc dicta? *Rom.* Duodecim Apostoli, antequàm in orbem ad prædicandum Christi Evangelium anno duodecimo ab illius Ascensione dispergerentur, Concilium Jerosolymis conflârunt, in quo ex iis, quæ à Sacris Scripturis didicerant, à Christo audierant, & ab Spiritu sancto edocti erant, in stabilem quamdam Fidei regulam convenêrunt, quam per universum mundum mirâ animorum, & doctrinæ consensione disseminarent. In eam verò suam quisque sententiam, quasi pecuniam in commune Marsupium contulit; undè dictum est Symbolum. Cùm verò duodecim ipsi essent, totidem fuêre Symboli sententiæ. Sunt autem duodecim hi articuli

1. Cor. 3. 10.

duodecim

Digitized by Google

duodecim fontes Elim, cum septuaginta palmis, in quos Hebræi, ubi primùm transiêre mare Rubrum (*in quo*, teste Paulo, *Baptizati sunt*) incurrerunt. Illorum enim doctrina Christianos excipit palmarem à diabolo victoriam in baptismo consecutos. Sunt etiam duodecim lapides, quos singuli viri de singulis tribubus ex siccо Jordanis alveo (in quo Christus posteà baptizatus est) in humeros extulerunt, & in Galgalis (quod est revolutio) ad volutationem, temporis sempiternam defixerunt. Hanc enim Fidem Christiani, cùm Baptismo abluuntur, in humeros ad extremum usque vitæ spiritum attollunt. Hæ sunt duodecim gemmæ rationalis summi Sacerdotis Jesu Christi, in quibus est *illuminatio, & veritas*. Hæ sunt duodecim stellæ, quæ coronam illi mulieri, quam sol ambit undique in typum Ecclesiæ, concinnant. Hæ sunt duodecim portæ, per quas in sanctam civitatem Jerusalem à quatuor mundi partibus datur ingressus. Hæc sunt duodecim illius fundamenta, de quibus apertè dicitur in Apocalypsi: *Et murus civitatis habens fundamenta duodecim, & in ipsis duodecim nomina duodecim Apostolorum Agni.*

Exod. 15. 27. 1. *Cor.* 10. 2. *Jos.* 4. 20. *Matth.* 3. 16. *Exod.* 28. 21 & c. *Apoc.* 12. 1. *Apoc.* 21. 12. *V.* 14.

2. *Abass.* Scire vellem, quam quisque Apostolorum sententiam in Symbolum conjecerit. *Rom.* Non mihi, sed Divo Augustino aures accommoda. D. *Petrus dixit:* Credo in Deum Patrem omnipotentem. D. *Joannes dixit:* Creatorem cœli, & terræ. D. *Jacobus Major dixit:* Et in Jesum Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. D. *Andreas dixit:* Qui conceptus est de Spiritu Sancto, natus ex Maria Virgine. D. *Philippus dixit:* Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus. D. *Thomas dixit:* Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis. D. *Bartholomeus dixit:* Ascendit ad cœlum, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis. D. *Matthæus dixit:* Indè venturus est judicare vivos, & mortuos. D. *Jacobus Alphæi dixit:* Credo in Spiritum Sanctum, sanctam Ecclesiam Catholicam. D. *Simon Chananæus dixit:* Sanctorum communionem, remissionem peccatorum. D. *Judas Jacobi dixit:* Carnis resurrectionem. D. *Matthias perfecit, dicens:* Vitam æternam. Amen.

Singulorum Apostolorũ articuli. D. August. serm. 115. De tempore.

3. *Abass.* Aliudne Symbolum datur præter istud Apostolicum? *Rom.* Nullum est Symbolum, quod alienam, vel adversariam Apostolico doctrinam contineat; sunt verò alia tria, quæ eamdem Fidem verbis pluribus exponunt. Primum est Symbolum tercentum decem, & octo Patrum Concilii Nicæni, quod Filii Dei divinitatem uberiùs profitetur: Secundum centum, & quinquaginta Patrum Concilii Constantinopolitani, quod declarandæ Spiritus sancti divinitati se totum impendit. Tertium Symbolum, quod D. Athanateus Patriarcha Alexandrinus tanquàm Fidei suæ tesseram Romæ edidit, & D. Julio Romano Pontifici obtulit, & in eo cœlesti, ac propemodùm divina sapientia tria priora Symbola explicavit. Inter omnia tamen Symbola Apostolicum tamquàm cæterorum fons, & radix, imò tamquàm Ecclesiæ propugnaculum, enitescit. Sicut enim filii Adam post generalem illam terrarum illuvionem, antequam in orbem diffunderentur, turrim ad cœlum usque attollere tentârunt, in qua nomen suum æternitati consecrarent; ità Dei filii, nempè Apostoli, antequàm in universum orbem excurrerent, turrim aliam excellentiorem, non quidem ex lateribus bitumine colligatis, sed quadris, ac pretiosis veræ Fidei lapidibus coagmentatam ultra cœlum evexerunt. Ideò ipsorum linguæ divisæ non sunt, sicut filiorum hominum linguæ, sed unam linguam, ac *labium electum* toti orbi contulerunt. Quamvis enim gentium, ac populorum diversæ sint syllabæ, & idiomata, populorum vox tamen una est, quæ idem Symbolum ubique personat, & decantat. *Etsi in mundo loquelæ dissimiles sunt*, inquit D. Irenæus; *sed tamen virtus traditionis una, & eadem est.* Nec Ecclesiæ Doctores ad Hæreticos configendos aliundè tela sunt mutuati. Hæc est enim *turris David, quæ ædificata est cum propugnaculis. Mille clypei pendent ex ea: omnis armatura fortium.*

Quatuor Symbola in Ecclesia solemnia sunt.

Baron. tom. 3. anno 340.

Symbolum Apostolicũ est Ecclesiæ propugnaculum.

Gen. 11. 4. *Soph.* 3. 9. D. Irenæus lib. 1. cap. 3. *Cant.* 4. 4.

CAPUT IX.

De primo verbo Symboli Apostolici, quod est Credo; *& exponitur, quid sit Fides, & divina revelatio, cui Fides innititur.*

1. *Abass.* Cur à credendi verbo suam doctrinam Apostolorum Symbolum auspicatur? *Rom.* Duplex est cognitio; altera facialis, sivè intuitiva; altera auricularis. Facialis illa est, quæ per proprias rei cognitæ species, vel causas oculorum sivè mentis, sivè corporis adminiculo: auricularis, quæ aurium ministerio comparatur. Illa cognitio, quæ intellectu (qui mentis est oculus) per veras rei perceptæ causas acquiritur, dicitur scientia; quæ oculis corporeis, sive alio sensu externo, experientia. Per utramque verò res cognita in se ipsa, & ratione specierum ab ipsa effluentium percipitur. Secùs se res habet in auriculari, quæ non proficiscitur immediatè ab ipsa re, quæ cognoscitur, sed ab enuntiatione alicujus, qui ipsam se vidisse, vel audisse attestatur; cujus dicto assentiri, vel dissentiri est credere, vel non credere. Igitur Fidei mysteria neque mentis oculo, vel scientiâ: neque corporeis oculis, sivè experientiâ attinguntur. Non mentis oculo; quia simpliciter sunt invisibilia; illa præcipuè, quæ ad divinam substantiam spectant, de qua D. Joannes: *Deum nemo vidit unquam*; Et D. Paulus: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Oculis verò corporeis non attinguntur; quia pleraque ex ipsis sunt spiritualia, & ut apud vos ait D. Gregorius Thaumaturgus: *Quod carnale est, spirituale invenire non potest.* Etsi autem aliqua Fidei mysteria visibilia sint, ut Lazari suscitatio, & Christi nativitas, ac passio; ipsorum Fides non consistit in eo, quod visibile est, sed in aliquo invisibili; quod aliquandò est Dei attestatio erga illos, qui ipsam non audierunt, cùm tamen rem intueantur. *Sic Fide credimus aptata*

Credendi actus fertur in revelationem, vel relationem alicujus.

Joan. 1. 18. 1. *Tim.* 6. 16. D. Gregor. Thaumat. p. 1. n. 12. *Hebr.* 11. 3.

Digitized by Google

aptata esse sæcula verbo Dei; quia etsi cœlum, ac terram oculis usurpamus, præsentes non eramus, cùm Deus illorum creationem Moysi revelavit. Aliquandò est obscuritas rei promissæ, datâ etiam attestationis, vel attestantis evidentiâ; ut cùm Deus Abrahæ promisit, futurum semen ejus *sicut stellas cœli*, Abraham Deum præsentem, non autem præsens semen promissum habebat; undè subditur: *Credidit Abraham Deo, & reputatum est illi ad justitiam.* Si verò tam revelatio, quàm ipsa res revelata evidens sit, Fides evanescit. Undè D. Paulus: *Spes*, inquit, *quæ videtur, non est spes; nam quod videt quis, quid sperat?* Et alibi Fidem ità definivit: *Fides est sperandarum substantia rerum, argumentum non apparentium.* Res enim creditæ vel secundùm se totas, vel secundùm aliquam sui partem debent sperari, & non apparere.

Gen. 15. 5. 6. Rom. 4. 3. Rom. 8. 24. Hebr. 11. 1.

Certius est, quod fide creditur, quàm quod oculis usurpatur.

2. *Abass.* Ut video, cœcam omninò Fidem effingis. *Rom.* Lynceos Fides habet oculos, non tamen proprios, sed divinos, quibus utitur tanquàm propriis. Quidquid enim Deus revelat, id ex integro credendum amplectitur. Re vera tamen magis aurita est, quàm oculata; quia ut docet D. Paulus, *Fides ex auditu*; & eò perfectior est, quò minùs ad oculos se convertit. Dixit enim Christus: *Quia vidisti me Thoma, credidisti; beati, qui non viderunt, & crediderunt.* Nec Thomas illud credidit, quod vidit; sed *aliud vidit, & aliud credidit*, ut ait Magnus Gregorius; hominis enim vulnera contrectans, ipsum Deum esse agnovit, ideóque exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Nec ideò, quòd propriis oculis Fides careat, in animum inducas, ipsam cæcutire, vel vacillare; certior enim est, ac firmior, quàm si mentis, vel corporis oculis duceretur. Intellectus enim, & sensus externi sæpiùs in percipienda rerum notitia ob specierum apparentiam, pravámque dispositionem ludificantur. Fides tamen caligare non potest, utpote quæ Dei auctoritati, in quem nulla falsitas queat incurrere, nitatur. *Est enim Deus verax, omnis autem homo mendax.* Undè D. Petrus, postquàm scripsit, se cum Christo fuisse in monte sancto, cùm ipse transfiguratus est, & factum gloriæ ipsius speculatorem, ad extremum subjecit: *Et habemus firmiorem propheticum sermonem*; idest, licèt glorificationis Christi spectatores, & consortes fuerimus, plus tamen Prophetarum de ipso vaticiniis, quàm nostris oculis tribuimus; horum enim visio aliquo forsan ludibrio: Prophetarum, ac Dei veritas nullo potest mendacio subverti.

Joan. 20. 29. D. Greg. homilia 26. in Evangelia. Joan. 20. 28. Rom. 3. 4. 2. Petr. 1. 19.

Fidei definitio.

3. *Abass.* Fides siquidem adeò firma est; quid illa sit, expone. *Rom.* Fides est habituale Dei donum, quo intellectus à Deo illuminatus firmiter assentitur omnibus, quæ ipse revelavit, & Ecclesia credenda proponit. Habet verò concomitans in voluntate aliud Dei donum, quod dicitur pia affectio, vel voluntas credendi. Nam cùm Fidei mysteria, eò quòd clarè in se ipsis non cognoscantur, intellectum non evincant, opus est, ut qui aures ipsis admovent, piè animati sint ad ipsa percipienda, assensúmque præstandum iis omnibus, quæ Deus credenda dictaverit: *in captivitatem redigentes omnem intellectum in obsequium Christi.*

Fidei conjuncta est pia affectio. 2. Cor. 10. 5.

4. *Abass.* Quid me potissimùm ad assensum Fidei mysteriis conferendum debet impellere? *Rom.* Nihil aliud te ad credendum, quàm divina revelatio, & veritas debet inducere; hoc enim totum est Fidei fundamentum. Hinc David: *Principium verborum tuorum veritas*; illa nempè, quæ moveri non potest, *sed manet in æternum*; & ideò *impossibile est mentiri Deum*; *est* enim *fidelis*, & *negare se ipsum non potest.* Si autem Deus posset veritatem suam aliquo mendacio contaminare, suam quoque substantiam, bonitatem, attributáque cætera negaret, & à divina dignitate, majestatéque excideret.

Totum Fidei fundamentum est in divina veritate, & revelatione. Ps. 118. 160. Ps. 116. 2. Heb. 6. 18. 2. Tim. 2. 13.

Ut credere teneamur, non est opus, ut nobis fiat revelatio.

5. *Abass.* Si mihi Deus isthæc mysteria revelasset, illa credere tenerer; cùm autem aliis revelaverit, quæ mihi obligatio incumbit? *Rom.* Nulla exigit necessitas, ut Fidei mysteria singulis Fidelibus, sed satis est, ut Ecclesiæ capitibus, Deo revelante, patefiant. Sicut legis naturalis, & scriptæ temporibus accidit; cùm Deus Abraham, Moysem, aliosque Prophetas, de iis, quæ à toto populo credenda essent, uberiùs instruxit. Uni Abrahamo Circumcisionis Fidem, necessitatémque injunxit; sed illius obligatio ad omnes illius posteros transivit. Moysi Deus legem dedit; sed cùm Dives avarus ex inferis regredi vellet ad suos commonefaciendos, ne ità viverent, ut ad gehennam iter suis flagitiis munirent, respondit Abraham: *Habent Moysem, & Prophetas*; *audiant illos.* Discipulis quoque de veritate suæ Resurrectionis fluctuantibus Christus dixit apud Lucam: *O stulti, & tardi corde ad credendum in omnibus, quæ locuti sunt Prophetæ.* Apud Matthæum, Apostolis: *Docete omnes gentes. Docentes eos servare omnia, quæcumque præcepi vobis.* Apud Marcum: *Quod vobis dico, omnibus dico.* Apud Joannem: *Vos autem dixi amicos, quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Et posteà: *Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis, qui credituri sunt per verbum eorum in me.* En Christiani credere tenentur illa, quæ ipsi à Deo non audierunt, & illorum auctoritati deferre, qui, ut ait D. Lucas, *ab initio ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis.* Non tamen omnibus credendum (sunt enim multi *Pseudo-Apostoli*, & *operarii subdoli*) sed iis, qui electi sunt à Christo, & probati ab Ecclesia, *quæ est domus Dei viventis: columna, & firmamentum veritatis. Apostoli*, inquit D. Irenæus, *quasi in depositorium dives plenissimè in Ecclesiam contulerunt omnia, quæ sunt veritatis; ut omnis, quicumque velit, sumat ex ea potum vitæ.* Licèt autem singulis Fidelium Deus sua mysteria non revelaverit, omnibus tamen, & singulis supernaturalia auxilia suppeditat, quibus ipsorum mentes ad credendum illuminat, & voluntates ad obsequium impellit.

Gen. 17. 12. Luc. 16. 29. Luc. 24. 25. Matth. 28. 19. 20. Marc. 13. 37. Joan. 15. 15. Joan. 17. 20. Luc. 1. 2. 2. Cor. 11. 13. 1. Tim. 3. 15. D. Iren. lib. 3. cap. 4.

Intellectus fidem subsequi debet, non præire.

6. *Abass.* Si incurrero in aliquot mysteria, quæ naturali intellectûs mei judicio, & oculorum aspectui repugnent, illáne credere tenebor? *Rom.* Quamvis Fidei mysteria naturalem intellectûs nostri capedinem superent, non tamen illi adversantur. Nec decet,

ut

ut intellectus in iis dijudicandis ducem temerarium se præbeat, sed assectam obsequentem; dummodò Fides præcedat, deindè intelligentia sequatur, ut Isaias innuit, cùm dixit: *Nisi credideritis, non intelligetis.* Et David: *Credidi, propter quod locutus sum.* Et Apostoli: *Nos credidimus, & cognovimus, quia tu es Christus Filius Dei.* Quibus in testimoniis priùs est credere, quàm intelligere, & cognoscere. Licèt autem mysteria ardua sint, & angustam intellectûs nostri mensuram excedere videantur, Deo, qui naturæ auctor est, & immutator, nihil difficile, vel impossibile occurrit. Nec quidquam est magis contra rationem, quàm velle divinam sapientiam humanæ rationi subjicere, & infinitam illius potentiam mortalis ingenioli lance trutinari.

Isai 7. 9. juxta Versio. LXX. *Ps.* 115. 10. *Joan.* 6. 70.

Levis non est, qui Deo citò credit.

7. *Abass.* Poterítne quivis homo solertiam suam interponere, ut credat, vel non credat illa, quæ credenda proponuntur, ut immunis sit ab illa Ecclesiastici increpatione: *Qui citò credit, levis est corde? Rom.* Diligenter cave, ne dum quæris non levis corde videri, corde tardus, & plumbeus evadas, & unus de illorum numero, ad quos Salvator: *O stulti, & tardi corde ad credendum:* Et Psaltes: *Filii hominum usquequo gravi corde?* Ecclesiastici auctor de iis tantùm locutus est, qui se ad sequenda aliorum hominum consilia, quorum nec scientiam, nec veritatem, nec justitiam sunt experti, cæco quodam judicio præcipites devolvunt. At in Fide tota credendi ratio est Dei auctoritas, & revelatio, de cujus scientia, veritate, & justitia non datur locus ambigendi. *Nec Fides habet meritum, cui humana ratio præbet experimentum.* Ideò Beata Elizabeth Sanctissimam Virginem laudavit, non quòd inquisitionem, sed illibatam Fidem divinis promissionibus præstiterit: *Beata,* inquit, *quæ credidisti.* Et D. Paulus Abrahamum, quòd *crediderit in spem contra spem*; hoc est, contra totum ordinem naturæ.

Eccl. 19. 4. *Luc.* 24. 25. *Psal.* 4. 3. D. Gregor. hom. 26. in Evangelia. *Luc.* 1. 45. *Rom.* 4. 18.

Fas est, humanas rationes, & auctoritates indagare ad confirmandas Fidei veritates.

8. *Abass.* Fasne mihi erit, humanas aliquas rationes, & sapientium auctoritates aucupari ad Fidei mysteria confirmanda? *Rom.* Præjacto immobili Fidei fundamento, iniquum non est, imò laudabile, rationes conquirere, quibus divinorum mysteriorum honestas, & utilitas humano intellectui magis, ac magis blandiatur; sicut David innuebat, cùm dixit: *Testimonia tua credibilia facta sunt nimis.* Nec Philosophorum, & Poëtarum Gentilium dicta aspernanda. *Moyses enim eruditus est omni sapientia Ægyptiorum*; Daniel in doctrina Assyriorum; Paulus in libris externorum Prophetarum; & antiqui Patres: Justinus, Cyprianus, Hieronymus, & Augustinus in omnibus disciplinis ethnicorum. Nam, *quemadmodum*, inquit D. Basilius, *vitis claviculis sustentatur, ita & Fides externis disciplinis fulciur.*

Psal 92. 5. *Act.* 7. 22. *Dan.* 1. 4. *Act.* 17. 28. *Tit.* 1. 12. D. Basil. hom. 25. de humana Christi generat. & hom. 5. in exam.

Referuntur decem fidei Christianæ motiva.

Primum.

9. *Abass.* Quibus humanis rationibus uti valebo ad Fidei dogmata suffulcienda? *Rom.* Decem sunt præcipua motiva, quæ tanquàm pedamenta, & statumina Fidei tuæ viti poteris subjicere. Primum est; maximè consonum esse rationi, nullam falsitatem posse Fidei mysteriis subesse, cùm Deus illorum fuerit institutor. Si enim credimus homini, quem in magistrum eligimus, & alii, cui aurum tradimus ad negotiandum, & in externas regiones exportandum, quòd de ipsius fide certi sumus; æquius est, ut Deo Fidei dogmata dictanti fidem adhibeamus. Quod D. Joannes tradidit in sua Epistola: *Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei majus est.* Secundum est puritas, & sanctitas doctrinæ, quæ bonum naturali rationi conveniens omnibus modis tradit absque ulla perversitate, quin mala in bonum, vel bona in malum convertat. Tertium est expendere, Christi legem totum orbem ad se traxisse; cùm tamen plurima doceat, quæ carnis, & sanguinis placita evertant: Quod prodire non potest à mellitis, & plausibilibus humanæ sapientiæ verbis, sed à divinæ virtutis efficacia, quæ sub exiguo sinapis grano delitescit. Quartum est; quòd confirmata sit plurimorum Prophetarum, Angelorum, vocúmque de cœlo demissarum testimonio, ante Christi Conceptionem; in ipsius Nativitate, Baptismo, Transfiguratione, Passione, Resurrectione, & Ascensione. Quintum est Apostolorum, atque aliorum illustrium virorum prædicatio, ac librorum multitudo, qui in Christianæ religionis confirmationem compositi fuêre à tot Catholicis Doctoribus sapientiâ, & sanctitate spectatis; qui cùm in diversis terrarum partibus vixerint, in eamdem sententiam mirabiliter conspirârunt. Sextum est innumerabilis Martyrum exercitus, qui in illius defensionem heroicâ, & supra humanas vires constantiâ vitam suam projecêre. Septimum infinita Gentium multitudo, quæ Fidei jugo colla subdiderunt; non quidem, ut illius amplexu egestatem defugerent, aut divitias consectarentur (sunt enim opulentissimæ) neque quòd mentis judicio essent destitutæ (sunt enim peracri, maturóque præ cæteris ingenio) sed quòd illam cæteris rebus præferendam censerent. Octavum numerosissimi Anachoretarum, & Cœnobitarum greges, qui se in antra abdidêre, & deserta in paradisum transtulêre: se in perpetua paupertate, castitate, & obedientia exercentes, ut Christianæ perfectionis apices exactiùs attingerent. Nonum est ingens vis miraculorum, quæ Christus, & sancti viri ad illius plantationem, & confirmationem ediderunt. Decimum Christianæ Fidei stabilitas, diuturnitas, & infracta virtus, quin adversùs illam Tyrannorum, vel Hæreticorum (qui portæ sunt inferi) machinationes possint prævalere. Ex his motivis, aliísque similibus colligere potest humanus intellectus, Christianam Fidem præ omnibus sectis, quæ colatur, & usque ad sanguinem defendatur, esse digniorem. Tot siquidem, & tam incorruptis è terra, atque cœlo testimoniis commendatur.

Videsoar. in tract. de Fide, dispur. 4. sect. 3. & 4.

1. Joan. 5. 9.

Secundum.

Tertium.

Quartum.

Quintum.

Sextum.

Septimum.

Octavum.

Nonum.

Decimum.

Matt. 16. 18.

Omnia Fidei mysteria, æqualiter credibilia sunt, spectatâ revelatione, non tamen eorum naturâ.

10. *Abass.* Æqualiter omnibus Fidei articulis assensus commodandus, an aliis amplior, aliis contractior? *Rom.* Si divinam revelationem spectes, quæ est lumen, quod æqualiter omnia Fidei mysteria collustrat, tam certum est Deum cœlum, ac terram condidisse (quæ sunt res adeò magnæ) quàm Abrahamum

Digitized by Google

Gen. 22. 3. Tob. 11. 9. Sour. tract. de Fide, disput. 2. sect. 4. Exod. 8. 6. 17.

asinum, & Tobiam canem aluisse; quæ sunt adeò exiles. Ut enim de illis Deus, sic de istis in Scriptura testificatur. Si tamen ipsam rerum revelatarum substantiam intueamur, alias aliis Fide digniores inveniemus. Nam, ut excellentius est, Deum unum esse, ac Trinum, & Omnipotentiâ præstare, sic id augustiorem Fidem sibi vendicat, quàm Moysem ranas, vel sciniphes in Ægypto produxisse.

Eligere quod credatur, Hæreticorum est.

11. *Abass.* Ullíne conceditur, ut partem aliquam mysteriorum credendam assumat, aliam omittat? *Rom.* Eligere, ac dividere, proprium est Hæreticorum. Nec Hæreticus aliundè, quàm ab electione apud Græcos nomen invenit. *Nobis verò*, inquit Tertullianus, *nihil de nostro inducere licèt; sed nec eligere, quod alius de arbitrio suo induxerit. Apostolos Domini habemus auctores, qui nec sibi quidquam ex suo arbitrio, quod inducerent, elegerunt, sed acceptam à Christo disciplinam fideliter nationibus assignarunt. Itaque etiamsi Angelus de cœlis aliter Evangelizaret; anathema dicetur à nobis.* Hæretici verò sectores, ac laniones Scripturæ redditi, pro libidine, quid credant, eligunt; & ideò nihil credunt. Nam ex sententia D. Jacobi: *Quicumque totam legem servaverit, offendat autem in uno, factus, est omnium reus.* Cùm enim Dei veritas una, atque eadem sit in omnibus mysteriis, qui eam in uno denegat, in omnibus diffitetur: nec Deo credit, sed sibi, homini lapsanti, & caduco, atque uni de illorum numero, de quibus David: *Omnis homo mendax.*

Tertul. lib. de Præscript. adversus Hæret. cap. 6.

Galat. 1. 9.

Qui unum Fidei articulum negat, totam evertit.

Iacob. 2. 10.

Ps. 115. 11.

CAPUT X.

Quanta auctoritatis sit Sacra Scriptura, & Patrum in eam expositio ad Fidei mysteria confirmanda.

Quatuor sunt rerum revelatarum mansiones.

1. *Abass.* Quandoquidem omnia à Deo revelata credere tenemur, quamam in mansione veritates à Deo manifestatas comperiam, ne incertus huc, illucque oberrem, & aliam pro alia intervertam? *Rom.* Quatuor sunt rerum à Deo revelatarum mansiones. Prima divinæ Scripturæ; secunda Sacrarum Traditionum; tertia Conciliorum; quarta supremi Capitis totius Ecclesiæ. In tribus prioribus possumus tantillùm in hoc libro demorari, ultimam in septimum reservantes.

In rebus Fidei quanta sit vis Sacræ Scripturæ. 1. Tim. 3. 16. D. Dionys. Areop. de Eccles. hierarchia c. 1. sect. 1. 3.

2. *Abass.* Quam vim habet Sacra Scriptura ad Fidei dogmata corroboranda? *Rom.* Eam D. Paulus ostendit, cùm dicit: *Omnis Scriptura divinitùs inspirata, utilis est ad docendum.* Et illius auditor D. Deonaceos Areopagos: *Substantia Sacerdotii nostri Scriptura Sacra est nobis divinitùs tradita.* Ideò Moyses ministrum suum Josue instruens: *Non recedat*, inquit, *volumen legis hujus ab ore tuo; sed meditaberis in eo diebus, ac noctibus, ut custodias, & facias omnia, quæ scripta sunt in eo.* Et Salvator mundi: *Scrutamini Scripturas, quoniam illæ sunt, quæ testimonium perhibent de me:* Scrutandi verbum, ex D. Chrysostomo, diligentissimam inquisitionem commendat. *Quasi dicat: Puteus altus est, & aqua intelligentiæ longè haurienda; terra altiùs fodienda; & sub ejus imis visceribus thesaurus latitans detegendus.* Ergo ad germanum Sacræ Scripturæ sensum eruendum opus est summâ diligentiâ, & cautione.

D. Chrysost. hom. 76. in Matth.

Joan. 5. 39.

3. *Abass.* Cur opus est diligentiâ in Scripturæ perscrutatione? *Rom.* Quia ut acuminata Moysis facies velo tegebatur, ne adspectantes radiis vulneraret, sic miræ obscuritatis velum obtentum est ante oculos omnium Scripturas Sacras legentium. Oritur verò hæc obscuritas ex mysteriorum magnitudine; ex rerum amplitudine; ex sensuum, & linguarum varietate; ex dubia orationis interpunctione; ex figurata locutione; ex repentina personarum mutatione; ex transitu à littera ad spiritum, & ab spiritu ad litteram; ex futurorum prædictione; ex transcursu à præsentibus ad futura, & à futuris ad præsentia; ex generalibus locutionibus, & apparentibus aliquandò contradictionibus. Quæ omnia considerans D. Augustinus, vir supra omnes humani ingenii metas: *Tanta est*, inquit, *Christianarum profunditas litterarum, ut in eis quotidiè proficerem, si eas solas ab ineunte pueritia usque ad decrepitam senectutem maximo otio, summo studio, meliore ingenio conarer addiscere.*

Maxima est difficultas divinæ Scripturæ. Exod. 34. 33

D. August. Epist. 3. ad Volusianũ.

4. *Abass.* Cur opus cautione? *Rom.* Quia indubitatus est anguis sub herba latentis morsus; & lupi ovina pelle se pastorem mentientis laniena, nisi cautè sibi quis prospiciat in Scripturæ Sacræ lectione. Ideò Spiritus sanctus admonet, ut capiantur *vulpes parvulæ, quæ demoliuntur vineas; quia tantò magis cavendi, & pertimescendi sunt Hæretici*, inquit D. Vincentius Lirinensis, *quantò occultiùs sub divinæ legis umbraculis latitant; Sciunt enim fatores suos nulli ferè citò esse placituros, si nudi, & simplices exhalentur; atque idcircò eos cœlestis eloquii velut quodam odore aspergunt, ut ille, qui humanum facilè despiceret errorem, divina non facilè contemnat oracula. Itaque faciunt, quod hi solent, qui parvulis austera quadam temperaturi pocula, priùs melle ora circumlinunt, ut incauta ætas, cùm dulcedinem præsens erit, amaritudinem non formidet.* Eamdem vigilantiam Christus inculcavit, cùm dixit: *Attendite à falsis Prophetis, qui veniunt ad vos in vestimentis ovium; intrinsecùs autem sunt lupi rapaces. Ut enim fallacius*, inquit idem, *incautis ovibus obrepant, manente luporum ferocia, deponunt lupinam speciem, & sese divinæ legis sententiis, velut quibusdam velleribus obvolvunt, ut cùm quisque lanarum mollitiem præsenserit, nequaquam dentium aculeos perhorrescat.* Nullus planè hactenus fuit Hæreticus, qui errores suos quæsito aliquo ex Sacris litteris fuco colorare non fuerit enixus. Attendendum verò maximè ab iis, & cuniculi, per quos grassantur, agnoscendi; sacram enim Scripturam triplici via, ex Tertulliani admonitione, pervertunt; vel *detractione*; vel *adjectione*, vel *transmutatione*.

Cautione maximâ opus est in Scripturis, quia illarũ sententiis Hæretici se obtegunt. Cant. 2. 15.

D. Vincentius Lirinens. lib. contra hæreses, c. 35.

Hæretici Scripturæ testimoniis, ut ovium velleribus, se tegunt. Matth. 7. 15.

D. Vincentius Lirin. cap. 36.

Tertullian. lib. de Præscrip. ad vers. Hæret. cap. 38.

Hæretici detractione Sacras litteras pervertunt.

5. *Abass.* Quo pacto Hæretici Scripturas detractione pervertunt? *Rom.* Aliqui libros

Digitized by Google

libros integros ab Ecclesiastico Canone proturbant, ut Lutherus, qui penè viginti tanquàm adulterinos sacris ex codicibus expunxit. Alii tota capita, alii sententias, alii capitum, & sententiarum partes detruncant. Cujus detractionis formam Hæreticorum pater dæmon invexit, cùm, ut Christum ad præcipitium impelleret, verba Psalmi nonagesimi citavit: *Scriptum est enim: quia Angelis suis mandavit de te, & in manibus tollent te.* Media illa verba mendacissimus impostor omisit: *Ut custodiant te in omnibus viis tuis:* Omisit autem, quia perversæ ipsius suasioni adversabantur; non enim Angelis Deus mandavit, ut homines in præcipitiis, in quæ se devolvunt temerariè, custodiant, sed cùm per regias divinorum mandatorum vias prudenter gradiuntur. Illa etiam verba mutilavit: *Super aspidem, & basiliscum ambulabis, & conculcabis leonem, & draconem.* In promptu enim erat, ut Christus responderet: Abito; tu enim es illa aspis, ille basiliscus, ille draco, ille leo, quem meis pedibus atterendum Vates prædixit: Tales sunt ipsius filii, *corruptores Evangelii*, inquit D. Cyprianus, *atque interpretes falsi; extrema ponunt, & superiora pretereunt; partis memores, & partem subdolè comprimentes; ut ipsi ab Ecclesia scissi sunt, ita unius capituli sententiam scindunt.* Talis Marcion, quem tradit D. Irenæus, *totum Evangelium rejecisse; imò verò se ipsum ab Evangelio abscidisse.* Et Tertullianus: *Marcion*, inquit, *exeriè, & palàm macharâ, non stylo usus est; quoniam ad materiam suam eadem Scripturarum confecit.*

Matth. 4. 6.
Psal. 90. 11.
D. Cyprian. lib. de unitate Ecclesiæ.
D. Irenæus lib. 3. c. 11.
Tertul. lib. de Præscript. adv. Hæret. c. 38.

Adjectione Hæretici Scripturas corrumpunt.

6. *Abass.* Quomodò adjectione Scripturas Hæretici corrumpunt? *Rom.* Sententias aliquas Sacro Textui adjicientes, quæ non reperiuntur in originali. Sic diabolus fecit, cùm Evæ dixit: *Cur præcepit vobis Deus, ut non comederetis ex omni ligno paradisi?* cùm tale quidpiam Deus non præceperit, imò *ut ex omni ligno*, uno excepto, vescerentur. Judæi quoque diaboli sequaces suis similibus dicebant: *Scrutare Scripturas, & vide, quia à Galilæa Propheta non surgit.* Et iterùm: *Nos legem habemus, & secundùm legem debet mori.* At ubi, optimi mendaciorum effossores, talem legem habetis, ut innocentem, eúmque Dei Filium occidatis: In Exodo, an in Deuteronomio? Ego quidem in Exodo illam tantùm reperio: *Insontem, & justum non occides*; Et illam in Deuteronomio: *Ut non effundatur sanguis innoxius in medio terræ.* Quænam Scriptura docet, à Galilæa Prophetam non surgere? An non scriptum in Prophetis: *Quoniam Nazaræus vocabitur*, ideſt, flos, sivè floridus? Si ergo Nazaræus est, sivè Nazarenus, jam à Galilæa Propheta surgit; est enim Nazareth civitas Galilææ. Quid ergo Scripturam mendaciorum additamentis, & vosmetipsos meritò suppliciorum fasce oneratis? cùm Deus præmoneat: *Non addetis ad verbum, quod ego loquor, nec auferetis ex eo*; Et in Apocalypsi: *Si quis apposuerit ad hæc, apponet Deus super illum plagas scriptas in libro isto; & si quis diminuerit de verbis Libri prophetiæ hujus, auferet Deus partem ejus de libro vitæ, & de civitate sancta, & de his, quæ scripta sunt in libro isto.*

Gen. 3. 1.
Gen. 2. 16.
Joan. 7. 52.
Joan. 19. 7.
Exod. 23. 7.
Deut. 19, 10.
Matth. 2. 23
Isai. 11. 1.
Luc. 1. 26.
Deut. 4. 2.
Apoc. 22. 18. 19.

7. *Abass.* Quonam modo Hæretici Scripturas transmutatione depravant? *Rom.* Duplex est transmutatio; altera litteræ, dum rectus ipsius ordo pervertitur; altera sensus, dum contempto genuino, præfertur adulterinus. *Tantum verò*, inquit Tertullianus, *veritati obstrepit adulter sensus, quantum & corruptor stylus.* Utriusque transmutationis Hæretici egregii sunt architecti, & pares malis illis principibus, de quibus Oseas: *Facti sunt principes Juda quasi assumentes terminum.* Sicut enim fures agrarii, cùm arvorum limites furtivè transferunt, miram in latifundiis confusionem inducunt, sic Hæretici audaci verborum Scripturæ transpositione, vel mutatâ interpunctione, omnem veritatis possessionem evertunt. Ut Ariani, qui, ut Dei Filium creaturam esse persuaderent, illa Joannis verba sic distinguebant: *Verbum erat apud Deum, & Deus erat. Verbum hoc erat in principio apud Deum.* Ubi sola punctorum mutatio Verbum divinitate spoliavit. Frequentior verò est apud Hæreticos secunda transmutatio; *dum*, ut scribit D. Athanateus, *pro sua ignorantia, & inconstantia libidine, Scripturas per vim detorquent*; vel, ut Augustinus; *Scripturarum sensum pro suo errore pervertunt.* Quod in illis ingenium suo jam tempore dispiciebat D. Petrus, agens de Epistolis D. Pauli: *In quibus*, inquit, *sunt quædam difficilia intellectu, quæ indocti, & instabiles depravant, sicut & cæteras Scripturas, ad suam ipsorum perditionem.* Vulgatissimum porrò illud est D. Hilarii: *Ex perperam intellecta Scriptura natas omnes hæreses fuisse.* Et illud Vincentii Lirinensis: *Hæreticos nihil unquàm penè de suo proferre, quod non etiam Scripturæ verbis adumbrare conentur.* Ex uno enim D. Joannis testimonio: *Et Verbum caro factum est*, omnes ferè exortæ contra Dominicam Incarnationem hæreses arma sumpsêre. Arius dixit, Christi carnem inanimam fuisse, illíque divinitatem loco animæ attributam; si enim esset animata, illo Joannis loco non caro, sed homo diceretur. Apollinaris ex eodem loco Christum sensitivam animam, non autem rationalem habuisse deducebat. Nestorius indè colligebat duas personas, alteram Verbi, alteram carnis; cùm putaret, nullam esse substantiam, cui propria persona non adscriberetur. Hinc tandem Eutyches, ut unam personam, sic unam naturam Christo applicabat; cùm Verbum ità carnem factum hallucinaretur, ut ex utraque naturâ una tantùm resultaverit. Pratum ergo est Scriptura; ex cujus floribus negotiosa Ecclesiæ Catholicæ apis prædulcem mellis succum legit; Hæreticorum vespæ, sivè araneæ venenum. Ille est gemmarum calathus, quarum discolori varietate, teste D. Epiphanio, peritus artifex pulcherrimam Regis imaginem: alius autem veterator iisdem permutatis caninum rostrum efformavit. Sic ex Sacra Scriptura sanè intellecta Catholici Doctores divinæ cujusdam doctrinæ formam effingunt; Hæretici impudenti procaciâ caninam.

Hæretici litteræ transmutatione Scripturas pervertunt, Tertul. lib. de Præscript. adv. Hæret. c. 17.
Os. 5. 10.
D. August. lib. 3. De doct. Christ. c. 2. Sensuum Scripturæ transmutatio frequentissima apud Hæreticos. D. Athanas. Epist. ad Amnon. D. August. in Psal. 67. 2. Petr. 3. 16.
D. Hilar. l. 2. de Trinit. in princ. D. Vincent. Lirin. ad verss. hæres. cap. 35. Joan. 1. 14.
Levis mutatio in Scriptura magnos errores generat.
D. Epiphan. lib. de hæresibus, c. 1.

8. *Abass.* Quid ergo gerendum, ne in Scriptura intelligenda instabili vestigio nutemus? *Rom.* In primis cavendum à communi

Non idem est legere Sacras Scripturas, ac intelligere.

Æthiopiæ

Æthiopiæ errore, in qua cùm quivis Scripturam legere, & Psalterium expeditè percurrere didicerit, se Athanateo, & Cyrillo sapientiorem gloriatur. Nam *Sacri libri*, ut docet D. Hieronymus, *non consistunt in legendo, sed in intelligendo.* Pharisæis enim, qui totam legem memoriter tenebant, eámque in phylacteriis, sivè palliorum angulis exscriptam gerebant, Salvator exprobrat apud Matthæum: *Erratis, nescientes Scripturas, neque virtutem Dei*; Quia etsi litteram egregiè callebant, spiritum tamen, & virtutem intùs inclusam ignorabant. *Littera enim occidit, spiritus autem vivificat. Nec putandum*, inquit D. Hieronymus; *Evangelium esse in verbo, sed in sensu; non in superficie, sed in medulla; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.* Et D. Hilarius: *Hæresis de intelligentia, non de Scriptura est; & sensus, non sermo sit crimen.*

D. Hieron. in Dialog. contra Lucif. tom. 1.

Matth. 23. 5. *Matth.* 22. 29. 2. *Cor.* 3. 6.

D. Hieron. in cap. 1. Epistolæ ad Galatas.

D. Hilar. lib. 2. de Trinit.

Sine magistro intelligi non possunt Scripturæ.

9. *Abass.* Quis mihi hanc Scripturæ medullam, fracto litteræ cortice, enucleabit? *Rom.* Nemo ità perfrictæ sit audaciæ, ut sine magistro id se præstare posse arbitretur; sed illam vestri Eunuchi modestiam, & prudentiam imitetur, qui cùm Isaiam in curru legeret, rogatus à Philippo: *Putasnè intelligis, quæ legis?* respondit: *Et quomodò possim, si non aliquis ostenderit mihi? Redarguens eorum audaciam*, inquit Glossa, *qui putant, se divinas litteras sine magistro posse intelligere.* Quam historiam D. Hieronymus Paulino proponens, subdit: *Hæc à me perstricta sunt breviter, ut intelligeres, te in Scripturis Sacris, sine pravio, & monstrante viam non posse ingredi.* Sequentia tamen D. Hieronymi verba suis mentibus omnes Æthiopes incîdant, siquidem ubique de Scripturis, etiam inter pocula, velitantur. Ipsæque adeò fœminæ librorum folia ventilantes, & tancidulum quidquam balba denare loquentes, ad judicandum de Scriptura, & Fidei dogmatibus virgam censoriam assumunt: & ubique exporrecto trutinantur verba labello. *Agricola*, inquit, *cæmentarii, fabri, metallorum, lignorumque cæsores, lanarii quoque, & fullones, & cæteri, qui variam supellectilem, & vilia opuscula fabricantur, absque doctore esse non possunt, quod cupiunt. Quod Medicorum est, promittunt Medici; tractant fabrilia fabri. Sola Scripturarum ars est, quam sibi passim omnes vendicant. Scribimus indocti, doctique poëmata passim. Hanc garrula anus, hanc delirus senex, hanc sophista verbosus, hanc universi præsumunt, lacerant, docent antequam discant. Alii adducto supercilio grandia verba trutinantes, inter mulierculas de Sacris litteris philosophantur: Alii discunt proh pudor, à fœminis, quod viros edoceant; & ne parum hoc sit, quadam facilitate verborum, imò audaciâ, edisserunt aliis, quod ipsi non intelligunt.* Quis magis ad vivum Abassinorum in Scriptura interpretanda procaciam depingeret, quàm D. Hieronymus eo loco?

Act. 8. 30. 31.

Gl. Act. 8.

D. Hieron. Epist. ad Paulinum.

D. Hieron. ibid.

Proprium spiritum in Scriptura intelligenda nemo sequi debet.

10. *Abass.* Quis ergo viæ monstrator in Scriptura explananda eligendus? *Rom.* Te sedulò, & sæpiùs admoneo, ne viæ filum proprio spiritui, vel alii, qui privato ducatur spiritu, committas. *Nolite omni spiritui credere*, inquit Joannes, *sed probate spiritus, si ex Deo sint; quia multi pseudoprophetæ venerunt in mundum*; Nempè illi, de quibus Ezechiel: *Væ Prophetis insipientibus, qui sequuntur spiritum suum; & nihil vident*; Et Paulus: *Discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris.* Nam veri Propheræ non suo, sed Dei spiritu agebantur tam ad vaticiniorum editionem, quàm ad illorum expositionem. *Omnis prophetia Scripturæ*, inquit D. Petrus, *propria interpretatione non fit; non enim voluntate humana allata est aliquandò prophetia.* Sivè igitur nos ipsi peculiari spiritu agamur, sivè illorum ductu, quos privatus etiam *spiritus ligavit in alis suis*, nec Scripturam ex aliis Scripturæ locis, ac Patrum expositionibus interpretantur: privato semper spiritu impellimur. *Et Dei veritas* ex sententia D. Augustini, *terribiliter nos admonet, ut nolimus eam habere privatam, ne ipsa privemur.*

Ezech. 13. 3. 1. *Tim.* 4. 1. 2. *Petr.* 1. 20. 21. *Os.* 4. 19. D. August. lib. 11. Confession. cap. 25.

Spiritus sanctus in Scripturæ lectione sequendus.

11. *Abass.* Si privatus spiritus in Scripturæ expositione deponendus, quis inducendus? *Rom.* *Quo spiritu Scriptura facta sunt*, inquit D. Bernardus, *eo legi desiderant; ipso etiam intelligenda sunt.* Si autem scire concupiscas, quo spiritu Sacræ litteræ sint exaratæ, id docet D. Petrus eodem loco: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Ut ergo Spiritus sanctus Prophetis inspiravit, quid essent locuturi, sic idem nunc Fidelibus ipsorum prophetias legentibus suggerere debet, quo sensu sunt intelligendæ. Nam *quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei*, ut ait D. Paulus. In cujus veritatis confirmationem ipsa Resurrectionis die, cùm Christus, secundùm Joannem, in discipulos suos insufflavit, dicens eis: *Accipite Spiritum sanctum*, simul, secundùm Lucam, *aperuit illis sensum, ut intelligerent Scripturas*; quia nec Scripturæ pervideri, nec sensus ad eas percipiendas expediri possunt, nisi favens Spiritus sancti afflatus adspiret. Undè, cùm Paulus Thessalonicenses edoceret, *ne prophetias*, ideſt, Scripturam, illiusque interpretationem *spernerent*, præmisit: *Spiritum nolite extinguere.* Sicut enim, qui lucernam extinguunt, in tenebris palpant ad omnia cæcutientes, sic qui Spiritus sancti lumen omittunt, Scripturarum quoque intelligentiam à se avertunt. Diligenter tamen providendum, ne pro Spiritu sancto Spiritus erroris, ac *vertiginis* irrepat. Ideò Paulus eodem loco: *Omnia probate, quod bonum est tenete.* Et D. Joannes: *Probate spiritus, si ex Deo sint; quoniam multi pseudoprophetæ exierunt in mundum.* Quasi diceret: Idcircò mundum tot pseudoprophetæ transversum egêre, quia spiritum nec quæsivêre, nec probavêre; sed sancto, & intaminato pollutum, ac procellosum prætulêre. *Omnibus enim malè examinatis, licèt in electionem alicujus mali impingere per errorem*, inquit Tertullianus.

Luc. 24. 45. *Ioan.* 20. 22. *Luc.* 24. 45. 1. *Cor.* 2. 11. *Ioan.* 20. 22. *Isai.* 19. 14. 1. *Thes.* 5. 19. 1. *Thes.* 5. 21. 1. *Ioan.* 4. 1. Tertul. lib. adverſ. Hæret. c. 4.

Spiritus ad intelligendas Scripturas in Ecclesia quærendus.

12. *Abass.* Liceat mihi cum Jobo interrogare. *Sapientia ubi invenitur? & quis est locus intelligentiæ*, sivè spiritus? *Rom.* Spiritus sancti locus est Ecclesia: *Ego rogabo Patrem*, inquit Christus, *& alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia*

Ioan. 14. 16. 17.

non

non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis, eum; quia apud vos manebit, & in vobis erit. Ergo Spiritus in Ecclesia, in qua manet, quærendus. *Non oportet*, inquit D. Irenæus, *quærere apud alios veritatem, quàm facile est ab Ecclesia sumere.* Et D. Augustinus: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesia me docuisset. Cui autem obtemperamus; & credimus dicenti, hunc librum esse Evangelium, eidem credendum est dicenti, hunc esse sensum Evangelii.* Ergo Scripturæ sensum ab Ecclesia petendum insinuavêre duo Apostoli Paulus, & Joannes; ille, cum dixit: *Omnia probate, quod bonum est, tenete*; iste verò: *Probate spiritus, si ex Deo sint.*

D. Iren. lib. 3. cap. 4.

D. August. in Epist. Fundam. cap. 5. & de utilit. cred. cap. 14.

1. *Thes.* 5. 21
1. *Joan.* 4. 1.

Scripturarū probatio publica esse debet.

13. *Abass.* Imò illa eadem testimonia docere videntur, debere quemque Scripturæ sensus privatâ diligentiâ explorare, & quem magis probaverit, eligere. *Rom.* Probatio non est solius quærentis, sed adjungenda est publici censoris approbatio. Nam de sumpturis Eucharistiam Paulus dixit: *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat.* Quam probationem in Sacramentali confessione consistere, docet Concilium Tridentinum. At in confessione, nemo sui, sed Confessarii ducitur arbitrio; sic in Scripturæ probatione procedendum. Nam duplex est probatio; altera militaris, altera pecuniaria; utraque verò non privata auctoritate, sed publico judicio decernitur. Milites enim, cùm militiæ adscribuntur, non à se ipsis, sed ab emerito aliquo magistro probantur; qualis ille erat, de quo in libris Regum: *Sopher principem exercitus, qui probabat tyrones de populo terræ.* Eóque respexit D. Paulus, cùm dixit: *Nemo militans Deo implicat se negotiis secularibus, ut ei placeat, cui se probavit*; ideſt, Imperatori suo, cui se probandum, admittendúmque commisit, ut exponit Theophylactus. Pecunia quoque, antequàm in vulgus à monetaria officina spargatur, ad pondus: & aurum ad lapidem Lydium examinatur, & tunc probatum dicitur. Hæc autem probatio non fit à quolibet privato homine, nec privatâ lance, sed communi stateră à publico libripende. Eodem modo in Scripturæ expositione spiritus probandi sunt, sensúsque ad sacrum cubitum, sivè mensuram Sanctuarii; hoc est Ecclesiæ judicium, adducendi. Ut enim decernit Sacro-sancta Synodus Tridentina: *Ecclesiæ est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum*; Sensúsque, quos ipsa signat, Regis cœlestis imaginem referunt; quos rejicit, numi sunt reprobi, & adulterini. D. Hieronymus: *Estote*, inquit, *probati numularii, ut si quis numus adulter est, & figuram Cæsaris non habet, nec signatus moneta publica, reprobetur; qui autem Christi faciem præfert lumine, in cordis nostri marsupium recondatur.* D. Joannes Damascenus: *Illud*, inquit, *nobis cura sit, ut probi numularii simus; verum nimirùm, ac purum aurum aggerentes, adulterinum autem repudiantes.* D. Vincentius Lirinensis exponens illam sententiam D. Pauli: *O Timothee depositum custodi*; *Quid*, inquit, *est depositum? Id est, quod tibi creditum est, non quod à te inventum; quod accepisti, non quod excogitasti; rem non ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; rem ad te productam, non à te prolatam; in qua non auctor debes esse, sed custos; non institutor, sed testator; non ducens, sed sequens.*

Theophy.

Concil. Trident. sess. 4.

D. Hieron. Epist. 152. ad Mineri. & Alexand.

D. Joan. Damasc. lib. 4. de Fide, cap. 18.

1. *Tim.* 6. 20.

D. Vincent. Lirin. lib. adv. hæres. cap. 27.

Quænam sit Ecclesia, ad quam spectat judicare de vero sensu Scripturarum.

14. *Abass.* Quænam est Ecclesia, cujus est judicare de vero sensu, & interpretatione Scripturarum? *Rom.* In primis est Ecclesia universalis capiti suo, quod est Romanus Pontifex, adglutinata; de cujus auctoritate in Scripturæ Sacræ interpretationem lib. 7. cap. 11. n. 9. dicendum. Secundò, Ecclesiæ nomine intelliguntur Concilia universalia legitimè collecta, quæ interdùm de vero aliquorum locorum sensu judicium ferunt. Ità in Concilio primo Nicæno definitum est, Verbum esse Deum substantialiter, non per participationem, vel agnominationem; & sic intelligendum illud D. Joannis: *Et Deus erat Verbum.* In Sardicensi de Christo, ut homine, sumendum illud: *Quia Pater major me est.* In Milevitano illud: *Omnes peccaverunt*, ad peccatum originale pertinere. In Nicæno secundo imaginum cultum non evertere Dei in Exodo mandatum: *Non facies tibi sculptile, neque omnem similitudinem.* Tertiò, Ecclesiæ nomine designatur unanimis Patrum consensus, cui obsistere est Deo, & Ecclesiæ bellum indicere. Undè pervenustè D. Augustinus: *Contra rationem nemo sobrius; contra Scripturas nemo Christianus; contra Ecclesiam nemo pacificus senserit.*

Joan. 1. 1.
Joan. 14. 28
Rom. 3. 23.
Exod. 20. 4.

Ecclesia, dicitur unanimis Patrum consensus.

D. August. lib. 4. de Trinit. c. 4.

Unanimis Patrum cōsensus in aliquod dogma, illud de Fide esse ostendit.

15. *Abass.* Quisnam est unanimis Patrum consensus? *Rom.* Quælibet unius tantùm ex Patribus sententia validissimum est Ecclesiæ propugnaculum; eorum tamen omnium in aliquem Scripturæ locum consensus murus est inexpugnabilis. Nam Fidei dogma credendum est, quidquid ipsi communibus calculis approbaverint; *Deus enim*, inquit Paulus, *dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Evangelistas, alios autem Pastores, & Doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerii, in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in unitatem Fidei, & agnitionis Filii Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi: ut jam non simus parvuli fluctuantes, & circumferamur omni vento doctrinæ.* Quorum omnium Verborum sensus est; datos à Deo Ecclesiæ suæ instar pædagogorum Apostolos, & Episcopos illorum successores; nec non Scripturæ interpretes (quos dicit Doctores, & Prophetas, *eò quòd per eos Prophetarum mysteria populis aperiantur*, ut ait D. Vincentius Lirinensis,) & prædicatores (quos dicit Evangelistas) aliósque Pastores; ut ipsam usque ad mundi consummationem in Fide illibatam, pacatámque conservent; quod præstare non possent, si ipsi lubricis vestigiis in Fide vacillarent. *Talibus*, inquit D. Augustinus, *post Apostolos sancta Ecclesia plantatoribus, rigatoribus, ædificatoribus, pastoribus, nutritoribus crevit. Quod invenerunt in Ecclesia, tenuerunt; quod didicerunt, docuerunt; quod à Patribus acceperunt, hoc filiis tradiderunt.* Frequentissimè dictitare solebat magnus Athanatcus, veterum Patrum consensum non pro vulgari aliquo judicio, sed instar divini oraculi

Ephes. 4. 11. 12. 13. 14.

D. Vincent. Lirin. c. 40.

D. August. lib. 2. contra Julian. Pelag. c. 10.

Salm. Prolog. 9 can. 50. tom. 1.

Digitized by Google

culi habendum. D. Cyrillus in Concilio Ephesino Nestorium prolatis decem Patrum sententiis pro unitate Christi Personæ confecit.

D. Cyril. lib. de recta Fide ad Regin. & in Apologet. contra Orientales. Cùm nova hæresis eruperit, antiquorum Patrum contra illam sententiæ congregandæ.

16. *Abass.* Quid ergo singillatim faciendum? *Rom.* Excipe auream fistulam D. Vincentii Lirinensis. *Cùm primùm*, inquit, *mali cujusque erroris putredo erumpere caperit, & ad defensionem sui quadam sacra legis verba furari, eáque fallaciter, & fraudulenter exponere; statim interpretando Canoni majorum sententia congregandæ sunt, quibus illud quodcumque exurget novitium, ideóque profanum; & absque ulla ambage prodatur, & sine ulla retractatione damnetur.* Quo consilio usus est Theodosius Imperator; cùm enim Constantinopoli plures hæreses in Fidei, & communis quietis perniciem grassarentur, illarum auctoribus edixit, ut eorum Patrum, qui ante illarum eruptionem vixerant, sententias colligerent; quisque iis stare vellent, victores essent; qui non acquiescerent, in exilium mitterentur. Quæ salutaris fuit lex; nam ad Patrum voces Hæreticorum debacchatio conquievit. Prudenter ergo D. Augustinus post aliquot Patrum testimonia citata id pronuntiavit contra sui temporis Hæreticos, quod nos proferre poterimus in Eutychianos, & Dioscoritas, quoties in hoc opere Patrum dicta adversùs illos congesserimus. *Nondùm vobiscum apud istos Judices aliquid agebamus, & apud eos acta est causa nostra. Nec nos, nec vos eis noti fueramus, & eorum pro nobis latas contra vos sententias recitamus. Nondùm vobiscum certabamus, &, eis pronuntiantibus, vicimus.* Sic ille.

D. Vincent. Lirin. c. 39. Hist. Tripart. lib. 4. cap. 43.

D. August. ubi suprà.

Quorùm Patrum unanimis consensus sequendus. D. Vincent. Lirin. c. 39.

17. *Abass.* Quorum Patrum in eum usum sententiæ præferendæ? *Rom.* His verbis tibi respondet Vincentius Lirinensis: *Eorum dumtaxat Patrum sententia conferenda sunt, qui in Fide, & communione Catholicæ sanctè, sapienter, constanter viventes, docentes, & permanentes vel mori in Christo fideliter, vel occidi pro Christo feliciter meruerunt. Quibus tamen hac lege credendum est; ut quidquid vel omnes, vel plures uno, eodémque sensu, manifestè, frequenter, perseveranter, veluti quodam consentiente sibi magistrorum Concilio; accipiendo, tenendo, tradendo firmaverint; id pro indubitato, certo, ratóque habeatur.* Sed quia Deus alios Orienti, alios Occidenti illuminando Doctores præfecit; inter Orientales eminent D. Athanateus, D. Gregorius Nazianzenus, D. Cyrillus Alexandrinus, D. Basilius, D. Gregorius Nyssenus ejusdem frater, & D. Joannes Chrysostomus. Inter Occidentales, D. Aforosius, D. Augustinus, D. Hieronymus, D. Hilarius, D. Gregorius Magnus, D. Leo, D. Cyprianus, & D. Thomas Aquinas: quorum Opera inoffenso pede percurrere, & sententias ad omnium dogmatum Fidei stabilimentum ab erroris suspicione tutus excipe.

Si unus Pater ab aliis dissenserit, ejus opinio sequenda non est. 1. Cor. 14. 33. Clem. Alex. lib. 7. Stromat.

18. *Abass.* Si unus, vel alter Doctor ab aliorum placitis dissenserit, poteróne illius sententiæ adhærere? *Rom. Deus non est dissensionis, sed pacis*; nec Ecclesia in singularitate, sed in multitudine, & unanimitate consistit: Ideò, *si quis novum aliquid crederet*, inquit Clemens Alexandrinus, *quod dissentiat à Patribus, tanquàm adulterata moneta, rejiciendum.* D. Vincentius Lirinensis: *Quidquid*, inquit, *quamvis ille sanctus, & Doctor; quamvis Episcopus; quamvis Confessor, & Martyr præter omnes, aut etiam contra omnes senserit; id inter proprias, & occultas, & privatas opiniunculas à communis, publicæ, & generalis sententiæ auctoritate secretum sit; nec sine summo salutis periculo, juxta sacrilegam Hæreticorum, & Schismaticorum consuetudinem, universalis dogmatis veritate relicta, unius hominis novitium sectemur errorem.* D. Cypriano inter Patres Latinos nemo eloquentior, nemo sanctior; quia post emeritos eloquentiæ honores, póst graves labores pro Fidei defensione exantlatos, gloriosam martyrii coronam reportavit; & de singulari illius opinione, quâ baptizatos ab Hæreticis rebaptizandos censuit, loquens D. Augustinus, sic habet: *Cujus charitatem miror, cujus martyrium veneror; hoc, quod aliter sapuit, non accipio; quia hoc Ecclesia non accipit; pro quâ B. Cyprianus sanguinem fudit.* Undè alio loco hanc regulam statuit. *Multa in Scripturis Sacris dici possunt, quæ improbanda non sunt; sed eligo in his verbis hoc eligere quod omnes, vel penè omnis frequentat Ecclesia.* Et D. Hieronymus: *Meum propositum est, antiquos legere, probare singula, retinere quæ bona sunt, & à Fide Ecclesiæ Catholicæ non recedere.* Tandem D. Bernardus: *Nulla ratione Ecclesia placebit contra Ecclesiæ ritum præsumpta novitas: mater temeritatis, soror superstitionis, filia levitatis.*

D. Vincent. Lirin. c. 39.

D. August. lib. 2. contra Cresc. Gramm. cap. 31.

Idem. Epist. 59. q. 5.

D. Hieron. Epist. 152.

D. Bernard. Epist. 154.

CAPUT XI.

De auctoritate Libri Æthiopici, qui dicitur Haymanot Abbau, seu Fides Patrum.

1. *Bass.* Ne dicar temeritatis filius, & levitatis assectator, scire vellem, quod tuum sit judicium de Patrum analectis, quæ in nostro Haymanot Abbau (quod est nostræ Fidei cæmentum) referuntur. *Rom.* Illorum, qui Patres ibidem dicuntur, triplicem classem reperio. Prima (quam veriùs sentinam dixeris) falsos Patres, ac veros Hæreticos continet; quorum aliqui expressè sunt anathematizati. Ii sunt: Severus Antiochenus (qui vobis est Sayros) Theodosius, Benjamin, & Joannes, Alexandrini. Nam Severus damnatus est in Quinta, & Sexta Synodo generali; tres posteriores in Sexta, Actione 11. in Epistola D. Sophronii Patriarchæ Jerosolymitani. Cæteri etsi non sint ab Ecclesia nominatim proscripti; cùm eisdem erroribus involvantur, se ipsos ab Ecclesia in eamdem perditionem expulerunt; *Subversus* enim *est*, inquit D. Paulus, *qui ejusmodi est; cùm sit proprio judicio condemnatus.* Ubi D. Hieronymus: *Cætera vitia ab Ecclesia per Sacerdotes propelluntur, Hæretici autem in semetipsos sententiam ferunt, arbitrio suo de Ecclesia recedentes; quæ recessio propriæ conscientiæ videtur esse damnatio.* Damnati ergo suo judicio ex Antiochenis

Eorum, qui in Haymanot Abbau Patres dicuntur, magna pars sunt Hæretici.

Tit. 3. 11.

D. Hieron. in Epist. ad Titum.

Digitized by Google

Antiochenis ſunt: alter Joannes, Cyriacus, Deonacius, Baſilius, Athanateus, & Theodoſius; quibus patriæ, & errorum ſimilitudine implexus eſt Zacharias Jehah, qui ſe impudenter Jacobitam gloriatur. Jacobitæ autem majori ex parte Syri fuêre, ità dicti à Jacobo Syro; Syriæ autem caput fuit Antiochia. Ex Alexandrinis: Gabriël, Coſmas, Macarius, Zacharias, Memnas, Senutem, Philatheus, & Chriſtodûlus; quibus adde Abolidîm.

D. Damaſc. lib. de hæreſib. Nicephor. lib. 18. cap. 52. 53.

2. *Abaſſ.* Tu quoque tibi, ac tuis nigrum damnationis Theta præfigis, qui Abolidîm Romanum Pontificem in atro Hæreticorum albo reponas. *Rom.* Tali Pontifici renuntiamus. Nullum enim eo nomine, vel erroribus notatum Petri Cathedra ſuſcepit. Si verò Laodiceam te contuleris, veram hujuſce Abolidîs patriam, verúmque nomen comperies; & tantulâ inflexione non jam Abolidim eſſe, ſed hæreticum Apollinarem: Primum illum unius naturæ ſomniatorem. Sicut pro Ignatio dicitis Agnateum, pro Dionyſio, Deonacium, pro Athanaſio Athanateum. Illius enim (teſte Leontio Byzantino, graviſſimo auctore, & à Divo Joanne Damaſceno mirificè collaudato, qui ante mille annos ſcripſit) eſt illa Epiſtola ad Dionyſium Epiſcopum Corinthi, quæ incipit: *Miror de quibuſdam audiens, &c.* quæ in Haymanot Abbau ſub nomine Abolidis prima parte ponitur. Cujus eadem eſt inſcriptio ad Dionyſium, idémque initium; nempè, [Ibê Kedus Abolidis Lycapapasât Za Romeâ uſta melectû aba Deonaceos. Ancasâ anequer, ſoba ſemaquù bentâ ſeb, ela iitamenu bë Egzi, Kema vëtu amlac ſeguû.] Ideſt: *Dicit D. Abolidis Pontifex Romanus in Epiſtola ad Dionyſium: Miror ſanè eſſe quoſdam, qui non credunt, Dominum eſſe Deũ Incarnatum.* In qua Epiſtola reperiuntur illa verba, quæ ibidem à Leontio citantur, ut damnentur, qui duas naturas invehunt: [Valeſa iamenû bacletû helauë, yaguebromû iſguedu Laahadû, Vä lecaleû iiſguidu. Itamecu baza malacot, Vä ijmecu bazatesbit.] Ideſt, *oportet eos, qui confitentur duas naturas: aliam adorare, & aliam non adorare; & baptizari in divinitate; non baptizari in humanitate.* Quæ verba planè hæretica ſunt. Addit Leontius, D. Gregorium Nyſſenum, in Opere contra Apollinarem (quod nunc integrum non habetur) multa ex illa ad Dionyſium, & ſex aliis Apollinaris Epiſtolis, omninò ad unam naturam ſtatuendam, & duas radicitùs extirpandas comparatis (quæ omnes in veſtrum Librum ſunt conjectæ) recitare, illáque, ceu prava, refutare. *Sed, ut venenarii* (inquit D. Vincentius Lirinenſis) *mala germina, & noxios ſuccos medicaminum vocabulis præcolorant, ut nemo ferè, ubi ſupra Scriptum invenerit remedium, ſuſpicetur venenum*; Sic vel ipſe Apollinaris, vel ejus ſectatores Romani Pontificis nomine ceu bracteâ, errores ſuos obtegere curaverunt; non ſolùm Abolidim, Romanum Antiſtitem mentientes, ſed apertè illas Epiſtolas ſub nomine D. Julii venditantes.

Abolidis eſt Apollinaris hæreticus, non D. Julius Pontifex Romanus.

Leontius lib. de ſectis act. 8. D. Joan. Damaſc. lib. 3. de Fide, cap. 10. Baron. tom. 5. ann. 352. agens de ſcriptis D. Julii. Abolid. p. 1. n. 1.

N. 23.

Leont. ubi ſuprà.

D. Vincent. Lirin. lib. adv. hæreſ. cap. 35.

3. *Abaſſ.* Undè iſtam colligis nominis D. Julii nundinationem? *Rom.* Ex Leontio eodem loco; Evagrio, & Orientalibus Epiſcopis in Collatione facta Conſtantinopoli apud Juſtinianum Imperatorem, in qua ſunt illa Verba: *Beati Julii famoſam illam Epiſtolam ſcriptam ad Dionyſium manifeſtè Apollinaris oſtendimus fuiſſe.* Nec opus eſt ex alienis commentariis teſtimonia venari, cùm in ipſo Haymanot Abbau plura, eáque ſpectatiſſima habeamus. In ipſo enim, inter cætera fragmenta, in ultima parte ponuntur quinque Canones (de quibus inferiùs) ſub nomine Abolidis Pontificis Romani, qui iterùm ad libri calcem expreſsè D. Julio tribuuntur. Et Joannes, ac Deonaceos Antiocheni in Epiſtolis Synodicis ad Mennam citant ex D. Julio, & illius Epiſtola ad Dionyſium Epiſcopum Corinthi illamet Verba de duabus naturis abolendis, quæ ſuperiùs adduximus; & in Epiſtola ad Zachariam Alexandrinum, ſub nomine Abolidis. Illas autem ſeptem Epiſtolas D. Julii non eſſe, primò probat Leontius; quòd nihil Juliano charactere, & ſapientiâ dignum habeant; & penitùs ſint à doctrina Romanæ Eccleſiæ alienæ. Secundò, quòd cùm in illis corporis Chriſti mentio fiat, non tamen dicitur mente præditum, ut ab illius ſeculi Patribus ſolitum erat contra Apollinarem factitari. Tertiò, quòd à D. Cyrillo in Concilio Epheſino citatæ non fuerint. Licèt enim ibi legatur ſub nomine Julii illud teſtimonium: *Eſt autem perfectus Deus in carne, & homo perfectus in Spiritu; non duo Filii, ſed unus germanus Filius, qui ſuſcepit hominem*; quod hîc habetur ex Epiſtola ad Bardaguîs parte 2. [An lae feſsûm ba ſegâ vëtu beſi feſſum bamanifês. Vä acô vë tû cletû; Aaahadu olde melecota vi Zabaaman Soarê beſi;] Contendit tamen Leontius D. Julii non eſſe, ſed à Timotheo corruptore illius Operibus (ſicut alia pleraque) obtruſum. Quod confirmat nonæ partis titulus, qui ſic habet. [Canonâ entâ Zanebela batî Kedûs Abolidis Licapapaſat Za Rome, Zacona Sema Timoteôs bauſta meſafû.] Ideſt: *Canones, quos edidit D. Abolidis Romanus Pontifex, ut teſtatur Timotheus in libro ſuo.* Ut ergo priùs Neſtoriani, teſte D. Cyrillo, ut D. Athanateum ſuorum errorum patronum falsò jactarent, celebrem illius ad Epictetum Epiſtolam adulterârunt; & poſteà Apollinariſtæ, ut Chriſtum hominem Dominicum dicerent, priorem, & genuinam in eodem Patre ſcripturam abraſerunt; & in Oriente falsò vulgârunt, ſe à D. Damaſo Romano Pontifice probatos, & in communionem admiſſos; quâ impoſturâ, vel ipſum D. Gregorium Nazianzenum (quod ipſe ingenuè fatetur) deceperunt; ſic iidem, & Eutychiani fucato D. Julii nomine auctoritatem ſuis mendaciis conciliare laborârunt. Revertatur ergo falſus Julius in verum Abolidim, ſivè Apollinarem; cùm D. Julio nihil ſit cum Apollinari nec in nomine, nec in doctrina commune. Sed quia in illis Epiſtolis inter errorum ſentes, utiles aliquæ ſententiæ viſuntur, vobiſcum errantes (ut ſanè poſtmodùm ſentiatis) illorum fragmentorum teſtimonia ſub D. Julii, ſivè Abolidis nomine proferemus.

Id probatu ex ipſo Haymanot Abbau.

Joan. Antioch. hær. p. 2. Deonac. Antioch. p. 2. n. 16.

Leontii probationes.

D. Julius cit. à D. Cyrillo in lib. ad Regin. « Abolid. « p. 2. n. 5.

Abolid. p. 9.

D. Cyril. p. 47. n. 74. ex Epiſt. 1. ad Succeſsũ & 28. ad Joan. Antiochen.

D. Gregor. Naz. Orat. 51. quæ eſt Epiſt. 1. ad Cledon. Nicetas ibidem.

4. *Abaſſ.* Clarè oſtendiſti, Pſeudo-Julium, ſivè Abolidîm verè eſſe Apollinarem; nunc ſecundam auctorum claſſem emitte. *Rom.* In eam illi conſcendunt, quorum doctrina nullo errore polluitur, ſed nobis ignotum eſt ipſorum nomen, patria, & ſcripta. Hi ſunt Ayocandius, Nataliſan, Arcaôs, Metoligon,

Aliqui auctores Haymanot Abbau nobis ſunt ignoti.

Leontius, ubi ſuprà. Evag. lib. 3. cap. 31. Baron. tom. 7. an. 532.

Digitized by Google

Abib, Jacob Serug, & Joannes Builes. Quos cum aliundè non noverimus, inauditâ causâ damnare non possumus, sed Orthodoxos ex oblatis judicamus. Illud tantùm monemus; Ayocandium, & Nataliſan Romanorum Antistitum nominibus falsò exornari, cùm nemo illorum iis fuerit insignitus. Addo; Nataliſan esse Vitalem Episcopum Antiochenum; quia illud fragmentum, quod visitur in Haymanot Abbau, sub ejusdem nomine citatum fuit à D. Cyrillo in Concilio Ephesino. Quamvis autem Vitalis ipse, Romanus Pontifex non fuerit: doctrina, quæ illo fragmento continetur, vel fuit D. Damasi Pontificis Romani, vel ab ipso approbata. Nam ob communia dissidia tres aliquandò fuêre Antiochiæ Episcopi: Melitius, Vitalis & Paulinus. Ex iis Vitalis culpæ insimulatus est tamquam fautor Apollinaris, & Romam ad causam dicendam à D. Damasò vocatus. Ille suæ confessionis libellum edidit (qui videtur esse istemet, quem hoc fragmentum includit) in quo præcipuas Apollinaris hæreses abjuravit, Christum carnem è cœlo non detulisse, sed ex B. Virgine sumpsisse: eámque nec esse Verbo consubstantialem, nec rationalis animæ exortem professus. Quam confessionem D. Damasus probavit in Concilio Romano, eámque Vitalis ipsius manu subscriptam misit ad Paulinum cum epistola, quam refert Theodoretus: ob quam à D. Gregorio Nazianzeno ad communionem admissus est. Sed Vitalis in Orientem regressus callidè suæ confessionis verba interpretatus est; dicens, ità se rationalem animam in Christo intelligere, ut ipsa divinitas ei esset pro mente, ac ratione. Quod cùm audiret D. Damasus, ipsum anathemate insecutus est; & Gregorius Nazianzenus communionem retractavit, ut idem testatur in Epistola ad Cledonium, cujus fragmentum etiam circumfertur in Haymanot Abbau. Ayocandius esse videtur D. Innocentius Pontifex Romanus, de quo lib. 5. cap. 24. num. 330.

Nataliſan, est Vitalis Antiochenus.

D. Cyril. lib. de recta Fide ad Regin. in Rom. impress. to. 1. p. 160.

Vitalis confessio approbata fuit à D. Damaso Pontif. Roman.

Theodor. lib. 5. Hist. Eccl. cap. 10 & 11.

D. Gregor. Naz. orat. 15. quæ est Epistola 1. ad Cledonium & Nicetas, ibid.

5. *Abass.* Quænam tertia est classis? *Rom.* Verorum, ac notorum Ecclesiæ Patrum. In quorum fronte posita est *Temirtè habuata*, id est, Doctrina abscondita: sumpta ex libro Testamenti Apostolorum, cujus nullum apud antiquos extat vestigium. Sed æquè mendosus videtur, atque alii, quibus impostores speciosо Apostolorum nomine sua somnia commendare voluerunt; quales sunt Doctrina, Sortes, & Laudes Apostolorum à D. Athanateo, & Gelasio damnati. Documento sit, illi fragmento duos errores insertos inveniri; alterum, quòd omnes animæ à Christo è tartaro eductæ significentur; alterum, quòd ibi summa veritas Christus, dicat, & veritatem, & mendacium ex suo ore prodire. Sequuntur deindè duo fragmenta ex Didascalia; quem librum esse Constitutionum Apostolicarum D. Clementis, capite 16. num. 10. ostendemus. Indè suo ordine procedunt: D. Irenæus, Attifos, sivè Atticus Episcopus Constantinopolitanus; qui falsò ibi dicitur discipulus Apostolorum, cùm ferè quatercentesimo post ipsos anno vixerit; D. Dionysius Areopagita, quem vocatis Deonacium; D. Ignatius Martyr, qui vobis est Agnateus; D. Gregorius Thaumaturgus; D. Gregorius Armenius; D. Scander, sivè Alexander. Patriarcha Alexandrinus; Patres Concilii Nicæni; D. Athanateus; D. Basilius; D. Gregorius Nyssenus; D. Feliquis, seu Felix Romanus Pontifex, & Martyr; D. Selabastros, & Solpetios, verè Silvester Pontifex Romanus; D. Ephrem Syrus; D. Proclus Constantinopolitanus, qui à vobis in suis fragmentis Heraclis; & apud D. Cyrillum parte 6. Abraclius appellatur; Sayrus, verè Severianus Episcopus Gabalarum: coævus, & æmulator D. Joannis Chrysostomi; D. Aforosius, qui inscribitur caput Episcoporum Armeniæ, cùm sit D. Ambrosius Episcopus Mediolanensis; Joannes Jerosolymitanus; Theodotus Ancyranus; D. Epiphanius; D. Gregorius Nazianzenus; D. Joannes Chrysostomus; Theophilus, & D. Cyrillus, Alexandrini. De quibus omnibus latiùs agendum lib. 5. cap. 24.

Testamentũ Apostolorũ apocryphũ est.

D. Athanas. in Synop. 51.

Cap. Sancta Rom. d. 15. Didascalia est liber Constitutionum Apostolicarum D. Clementis.

Veri Patres Haymanot Abbau.

6. *Abass.* Veráne censes illa Patrum fragmenta, & cum Latinis concordia, an dissonantia? *Rom.* Primum eorum fragmentorum Collectorem arbitror, ceu apem studiosam, floriferos veridicorum Patrum saltus delibâsse; & probatissima ex iis testimonia ad Catholicæ veritatis mel conficiendum selegisse (horum enim plerisque usi sunt D. Cyrillus, & Leo Magnus ad Fidem duarum naturarum corroborandam) sed posteà procacem aliquam vespam unius naturæ venenum illis affudisse. Nam solerti, quàm maximè potui; indagine, diurnâ, nocturnáque manu omnes in Haymanot Abbau contentorum Patrum libros volutavi, & inventam majorem fragmentorum partem cum suis originalibus contuli, factámque non mediocrem lanienam in ipsis deprehendi. Nam deterrimus corruptor Patrum sententias (quod proprium esse Hæreticorum ingenium, superiori capite num. 4. ostendi) ubique, nunc detractione, nunc additione, nunc transmutatione laceravit. Librum facerem, si cuncta percenserem. Illud satis sit; nullum omninò esse Patrum, qui non sit aliquâ unius naturæ cicatrice deformatus. Ubicumque enim bifidum duplicis naturæ germen erumpebat, illicò falx illud proditoria amputavit; & alterâ truncatâ, unius tantùm mentionem mendacissimus calamus subjecit. Qui error sivè ab insciti, sivè (ut magis reor) à protervia enascens eò devenit, ut nullum inter *ουσιαν*, idest substantiam, sivè naturam: & inter *υποστασιν*, quod est subsistentia, & persona, discrimen agnoscatur; sed semper utriusque loco subjiciatur nomen: [Helauë;] quod nunquam hypostasim, & personam, sed ubique significat usiam, vel substantiam, sivè naturam. Undè ortum, ut ubi Patres dicunt, in Trinitate esse unam usiam, & tres hypostases; & in Christo unam hypostasim, & duas usias, vester Interpres indiscriminatè vertat substantiam, & substantias; atque ità in Trinitatem cum manifesta contradictione una substantia, & tres substantiæ: & in Christum una substantia, & duæ substantiæ invehantur. *Cum tamen*, ut rectè ait Divus Gregorius Nazianzenus,

Omnes Patres præno-minari in Haymanot Abbau fædè laniantur.

D. Gregor. Naz. Orat. 45. ad Nectarium.

Digitized by Google

Nazianzenus, *rerum natura non ferat, duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse.* Sed verè impletur, quod dixit Sapiens, *stultum suis casdi labiis.* Nam vecordis Interpretis, seu falsatoris verba, & inconstantis linguæ flabella adversus ipsum justa sunt verba, & flagella; & mendax stylus gladius est, qui in ipsius, & omnium ab eodem deceptorum præcordia convertitur.

Prov. 10. 8.

Implicationes quæ in sex Patribus reperiuntur ob ignorantiam differentiæ inter substantiã, & hypostasim, & primùm in D. Ambrosio. P. 2. n. 1.

7. *Abass.* Ne ità prætervoles, quin istas nostrorum librorum implicationes mihi ostendas, *Rom.* Id si aggrederer, in labyrinthum inextricabilem me conjicerem. Sex tamen Patrum, D. Aforosii, Feliquis, sive Felicis, Ephrem, Nazianzeni, Chrysostomi, & Cyrilli exempla subjicere non cunctabor. Primum sit D. Aforosii, cujus exemplaria, cùm Latina sint, mihi notiora. In cujus secunda parte hæc habentur. [Necab en cà, va necfel melecota em
» segâ, enza ahadû olda Egziabeer: itneguer
» ba clê, esma botû cletû helaüeat, va ahadu
» vëtu batitû.] Idest; *Servemus, & separemus divinitatem a carne. Cùm sit unus Filius Dei, loquitur in duobus, quia in ipso sunt duæ naturæ, & unus tantùm est.* Sed sui repentè oblitus Corruptor, subjicit: [Ahadaguize itnagar Zacama
N. 3. » sebata melacôt. Va hadaguize Zacama amama tesbit; esma Vëtu Egziabeer, imeer bamelacot. Va vëtu cala Egziabeer; Va cama
» seb ible benta tesbit, enza ahadu helaüe vëtu.] Idest; *Aliquandò loquitur secundùm gloriam divinitatis; aliquandò secundùm infirmitatem carnis. Quia Deus est, docet in divinitate, & est Verbum Dei; & sicut homo loquitur propter humanitatem, quia una substantia est.* O pessimum pocillatorem, qui tam citò generosum duorum palmitum, idest, naturarum vinum infusa unius naturæ aqua perdidisti! Cur non in priori dicto perstitisti? Si in illo sunt duæ substantiæ, quo jure subitò una substantia emersit? Ut autem corruptelam agnoscas, originalia D. Aforosii verba proferam, quæ etiam D. Cyrillus in suam defensionem produxit. *Servemus distinctionem divinitatis, & carnis; unus in utraque loquitur Dei Filius, quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones; quia quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est; quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.* Perpende quantùm veritas mendacio intersit. D. Aforosius ait, Christum in sua substantia, idest humana, sivè secundùm humanitatem loqui, quæ humana sunt; falsarius verò: *Cùm sit una substantia.*

D. Cyril. in lib. ad Regin. D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 4.

Errores in Epistola D. Felicis. D. Vincent. Lirin. lib. cont. hæres. cap. 42.

8. *Abass.* Quæ calamitas, sivè calami infelicitas D. Felicis scripta incursavit? *Rom.* Laudatissima fuit, & in Concilio Ephesino, teste D. Vincentio Lirinensi, publicè lecta, & approbata D. Felicis Romani Pontificis, & Martyris ad Maximum Alexandrinum de Verbi Incarnatione Epistola, ex qua etiam D. Cyrillus fragmentum suis Operibus intexuit. Illius tres visuntur in vestro libello sectiones,
Part. 2. n. 1. » in quarum secunda rectè dicitur: 'Netaiç ca-
» llara cletû helaüe, vasema cletû hi quifli ba-
» culû quizê bemigbâr, vaneguër, Zavëtomo
» melacot, va tesbit.] Idest: *Intelligamus partes [illegible] substantiarum; & nomen duarum partium [illegible] opere, & re; quæ sunt divinitas, & humanitas. Et inferiùs.* [Vã damû na- " N. 4.
tere helauë Melacôt, vã helauë tesbit. Vã adî- "
naamez, esma cal acô Zatemeita em helauë me- "
lacotû lecaüina tesbit.] Idest: *Certam facimus* "
substantiam divinitatis, & substantiam humanitatis. Præterea scimus, Verbum non fuisse conversum à substantia divinitatis suæ in esse humanitatis. Immemor autem prædictorum Prævaricator addit parte 3. [Vã netamen baahadû acal, " Part. 3.
vabaahadû guës, vã baahadu helauë Za Egzia- " n. 1.
beer cal, Zacona seba.] Idest: *Confitemur unam* "
Personam, unam faciem, & unam substantiam Verbi Dei, quod factum est homo. Rectè quidem confiteris unam Personam, & unam faciem; sed malè unam substantiam. Nam in autographo non est usia, sed hypostasis.

Nævi in homilia D. Ephrem de Margarita.

9. *Abass.* Quâ injuriâ in D. Ephrem effræ- nata se calami licentia projecit? *Rom.* In quinto fragmento ex homilia de Margarita dicitur: [Acô ahadu arieahu lezentu eben, Zaze- " Part. 5.
carnahu; alabotû cale emkedma: camahu adi " n. 1.
olda Egziabeer taolda baacal; Uã acô embela "
acal baamsala encû bari Zabezu setu, Zaitoad "
em cletû helaüeat.] Idest: *Non est una forma* "
hujus lapidis, cujus mentionem fecimus; sed in ipso est alia à priori. Eodem modo Dei Filius natus est in persona, & non sine persona, in similitudine margaritæ pretiosæ, qua unitur ex duabus substantiis. Sed statim, quod optimè dictum erat, pessimus Interpres evertit, adjiciens: "
[Encasâ alâ melû, vã fessum baahadû helaüë " N. 7.
igueber Zaclê helaüe.] Idest: *Plenus, & perfectus* "
in una substantia operatur, quòd est duarum substantiarum. Vertere tamen debuit: *Plenus, & perfectus in una hypostasi.* Nam textus D. Ephrem ità legendum exhibet: *Filius Dei natus est in hypostasi, & non in figura. Duarum naturarum est particeps hic lapis pretiosus, ut ostendat, Christum, cùm Verbum sit Dei, ex Maria Virgine natum: non unicam particularem habuisse naturam; quoniam nè aliud quidem animal erat: sed perfectam habet duplicem naturam.*

D. Ephrem homil. de Margarita.

Vulnera in D. Gregor. Nazian.

10. *Abass.* Tres Patres Superiores doleo tam fædis vulneribus inscriptos. Quid de D. Gregorio Nazianzeno? *Rom.* Illius scripta nefariùs parricida non minori audaciâ cancellavit. Nam parte prima num. 49. dictum est egregiè: [Helauë melacot, vã helauë tesbit " Part. 1.
tavahada, vãcona ahada melca, vã albo ulaté " n. 49.
usta Zentû cletû helaüeat; ala fessum vëtu baculû guibra.] Idest: *Substantia divinitatis, & humanitatis unita sunt, & facta sunt una persona; & non est mutatio inter has duas substantias, sed perfecta sunt in omni opere.* Et parte secunda: [Aconû eluhelaüeat Zatisbit, vã melacot conu " Part. 2.
usta guibri ahadis. Esma helauë melacot Kal " n. 2.
fessum baacal taahadubo helauë segâ.] Idest: "
Nonne duæ substantiæ humanitatis, & divinitatis fuerunt in novo opere? Quia substantia divinitatis, Verbum perfectum in Persona, unita sunt substantiæ carnis. Et infrà: [Vã cona ahada " N. 4.
messia em cletû helauëat, melacot, vã tesbit "
bamanquir mistir.] Idest: *Factus est unus Messias* "
ex duabus substantiis divinitatis, & humanitatis per mysterium admirabile. Et parte 4. [Emabô " Part. 4.
Zâijble, câma vëtu fatara lotû tesbita, Vã asta " n. 33.
samera cletâ basciltan. Laicûm eruca.] Idest: *Si* "
quis non dixerit, ipsum creasse sibi humanitatem, & conjunxisse duo in virtute, anathema sit. Verùm tamen, quod altera manus sedulò construxerat,

Digitized by Google

xerat, altera subitò evertit. Nam parte prima
Part. 1. n. 39. posuit Interpres: [Acô Zaitbaal taadota Egziabeer cal clë helauë, vä clë acal melacôt, Vä tesbit.] Idest: *Non dicuntur in unione Dei Verbi duæ substantiæ, & duæ personæ divinitatis, & humanitatis.* Rectè quidem de personis; pessimè autem de substantiis. Et infrà: [Acô cle acâl, vä cletû amsal; ala ahadu acal, va ahadû helauë baculû guebri ba hailat, vä ba manerat, vä ba emamat vä icona que egzina Christôs cle helauë.] Idest: *Non duæ personæ, neque duæ similitudines; sed una Persona, & una substantia in omni opere, in virtutibus, & miraculis, & infirmitatibus; & nullo modo factus est Christus Dominus duæ substantiæ.* Si in Christo, ô Veterator, est una substantia in omni opere, in virtutibus, & miraculis, & infirmitatibus; ergo eadem substantia virtutes, & miracula patravit, & perpessa est infirmitates. Quorsum ergo
N. 62. in textu addis? [Zahamesâ, segâ Egziabeer cal vëtu. Vä lamelacot sâ ijre quebô hemam.] Idest: *Quod passum est, est caro Dei Verbi; passio autem non invênit divinitatem.* Et parte 4. Batesbitû ta ocfa mota, enzâ ijmeut bamelacotû.
Part. 4. n. 8. Tagamera basegâ, enzâ ijtgamer bamelacotû.] Idest: *Suscepit mortem in humanitate non moriens in divinitate. Comprehensus est in carne; cùm sit incomprehensibilis in divinitate.* Mox au-
N. 19. tê Deceptor adjecit: [Vä nenasâ naamen rituâ, camâ vëtu ahadû helauë Za Egziabeer cal, vä tesbit abura.] Idest: *Nos autem ritè credimus, esse unam substantiam Dei Verbi, & humanitatis simul.* Nihil credis impie, si ità credis; & nimiùm mentiris, cùm sic verba Nazianzeni non transfers, sed traducis. Ille enim semper acerrimè duas naturas propugnavit, ut ostendemus lib. 5. cap. 24. à n. 154.

D. Joan. Chrysostomi cicatrices. 11. *Abass.* Actúmne clementiùs cum D. Chrysostomo? *Rom.* Ferrum quoque linguæ illius aureæ adactum. Nam parte 12. n. 1. Lego
Part. 12. n. 1. ita benè, ut nihil suprà: [Melacot sâ Za abuhû; Vä tesbit sâ Zaziana. Vä cona araquê maquela cleohomu; Vä asera cleta helauë balai natihomu bata vado, vä camatê amasserra sela.] Idest: *Divinitas quidem Patris est, & ipsius; humanitas autem nostra; & factus est pacificator inter utrumque; & ligavit substantias inter se unione, & ita inimicitiam evertit.* Sed malus Interpres, seu nocturnus insidiator verba illa, quasi ficam ex sinu, protulit parte 8.
Part. 8. n. 3. [Zantû Zaüetu âhadu missâ Egziabeer cal ba helauë, Va baacal.] Idest: *Hic est unus cum Dei Verbo in substantia, & Persona.* Sed hoc ipsum mendacium verbis illis infrà scriptis
N. 8. evertitur: [Vä cama ijassesa helauë hû lamelacot, quamahu melacot nî ijassesa helavehu la segâ.] Idest: *Sicut humanitas non transmutavit substantiam divinitatis, ita etiam divinitas non transmutavit substantiam carnis.* Si ergo non sunt invicem transmutatæ; non sunt una substantia, sed duæ.

Corruptelæ in Versione D. Cyrill. 12. *Abass.* Numquid à D. Cyrillo, eò quòd domesticus esset, temperatum? *Rom.* Imò in illum ampliùs sævitum. Nam una substantia in illius sectiones ingesta: parte 2. n. 15. 18. 19. 32. 35. 37. parte 3. n. 4. 22. 24. part. 26. n. 1. parte 29. n. 1. part. 32. n. 4. 6. part. 48. n. 10. 15. 21. part. 50. n. 12. 14. part. 51. n. 22. 32. 34. part. 53. n. 15. 45. part. 55. n. 38. 76. Sed, aliis omissis, testimonium illud expendamus partis 26. in qua hæc ex Epistola ad Nestorium verba referuntur:
[Naamê bacului Zatabela benta Egziabeer cal, Zacona sebâ, camâ vëtu ahadû acal, Vä ahadu helauë;] Idest: *Credimus omnia, quæ dicta sunt de Verbo Dei, quod factum est homo; nempè, quòd sit una Persona, & una substantia.* Duæ tamen Synodicæ D. Cyrilli ad Nestorium Epistolæ in Concilio Ephesino ad verbum sunt discussæ; & in eodem, in Chalcedonensi, in quinta, & sexta Synodo Generali lectæ, & approbatæ; & in neutra ipsarum dicitur, Christum unam esse substantiam, imò sæpiùs, duas habere naturas. Ad cujus rei probationem satis sit ille locus ex priori, qui sic habet. *Factus est homo, & appellatus est Filius hominis, non secundùm voluntatem solam, aut complacitum, sed neque in assumptione personæ solius; & quòd differunt quidem, quæ ad unitatem veram collata, natura. Unus verò ex utrisque Christus, & Filius; non quasi differentia naturarum ablata propter adunationem.* Quæ verba adeò perversa bis sunt in vestris codicibus, in fragmentis D. Cyrilli part. 11. & 21. ut nullum ferè sensum reddant; duas tamen naturas simul confiteantur, & inficientur. Sic enim sonant [Vä inasa areâ batitû, icunô taüsaca. Vä jhi bezuha helavêata Zaza Zihû, ela eaberu baba înaticomu betavâdo Zabâ âman. Ala ahadû vëtu encletû Zavêtu melacot, Vä tesbit, Va benta tuado hi intosa cleta helauëata.] Idest: *Et non sumpsit solum formam* (ubi ineptissimè posita est forma pro persona) *ut esset ei additamentum, neque plures substantiæ cum suis proprietatibus, quæ conveniunt inter se in vera unione; Sed unus est ex duobus, idest, divinitate, & humanitate. Propter unionem verò non permiscemus duas substantias.* Considera trivialis Circulatoris inconstantiâ, vel ignorantiam; ut modò affirmet, modò neget, Christum duas habere naturas. Singula si percurrerem, infinitam contradictionum congeriem coacervarem.

13. *Abass.* Cæcus erit, qui hasce implicationes non intueatur. Superiùs tamen dixisti, n. 6. in fine, ex intellecto perperam nomine hypostaseos nostris in libris tres substantias in Trinitatem invectas. Ubi in iis hoc portentum delitescit? *Rom.* In fragmentis D. Basilii, Nazianzeni, & Cyrilli; qui ità castè semper locuti sunt, ut ubique in Trinitate unam substantiam, & tres Personas, sivè hypostases prædicaverint. Quod vestro ex Libro constat. Basilius enim ait: [Ita amerûnu, asma salûs Kadûs ahadû ba helauë melacotû.] Idest: *Nescutis, sanctã Trinitatem esse unam in substantia divinitatis?* D. Gregorius Nazianzenus: [Ala ahadû helauë vëtu latoadota selasê.] Idest: *Sed una est substantia unioni Trinitatis.* D. Cyrillus: [Ahadû helaüe vëtu lasselus Kedûs.] Idest: *Una est substantia sanctæ Trinitatis.* Vester tamen Gladiator iterùm ensem adeò perversè distrinxit, ut in iisdem Patribus pro una substantia in Trinitate tres induxerit. Nam apud Basilium parte 5. sic vertit: [Salastû helauë baacalat, Vä ba ahadû helauë melacot.] Idest: *Tres substantiæ in Personis, & in una substantia Divinitatis.* Sic apud D. Nazianzenû: [Vä adi nelêbu selasta acalata baba helauë homu.] Idest: *Præterea intelligamus tres Personas in substantiis suis.* Sic apud D. Cyrillum: [Nenasâ naamen cama âhadû Zemseselasê tasacla. Va cala ausa helaueat Zam Kediste-

In Haymonot Abbatuna, & tres substantiæ simul in Trinitate ponuntur.

D. Basil. p. 4. n. 25.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 10.

D. Cyril. part. 12. n. 140. ex lib. ad Regin.

D. Basilius par. 5. n. 28.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 11.

D. Cyril. part. 12. n. 13.

Digitized by Google

„ selase jhama.] Ideſt: *Nos quidem credimus, quòd unus de Trinitate crucifixus eſt; alia verò ſubſtantia ſanctæ Trinitatis non ſunt paſſa.* Dubium non eſt, quin tres hi Patres tres hypoſtaſes ſcripſerint, & vertendum fuiſſe, tres Perſonas, non tres ſubſtantias juxta errorem Joannis Philoponi auctoris hæreſis Tritheitarum, ideſt, trium ſubſtantiarum Trinitatis; quem ipſi Hæretici in Haymanot Abbau impugnant; & ſingillatim Sayrus, vel Severus, qui ità dicit parte 2. in fine: [Uücalan „ nebabeana cantû, eſma ſaleſtû helavëat, „ vaaſavean a montû.] Ideſt: *Aliqui vana loquentes dicunt, eſſe tres ſubſtantias; & mendaces ſunt.*

Niceph. lib. 18. cap. 47. 48.

Severus hæret. part. 2. n. 10.

14. *Abaſſ.* Exploratum mihi ſatis eſt, hypoſtaſis cum ſubſtantia permutationem iis locis totius confuſionis anſam fuiſſe. *Rom.* Id tibi ut magis liqueat, tres Concilii Epheſini Canones: Secundum, tertium, & quartum (quos vobis exhibent partes, vigeſima, & quinquageſima prima D. Cyrilli,) in quibus in originali ſemper viſitur nomen hypoſtaſis, in medium producam. Ubi ſanus Interpres parte 20. pro hypoſtaſi perſonam rectè ſubjecit; ineptus alius parte 51. Subſtantiam: unam in Chriſto naturam ſtatuens, & duas condemnans. Nam Canone ſecundo ſic ait D. Cyrillus: *Si quis non confitetur Dei Patris Verbum carni ſecundùm hypoſtaſim unitum, & unum tantùm unà cum ſua carne eſſe Chriſtum: eumdem nimirùm Deum ſimul, & hominem; anathema ſit.* Qui Canon rectè vertitur ab utroque Interprete tam parte 20. quàm parte 51. [E'mabô Zaïaman bacala „ Egziabeer ab, cama vëtu cona ahada meſle„ ſegá, bahadû acâl; eguza laicun.] Ideſt: *Si quis non credit in Verbum Dei Patris, quòd ipſum ſit unum cum carne in una Perſona, &c. Anathema ſit.* Canone 3. Sic ait D. Cyrillus: *Si quis in uno Chriſto poſt unionem divi ſit hypoſtaſes, &c. anathema ſit.* Cui conſonat verſio partis 20. [Emabô Zaifelet acalata endera „ tradotû, eguza laicun.] Ideſt: *Si quis dividit perſonas poſt unionem; anathema ſit.* Diſſentit autem verſio partis 51. num. 22. [Emabô Zai„ cafel helauë Egzina Chriſtôs aba cletû; au „ ireſi acala Chriſtôs cletû emdera tauahadô, „ eguza laicun.] Ideſt: *Si quis dividit ſubſtantiam Chriſti in duas: aut facit duas perſonas Chriſti poſt unionem; anathema ſit.* Canone 4. ſic ait D. Cyrillus: *Si quis duabus perſonis, aut hypoſtaſibus eas voces attribuit, quæ in Evangeliis, & Apoſtolicis Scripturis paſſim occurrunt, &c. anathema ſit.* Concordat verſio partis 20. [Emabô Zaicafel calata onguela „ neſuâ, Vâ cala ahauriat aba cletû acal, au „ abâ cletû rai, au aba calat Zanebebu cadu„ ſân banta Chriſtôs, eguza laicun.] Ideſt: *Si quis dividit verba puri Evangelii, & verba Apoſtolorum in duas perſonas, vel aſpectus; & verba, quæ Sancti locuti ſunt de Chriſto; anathema ſit.* Quibus locis omnibus D. Cyrillus apertè loquitur de hypoſtaſibus, & perſonis. At perfidus Interpres parte 51 Omnia etiam hoc 4. Canone in ſubſtantiam detorquet. Vide quas tenebras offundat unius voculæ ignoratio, vel luxatio; ut paſſim in veſtris Libris duæ ſubſtantiæ ponantur, &

I'em nomẽ hypoſtaſis, nunc perſonam, nunc ſubſtanti m ve tit inconſtans Interpres.

D. Cyrill. Epiſt. 10. ad Neſtor um. Can. 2.

D. Cyril. part. 20. n. 1. & part. 51. n. 22.

D. Cyril. can. 3. p. 20. n. 6.

Part. 51. n. 22.

D. Cyril. ibid. can. 4.

Part. 20 n. 8.

Part 51. n. 32.

tollantur; admittantur, & excludantur; probentur, & anathematizentur.

15. *Abaſſ.* Undè tam horribilis carnificina in Patrum libros, ac ſententias proceſſit? *Rom.* In aliquibus eſſe potuit tranſcribentium lapſus, *dum*, ut docet D. Hieronymus in re ſimili, *de emendatis inemendata ſcripſerant.* Quod faciliùs potuit contingere in Haymanot Abbau, qui, ſicut patet ex ipſius procœmio, trinam habuit verſionem: primam à Græca lingua in Copticam; ſecundam à Coptica in Arabicam; tertiam ab Arabica in Æthiopicam. In quarum qualibet poterat novis errorum fætibus ex notariorum, & Interpretum negligentia ſylveſcere; illudque contingere, quod alio loco tradit idem D. Hieronymus: *Ex alia in aliam linguam expreſſa ad verbum tranſlatio ſenſum operis, & veluti lato gramine ſata ſtrangulat.* Audacter tamen dicam: Non negligentia, ſed nimia diligentia; nec præceps Notarius, aut incautus Interpres; *Sed inimicus homo hoc fecit,* in eundem ſemper duarum naturarum lapidem ex compacto impingens, & unius formam, ſicut imperitus pictor, qui cupreſſum tantùm ſimulare noverat, ubique appingens.

In Haymanot Abbau aliqui errores in tranſcriptione irrepſerunt. D. Hieron. præfat. in lib. Paralip.

D. Hieron. ad Pamach. de optimo genere interpret. t. 2.

Matth. 13. 28.

Horat. in art. poet.

16. *Abaſſ.* Quis ille fuit prævaricator? *Rom.* Timotheus Ælûrus; Ideſt, Niger, Dioſcoro ab Hæreticis ſuffectus; quo nemo magis niger, ac confidens. Is enim à Dioſcoro D. Cyrilli ſucceſſore accepta illius Opera, nondùm vulgata adulterinis additionibus deformavit. Aliorum Patrum fragmenta vel appoſitione, vel mutilatione pervertit; aliis etiam, qui nihil unquàm ſcripſêre, teſtimonia commentitia affinxit; & aliquos, quos mundus nunquàm vidit, in Patrum Senatum cooptavit; ut tradunt Leontius, Nicephorus, & Gennadius, qui eodem tempore vivebat. Omnia verò illa figmenta ſub nomine Haymanot Abbau, ideſt Fidei Patrum Timotheus vulgavit. Quem librum Gennadius, ſe in Latinam linguam tranſtuliſſe refert, & in ipſo titulo cavendum prænotaſſe. Et forſan ille eſt, qui inter Opera Leontii cum hac inſcriptione circumfertur: *Auctoritates ſanctorum Patrum contra eos, qui dividunt in duas naturas unum Dominum noſtrum IESUM Chriſtum: collecta à Timotheo.* Qui liber valdè diminutus viſitur apud Henricum Caniſium tomo 4. antiquæ lectionis, & in Bibliotheca Patrum impreſſa Pariſiis tomo 4. part. 2. paginâ 1064. Si autem integer extaret, cenſerem eſſe eumdem cum veſtro Haymanot Abbau; vel in eum plurima ex illo teſtimonia commigraſſe. Tradit enim Leontius, in illa Timothei collectione inſertum eſſe confidum illud D. Gregorii Thaumaturgi teſtimonium: *Non duas perſonas; non duas naturas, quia non ſunt adoranda quatuor.* Quod conceptis verbis hîc reperitur in ſecunda parte ejuſdem Patris. Acô vëtû cletû acal, vâ cletu helauë, vâ inbe cabamena namelac rabiân. Sed ſuppoſititium eſſe indè Leontius arguit, quòd D. Gregorius Nyſſenus in ejus vita dicat, Thaumaturgum ſcribendo animum non appuliſſe. Verùm, ſi appulit, cùm veram Fidem ſemper fuerit

Leont. lib. de ſect. act. 8 Niceph. lib. 15. Hiſtor. Eccl. c. 16.

Timotheus Dioſcori ſucceſſor Haymanot Abbau corrumpendi auctor fuit.

Gennad de Scriptor. Eccleſ. in Timotheo.

Henric. Caniſius lib. 4. antiquæ lect.

Bibliotheca veterum Patrum Pariſienſis.

Poſſ vinus in Apparatu Sacro in Leontio, & Timotheo.

D. Gregor. Thaum. p. 2. n. 1.

D. Gregor. Nyſſen in vita Thaumaturg.

Digitized by Google

amplexus, non potuit non esse duarum naturarum consectator, ut probant illa verba, quæ ex eodem refert Euthymius in Panoplia: *Est Deus verus, qui cum esset carnis expers, in carne apparuit; non tamen duas habet personas, sed duas naturas:* Inter eos, qui numquàm fuêre, Timotheus in suum satellitium Erechtium quemdam vocavit; quem cùm Patribus adnumerasset, Cyrus quidam ejus Presbyter ad eum scripsit: *Mallem hoc te corrigere; nam Erechtii nomen inter Patres auditum non fuit.* Cujus Erechtii fragmentum adhuc in Parisiensi illa editione circumfertur. Præter Apollinaris Opera, quæ Divo Julio, Romano Pontifici sub nomine Abolidis Timotheus suppositit, ut patet ex titulo nonæ partis, de quo superiùs n. 3. trigesimum secundum fragmentum D. Cyrillo falsò adscripsit. Illud enim hoc titulo munitur. [Vacaba ibê emzâ ibê Timotheos bentahu.] Id est: Iterùm dicit Cyrillus super illud, quod Timotheus de ipso dicit. In quo fragmento nihil est omninò, quod Cyrillum oleat: Sed totum in hæretica Timothei incude pessimè tornatum, colligere poteris ex illis verbis, quæ suum produnt auctorem: [Va bonû ahada em encho muhaleâ cletâ helavëata la Christôs, endera taûa ahado; Valo mentanû enca ifequedu iasresu amesahomu, cama asrit. Va ba seu aba ust Zaitamenô: manuhy em abavina, câma jas guîru bezuana euhana, va abavina hi Kedusân imaharuna nemen ba Christôs Va hedu, Nama vëtu cletû helavë.] Idest: *Numquid aliquis Patrum sensit, duas esse Christi substantias post unionem? Quid ergo volunt iniquitatem suam protrahere, & tamquàm semina intromittere, quod nemo Patrum confessus est, ut multos simplices illaqueent? Patres nostri sancti nos non ita docuerunt, ut credamus in Christo esse duas substantias.* O Verba non jam à Timohteo sub nomine D. Cyrilli, sed ab ipso tartaro prolata! Cùm D. Cyrillus ubique pro duabus Christi naturis strenuè decertaverit, quomodò hæc, & alia, quæ dolosus fingit Timotheus, eructaret?

17. *Abass.* Quàm gratum, & utile tuo gregi Æthiopico opus aggredereris, si nostrum Haymanot Abbau nativo splendori restitueres? *Rom.* Illum, si vitam Deus dederit, ex ipsis Patrum authographis sarcire curabo, licèt facilius esset Augiæ stabulum repurgare. Interim ô mei Abassini, quod Timotheus, sivè quis alius semiobolaris centonum farcinator adjecit, in blattarum, ac tinearum, sivè potiùs flammarum epulas deputate; & D. Cyrillum imitamini dicentem: *Nos verò sanctorum Patrum vestigiis ubique insistimus; nec semitam, quam illi triverunt, unquàm deserimus. Neque enim aut nobis, aut ulli omninò alteri, vel unam vocalem mutare, aut unam etiam syllabam violare permittimus. Memores enim sumus ejus, qui dicit: Ne transgrediaris terminos, quos posuerunt Patres tui: non enim ipsi locuti sunt, sed Spiritus Dei, & Patris.*

Euthymius in Panopl. p. 1. tit. 15. ex Thaumaturg. in Or. de singulari Fide.

Leont. ubi supra.

D. Cyril. part. 32. n. 1.

Impia Timothei verba sub nomine D. Cyril. p. 32.

Sanctorum Patrum vestigiis, ubique insistendum.

D. Cyril. Epist. 28. ad Joan. Antioch.

Prov. 22. 28 Matth. 10. 20.

CAPUT XII.

De numero Librorum Canonicorum, de ipsorum Auctoribus, & Versionibus.

1. *Abass.* Ut D. Cyrillo obsecundem, nec transgrediar terminos, quos Patres posuerunt: dicito, num standum sit Canoni divinorum librorum, quem Apostoli in nostrarum Synodorum libris præscripserunt; an alius, sit præferendus? *Rom.* Canon ille suppositititius est; est enim ordine octogesimus quartus, cùm Apostoli solos quinquaginta ediderint, ut videndum cap. 16. n. 6. Præterea in aliquibus deficit, in aliis verò abundat. Non enim numerat inter libros Canicos Tobiam, neque Judith, neque Esdram, neque Sapientiam. Numerat vero tres libros Machabæorum, cùm duo tantùm sint; & Constitutiones D. Clementis, quæ multis scatent mendis, quas Hæretici adjecerunt. Scripturarum quoque Canonem tres Pontifices Romani: D. Damasus, D. Innocentius (vobis Ayocandius) & Gelasius texuêre. Ex antiquis Conciliis Laodicenum, Carthaginense tertium, & Nicænum, cujus Canon interiit; mentionem tamen illius facit D. Hieronymus. Præ cæteris verò id plenius fecit Concilium Tridentinum.

Canon. D. Clementis de libris Canonicis Apocryphus est.

D. Gelas. in decreto de lib. Canon. Concil. Laod. can. ult. Concil. Carthag. 3. can. ult. D. Hieron. Epist. 111. Canon Concilii Tridentini sess. 4.

2. *Abass.* Illius decretum hîc inserito. *Rom.* Sessione quarta sic habet: *Sancta œcumenica, & Generalis Synodus Tridentina in Spiritu sancto legitimè congregata, Sacrorum librorum Indicem huic decreto adscribendum censuit, ne cui dubitatio suboriri possit, qui ab ipsa Synodo suscipiuntur. Sunt verò infrà inscripti: Testamenti veteris: Quinque Moysis, idest, Genesis; Exodus, Leviticus, Numeri, Deuteronomium; Josue; Judicum; Ruth; quatuor Regum; duo Paralipomenon; Esdræ primus, & secundus, qui dicitur Nehemias; Tobias; Judith; Esther; Job; Psalterium Davidicum centum quinquaginta Psalmorum; Parabola; Ecclesiastes; Canticum Canticorum; Sapientia; Ecclesiasticus; Isaias; Ieremias cum Baruch; Ezechiel; Daniel; Duodecim Prophetæ Minores; idest Osea; Joël; Amos; Abdias; Jonas; Michæas; Nahum; Abacuc; Sophonias; Aggæus; Zacharias; Malachias; duo Machabæorum: primus, & secundus. Testamenti novi, quatuor Evangelia: secundum Matthæum, Marcum, Lucam, & Joannem. Actus Apostolorum à Luca Evangelista conscripti; quatuordecim Epistolæ Pauli Apostoli: ad Romanos; duæ ad Corinthios; ad Galatas; ad Ephesios; ad Philippenses; ad Colossenses, duæ ad Thessalonicenses; duæ ad Timotheum; ad Titum; ad Philemonem; ad Hebræos. Petri Apostoli duæ; Joannis Apostoli tres; Jacobi Apostoli una; Judæ Apostoli una; & Apocalypsis Joannis Apostoli. Si quis libros ipsos integros cum omnibus suis partibus, prout in Catholica Ecclesia legi consuevêrunt, & in veteri vulgata Latina editione habentur, pro Sacris, & Canonicis non suscepterit, anathema sit.*

3. *Abass.* Canonem suscipio, & suspicio; nunc

Digitized by Google

Deus præcipuus Auctor Scripturæ Prophetæ velut scribæ.

nunc quis auctor sit singulorum librorum, ede. *Rom.* Eodem loco Tridentini statuitur, utriusque Testamenti auctorem esse Deum. *Nam Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines*, inquit D. Petrus; & Zacharias: *Sicut locutus est per os sanctorum, qui a seculo sunt, Prophetarum ejus.* Id autem non tollit, quo minùs Deus aliquibus ad scribendum administris usus fuerit. Unde David, linguam suam *calamum scriba* appellabat; quia Deus ipsius linguam ad promenda: & dexteram ad scribenda vaticinia, ut instrumentum elevabat. Ergo Pentateuchum, ideſt, Genesim, Exodum, Leviticum, Numeros, & Deuteronomium Moyses scripsit, excepto capite trigesimo quarto, ubi de ipsius morte agitur, quod Josue supplevit. Ideóque illi quinque libri in Evangelio Moyses dicuntur apud Lucam: *Habent Moysem, & Prophetas.* Apud Joannem: *Si crederetis Moysi, crederetis forsitan & mihi; de me enim ille scripsit. Si autem illius litteris non creditis, quomodò verbis meis credetis?* Continent autem libri Moysis historiam annorum duûm millium, quingentorum octoginta trium; tot enim à mundi creatione ad obitum Moysis intercedunt.

1. Par. 29. 29.

2. Par. 9. 29.

Reliqua librorum Regum, & libros Paralipomenon varii Prophetæ scripsêre.

2. Petr. 1. 21. *Luc.* 1. 70.

Psal. 44. 2.

Moyses scriptor Pentateuchi.

Luc. 16. 29. & 24. 27. *Joan.* 5. 46. 47.

Jobi liber in Moyses ex Arabico translatus in Hebræum.

4. *Abass.* Quidquámne aliud Moyses litteris consignavit præter Pentateuchum? *Rom.* Jobi quoque historiam Arabico idiomate ab ipso Jobo in memoriali conscriptam Moyses in Hebræum transtulit; eo forsan tempore, quo oves Soceri sui Jethro Sacerdotis Madian in deserto pascebat. Nam terra Madian contermina est Idumææ, in qua Job vitam transegit. Eam verò scripsit ad solatium, & exemplum filiorum Israël, qui eo tempore graviter affligebantur in Ægypto. Creditur autem Job fuisse ille Jobab, qui in Genesi dicitur regnasse in Idumæa, & quintus ab Abrahamo describitur. Nam ex Abrahamo natus est Isaac; Ex Isaac Esau; Ex Esau Rahuel: ex Rahuel Zara; ex Zara Jobab. Cùm autem Moyses sextus fuerit ab Abrahamo, valdè probabile est, Jobum magnam vitæ suæ partem tempore Josephi, & Moysis egisse; mortuúmque anno illius septuagesimo quinto, non contemnendi Auctores asseverant.

Exod. 3. 1.

Gen. 36. 10. 13. 17. 33.

Tobiæ historia ab ipso, & à filio composita.

Judith liber exaratus à Sacerdote Eliachim, sive Joachim.

Jud. 4. 5. & 15. 9. *Isai.* 22. 20.

Esdræ, & Nehemiæ libri ab ipsis conscripti post captivitatem.

1. Esd. 7. 6.

Josue liber ab ipso scriptus.

5. *Abass.* Ad Josue, Judices, & Reges te converte. *Rom.* Josue videtur suam historiam conscripsisse, ut ostendunt illa verba capitis ultimi: *Scripsit quoque omnia verba hæc in volumine legis Domini*; Et illa Ecclesiastici in textu Græco: *Iesus, Nave, successor Moysi in prophetiis*; quia non illas tantùm ore promebat, sed & calamo exarabat; demptis illis, quæ eodem capite, & post illius obitum gesta memorantur; quæ addita videntur à Samuele, vel ab Esdra. Complectitur historia Josue secundùm aliquos, annos decem, & septem; secundùm alios, viginti sex. Josue mortem,

Jos. 24. 26.

Eccl. 46. 1.

Judicum librum, Ruth, & primum Regum usque ad mortem Samuelis, Samuel conscripsit.

libros Judicum, & Ruth, Samuel conscripsit. Historia Judicum complectitur annos quadrigentos novem. Historiam Ruth aliqui sub Debora, & Barach, alii sub tyranno Abimelech contigisse arbitrantur. Librum primum Regum usque ad mortem Samuëlis, idem exaravit; reliqua usque ad caput tertium libri tertii, Gad, & Nathan Prophetæ, ut exprimitur lib. 1. Paralipomenon: *Gesta autem David Regis priora, & novissima scripta sunt in libro Samuelis Videntis; & in libro Nathan Prophetæ, & Gad Videntis.* Salomonis gesta scripsêre Nathan, Achias, & Addo Prophetæ, ut traditur in secundo Paralipomenon. Reliqua librorum Regum, & duos libros Paralipomenon, quis scripserit, certò non liquet; sed probabile est, à Prophetis, qui per illa tempora vivebant, memoriæ traditos. Continent verò Regum libri à principio regni David usque ad captivitatem Babylonicam, historiam annorum quadringentorum septuaginta quatuor cum dimidio.

6. *Abass.* Quinam Auctores cæterorum librorum historialium? *Rom.* Historia Tobiæ usque ad finem capitis decimi tertii à seniore Tobia conscripta est; caput decimum quartum à juniore usque ad ultima verba, quæ facer aliquis auctor nobis ignotus supplevit. Historia Tobiæ accidit anno sexto, Ezechiæ; centum triginta quatuor ante captivitatem Babylonicam; tunc enim Salmanazar. Rex Assyriorum, cujus fit mentio in principio ejusdem libri, Samariam cepit, & decem tribus in servitutem abduxit. Historiam Judith multi referunt ad regnum Manassis ante captivitatem Babylonicam; auctorémque illius dicunt Sacerdotem Eliachim, cujus fit mentio cap. 4. & alio nomine dicitur Joacim cap. 15. Alii censent, hunc esse Eliacim, cui Sacerdotium promittitur ab Isaia. Esdras filius Saraiæ summi Pontificis, & frater Josedeci, cum quo translatus est Babylonem, scripsit, quæ evenêre in templi instauratione à primo anno regni Babylonici, Cyri Persarum Regis, cùm jam completi essent septuaginta anni captivitatis. Esdræ plurimum debent divinarum litterarum studiosi; cùm enim esset *scriba velox in lege* Domini, & memoriæ vivacis, totam Sacram Scripturam Sacerdotum socordiâ iniquis præteritorum Regum Juda temporibus multis locis corruptam, & collapsam instauravit, & in concinniorem ordinem, atque elegantiores characteres redegit, antiquos Samaritanis relinquens; ut cum characterum diversitate Judæos ab illorum ritibus magis alienaret. Nehemias Artaxerxis Longimani Persarum Regis pincerna, ipsíque gratissimus, secundum Esdræ librum composuit: urbis, & mœnium instaurationem, obsistentibus quamvis adversariis, continentem. Esther floruit post Babylonicam captivitatem, ut docetur cap. 2. Uxor fuit potentissimi Regis Assueri, qui à Græcis dicitur Darius, filius Hystaspis, qui tertius Persarum Monarcha fuit. Liber hic scriptus à Mardochæo, ut colligitur ex cap. 9. & 12.

Esther liber à Mardochæo compositus post captivitatem.

Esther. 9. 20. & 11. 4.

7. *Abass.* Nunc agito de Psalmis, & libris Sapientialibus. *Rom.* Diversos Psalmos à diversis Auctoribus editos, quorum nomina singulis prænotantur, Esdram in unum volumen collegisse, non pauci contendunt; sed vero proximius videtur, omnes centum, & quinquaginta à David compositos. Cui sententiæ favent Christi verba: *Ipse David dicit in libro Psalmorum*; & Concilium Tridentinum loco citato. Cùm ergo Psalmi inscribuntur Asaph, Iditûm, & filiis Corè, non

Omnes centũ, & quinquaginta Psalmi sunt Davidis.

Luc. 20. 42.

Digitized by Google

ab ipsis editi significantur, sed ipsis traditi ad præcinendum. Qui verò Moysi, Aggæi, & Zachariæ titulum præferunt, non ab ipsis Prophetis compositi sunt, sed à Davide; quibus tamen Esdras has inscriptiones in fronte præfixit, quòd ipsorum materia horum Prophetarum temporibus congrua esset. Quod manifestat titulus Psalmi centesimi trigesimi sexti, qui incipit: *Super flumina Babylonis*: agentis de captivitate Babylonica, quæ ultra quatercentenos post Davidem annos evênit; & tamen in titulo & David, & Jeremiæ tribuitur; sic enim habet: *Psalmus David, Jeremiæ.* Proverbia, Ecclesiastes, & Canticum Canticorum Salomone gaudent auctore; Sapientia verò Salomonis dicitur, quia ex illius libris collecta est à Philone; non illo, qui post Christum natum à sua gente legatus missus est ad Imperatorem Claudium, & Romæ cum Petro Apostolo familiariter egit; sed ab alio antiquiore, qui vixit tempore summi Pontificis Oniæ, qui Christum per annos centum, & sexaginta præcessit. Alii hunc Philonem priorem faciunt, & unum de septuaginta Interpretibus. Ecclesiasticum scripsit Jesus, filius Sirach, qui in prologo testatur, se vixisse tempore Ptolomæi Evergetis, qui ante Christum centum, & quadraginta annis regnum est auspicatus.

Ps. 136. 1.

Proverbia Ecclesiastes, & Cantica Salomonem habent auctorem.

Sapientiam Philo composuit.

Ecclesiastici auctor Jesus filius Sirach.

8. *Abass.* Jam tempus est, Prophetas in ordinem digerendi. *Rom.* Tam Majores, quàm Minores temporum suorum gradibus disponam. Omnium primus Oseas fuit. Secundus Joël. Tertius Jonas. Quartus Amos. Quintus Isaias. Sextus Abdias. Septimus Michæas. *Hi septem synchroni fuêre*, inquit D. Hieronymus; cùm per sua intervalla floruerint sub Ozia, Joathan, Achas, & Ezechia regibus Juda. Quibus addendus octavus Nahum, qui sub eodem Ezechia prophetavit. Nonus Sophonias sub Manasse. Decimus Abacuc sub Josia. Undecimus Jeremias tempore Josiæ, Joakim, & Sedeciæ, sive Jechoniæ; Cui annectendus duodecimus Baruch. Ezechiel decimus tertius Babylone anno quinto transmigrationis Jechoniæ. Ibidem decimus quartus Daniel. Post solutam captivitatem decimus quintus Aggæus; decimus sextus Zacharias, decimus septimus, & ultimus Malachias.

Ordo omnium Prophetarum.

D. Hieron. in cap. 1. Oseæ.

9. *Abass.* Veteri Testamento limitem addant libri Machabæorum. *Rom.* Machabæorum libris nomen inditum à Juda Machabæo, cujus potissimùm gesta in eis recensentur. Illorum historiam latè quinque libris complexus est Jason Cyrenæus, ut traditur lib. 2. cap 2. quos Judas in duos contraxit. Videtur autem hic fuisse Judas Essenus, cujus per illa tempora viventis Josephus honorificam, ut Prophetæ, agit mentionem.

Judas Essenus auctor librorum Machabæorum.

Joseph. lib. 13. Antiq. cap. 18. & De bello. Jud. lib. 1. cap. 3.

10. *Abass.* Jam ad novum Testamentum gradum faciamus. *Rom.* Auctores librorum novi Testamenti sunt illi, qui singulis in titulo præmittuntur. Num tamen Epistola ad Hebræos à D. Paulo fuerit scripta, aliqui in dubium vocavêre; quòd ipsius elocutio à cæterarum phrasi diversa sit; nec Pauli nomen in fronte, sicut in aliis, notetur. Sed post Ecclesiæ definitionem, & D. Petri insinuationem non relinquitur locus ambigendi. Nam D. Petrus in posteriori Epistola, quam, ut mox videbis num. 11. scripsit, postquàm D. Paulus suam ad Hebræos direxerat, hæc verba habet: *Sicut & charissimus frater noster Paulus, secundùm datam sibi sapientiam scripsit vobis.* Undè colligitur, ad eosdem, ad quos Petrus scribebat, aliquam à Paulo epistolam destinatam. At verò Petrus ad eosdem posteriorem hanc Epistolam misit, ad quos primam. Nam in principio illius capitis ait: *Hanc ecce vobis, charissimi, secundam scribo Epistolam.* Ad quos autem priorem destinaverit, indicat ipsius principium: *Dilectis advenis dispersionis Ponti, Galatiæ, Cappadociæ, Asiæ, & Bithyniæ*; qui sanè erant Hebræi per nationes dispersi, quibus etiam D. Jacobus suam dedicat Epistolam illis verbis. *Duodecim tribubus, quæ sunt in dispersione, salutem.* Ergo ad Hebræos aliquam epistolam D. Paulus dimisit; nec alia esse potest, nisi illa, quam semper Ecclesia ut talem agnovit. Nec officit locutionis altitudo; ipse enim alibi testatur: *Sapientiam loquimur inter perfectos.* Cùm ergo Hebræi in Scripturarum scientia perfecti essent, sublimis etiam inter eos esse debuit Pauli elocutio. Suum verò nomen Epistolæ non præposuit, ne illo velut turbine Gentiles, si Saulum se diceret: vel Judæos, si Paulum, deterreret. Si enim Pauli nomine (quod proprium erat Ethnicorum) se insigniret, Judæis odiosus esset, tanquàm Regii Saulis nominis contemptor: Si autem Saulum se diceret, Gentium, quarum proprius erat Apostolus, aures, atque animos, ut Romani nominis expunctor, vulneraret. Nec verò se Apostolum Jesu Christi, ut in aliis nominavit; primò ob Christi, deindè ob D. Petri reverentiam. Cùm enim tertio capite Christum, *confessionis nostræ Apostolum* dicat, suúmque Apostolatum Christus in Hebræos exercuerit, (undè dixit: *Non sum missus nisi ad oves, quæ perierunt, domus Israël*) eo nomine Paulus abstinuit, ne videretur illi se arroganter adæquare. Petro quoque suam dignitatem intactam reservavit, cui Christus cum Ecclesiæ primatu Hebræorum Apostolatum commisit, ut idem fatetur in Epistola ad Galatas: *Qui operatus est Petro in Apostolatum circumcisionis, operatus est & mihi inter Gentes.*

1. *Petr.* 3. 15

2. *Petr.* 3. 1.

1. *Petr.* 1. 1.

Jac. 1. 1.

1. *Cor.* 2. 5.

Cur Paulus suum nomen Epistolæ ad Hebræos non præfixerit.

Heb. 3. 1.

Matt. 15. 24.

Galat. 1. 8.

11. *Abass.* Ut nuper Prophetas, sic modò Apostolos per ea, quibus scripserunt, tempora distribue. *Rom.* Nono à Christi morte anno D. Matthæus suum Evangelium, præcipientibus Apostolis, conscripsit. Anno decimo tertio, quo primùm Petrus sedem Antiochiâ Romam transtulit, Marco interprete, suam primam Epistolam ibidem dictavit; & Marcus sicut Petrum prædicantem audierat, breve scripsit Evangelium; quod Petrus probavit, & Ecclesiæ legendum tradidit. Anno vigesimo Paulus primam Corintho ad Thessalonicenses, & sequenti secundam ex eadem urbe misit. Anno vigesimo quinto Epheso primam ad Corinthios, & priorem ad Timotheum è Macedonia. Anno vigesimo sexto posteriorem ad Corinthios, ad Galatas, & ad Titum: omnes Nicopoli; & Epistolam ad Romanos,

Ordo temporis librorum novi Testamenti.

Tyrin. in prologo Epist. D. Pauli.

Libri novi Testamenti suos indicat auctores.

Epistola ad Hebræos est D. Pauli.

Digitized by Google

Romanos, quam Cenchris exaravit. Eodem anno suum Evangelium Lucam scripsisse testatur Baronius. Anno vigesimo septimo è carcere Romano Epistolam ad Ephesios, & Philippenses. Anno vigesimo octavo ex eodem carcere Epistolam ad Colossenses, ad Philemonem, & Hebræos. Anno vigesimo nono D. Jacobus, & Judas Epistolas suas dedisse videntur; & D. Lucas individuus Pauli comes Actis Apostolorum finem imposuisse; nam annorum viginti novem historiam continent. Anno trigesimo quinto D. Paulus posteriorem ad Timotheum, & D. Petrus suam quoque secundam consignârunt. Ultimæ fuêre tres Epistolæ D. Joannis, qui anno à Christi morte sexagesimo quarto Apocalypsim, & sexagesimo sexto, qui centesimus erat à Nativitate, rogatu Episcoporum Asiæ, suum conscripsit Evangelium; quod mirabilis, & felix est clausula Sacrarum Scripturarum.

Baron. to. 1. anno 58.

Quâ linguâ conscripti sunt Libri utriusque testamenti.

12. *Abass.* Quâ linguâ Sacri Libri primùm sunt vulgati? *Rom.* Plerique Libri veteris Testamenti, cùm sub Hebræis Regibus conscripti fuerint, Hebraâ, vel Syriaca linguâ, (quæ illi est affinis) sunt exarati; demptis Sapientiâ, Ecclesiastico, & duobus Libris Machabæorum, qui post Alexandri Magni tempora, sub Græcorum monarchia Græco idiomate prodierunt. D. Matthæus suum Evangelium Hebraicè primùm consignavit. D. Marcus suum Græcè, & Latinè; quod etiam probabile est, D. Paulum fecisse in Epistola ad Hebræos. Cæteri novi Testamenti Libri partus fuêre linguæ Græcæ, quæ erat illo tempore communis; sed statim ab incerto Auctore, qui dicitur Vulgatus Interpres, in Latinam sunt conversi.

De versione septuaginta Interpretũ. Joseph. lib. 12. Antiq. cap. 1.

13. *Abass.* Quonam tempore Libri veteris Testamenti in externas linguas ab Hebræis fontibus sunt translati? *Rom.* Tempore Ptolemæi Philadelphi; qui tertius ab Alexandro quadraginta annis post illius obitum, & ducentis octoginta ante Christum regnare cæpit in Ægypto. Is enim, cùm insignem bibliothecam conflare meditaretur, id se perficere non posse intellexit, nisi Sacros Hebræorum Libros in Græcam linguam conversos in illam conferret. Missis ergo ad Eleazarum Pontificem Oratoribus, ab eo septuaginta Seniores Hebraicæ, & Græcæ linguæ callentissimos impetravit, qui Phari propè Alexandriam septuaginta cellulis inclusi, & diligenter custoditi, ne invicem confabularentur, diebus septuaginta duobus omnium librorum veteris Testamenti, qui ad illa usque tempora extabant, versionem absolverunt: ità in omnibus consentientem, ut neque sententiis, neque verbis discreparent. Cui versioni tanta olim fuit auctoritas, ut à Judæis publicè in Synagogis legeretur; & ab Apostolis citata, & in Ecclesia tamquàm Canonica semper fuerit honorata. *Neque enim*, inquit Clemens Alexandrinus, *ab inspiratione Dei, qui prius prophetiam dederat, alienum erat, ut interpretationem quoque tamquàm Græcam efficeret prophetiam. Cùm verò*, inquit Eusebius, *Salvatoris tempora propinquarent, plurimùm Gentium saluti conducebat, ut quæcumque à Prophetis*

Clemens Alex. lib. 1. Strom.

Euseb. Cæsar. lib. 8. præparat. Evang. c. 1.

scripta erant, in Græcam linguam, quam omnes intelligunt, converterentur: Aut enim illa post Salvatoris adventum non habuissemus, Judæis præ invidia occultantibus, aut corrupta nobis dedissent; aut si integra, facilè in suspicionem traductores vocarentur.

D. Chrysost. hom. 4. in Genes.

14. *Abass.* Estnè alia præter illam Septuaginta Interpretum versionem? *Rom.* Cùm post Christi Passionem Ecclesia patulis diffusa ramis totum orbem occuparet, & Judæos apertissimis de Christo ex Septuaginta Interpretum versione testimoniis obrueret, illam ipsi multis locis adulterârunt; & Aquila quidam Ponticus sub Hadriano; & Symmachus Samaritanus sub Severo; & Theodotion Marcionis sectator sub Commodo: suam quisque versionem in Christi, & Ecclesiæ odium elucubrârunt; quibus duæ aliæ, incognitis auctoribus, accessêre, quæ dictæ sunt Quinta, & Sexta; Quinta sub Severo, sexta sub Alexandro. Septima, & omnium postrema, & maximè castigata fuit Luciani Martyris sub Magno Constantino; quæ cum Septuaginta Interpretum versione admodùm consentit.

Septem omninò Græcæ fuêre versiones.

D Epiphan. lib. de pond. & mensur.

D. Athanas. in Synopsi.

15. *Abass.* Quænam ex omnibus versionibus præcellit auctoritate? *Rom.* Cùm versio Septuaginta Interpretum à Judæis corrupta, & aliorum mutila fuerit ex compacto: restat, Vulgatam Latinam, quæ in Ecclesia ab ipso Apostolorum tempore trita fuit, omnium esse limatissimam; utpote quam D. Hieronymus trium linguarum: Hebraicæ, Græcæ, & Latinæ peritissimus, jussu Damasi summi Pontificis Romani expurgaverit, vetus Testamentum cum Hebraico textu diligentissimè conferens, & novum Græcæ Fidei restituens. Qua de causa Latina lingua in Crucis titulo duabus aliis prælata est; cùm infimo loco posita Dominico esset capiti propinquior. De hac versione illud est in Synodo Tridentina elogium: *Sancta synodus declarat, ut hæc ipsa vetus, & Vulgata editio, quæ longo tot seculorum usu in Ecclesia probata est, in publicis lectionibus, disputationibus, prædicationibus, & expositionibus pro authentica habeatur; & ut nemo illam rejicere quovis prætextu audeat, vel præsumat.*

Vulgata editio Latina omnibus præcellit.

Joan. 19. 20.

Concil. Trident. Sess. 4.

16. *Abass.* Æthiopica Scripturarum versio illi vulgatæ Latinæ consentit, an dissentit? *Rom.* Æthiopica versio veteris Testamenti Septuaginta editionem plerumque sequitur; sed in Psalmis cum illa in totum non cohæret; non tamen est contemnenda, quia Psaltis mentem egregiè exprimit. In novi Testamenti editione non multùm est discriminis. Admirabili enim Sapientiâ Deus providit, ut in tanta linguarum, & vocum diversitate sensuum concordia servaretur; ut adversus errores à malis disseminatos antidotum in vestris libris inveniatur; & ipsè dispicias, nihil à me novum, aut in occultò confictum edoceri.

Judicium de versione Æthiopica Scripturarum.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

De auctoritate Traditionum approbatarum ab Ecclesia ad confirmanda Fidei mysteria.

Duplex est genus traditionum: Aliæ sunt Scriptæ, aliæ non Scriptæ. *Ps.* 67. 27. 1. *Cor.* 11. 23.

1. *Abass. De fontibus Israël*, sivè Sacris Scripturis abundè potum hausi; transire jam liceat in secundam mansionem de Traditionibus. *Rom.* Omnis doctrina, quæ discendo comparatur, traditio dici potest. Sic Paulus: *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Ut ergo doctrina aliquandò scripto, aliquandò vivæ vocis ministerio commendatur, sic aliquæ sunt traditiones scriptæ, aliæ non scriptæ. Traditionis scriptæ nomen induit, quidquid in quavis Sacrarum litterarum parte consignatum invenitur. Traditiones verò non scriptæ sunt illæ, quæ ab alicujus ore in alterius aurem transeunt, & indè ad plures transfunduntur; & vicem habent depositi, quod parentes filiis, & magistri auditoribus committunt. Utrumque memoratarum traditionum genus 2. *Thes.* 2. 15 Apostolus complectitur, cùm dicit: *Tenete traditiones, quas didicistis; sivè per sermonem, sivè per epistolam nostram.*

Diversæ species traditionum.

2. *Abass.* Quod nunc exculturus es genus traditionum: scriptarum, an non scriptarum? *Rom.* Nunc de scriptis traditionibus nec verbum; nam duo præcedentia capita sibi eam materiam vendicarunt; sed de illis tantùm agendum, quæ in nullo Canonicorum Librorum loco scriptæ reperiuntur. Ex iis aliquæ Fidei dogmata, aliæ de rebus agendis præcepta continent. Aliquæ sunt divinæ, aliæ Apostolicæ, aliæ Ecclesiasticæ; quibus omnibus si Ecclesia careret, in recta penitùs Fide, & administratione claudicaret.

Ecclesiæ regimen sine traditionibus claudicaret.

3. *Abass.* Cur Ecclesia in recta Fide, & administratione claudicaret, si traditionibus careret? *Rom.* Ecclesia regnum est optimis legibus institutum, & administratum; & idcircò sæpiùs in Evangelio *Dei regnum:* & *Matt.* 21. 43. & 8. 12. illius clientes *filii regni* appellantur. In regnis autem optimè temperatis, non solùm sunt legum scriptarum volumina (quæ à nobis dicuntur Jus Canonicum, & Civile, à vobis; [Feta canonâ] [Feta negueſt.]) Sed etiam consuetudines non Scriptæ (quæ à vobis: [Jace sêrat,] à nostris fori, sivè Curiæ styli nominantur) quæ populi tantùm voce, & usu conservantur, & eamdem vim habent, atque leges scriptæ. Si enim omnes leges litteris commendandæ essent, in infinitum illarum cumulus excresceret. Hoc ipsum (quod exponimus) Apostolorum Symbolum, & duodecim ejusdem articuli, in nulla Scriptura Canonica inveniuntur, sed in sola Ecclesiæ traditione fundantur, & roborantur.

Scriptura sine traditionibus nō sufficit.

4. *Abass.* Ut Ecclesia rectam in omnibus Fidem, & administrationem nanciscatur, Sacra Scriptura sufficere videtur, in qua reperitur solidum omnis veritatis, & actionis fundamentum. *Rom.* Utilis quidem est Scriptura, sed non sufficit ad omnem veritatem dignoscendam, omnémque actionem dirigendam; cùm neque ritus omnes, neque definitiones ad Fidem, & virtutem spectantes in ea contineantur; nec solùm difficilè sit verum sensûs nucleum eruere, sed & corticem frangere, & litteram percipere. Opus ergo est traditionibus, quæ id, quod Scripturæ deest, suppleant; & id, quod est ambiguum, intricatúmque, exponant. Undè Canonicos Sacræ Scripturæ libros agnosceremus, nisi auxiliares traditionum copias accerseremus? In nullo enim ipsorum scriptum est, qui probandi, qui rejiciendi; sed sola id Ecclesiæ traditio decernit. An non quatuor Esdræ, & totidem Machabæorum Libri circumferuntur? Quis ergo, nisi Ecclesia, nos docuit, duos tantùm ex utrisque esse Canonicos? Quindecim Evangelia Apostolorum nominibus se exornârunt, nec tamen Petri, vel Thomæ, vel Thadæi Evangelia recipimus; sed vulgata quatuor, quæ Ecclesia, cæteris reprobatis, est amplexa, juxta illud dictum D. Augustini: *Evangelio non crederem, nisi Ecclesia me docuisset.* Et illud Tertulliani: *Quid Apostoli prædicaverint, quid illis Christus revelaverit, aliter probari non debet, nisi per easdem Ecclesias, quas Apostoli condiderunt.* Addo; in toto tempore legis naturæ, quæ bis mille, & quadringentos annos duravit; nempè ab Adamo usque ad egressum filiorum Israël de Ægypto, tota Fides solis traditionibus nitebatur.

Vide Salmer. prolog. 30. tom. 1.

D. August. lib. contrà Epist. fundam. c. 5. Tertul. ad vers. Hæret. cap. 21.

In lege naturæ Fides solis traditionibus nitebatur.

5. *Abass.* Quomodò tunc solis traditionibus Fides nitebatur? *Rom.* Toto eo tempore vera Fides vigebat. Cùm enim D. Paulus de Henoch, Noë, Abraham, & aliis Patribus, qui tunc vixêre, sermonem præmisisset, subjecit: *Juxta Fidem defuncti sunt omnes isti.* Et infrà: *Et hi omnes testimonio Fidei probati.* Quæ Fides à nulla Scriptura sumere potuit exordium; cùm Moyses primus Canonicus Auctor fuerit, ut capite Superiore demonstratum est; sed à sola traditione. Nam Adamus haustum à Deo citra scriptionem ipsum colendi ordinem filio suo Jeth impressit; is suis postea filiis, ac nepotibus, qui ob divini cultus scientiam, & frequentiam *Dei filii* in Genesi vocantur. Abraham quoque sinè atramento circumcisionis ritum ad suos posteros transmisit: *Scio*, inquit Deus, *quòd præcepturus sit filiis suis, & domui suæ post se, ut custodiant viam Domini.* Ab Abrahamo verò usque ad legis promulgationem D. Paulus quadringentos, & triginta annos interfluxisse testatur. Quo tempore circumcisionem, & originalis peccati illius interventu abolitionem sola traditio commendabat.

Hebr. 11. 13. 39.

Gen. 6. 2.

Gen. 18. 19.

Galat. 3. 17.

Tempore legis scriptæ vigebant etiam traditiones.

6. *Abass.* Legis Mosaicæ scriptio, & promulgatio videtur priores omnes traditiones expunxisse. *Rom.* Imò morti vicinus Moyses traditiones confirmavit. *Interroga*, inquit, *patrem tuum, & annuntiabit tibi; majores tuos, & dicent tibi.* Similiter David: *Deus auribus nostris audivimus: patres nostri annuntiaverunt nobis opus, quod operatus es in diebus eorum, & in diebus antiquis.* Et in alio Psalmo: *Quanta audivimus, & cognovimus ea, & patres nostri narraverunt*

Deut. 32. 7. *Psal.* 43. 2.

Ps. 77. 3. 4. 5. 6.

Digitized by Google

narraverunt nobis? Non sunt occultata à Filiis eorum in generatione altera. Et inferiùs: *Quanta mandavit patribus nostris nota facere ea Filiis suis, ut cognoscat generatio altera. Filii, qui nascentur, & exurgent, & narrabunt Filiis suis.* Addo, Christum Dominum traditiones approbâsse, illâsque Apostolis suis quasi depositum reliquisse; idémque gessisse Spiritum sanctum, postquàm Christus in cœlum demigravit.

Traditiones Christus commendavit, & approbavit.

7. *Abass.* Quandò traditiones Christus commendavit, & approbavit? *Rom.* Primò, cùm dixit: *Quod dico vobis in tenebris, dicite in lumine; & quod in aure auditis, prædicate super tecta.* Ut enim ipse Apostolis divina mysteria per traditionem ingerebat; *Ego*, inquit, *quod vidi apud Patrem, loquor:* sic hominibus per traditionem communicari volebat. Secundò, cùm dixit: *Quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Nullibi tamen illa arcana scripta sunt. Tertiò, cùm dixit: *Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò.* Dubitari non potest, quin Christus promissionis suæ fidem exolverit; & quin priùs Apostolis aperuerit, quæ à Patre audiit; & quin illos posteà participes fecerit eorum, quæ adhuc dicenda reservabat. Quod præstitisse credendus est, cùm Apostolis *præbuit se ipsum vivum*, ut ait D. Lucas, *post passionem suam in multis argumentis, apparens eis, & loquens de regno Dei. Hoc est*, inquit Macarius Jerosolymorum Episcopus in Concilio Nicæno, *tradens illis salutarium præceptorum pignora. Hæc est Fides Ecclesiæ Apostolica, & inculpata, quam desuper ab ipso Domino per Apostolos, & à patribus ad filios traditam Ecclesia colit.* Liber autem, in quo illi sermones signati permanserunt, fuêre Apostolorum mentes, à quibus ad illas, quas ipsi plantavêre, Ecclesias dimanârunt simul cum notitia illorum factorum, & miraculorum, de quibus ait D. Joannes cap. 20. *Multa quidem & alia signa fecit JESUS, quæ non sunt scripta in libro hoc.* Et cap. 21. *Sunt & alia multa, quæ fecit JESUS, quæ si scribantur per singula, nec ipsum arbitror mundum capere posse eos, qui scribendi sunt, libros.*

Ioan. 15. 15. Ioan. 16. 12. Act. 1. 3. Act. Concil. Nicæn. lib. 2. Ioan. 20. 30. Ioan. 21. 25.

Quidquid à Christo Apostoli acceperunt, Ecclesiæ tradiderunt.

8. *Abass.* Conspicor, approbatas à Christo traditiones, & ab illo Apostolis omnia reserata; non tamen ab illis omnia Ecclesiæ manifestata. *Rom.* Si sermonum suorum ignem Christus Apostolorum suorum cordibus abstrusit, quo pacto illum continere possent, ne erumperet? Nam, *conceptum sermonem retinere quis poterit?* ait Eliphas in libro Job; Eliu verò: *Plenus sum sermonibus, & coarctat me spiritus uteri mei; & venter meus, quasi mustum absque spiraculo, quod lagunculas novas disrumpit.* Nónne ubi Apostoli prædicationem sunt auspicati, audientes subsannabant: *Quia musto pleni sunt isti?* Et ipsi à Principibus admoniti, ut tacerent, responderunt: *Non possumus, quæ vidimus, & audivimus, non loqui?* Si verò traditam sibi ad usuram pecuniam absconderent, non minùs damnabiles essent, quàm servus ille desidiosus, & nequam, qui talentum in *sudario reposuit*; & *lucernam sub modio, non super candelabrum* collocarent, *abscondentes aliquid*, inquit Tertullianus, *de lumine, idest, de Dei Verbo, & Christi Sacramento.* Nam quæ Christus illis dixit in tenebris, jussit ab ipsis *in lumine*; & quæ in aurem, *super tecta* prædicari; & ut gentes docerent *servare omnia*, quæ ipsis præcepta fuerant. Infideles ergo essent, si quidquam suppressissent. *Vos scitis*, inquit Paulus, *quomodo nihil subtraxerim utilium, quò minùs annuntiarem vobis, & docerem vos publicè, & per domos.* Ut Paulus nihil subtraxit, sic neque cæteri Apostoli; de quibus Lucas ait: *Loquebantur Verbum Dei cum fiducia.* Et infrà: *Virtute magna reddebant Apostoli testimonium Resurrectionis JESU Christi Domini nostri.* Reddebant autem, non ex scriptis voluminibus prædicationem contexentes, sed *viva voce*, inquit Tertullianus, quod est proprium traditionum; quæ cum vocis Apostolicæ sono minimè perierunt, sed Ecclesiæ depositum locupletârunt. Undè est illud D. Irenæi: *Apostoli quasi in depositarium dives, in Ecclesiam contulêre omnia, quæ sunt veritatis.* Et D. Vincentius Lirinensis: *Christi Ecclesia sedula, & cauta depositorum apud se dogmatum custos.* Ut ergo Apostoli ad prædicandam initio Christi Fidem sola traditione nitebantur (ipsius enim ope D. Petrus ipsa die Pentecostes tria millia animarum, & alia quinque millia Ecclesiæ aggregavit) ità illam, si vellent, sine ullis scriptis toti Ecclesiæ relinquere potuissent. D. Irenæus eodem loco: *Quid*, inquit, *si neque Apostoli quidem scripturas reliquissent nobis?, nonne oportebat sequi ordinem traditionis, quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias?* Sicut igitur tunc Christiani omnia ab Apostolis per traditionem commissa credere tenebantur, sic nunc credere tenentur eam partem, quam sola traditio custodit.

Tertull. lib. adv. Hæret. cap. 26. Matth. 10. 27. Matth. 28. 20. Act. 20. 20. Act. 4. 31. 33. Tertul. ubi suprà c. 21. D. Iren. lib. 3. c. 4. D. Vincent. Lirin. lib. adv. hæres. cap. 32. Act. 2. 41. & 4. 4.

Si Apostoli nihil scripsissent, solis traditionibus Ecclesia regeretur.

Cur Apostoli nō omnia scripto, sed multa traditione reliquerint.

9. *Abass.* Cur Apostoli omnia, quæ à Christo audierunt, non potiùs ad Ecclesiam instruendam, & roborandam litteris, quàm traditioni commendârunt? *Rom.* Apostoli prædicationi incumbere & scribenda agere, quàm scripta condere maluerunt; nec expediebat omnia Christi acta litteris consignari, nec ejus doctrinam omnibus evulgari; imò decebat ab aliquibus sacratioribus mysteriis, & divinorum arcanorum ritibus vulgus, tamquam profanum arceri; & ad illa solos Sacerdotes, ac Pontifices admitti. Sic de suis Constitutionibus, in quibus Apostolorum traditiones continentur, ait D. Clemens. Can. 84. *Quas publicare omnibus non oportet ob quædam arcana, quæ in se continent.* Paulus quoque dicit, se prædicasse *publicè, & per domos*; publicè docebat, quæ omnibus communicari oportebat; *per domos*, quæ solis Ecclesiæ Præsidibus aperiri decebat. Quod insinuat Irenæus dum ait: *Quam tradiderunt iis, quibus committebant Ecclesias.* Sicut olim solis Levitis licebat tabernaculi vasa, non nuda, sed pellibus operta bajulare; & Sancta Sanctorum ab exteriori domo velum dirimebat; nec in illa cuiquam dabatur accessus, nisi summo Sacerdoti, semel tantùm in anno. Ipsis verò Apostolis, quos Sacrorum in Ecclesia sua Antistites Christus præfecit, apud Lucam dixit: *Vobis datum est nosse mysteria*

D. Clem. Can. 84. Act. 20. 20. D. Iren. suprà. Num. 4. 5. Heb. 9. 3. 7. Exod. 30. 10. Luc. 8. 10. 1. Cor. 2. 5.

Luc. 19. 20. Matth. 5. 16 Tertull. lib.

Digitized by Google

regni Dei, cæteris autem in parabolis. Nam & 1. *Cor.* 2. 3. Paulus *Sapientiam inter perfectos loquebatur*; 1. *Cor.* 3. 2. parvulis autem *non escam, sed lac in potum* offerebat.

Spiritus sanctus multas traditiones Apostolis commisit.

10. *Abass.* Quandò Spiritus sanctus Apostolis traditiones commendavit? *Rom.* Promissio facta est à Christo apud Joannem: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia, quæcumque dixero vobis.* *Joan.* 14. 26. Et iterùm: *Cùm venerit ille Spiritus veritatis,* *Joan.* 16. 13. *docebit vos omnem veritatem.* Paucissimæ harum veritatum, quarum Spiritus sanctus auctor promittitur, mandatæ sunt scriptis, cùm tamen credendum non sit, ex sententia Tertulliani, *neglexisse officium suum Dei willicum, & Christi Vicarium,* sed Apostolos ad Sacram prædicationem, & Ecclesias ad veram illius intelligentiam direxisse. D. Paulus Spiritus sancti Apostolus fuit; *dixit enim Spiritus sanctus: segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Et ad illius traditiones doctrinam suam referebat: *Ego*, inquit, *accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* Hanc etiam depositum vocabat, cùm dicebat: *O Timothee depositum custodi.* Et iterùm: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti in fide, & in dilectione in Christo JESU. Bonum depositum custodi per Spiritum sanctum, qui habitat in nobis*; Et iterùm: *Quæ audisti à me per multos testes, hæc commenda fidelibus hominibus, qui idonei erunt & alios docere.* D. Joannes in secunda, & tertia Epistola. *Multa habeo tibi scribere, sed nolui per chartam, & atramentum; spero autem protinus te videre, & os ad os loquemur.* Quæ testimonia apertè indicant, Apostolos suis auditoribus; & Spiritum sanctum, ac Christum Dominum Apostolis multa, quæ scripta non sunt, auriculari relatione per traditionem reliquisse.

Tertul. adverſ. Hæret. cap. 28. *Act.* 13. 2. 1. *Cor.* 11. 23. 1. *Tim.* 6. 20. 2. *Tim.* 1. 13. 14. 2. *Tim.* 2. 2. 2. *Joan.* v. 12 & 3. v. 13.

Quænam traditiones sint divinæ.

11. *Abass.* Fateor, non scriptis traditionibus Ecclesiam semper gubernatam; nunc expone, quænam ex ipsis sint divinæ, quæ Apostolicæ, quæ Ecclesiasticæ? *Rom.* Divinæ traditiones illæ sunt, quæ in Deum auctorem referuntur. Cùm autem Pater, & Filius, & Spiritus sanctus unus Deus sint: pro divina traditione deputabitur, quidquid Deus olim Prophetas, & sanctos viros veteris Testamenti edocuit; quod tamen in eo scriptum non sit. Qualis est numerus librorum Canonicorum; & quidquid Christus, vel Spiritus sanctus Apostolis revelavit; quod Ecclesia suscepit, cùm in novo Testamento scriptum non contineatur. In quo numero sunt articuli de perpetua sanctissimæ Dei Genitricis Mariæ integritate; de eductione animarum Sanctorum Patrum de sinu Abrahæ, cùm Christus ad inferos descendit; quidquid pertinet ad sanctitatem, & efficaciam Sacramentorum; Ut verum esse Baptismum, sivè à Sacerdote, sivè à Laico, sivè à fœmina, sivè ab hæretico debitum ritum servante ministretur; & eodem sanctificari pueros rationis etiam expertes; tria Sacramenta Baptismi, Confirmationis, & Ordinis animæ characterem inurere, nec posse reiterari; à solo Presbytero Christi Corpus in triticea placenta consecrandum, & aquam vino admiscendam; solum Sacerdotem posse confitentibus aures commodare, & sigillum ab ipso intemeratè servandum. Huc spectant decreta de adoratione, & veneratione Sacrarum Imaginum; de Indulgentiis; Purgatorio, & Suffragiis defunctorum. Plures alias traditiones divinas prætermitto, in quas frequenter toto hoc volumine incurres; quas Ecclesia ab Apostolis, Apostoli à Christo, vel ab Spiritu sancto expresserunt.

Quænam traditiones sint Apostolicæ.

12. *Abass.* Quænam sunt traditiones Apostolicæ? *Rom.* Institutio earum rerum, quarum usum Apostoli, ut Ecclesiæ Pastores, induxerunt; ut jejunium Quadragesimæ; Quartæ, & Sextæ Feriæ in Oriente; Sextæ, & Sabbati in Occidente; abstinentia à jejunio, & genuum flexione toto tempore Paschali; frontem, humeros, & pectus Cruce signare; illos, qui Sacris Ordinibus initiantur, castitati mancipari; observatio præcipuarum Christi festivitatum, quæ sunt Nativitas, Epiphania, Baptismus, Transfiguratio, Resurrectio, Ascensio, Pentecostes. Plures alias Apostolicas traditiones prætermitto.

Quænam traditiones sint Ecclesiasticæ.

13. *Abass.* Quænam sunt traditiones Ecclesiasticæ? *Rom.* Cùm Ecclesiæ nomen subeant Prælati Ecclesiæ; sivè singuli suis Ecclesiis præsidentes, sivè omnes in aliquo Concilio Generali, vel particulari congregati, ut dicendum est lib. 7. cap. 1. sequitur illarum rerum esse traditiones Ecclesiasticas, quas vel aliqui Episcopi in sua Diœcesi, vel aliquod Concilium generale, vel Provinciale, vel Diœcesanum fanxit; & in aliqua tantùm Diœcesi, vel in ampliori regione, vel in Ecclesia Universali receptæ sunt. Cùm verò Romanus Pontifex caput sit omnium Episcoporum, illius etiam leges, vel in Epistolis Synodicis, vel in diplomatibus statutæ, traditiones Ecclesiasticæ censendæ sunt. Ex quibus præcipuè, & ex Conciliorum decretis conflatum est jus Canonicum. In eo genere sunt ritus, & Canon Missæ, & illius appendices, Kyrie eleison, Hymnus Angelicus, & Symbolum Apostolicum; Communio ante omnem cibum; thuris, & aquæ benedictio; mutuus Psalmorum concentus, & Gloria Patri in ipsorum clausula; & usus piacularium globulorum. Tot verò sunt hujusmodi traditiones, ut numero concludi non possint.

Divinæ traditiones ore Apostolorum ad Ecclesiam pervenêre, nec ideò sunt Apostolicæ.

14. *Abass.* Agnosco traditiones Ecclesiasticas; sed divinas, & Apostolicas video à te confundi. Vel enim omnes sunt divinæ, vel omnes Apostolicæ; cùm omnes Apostolorum ore ad Ecclesiam pervenerint. *Rom.* Fateor quidem omnes traditiones, tam divinas, quàm Apostolicas Apostolorum prædicatione in Ecclesiam, diverso tamen modo, irrepsisse. Nam divinarum Deus auctor fuit, & institutor: Apostoli verò interpretes, ac internuntii. Apostolicarum tamen iidemmet Apostoli fuêre non solùm præcones, sed & auctores, per eam potestatem legum condendarum in Ecclesiæ utilitatem, quam à Deo acceperunt. Veluti si Rex in curia legem aliquam sanciat; eamdémque postèa Prorex, vel Prætor in sua ditione promulget; lex

Digitized by Google

l. In ædibus, §. quod filius, ff. de donat.

lex illa non dicitur prætoria, sed regia; quia immediatè à Rege, non autem à Prorege, vel Prætore dimanavit. Si verò Prorex in suâ Provincia legem aliam condat, quâ jubeat, ut omnes se ad bellum eunteṁ sub capitali pœna prosequantur; lex illa prætoria est, & non regia; quia vim suam non immediatè à Rege; sed à Prætore vendicavit. Sic quamvis omnes traditiones divinæ, & Apostolicæ ab Apostolis sint pronuntiatæ, aliæ tamen à Deo, aliæ ab ipsis vim sunt mutuatæ; & priores illæ, divinæ: posteriores, Apostolicæ dicuntur. Quam distinctionem innuit D. Paulus in Epist. 1. ad Corinthios: De divinis enim traditionibus ait:

1. Cor. 7. 10. *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus: uxorem à viro non discedere.* Et

1. Cor. 11. 23. cap. 11. *Ego enim accepi à Domino, quod & tradidi vobis.* De suis autem traditionibus, quæ erant Apostolicæ, cap. 7. *Nam cæteris ego dico, non Dominus:* Et cap. 11. *Sicut tradidi vobis, præcepta mea tenetis:* Et iterùm: *Cætera autem, cùm venero, disponam.* Apostolicæ istæ traditiones in

1. Cor. 7. 12. 1. Cor. 11. 2. 34. Actis dicuntur præcepta Apostolorum, & Seniorum: *Præcipiens custodire præcepta Apostolorum, & Seniorum;* Et cap. 16. *Cùm autem pertransirent civitates, tradebant eis custodire dogmata, quæ erant decreta ab Apostolis, & Seniori-*

Act. 15. 41. Act. 16. 4. *bus, qui erant Jerosolymis.*

Traditiones divinæ non scriptæ, de Fide sunt, non secus ac scriptæ.

15. *Abass.* Quam vim habent traditiones? *Rom.* Traditiones scriptæ eamdem vim habent, atque non scriptæ. Unde doctrina, quam Deus olim Prophetis, & Christus postea Apostolis, & ultimò Spiritus sanctus iisdem inculcavit, nec tamen litteris mandata fuit, ejusdem est auctoritatis, atque illa, quæ in Testamento veteri, in Evangelio, Actis, & Epistolis Apostolicis reperitur. Cùm enim Spiritus sanctus eamdem habeat cum Patre, & Filio divinitatem, eamdem quoque nanciscitur in suis traditionibus veritatem, & auctoritatem. Ideò D. Paulus, qui suam à sancto Spiritu doctrinam hausit, Thessalonicensibus dicebat:

D. Basilius Epist. ad Amphiloc. cap. 27.

1. Thes. 2. 13. *Cùm accepisseṫis à nobis verbum auditus Dei; accepistis illud, non ut Verbum hominum; sed sicut est verè, Verbum Dei.* Ergo divinæ traditiones, si veritates continent ad Fidem spectantes, de Fide sunt; si præcepta moralia ejusdem sunt roboris cum illis, quæ in lege, vel Evangelio proponuntur. Traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ nullam Fidei definitionem exhibent; quia Fides non humanâ, sed solâ divinâ auctoritate fulcitur. Sed decreta Apostolorum non scripta non minorem exigunt reverentiam, quàm illa, quæ characterû exscriptio posteritati cõmendavit.

In traditionibus Apostolicis, & Ecclesiasticis nulla est de Fide.

16. *Abass.* Si traditiones tanti sunt ponderis, cur illas Christus damnavit, cùm dixit: *Quare & vos transgredimini mandatum Dei propter traditionem vestram?* *Rom.* Eodem, quod citas, testimonio, divinas, Apostolicas, & Ecclesiasticas traditiones Christus approbat, & confirmat, vocans illas mandatum Dei; nam etsi traditiones Apostolicæ, & Ecclesiasticæ non præcipiantur à Deo immediatè, cùm tamen stabilitæ fuerint ab Apostolis, & ab Episcopis Apostolorum successoribus, cum quibus Christus communicavit omnem, quam habebat *in*

Matt. 28. 18. *Cœlo, ac terra potestatem* illorum mandata tam religiosè servanda sunt, ac si essent Dei præcepta. Nam, *qui vos audit, me audit; & qui vos*

Luc. 10. 16. *spernit, me spernit.* Et: *qui novit Deum, audit nos; qui non est ex Deo, non audit nos.* Solas ergo humanas traditiones divinis, Apostolicis, atque Ecclesiasticis adversantes Christus rejicit; quod indicat illud verbum: *Propter traditionem vestram.* Et illud, quod inferiùs citat ex Isaïa: *Sine causa autem colunt me, docentes doctrinas & mandata hominum.* Et illud D. Pauli:

1. Joan. 4. 6. Isaiæ 29. 13. Matt. 15. 9. Coloss. 2. 8. *Videte ne quis vos decipiat per philosophiam, & inanem fallaciam, secundùm traditionem hominum, secundùm elementa mundi, & non secundùm Christum.* Te igitur expedit summa contentione vigilare, ne Liam lippientem pro Rachele perspicaci mutes; ideſt, ne humanas traditiones in divinas vanis illusionibus invertas; neu divinas cum Apostolicis, aut Ecclesiasticas cum Apostolicis, diviniſque confundas.

Gen. 29. 16. 17.

Proponuntur quinque regulæ ad traditiones dignoscendas.

17. *Abass.* Quibus notis internoscere potero traditiones, ne alias pro aliis complectar? *Rom.* Quinque sunt notæ, quibus veras traditiones à falsis secernes. Prima est. Quoties tota Ecclesia aliquam propositionem, quæ in Scriptura non reperitur, ut stabilem Fidei veritatem credit, necessarium est dicere, divinâ traditione, non scriptâ ipsam à Deo accepisse. Ut enim dicemus lib. 7. cap. 3. tota Ecclesia in rebus Fidei errare non potest; erraret autem, si aliquid crederet, quod sibi nullâ revelatione divinâ illuxisset. Itaque in præceps rueret, si hos, vel illos libros tamquam Canonicos sequeretur, nisi tales esse divino testimonio agnosceret. Nam & in ipsis recipiendis, & in omnibus veritatibus, quas ipsorum auctoritate confirmare vellet, lubrico vestigio nutaret. Cùm ergo in Scriptura nullus sit canon expressus de ipsius librorum auctoritate, omninò ad divinam traditionem recurrendum.

Prima. Quidquid Ecclesia colit, ut vetitatẽ de Fide, quod scriptũ non est; id colit ex divina traditione. D. August. de Baptismo contra Donatist. lib. 4. cap. 24.

18. *Abass.* Quænam secunda est nota traditionum? *Rom.* Quoties Ecclesia omnibus retrò temporibus actionem aliquam, quæ nec in scriptura præscripta est, nec ab ipsa Ecclesia (quod ipsius potestatem excedat) præscribi potuit, ut animarum saluti necessariam exercuit, & nunc exercet: Statuendum est, à divina traditione non scripta profluxisse. Si enim ea traditio Ecclesiæ non opitularetur, enormiter in Fidei, ac morum doctrina laberetur. Hac traditione nititur infantium Baptismus, illiusque administratio, sivè à laico præstetur, cùm Sacerdos non adfuerit; sivè à fœmina in virorum defectu. Solus enim Deus auctor est Sacramentorum, illiſque valorem conferre potest. Si ergo Ecclesia isthæc, & similia exerceret absque divina revelatione, gravissimè in communem animarum vastitatem præceps devolveretur. Cùm igitur illa expresè ab Scriptura non trahantur, dicendum, ex divina traditione in Ecclesiam processisse.

Secunda. Quidquid tota Ecclesia facit, quod excedit ipsius potestatem, à divina traditione; fluxit.

19. *Abass.* Quænam tertia est nota traditionum? *Rom.* Quoties tota Ecclesia in aliquo generali Concilio legitimè congregata; vel unanimis omniũ Ecclesiæ Patrum seorsim scribentium consensus decernit, aliquam veritatẽ ex divina traditione provenisse; id firmiter sine ullâ hæsitatione credendum. Quia nec generale Concilium legitimè conflatum errare potest, ut sequenti capite dicendum; nec omnes Ecclesiæ Doctores fluctuare possunt, cùm in ejusdẽ articuli confirmatione conspirant; ut ostensũ fuit

Tertia. Quidquid aliquod generale Concilium legitimum, vel unanimis Patrũ consensus, tamquam de Fide colit, id oritur ex divina traditione.

Digitized by Google

cap. 10 n. 15. Ita de Fide est, sanctorũ Imagines, & Reliquias adoratione esse prosequẽdas; quia illam veritatem omnes Patres suis in libris, & Concilium Nicænũ secundum, quod fuit septimum generale, ex divina traditione desumpsit.

Quarta. Quidquid Ecclesia omni tempore fecit, quod non constet Deũ ordinasse, & potuit ab hominibus ordinari; traditio est Apostolica. *Act.* 20. 28. 1. *Cor.* 4. 1.

20. *Abass.* Adjunge quartam notam traditionum. *Rom.* Quoties Ecclesia omni tempore aliquid operata est, & nunc operatur, quod non constat, ipsam à Deo accepisse, nec humanam jurisdictionem excedit; censendum est, illud fuisse ab Apostolis ordinatum, & ab illis ad nos nusquã interrupto canali promanâsse. *Illos enim Spiritus sanctus posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei*; illos elegit Christus *ministros, & mysteriorum suorum dispensatores*; illos horto suo plantatores, irrigatores, nutritoréque Deus dedit. Quare quidquid in Ecclesia ipsorum tempore plantatum invenerimus, ipsorum industriæ deputemus. Cùm ergo tunc Quadragesimæ jejunium frequentatũ, Christi festivitates religiosè celebratas, & solemnem Sacramentorum cum suis ritibus administrationem reperiamus; ut Baptismi cum lumine, sale, oleo, & exorcismis; hæc omnia, & similia credendum ab Apostolis instituta. Si autem in alios ritus inciderimus, qui post Apostolorum ætatem sunt introducti, ii ad traditiones Ecclesiasticas spectant; sivè à Romanis Pontificibus, sivè à privatis Episcopis, sivè à Conciliis particularibus, sivè à generalibus sint excogitati. Ut quod in fine Psalmorum dicatur Gloria Patri, traditio est Ecclesiastica, quæ cœpit sub D. Damaso Romano Antiste, qui suum Pontificatum auspicatus est anno Christi tercentesimo sexagesimo septimo. Symbolum Constantinopolitanum editum fuit anno tercentesimo octogesimo primo; & posteà à tertio Concilio Toletano, quod celebratum fuit anno quingentesimo octogesimo nono, Can. 2. indictum, ut in Missa omnibus Dominicis diebus cantaretur. Hinc mille alias traditiones Ecclesiasticas poteris colligere.

Ritus, qui post Apostolorum tempora sunt introducti, spectant ad traditionẽ Ecclesiasticam. Concil. Rom. sub Damaso, anno 382.

21. *Abass.* Ultimam traditionum notam appone. *Rom.* Illæ traditiones, quas semper ut divinas coluerunt illæ Ecclesiæ, quæ veram, & incorruptam Apostolorum successionẽ tam in doctrina, quàm in Cathedra conservârunt, pro divinis habendæ sunt; & pro Apostolicis, vel Ecclesiasticis illæ, quas Apostolicas, & Ecclesiasticas ipsæ censuerunt. Cùm autem nullibi, quàm in Romana Ecclesia perfectiùs Apostolica successio servata fuerit, ut lib. 7. cap. 10. & 11. ostendetur, illis traditionibus intrepidè adhærendum, quas ipsa vel doctrina, vel facto approbaverit. Qua de re sic D. Irenæus. *Quoniam valdè longum est, in hoc tali volumine, omnium Ecclesiarum enumerare successiones; maximæ, & antiquissimæ, & omnibus cognitæ, à gloriosissimis duobus Apostolis Petro, & Paulo Romæ fundatæ, & constitutæ Ecclesiæ, eam, quam habet ab Apostolis traditionem, & annuntiatam hominibus Fidem, per successiones Episcoporum pervenientem usque ad nos, indicantes confundimus omnes eos, qui quoquo modo, sivè per sui placentiam malam, vel vanam gloriam; vel per cæcitatem, & malam sententiam præterquam oportet, colligunt. Ad hanc enim Ecclesiam propter principaliorem principalitatem necesse est omnem convenire Ecclesiam; hoc est, eos, qui sunt undique, Fideles. In qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ est ab Apostolis, traditio.* Cui consonat ætate ferè par Tertullianus. *Felix*, inquiens, *status Ecclesia, in qua Petrus, & Paulus totam suam doctrinam cum sanguine profuderunt.* Cùm igitur omnis Apostolorum doctrina Romæ quasi in deposito asservata fuerit, ibi illam quærere oportet, quamvis Ecclesiam, vel hominem, qui purum traditionum thesaurum comperire in animum induxerit.

Quinta. Divinæ, vel Apostolicæ, vel Ecclesiasticæ sunt illæ traditiones, quas Ecclesia Romana, ut tales cognoscit.

D. Iren. lib. 3. cap. 3.

Tertull. lib. adv. Hæret. cap. 36.

22. *Abass.* Poterítne inveniri traditio aliqua divina, vel Apostolica, vel Ecclesiastica, quæ propria sit unius Ecclesiæ, non verò alterius? *Rom.* Nulla traditio divina sic addicta est uni Ecclesiæ, ut non ad omnes æqualiter extendatur; quamquàm poterit aliqua velut divina in aliqua Ecclesia coli, cùm in alia non colaturut talis; eò quòd revelatio, quæ illius est fundamentum, ignoretur; cùm autem notũ fuerit, ab omnibus suscipi debet. Sic tẽpore D. Victoris Pontificis Romani in Romana Ecclesia divinæ traditionis nomine Pascha Dominico die post decimam quartam lunam primi mensis peragebatur; cùm Ecclesiæ Asiaticæ vano errore deceptæ ipsum putarent etiã ex divina traditione decimâ quartâ lunâ cum Judæis celebrandum; sed cùm veritas ipsis patefacta fuit, ab errore destiterunt. Et tempore D. Stephani, Romani etiam Pontificis, Ecclesiæ Africanæ, tamquàm divinam traditionem tuebantur, baptizatos ab Hæreticis in nomine Trinitatis, iterùm esse lustrandos; & Romanam Ecclesiam id negantem acriter impugnabant; sed cùm veritatem sunt edoctæ, illius edicto paruerunt. De Apostolicis, & Ecclesiasticis traditionibus aliter sentiendũ. Nam Apostoli, (ut taceam de aliis Episcopis) *qui omnibus omnia facti sunt*, diversos in diversas nationes ritus induxerunt; &, ut illas lucri facerent, ad earum se naturas quodámodò finxerunt. *De collectis*, inquit Paulus, *quæ sunt in Sanctos, sicut ordinavi Ecclesiis Galatiæ, ita & vos facite.* Ubi vides, D. Paulum Ecclesiis Galatiæ aliquid indixisse, quod aliis non imponebat. Sic D. Jacobus Jerosolymorum Episcopus aliũ ordinẽ Missam celebrandi in sua Ecclesia, aliũ D. Petrus Romæ instituit. Idem etiam Petrus Romæ Sabbati jejuniũ indixit propter causas lib. 11. cap. 10. afferendas; cùm alii Apostoli in Oriente quartæ feriæ jejuniũ prætulerint. Rituum enim diversitas Fidem non evertit, sed exornat; & testatur, Ecclesiã illam esse Reginã, quæ in Ps. 44. colorum varietate decoratur.

Nulla traditio divina potest esse propria unius Ecclesiæ, quin sit omnium, nisi ex ignorantia.

Baron. to. 2. anno Christi 198.

Baron. to. 2. anno 258.

Apostolicæ, & Ecclesiasticæ traditiones, diversæ esse possunt in diversis Ecclesiis. 1. *Cor.* 9. 19. 20. 21. 22. 1. *Cor.* 16. 1.

Ps. 44. 10.

23. *Abass.* Si ad aliquã regionem perrexero, in qua in diversam à meæ patriæ ritibus traditionem incurram, quid mihi agendum? *Rom.* Non meã, sed cœlestẽ excipe D. Augustini responsionẽ. *Illa, quæ per loca terrarum, regionésque variantur; Sicuti est, quòd alii jejunant Sabbato, alii verò non; alii quotidiè communicant corpori, & sanguini Dominico; aliis certis diebus accipiunt; alibi nullus dies intermittitur, quo non offeratur; alibi sabbato tantùm, & Dominico; alibi tantùm Dominico; & si quid aliud hujusmodi animadverti potest; totum hoc genus rerum liberas habet observationes; nec disciplina ulla est in his melior gravi, prudentique Christiano, quàm ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiã ad quamcumque fortè devenerit. Quod enim neque contra Fidem, neque contra bonos mores injungitur, indifferenter est habendum; & pro eorum, inter quos vivitur, societate servandum.* Sic ille.

Ad quamcumque regionem perrexeris, illius ritibus, à Fide non alienis, te accommoda. D. August. Epist. 118. cap. 2.

CAP. XIII.

Digitized by Google

CAPUT XIV.

De Conciliorum generalium auctoritate ad Fidei dogmata ſtabilienda.

Concilia vel ſunt generalia, vel Provincialia, vel Diœceſana.

1. *Abaſſ.* Ad tertiam manſionem diverſamus, ut oſtendas, quantum habeant Concilia ad adſtruenda Fidei dogmata momentum? *Rom.* Ad quæ Concilia tua ſe extendit ſollicitudo: ad diœceſana, an ad Provincialia, an ad generalia? Diœceſana Concilia ſunt illa, ad quæ ſingularum Eccleſiarum Cathedralium Epiſcopi Clerum ſibi ſubjectum convocant, ut cum ipſo negotia ad Fidei ſinceritatem, & correctionem morum in ſuo territorio neceſſaria decernant. Provincialia, ſivè Regionalia ſunt illa, ad quæ aliquis Patriarcha, ſivè Archiepiſcopus ſubjectos ſibi Epiſcopos ad deliberandum de ſpirituali totius Provinciæ commodo accerſit. Generalia ſunt illa, quæ Romani Pontificis auctoritate, accitis majorum Sedium Patriarchis, & totius orbis Epiſcopis, ad occurrendum magno alicui Eccleſiæ damno, vel ad intricatum aliquod dubium decidendum congregantur. Sic collectum eſt primum Concilium generale ad Arii furorem comprimendum, & componendam de die Paſchatis quæſtionem. Secundum ad Macedonii; tertium ad Neſtorii; quartum ad Eutychetis hæreſes ſedandas; cùm jam in totius rei Chriſtianæ perniciem laxis habenis graſſabantur. Concilia diœceſana, & provincialia ab Eccleſia approbata magnæ ſunt auctoritatis; generalia verò tantæ, ut D. Gregorius Magnus, Pontifex Romanus, & Abbas Theodoſius, vir ingentis famæ, ac ſanctitatis, tandémque Juſtinianus Imperator dixerint, non minorem ſe reverentiam quatuor prioribus, Nicæno, Conſtantinopolitano, Epheſino, & Chalcedonenſi, quàm ſanctis quatuor Evangeliis deferre.

Quatuor priora Concilia, cum quatuor Evangelia colenda. D. Gregor. lib. 1. Epiſt. 24. Authent. coll. 9. de Eccl. tit. c 1. Baron. to. 6. anno 511.

2. *Abaſſ.* Undè generalibus Conciliis tanta dignitas, & auctoritas? *Rom.* Ab infallibili Chriſti, & Spiritus ſancti erga totam Eccleſiam, illiúſque paſtores in Conciliis adunatos aſſiſtentia. *Ubi ſunt duo, vel tres congregati in nomine meo, ibi ſum in medio eorum*, Chriſtus pollicetur. Si ubi fuerint duo, vel tres, quantò certiùs, ubi fuerint tercentum decem, & octo, ſicut in Nicæno? Centum, & quinquaginta, ſicut in Conſtantinopolitano? Ducenti, ſicut in Epheſino? ſexcenti, & triginta, ſicut in Chalcedonenſi? D. Cæleſtinus Pontifex Romanus in Epiſtola ad Synodum Epheſi congregatam: *Spiritus ſancti*, inquit, *teſtatur præſentiam congregatio Sacerdotum. Certum eſt enim, quod legimus, quia nec poteſt veritas noſtra mentiri, cujus in Evangelio iſta ſententia eſt: Ubi duo, vel tres fuerint congregati in nomine meo, ibi & ego ſum in medio eorum. Quod cùm ita ſit, ut neque huic tam brevi numero Spiritus ſanctus deſit: quantò magis eum nunc intereſſe credendum, quando in unum convenit tanta turba Sacerdotum?* Si verò non jam duobus, & tribus, ſed ſingulis Apoſtolis per varias orbis provincias diſjectis Spiritum ſanctum affuturum Chriſtus promittit, cùm dicit: *Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiſcum in æternum*; Quantò certiùs intererit illis Conciliis, in quibus conſederint omnes Eccleſiæ Epiſcopi, veri Apoſtolorum ſucceſſores? In cujus rei indicium tunc in Apoſtolos Spiritus ſanctus deſcendit, *cùm erant omnes pariter in eodem loco*; & ipſi Apoſtoli, cùm de legibus à ſe in Concilio Jeroſolymitano latis loquerentur, aſſiſtentem ſibi Spiritum indicârunt: *Viſum eſt*, inquiunt, *Spiritui ſancto, & nobis.*

D. Cæleſt. Epiſt. ad Synod. Epheſin.

Matt. 18. 20.

Joan. 14. 16.

Act. 2. 1.

Act. 15. 28

3. *Abaſſ.* Quibus in rebus addictam ſibi habent generalia Concilia Spiritus ſancti aſſiſtentiam? *Rom.* In omnibus Fidei definitionibus, & morum componendorum decretis. Sic de Fide eſt illa definitio, quâ tercentum decem, & octo Patres Nicæni Conſubſtantialem Patri Filium ſunt profeſſi. Et illa, quâ centum, & quinquaginta Spiritus ſancti divinitatem declarârunt. Et illæ, quibus ducenti unam in Chriſto Perſonam; & triginta ſupra ſexcentos duarum naturarum in una Perſona conjunctionem Sacerdotali tuba perſonuerunt.

In rebus Fidei definiendis, & morum decreti condendis errare non poſſunt Legitima Concilia.

4. *Abaſſ.* Súntne de Fide omnes generaliũ Conciliorum definitiones, an aliquæ tantùm? *Rom.* Si generalia Concilia in Chriſti nomine congregentur, omnes illorum definitiones æqualem fidem exigunt. Ut autem in Chriſti nomine, ſivè legitimè congregentur, quatuor adeſſe debent conditiones.

Omnes definitiones legitimorũ Conciliorũ ſunt de Fide.

5. *Abaſſ.* Quænam prior eſt ex illis conditionibus? *Rom.* Tunc legitimè congregantur Concilia generalia, cùm à ſummo Eccleſiæ Capite, Romano Pontifice convocantur. Ille enim eſt Pater familias, *& fidelis diſpenſator, quem Deus ſuper familiam ſuam conſtituit*; Et quoquot non per eas valvas, quarum claves ipſi commiſſæ ſunt, ſed per alia foramina, & calles devios ingreſſum moliuntur, *fures ſunt, & latrones*, ut videbis capite ſequenti, cùm generalia Concilia ad numerum vocaverimus, & lib. 7. cap. 11. n. 5. & 6. cùm de Romani Pontificis poteſtate tractabimus.

Ut Concilia valida ſint, debent à Romano Pontifice convocari. Luc. 12. 42.

Joan. 10. 8.

6. *Abaſſ.* Poſſúntne Chriſtiani Reges, ac Principes generalia Concilia convocare? *Rom.* Illa poteſtas extra cancellos eſt regalis faſtigii. Eſt enim poteſtas ſpiritualis in ſpirituales cauſas, & perſonas Epiſcopali conſecratione à Deo applicatas, quæ immediatè ſubſunt ſummo Eccleſiæ Capiti, tamquàm individua ipſius membra; ſpirituali verò ſe adminiſtrationi profanos viros admiſcere nefas eſt, ut lib. 7. cap. 5. oſtendetur. Hac de cauſa irrita fuerunt illa Concilia, de quibus ſequenti capite agendum, quorum convocationi, & decretis temporales Principes ſe implicuerunt. Laudabile tamen eſt, & optabile, ut omnes Principes, Reges, ac Imperatores ad generalium Conciliorum collectionem, & totius Eccleſiaſtici regiminis promotionem ſupremo Eccleſiæ Capiti fortiter, ac fideliter adſtipulentur; ſicut memoria eſt, feciſſe Magnum Conſtantinum, cùm D. Silveſtro in evocatione Nicæni Concilii adfuit; & Epiſcopis omnes viarum ſumptus, & alimenta, dum Synodus perſtitit, regifico apparatu ſuppeditavit. Cujus pietatem, ac liberalitatem conſectati ſunt Theodoſius Senior in Concilio Conſtantinopolitano, Junior in Epheſino, & Marcianus in Chalcedonenſi.

Principes ſeculares Concilia convocare non poſſunt.

Debent tamen ipſis patrocinari.

Niceph. Calliſt. lib. 8. hiſtor. Eccl. c. 14.

7. *Abaſſ.* Quænam eſt ſecunda conditio, ut generalia Concilia ritè congregata cenſeantur?

Digitized by Google

Romanus Pontifex generalibus Conciliis vel per se, vel per Legatos debet adesse.

tur? *Rom.* Ut supremum Ecclesiæ Caput, nempè Romanus Pontifex, ipsis assistat, ut illa disponat, ac moderetur sivè per se ipsum, sivè per Legatos ipsius nomine cum mandatis expeditos. Inolita verò Ecclesiæ consuetudo fuit, ut quotiescumque generale aliquod Concilium Romæ, vel prope illam in Italia, vel in Gallia celebraretur, eidem Romanus Pontifex præsideret; si autem in Oriente ageretur, instructissimi Legati mitterentur. Ità D. Silvester sui vice ad Nicænum Concilium tres Legatos: Hosium, Victorem, & Vincentium Episcopos dimisit. D. Cælestinus ad Ephesinum Arcadium, & Projectum Episcopos; & Philippum Romanæ Ecclesiæ Presbyterum. D. Leo ad Chalcedonense Paschasinum, & Lucentium Episcopos; Bonifacium, & Basilium Presbyteros Cardinales. Quem ordinem sequentia Concilia servârunt.

Soli Episcopi jus suffragii habent in Conciliis.

8. *Abass.* Quænam tertia est conditio? *Rom.* Ne in generalibus Conciliis homines nullis Ordinibus iniati; imò nec simplices Sacerdotes, ad comitia, & ferenda suffragia admittantur. Laici enim oves sunt; de medicina autem ovium vulneribus applicanda, non oves ipsæ, sed pastores consuluntur. Sacerdotes verò, licèt pastores sint, parvi tamen sunt opiliones, & subjecti Episcopis; quos, ut docet Paulus, *Act.* 20. 28. *Spiritus sanctus posuit regere Ecclesiam Dei, quam acquisivit sanguine suo.* Ideò, cùm Christus futuris in Ecclesia Conciliis formam præmittere vellet, non quoslibet de populo, sed suos tantùm Apostolos, quos Episcopos orbi præpositurus erat, interrogavit: *Quem dicunt homines esse Filium hominis?* *Matth.* 16. 13. 16. Cúmque ipsi secularium deliria recenserent, illa nihili faciens, adjecit: *Vos autem, quem me esse dicitis?* Et Petri ex omnium sententia dicentis: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, sententiâ approbavit, & collaudavit; ut doceret, in Conciliis solos Apostolos, ipsorúmque successores Episcopos definitivũ posse calculum emittere; licèt docti Sacerdotes aliquandò sint ut Consiliarii audiendi. Sicut D. Athanateum tum temporis Diaconum Nicæni Patres in illo orbis theatro adversus Arium tonantem, & fulminantem cum admiratione audierunt; & Alexandro Alexandriæ Antistiti senectute jam confecto successorẽ designârunt. Sic in Concilio, quod Jerosolymis congregatum est, ait D. Lucas, *Act.* 15. 6. *convenisse Apostolos, & seniores*, hoc est, Sacerdotes, qui Latinè Senes, Græcè Presbyteri appellantur; & maxima disquisitione ab omnibus tam Apostolis, quàm Sacerdotibus factâ, cùm ad ferenda suffragia, causámque decidendam ventũ esset, soli Apostoli Petrus, & Jacobus sententiam promulgârunt. Si tamen ullo unquàm casu laici in sacratiora Conciliorum adyta admittantur, Magni Constantini modestiâ imitentur, qui in Nicænum introductus, humiliorem, quàm ipsius majestas ferret, thronũ sibi parari jussit; nec priùs in eo sibi considendum putavit, quàm id sibi ab illustri illo Patrum Senatu, quem ut majorem suspiciebat, permitteretur. Caveant autẽ præruptam Constantii Imperatoris Ariani superbiam; quem cùm D. Hilarius quodam in Concilio præsidentiam arrogantem videret, dixit; visum sibi fuisse Antichristum in pestilentiæ cathedra considentem.

D. Epiphan. Hæres. 68.

Act. 15. 6.

Niceph. lib. 8. hist. Eccl. cap. 16.

D. Hilarius in Apologia ad Constantium.

Generalia Concilia debent à Romano Pontifice confirmari; aliter non sunt rata.

9. *Abass.* Utinam subjice conditionẽ. *Rom.* Opus est, ut ab Ecclesiæ Capite Romano Pontifice definitiones, quæ ab aliis Episcopis in generalibus Conciliis fuerint conditæ, confirmentur; & quasi probatum numisma Ecclesiastico charactere consignentur. Sicut Petri assertionem ratam Christus habuit, cùm dixit: *Beatus es Simon Barjona, quia caro, & sanguis non revelavit tibi, sed Pater meus, qui in cœlis est.* *Matth.* 16. 17. Hanc ob causam Episcopi, qui generalibus Conciliis assidebant, ipsis absolutis, epistolam ad Romanum Pontificem scribebant, quâ precibus communibus poscebant, ut ob illam, quam habet certam, atque immotam Spiritus sancti assistentiam, suis definitionibus subscriberet. Nequit enim in hoc judicio errare, cùm nactus sit perpetuò sibi adstipulantem Christi Domini apud Lucam promissionem: *Ego rogavi pro te Petre,* *Luc.* 22. 32. *ut non deficiat Fides tua: & tu aliquando conversus confirma fratres tuos.* Nec illa promissio in Petro exhausta est, sed cum subsellio ad cæteros ipsius successores transivit; & secundùm illam D. Silvester in Romano Concilio ducentorum octoginta quatuor Episcoporum acta Concilii Nicæni; D. Damasus, Cælestinus, Leo, Vigilius, & Agathon sequentium generalium Conciliorum decreta confirmârunt. Idémque præstitum à consequentibus Pontificibus. Omnia verò Concilia, quibus deest hæc approbatio, licèt universalia sint, in damnatorum, atque reprobatorum catalogo recensentur.

Licèt Romanus Pontifex solus sufficeret ad Fidei definitiones, decet ut convocet Concilia.

10. *Abass.* Si generalium Conciliorum decreta firma non sunt, antequàm ipsis Romanus Pontifex subscribat, quid opus est, ut convocentur, cùm minori impendio Pontifex possit omnia decernere? *Rom.* Sanum, fixumque esset, quidquid Romanus Pontifex ex Petri Cathedra, absque Conciliorum auxilio præstitisset; opus tamen est, ut in Ecclesia, sicut Paulus ait, *1. Cor.* 14. 40. *Omnia honestè, & secundùm ordinẽ fiant.* Rectus autem ordo reposcit, ut res magnæ non nisi multorum consilio, ac suffragiis decidantur. Ut enim Sapiens docet: *Multitudo sapientum* *Sap.* 6. 26. *sanitas est orbis terrarum*; & multæ manus facilius reddunt onus; & serpentem undequaque flammam citiùs plurium concursus obtundit. Sanctus quoque Spiritus, qui amans est pacis, & concordiæ, uberiori lucis influxu multitudini, quàm solitudini assistit. Et quamvis excitatam Jerosolymis de legaliũ cessatione quæstionem solus Petrus Apostolico gladio jugulare posset, omnes tamen Apostolos, & Seniores, qui tunc Jerosolymis erant, convocavit; & tota Ecclesia ad rimandam veritatem acriter incubuit; & post magnam conquisitionẽ Petrus, quid esset sequendum, denuntiavit. Nec summus synagogæ Pontifex quidquã gravius statuere poterat, sine septuaginta duorum Seniorum Concilio, cujus in Evangelio, & Actis Apostolicis frequens mentio habetur. Christus ipse prima, ac summa veritas, & sapientia aliquandò, non nisi consultis priùs suis auditoribus, veritates aliquas exposuit. Ut cùm rogavit apud Matthæum: *Vos autem quem me esse dicitis?* *Matt.* 16. 15. *Reges terræ à quibus accipiunt tributum, vel* *Matt.* 17. 25. *censum? à filiis suis, an ab alienis? Quid vobis* *Matth.* 22. *videtur de Christo? cujus filius est?* Apud Joan- 42. nem. *Undè ememus panes, ut manducent hi?* *Joan.* 6. 5. Sic ergo Conciliorum præsidia sibi conquirit supremum Ecclesiæ Caput, ut ipsius decreta libentiùs à toto Fidelium cœtu accipiantur, & firmiùs retineantur. *Verba enim sapientum*, inquit,

Act. 15. 6.

Act. 4. 5. & 5. 17.

Firmiora sunt, quæ multorum consilio decernuntur.

Digitized by Google

Eccl. 12. 11. quit Salomon, *sicut stimuli, & quasi clavi in altũ defixi, quæ per magistrorum Consilium data sunt à pastore uno.* Quis unus iste pastor, nisi ille, de quo Christus: *Et fiet unum ovile, & unus pastor?* Hic ergo suum in consilium plures advocat magistros, cùm gravissimos, & sapientissimos quosque Ecclesiæ Doctores in Concilia Ecclesiastica, dato sibi cœlitùs imperio, accersit. Quorum verba, & definitiones stimuli sunt ad incitandos in Dei viam Fideles; & clavi ad Ecclesiæ tabernaculum consolidandum, si ab ipso pastore uno, Romanóque Antistite Pontificiæ confirmationis malleo adiguntur. Tunc enim adeò firma permanet Ecclesia, ut

Isa. 33. 20. sit illud Isaiæ tabernaculum, *quod nequaquàm transferri poterit, nec auferentur clavi ejus in sempiternum, & omnes funiculi ejus non rumpentur.*

Concilia dogmatum certitudinẽ à Scriptura, & Traditionibus mutuantur.

11. *Abass.* Undè dogmatum suorum certitudinem generalia Concilia depromunt? *Rom.* Non à privato spiritu, nec à proprii cerebri, vel cordis officina; sed ex duobus illis, de quibus jam actum est, promptuariis Sacra Scriptura, & Traditionibus. Quam ob

Baron. to. 3. anno 325. causam in omnibus Conciliis Generalibus in medio consessu præcelso in solio Evangelium collocatur; quo veluti præconio testantur Patres, se nec latum unguem ab Evangelii, & Spiritus sancti doctrina recessuros. Traditiones etiam divinas, vel Apostolicas, vel Ecclesiasticas examussim perpendunt; & suum quibusque gradum diligenter assignant. Undè

D. Vincent. Lirin. c. 32. dixit Vincentius Lirinensis: *Quid unquam aliud Conciliorum decretis emisa est Ecclesia, nisi ut quod anteà simpliciter credebatur, hoc idem posteà diligentiùs crederetur? Quod anteà lentius prædicabatur, hoc idem posteà instantiùs prædicaretur? Quod anteà securiùs colebatur, hoc idem posteà sollicitiùs excoleretur? Hoc, inquam, semper, neque quidquam præterea Hæreticorum novitatibus excitata Conciliorum suorum decretis Catholica perfecit Ecclesia, nisi, ut quod prius à majoribus sola traditione susceperat, hoc deindè posteris etiam per scripturæ chirographum consignaret; magnam rerum summam paucis litteris comprehendendo, & plerumque propter intelligentiæ lucem, non novũ Fidei sensum, novæ appellationis proprietate signando.*

Fidei definitiones in Conciliis constitutæ immutari non possunt.

12. *Abass.* Potestne quispiam stabilita semel generalium Conciliorum decreta immutare? *Rom.* Fides regula est inconcussa, & immutabilis; Sequitur enim indeclinabiliter divinam veritatem, quæ flecti, contorquérique non potest; *Fundamentum* enim *Dei firmum stat*, inquit D. Paulus. Ideò definitionum Fidem concernentium termini, ac tituli,

2. Tim. 2. 19. qui à generalibus Conciliis eriguntur, nullius posteà auctoritate convelli, aut mutari possunt. Decreta tamen, quæ ad morum compositionem, & rectam Ecclesiæ administrationem pertinent, cùm leges humanæ sint, mutationem pro temporum, ac circumstantiarum varietate patiuntur. Mutationem tamen illam solùm aliud Concilium æquale illi, quod decreta illa rogavit, tentare potest; vel supremum Ecclesiæ Caput, quod in omnibus legibus, quas quævis Ecclesiæ membra tulerunt, dispensare potest; vel illas etiam, si causa poposcerit, abrogare. Omnes verò Christianos par est summam reverentiam Conciliorum definitionibus, & decretis impertiri. Si enim ille, qui summi Sacerdotis *super Cathedram Moysis* sedentis judicio adversabatur, pertinaciam morte luebat, ex illa Deuteronomii sanctione: Qui *superbierit*, *nolens obedire Sacerdotis imperio, qui ministrat Domino Deo tuo, & decreto judicis, morietur homo ille*; quantò gravioris supplicii cumulo dignus est ille, qui refractarius fuerit in Fidei definitiones: in decreta supremi Capitis, ac Judicis universalis totius Ecclesiæ: in placita tot, ac tantorum Episcoporum, quos Deus in præcipuis Sedibus collocavit *ad judicandas duodecim tribus Israël*? Æquum est autem verbis evehere, & factis adæquare piissimam illam, ac prudentissimam Imperatorum Valentiniani, & Marciani responsionem, quâ vesanam illorum audaciam fregêre, qui Chalcedonensis Concilii decreta labefactare conabantur: *Injuriam facit judicio religiosissimæ Synodi, si quis semel judicata, ac rectè dispositæ revolvere, & publicè disputare contendit.*

Matth. 23. 2. Deut. 17. 12. Matt. 19. 28. Act. 3. Concil. Chalc. L. Nemo C. de sum. Trinit. & Fid. Cathol.

Romanus Pontifex Conciliis superior est.

13. *Abass.* Illud ad extremum liceat percunctari; utrum utri præstat auctoritate, & potestate: Concilia Romano Pontifici, an Romanus Pontifex Conciliis? *Rom.* Tanti tua est percunctatio, quàm si roges: Num caput membris, an membra capiti præstent? Num pastor ovibus, an oves pastori emineant? Num nobilior sit lapis, qui in caput anguli electus est, an illi, qui medium parietem componunt? Sicut Rex non solùm singulis, qui subsunt illius imperio, sed omnibus regni statibus, cùm in communibus comitiis conveniunt, major est; & quod ipse confirmat, ratum manet: quod renuit, dissolutum. Ità Romanus Pontifex, Christi Vicarius, Petri successor, non solum quolibet Fideli, ac Episcopo seorsim sumpto, sed tota Ecclesia, omnibusque illius Episcopis in quovis Concilio congregatis superior est. Ipse enim est lapis fundamentalis, Caput, & Pastor omnium Christianorum, & Episcoporum, qui in Conciliis ferendi suffragii jus habent. Undè illud est axioma multarũ Synodorũ acclamationibus confirmatum: *Prima Sedes à nemine judicatur.*

Concil. Sinuessanum, & Concil. Rom. sub Sylvestro.

CAPUT XV.

Proponitur numerus, & ordo generalium Conciliorum ab Ecclesiæ incunabulis usque ad præsens tempus.

Tribus prioribus Conciliis addendum Quartum Chalcedonense.

1. *Abass.* Tanta siquidem est generalium Conciliorum auctoritas, pergratum faceres, si omnia ab Ecclesiæ nascentis primordiis in ea celebrata mihi ad calculos revocares; ad nostras enim oras quatuor tantùm Synodorum notitia appulit; & quartæ, quæ est Chalcedonensis, dignitas accisa, & attrita nostris in monumentis reperitur. *Rom.* Ne Ecclesiam constrictæ adeò, & imbecillis vulvæ, ac Liam arbitreris, quæ licèt fœcunditatis gratiâ Racheli præponeretur, ubi quartam sobolem Judam Jacobo peperit, *cessavit parere.* Feracissimus tamen Ecclesiæ uterus quatuor illis Conciliorum enixibus non est lassatus, sed roboratus. Quæ autem causa Æthiopicam gentem impellit, ut tria priora Concilia legitimos Ecclesiæ partus agnoscat, eadem evincere debet, ut Chalcedonense

Gen. 29. 35.

Digitized by Google

donense eodem in censu reponat. Illa enim idcircò Sacrosancta reputantur, quòd à supremo Ecclesiæ Capite indicta, & confirmata fuerint; & plurium Episcoporum confessu nobilitata. Quod abundantiùs sortitum est Chalcedonense; nam cætera aliis conditionibus adæquat, sed assessorum numero facilè antecellit; & quarto illi Jacobi filio par videtur, qui dictus est Judas, sivè *Confessio.* Confessio enim Fidei Concilii Chalcedonensis adeò præclara est, ut in illam quadrent verba illius benedictionis, quibus Jacob Judam cæteris fratribus excellentiorem declaravit, dicens: *Juda, te laudabunt fratres tui; manus tuæ in cervicibus inimicorum tuorum: adorabunt te filii patris tui. Catulus Leonis Juda.* Concilium enim Chalcedonense Magni Leonis Pontificis Romani fœtus est genuinus; quod qui reverenter suscipiunt, cœlestis Patris filii sunt, & verorum Fidelium germani; qui autem illi obstinatè reluctantur, validam super se Leonis illius gravissimè scribentis, & anathemata vibrantis manum, & uncinatos tartarei Leonis ungues sentient; de quo D. Petrus: *Adversarius vester diabolus tamquam Leo rugiens circuit, quærens quem devoret.*

Concilium Chalcedonense simile Juda, quarto filio Jacob.

Gen. 29. 35.
Gen. 49. 8.
1. Pet. 5. 8.

2. *Abass.* In quatuor illis Conciliis videtur Ecclesia substitisse, cùm ad illa cogenda causæ compulerint, quæ posteà non militârunt. *Rom.* Tota convocandi illa Concilia ratio fuit hæresum per ea tempora sævientium debacchatio; tertio tamen hydra tartarea non conquievit; sed secto tunc corpore firmior, & ab ipso poscens opes, animúmque ferro, pluribus deinceps capitibus pullulavit; nec usque ad mundi finem noxia hæresum semina deficient, quorum fibras opus erit novis semper sibi succedentium Conciliorum securibus amputare, ut D. Paulus vaticinatur: *Spiritus manifestè dicit, quia in novissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis daemoniorum.* D. Petrus: *Venient in novissimis diebus in deceptione illusores, juxta proprias concupiscentias ambulantes.* Et D. Judas: *In novissimo tempore venient illusores, secundùm desideria sua ambulantes in impietatibus. Hi sunt, qui segregant semetipsos.* Cùm igitur novæ semper in Ecclesia suborituræ sint illusiones, necesse est, ut ad illas dissipandas nova Concilia colligantur. Si verò quis temerè effutiat, post priores illas hæreses, nullas posteà ebulliviſse, eâdem licentiâ affirmabit, terram post priores spinas exectas nullis posteà sylvescere; nullam ægritudinem in humanum corpus desævire, cùm semel aliqua depulsa fuit medicamentis; & post tyrannum aliquem semel in Æthiopia compressum, nullam deinceps in ea posse glíscere rebellionem.

Novæ hæreses nova Concilia deposcunt.

1. Tim. 4. 1.
2. Petr. 3. 3.
Jud. 18. 19.

3. *Abass.* In tuam sententiam discedo: nec abnuo, alia Concilia præter prima illa quatuor conflari potuisse; illa jam mihi in quincuncem, velut in horto arbores, dispone. *Rom.* Antequàm id exequar, admoneo: sicut Abraham unam tantùm ex Sara omnibus titulis probatam generationem habuit, ex qua natus fuit Isaac, in quo sincerum ipsius semen, legitimíque hæredes deputati sunt; plures verò filios ex ancillis, quibus aliqua *largitus est munera*, sed in nullam justæ hæreditatis portionem sunt admissi; sic in Ecclesia generales quasdam esse Synodos (quæ jam decimum, & octavum numerum expleverunt) ceu legitimam prolem in totam Fidei possessionem cooptatas; alias verò duodecim spurias, & adulterinas; quas Ecclesia vel in totum, vel in partem ungue censorio notavit.

Generalium Conciliorú quædã sunt approbata; quædam vel in totum, vel ex parte reprobata.

Gen. 21. 12.
Gen. 25. 6.

4. *Abass.* Quodnam inter approbata Concilia primatum habuit? *Rom.* Omissis interim Apostolorum Synodis, de quibus sequenti capite agendum, illud inter omnia Concilia primatum tenet, in quo tercenti decem, & octo Patres Nicææ in urbe Bithyniæ congregati, anno à Christi nativitate tercentesimo vigesimo quinto, duodecimo Pontificatûs D. Silvestri Antistitis Romani, & vigesimo imperii Magni Constantini protervam Arii Presbyteri Alexandrini hæresim, docentem Filium Dei esse creaturam, ipsum Deo Patri consubstantialem asserentes; inevitabili *Homousii* gladio obtruncârunt. Hanc Synodum illustre *omnium hæresum profligatarum trophæum* vocat D. Athanateus: *Perfectam Fidei regulam & professionem* Phæbadius. *A qua me*, inquit D. Aforosius, *nec mors, nec gladius poterit separare:* Contra quam *quaslibet consensiones Episcoporum* Magnus Leo *cassandas* decernit. Anno deindè post Christum natum tercentesimo quadragesimo septimo, Julii Romani Pontificis undecimo, in quem etiam concurrit undecimus Constantii Imperatoris ex Constantino nati, Sardicæ (quæ Græciæ est civitas) conflatum est Concilium Episcoporum tercentum septuaginta sex, qui Nicænam Fidem summa consensione toborârunt, & Photinum Sirmii Episcopum insanè prædicantem, Christum in sua nativitate purum hominem prodiisse, & à B. Virgine Maria principium sumpsisse, suisque posteà meritis Dei filiationem assecutum, in exilium amandârunt. Cùm tamen hoc Concilium Sardicense novam Fidem non condiderit, sed Nicænam constabilierit, peculiarem classem non constituit, sed cum Nicæno in idem nomen coalescit. Per eadem tempora quatuor Concilia generalia conflata sunt, quæ sarmentitia dicere possis; cùm non veræ Fidei palmites, sed ad ignem inutilia hæresum sarmenta protulerint.

Primum Concilium generale Nicænum.

D. Athanas. Epist. ad Epictet. Phæbad. lib. contra Arian. D. Ambros. lib. 1. de Fid. in procem. & lib. 2. Epist. 13. D. Leo Epist. 55.

Concilium Sardicense Nicæno annumeratur.

5. *Abass.* Quænam illa Concilia exitialia fuêre? *Rom.* Primum Antiochiæ in Syria celebratum anno Christi tercentesimo quadragesimo primo, quinto Julii Pontificis Romani, & Imperatoris Constantii; in quo Episcopi nonaginta septem Nicænam Fidem abrogârunt; D. Athanateum Alexandrina Sede exuerunt; & in illam impium Gregorium intruserunt. Ut tamen suam vafritiem obtegerent, Canones viginti quinque Ecclesiasticæ disciplinæ utiles condiderunt, & in Photinum damnationis sententiam impegerunt. Secundum Mediolani in Italia anno Christi tercentesimo quinquagesimo quinto, quarto Liberii Pontificis Romani, Constantii Imperatoris decimo nono; in quo Episcopi plures

Concilium Antiochenum reprobatum.

Concilium Mediolanense reprobatum.

Digitized by Google

plures trecentis D. Athanateum secundò exauctorârunt, & illi Georgium Arianum, & Georgio extincto Lucium subrogârunt. Quibus actis cùm Liberius nollet subscribere, in exilium ab Imperatore Arianorum patrono compulsus est. Tertium Sirmii in Pannonia celebratum anno Christi tercentesimo quinquagesimo septimo, ejusdem Pontificis Liberii sexto, Constantii vigesimo primo. In eo tercentum Episcopi convenêre, qui Photini damnationi laudabiliter annuerunt, sed impiè, atque inconstanter tres Fidei formulas sibi invicem adversarias extulerunt; in quibus pro ὁμοουσίῳ Patrum Concilii Nicæni, (quod significat consubstantialem) ὁμοιουσίῳ, idest, similis substantiæ suppositi fuerunt; ut Ariano sensu innuerent, Filium non esse ejusdem, sed similis cum Patre substantiæ, non aliter quàm homines, & Angeli, in quibus, utpote creatis, non ipsamet Dei substantia, sed similitudo reperitur. Quartum Arimini in Italia anno Christi tercentesimo quinquagesimo nono, Liberii Pontificis octavo, Constantii vigesimo tertio; in quo Episcopi ultra quatercentenos, plures Fidei confessiones edentes, ab omnibus Homousiis vocem (quod præsentissimum semper fuit adversus Arianam perfidiam antidotum) exploserunt. *Tunc*, ut ait D. Hieronymus, *Nicæna Fidei damnatio conclamata fuit, & ingemiscens orbis terrarum, se Arianum esse miratus est.* Impia superiorum conventuum decreta constanter D. Julius, & Liberius, ac posteà Damasus Romani Pontifices rescidêrunt.

Sirmiense reprob.

Ariminense, reprob.

D. Hieron. dialogo contra Luciferianos.

6. *Abass.* Quod ex approbatis Concilium subsequitur? *Rom.* Primum Constantinopolitanum centum & quinquaginta Episcoporum; in quo anno Domini tercentesimo octogesimo primo, decimo quinto Pontificatûs D. Damasi, & tertio Imperatoris Theodosii Senioris damnati sunt Eunomius, & Macedonius Episcopus Constantinopolitanus, Spiritus sancti divinitatem abnegantes. Post annos quinquaginta, qui fuit Christi quatercentesimus trigesimus primus, D. Cœlestini Romani Pontificis octavus, & Imperatoris Theodosii Junioris vigesimus quintus, in Ephesino ducentorum Patrum Concilio abdicatus fuit Nestorius Episcopus Constantinopolitanus, qui Christum in duos seorsim positos dividebat: alterum Deum, quem Verbum, & Dei Filium dicebat; alium hominem, quem Christum, ac Mariæ Filium nominabat, eamdem Dei matrem nulla ratione vocandam contendens. Sed ô prodigium, & infandam omnium sæculorum execrationem! Anno quatercentesimo quadragesimo nono in fastis Ecclesiasticis insignitèr damnato in eadem urbe illud collectum est malignantium Concilium, quod nostri majores Latrocinium Ephesinum, & prædatoriam Synodum nuncupârunt.

Secundum Concilium generale, Primum Constantinopolitanum.

Tertium Concilium generale, Ephesinum Primum.

Baron. to. 6. anno 449. §. Hunc tandem.

7. *Abass.* Quodnam illud fatale malè adeò ominati Concilii portentum? *Rom.* Illud centum viginti & octo Episcoporum Ephesi congregatorum decimo D. Leonis Magni Pontificis Romani anno, Theodosii Junioris quadragesimo secundo, in quo Dioscorus Alexandrinus (exclusis à Synodo, & fugam capescere coactis Romani Antistitis Legatis; & primatu sibi per summam superbiam arrogato; Episcopisque, ut sibi assentirentur, fustium, & gladiorum objectu deterritis) Eutychetem priùs à Flaviano Patriarcha Constantinopolitano ritè depositum restituit; illius hæresim approbavit; & Anatolio Scriba suo in Sedem Constantinopolitanam allecto, Flavianum ejusdem possessione spoliavit, & catenis oneratum jussit in exilium à subornatis militibus deportari; qui tot illum incommodis, & pulsationibus afflictârunt, ut intra triduum felicem animam efflaverit.

Latrocinium Ephesinum.

8. *Abass.* Quamdiù stetit in loco sancto abominatio desolationis? *Rom.* Per duos annos. Nam Christi quadringentesimo quinquagesimo primo, D. Leonis duodecimo, & secundo Marciani Augusti habitum est Chalcedone Concilium sexcentorum triginta Patrum, qui Eutychetem sentientem Christum non esse B. Virgini, & hominibus consubstantialem, & duas ante unionem naturas, unam verò post unionem habuisse, divinitatémque passam esse, damnationi subjecerunt; omniáque à Dioscoro gesta in latrocinio Ephesino rescindentes, & ter in Concilium vocatum, ac toties comparere renuentem, imò inconditis responsionibus contumaciam impensè aggravantem exilii sententiâ mulctârunt. De quo latiùs lib. 7. cap. 22.

Quartum Concilium generale, halcedonense.

9. *Abass.* Concilio Chalcedonensi quæ Synodus generalis proximè successit? *Rom.* Secunda Constantinopolitana anno Christi quingentesimo quinquagesimo tertio, Vigilii Romani Pontificis, decimo tertio, Imperii Justiniani Augusti vigesimo septimo. In eo convenêre Episcopi centum sexaginta quinque, qui Fidem Chalcedonensem ratam habuêre, & Origenis, ipsiusque sequacium, Didymi, & Evagrii errores; & Theodori Mopsuestiæ Episcopi libros, ex quibus Nestorius hæresim suam hausit; & alia, quæ in ipsius favorem emissa fuerant, scripta condemnârunt. Anno salutis humanæ sexcentesimo octogesimo, quarto D. Agathonis Romani Pontificis, & decimo quarto Imperii Constantini Quarti, in ipsius palatio Constantinopolitano, quod Trullum dicitur, collecta ducentorum octoginta novem Episcoporum Synodus Cyrum Episcopum Alexandrinum, Sergium, & Pyrrhum Constantinopolitanos, omnesque Hæreticos Monothelitas, ut unam naturam, sic unam voluntatem, & operationem in Christo ponentes anathemate percussit. Sed cùm illa Synodus Fidei doctrinæ nullos de Ecclesiastica disciplina Canones adjecerit, post annos duodecim, humanæ salutis sexcentesimo nonagesimo secundo, Sergii Romani Pontificis quinto, & Justiniani recentioris octavo, in eodem Trulli suburbio plures Episcopi citra Justi Præsidis imperium, & omnem ordinem erraticam Synodum conflârunt, & multiplicandorum Canonum prurigine exagitati ternos supra centum multis tumentes erroribus fuderunt. Sed ut commendationem illis aucuparentur, Sexti

Quintum Concilium generale, Constantinopolitanum Secundum.

Sextum Concilium generale, Constantinopolitanum Tertium.

Synodus erratica Trullana.

Beda lib. de sex ætatibus: in Justiniano Minore.

Baron. to. 8. an. 692. n. 34.

Digitized by Google

Concilii generalis Canones dixerunt; vulgóque illud Conciliabulum Trullanum appellatur. Quod vix dùm exortum Sergius Romanus Pontifex, & omnes ad illius imitationem Ecclesiæ improbârunt. Profanam illam Synodum duæ aliæ fanaticæ, & veluti geminæ acies instructæ contra Sacrarum Imaginum cultum exceperunt; altera anno Dominicæ Incarnationis septingentesimo trigesimo sub Leone Isaurico; altera anno septingentesimo quinquagesimo quarto sub Constantino Copronymo.

Duæ Synodi fanaticæ Iconoclastarum.

Septimum Concilium generale, Nicænum Secundum.

10. *Abass.* Nullum per ea tempora Concilium fuit, quod in Sacrarum Imaginum propugnationem classicum cecinerit? *Rom.* Fuit profectò, fuit. Secundum Nicænum, & septimum generale anno Christi septingentesimo octogesimo, decimo sexto Hadriani Primi Pontificis Romani, & octavo Constantini, & Irenes. In quo tercentum, & quinquaginta Episcopi Iconomachos, vel Iconoclastas, ideſt, Hæreticos Imaginum impugnatores compresserunt; definientes laudabilem, & ab omni idololatriæ specie alienam esse illarum adorationem, sivè coloribus in tabella, sivè cerâ, sivè quacumque aliâ materiâ exprimantur. Ibidem facta est illa additio in Symbolo Apostolico: *Qui ex Patre, Filioque procedit.* Posteà anno Christi septingentesimo, nonagesimo quarto, & vigesimo tertio Pontificatûs ejusdem Hadriani, & vigesimo sexto Caroli Magni Imperatoris Occidentalis à tercentis plus, minusvè Episcopis Francofurti, quæ insignis est civitas Germaniæ, celebratum est Francofordiense, in quo Felix, & Elipandus Episcopi Hispani Nestorianæ hæresis instauratores (utpote qui dicerent, Christum Dei Patris non naturâ esse filium, sed adoptione) sunt expugnati. Hoc tamen Concilium inter approbata non numeratur, quia licèt de Incarnationis mysterio benè senserit, ad calcem fædo se stigmate compunxit, septimæ Synodi de Sacris Imaginibus definitioni se opponens.

Synodus Francofordiensis ex parte reprobata.

Octavum Concilium generale Quartum Constantinopolitanũ.

11. *Abass.* Quodnam fuit octavum Concilium generale? *Rom.* Quartum Constantinopolitanum anno Christi octingentesimo sexagesimo nono convocatum, Hadriano secundo, secundo itidem sui Pontificatûs anno, & tertio Basilii Imperatoris. In eo Episcopi tercentum octoginta tres spirantes adhuc Iconomachos oppresserunt, & Ignatium Patriarcham Constantinopolitanum solio suo à Photio fraudulento, ac facinoroso homine dejectum restituerunt. Ultimum hoc fuit omnium Conciliorum in Oriente celebratorum.

Nonum Concilium generale, Lateranense Primum.

12. *Abass.* Quandò primùm Synodales radii Occidentem afflaverunt. *Rom.* Anno Christi millesimo centesimo vigesimo secundo, qui fuit duodecimus Henrici Quarti Imperatoris Occidentalis; cùm Callixtus Secundus Romanus Antistes ultra nongentos Episcopos Romam pertraxit, ut Christianos Principes ad Sancta Palestinæ loca armis vindicanda, Mahometanosque dira undique illuvione in Christianam perniciem exundantes ab illa, & aliis Provinciis averterent. Consedit perillustris ille Senatus Romæ in Basilica Lateranensi, quæ nomen accepit à Plautio Laterano cive Romano, cujus olim bona Nero immanissimus publicavit, & in illius ædibus nobile palatium evexit; ubi posteà Magnus Constantinus insignem Ecclesiam Salvatoris nomini (quæ nunc etiam primaria sedes est Romani Pontificis) propè illum, quo baptizatus est locum, ædificavit. Indè primùm istud Concilium, & alia quatuor dicta sunt Lateranensia.

Decimum Concilium generale, Lateranense Secundum.

13. *Abass.* Decimas quodnam Deo generale Concilium persoluit? *Rom.* Secundum Lateranense anno Domini millesimo centesimo trigesimo nono, cùm secundus ageretur Pontificatûs Innocentii secundi, & primus Conradi Imperatoris. Mille in eo Episcopi Petrum Anti-Papam abjecerunt; & Petrum de Bruis hæreticum, negantem Baptismum infantibus usu rationis carentibus prodesse: Ecclesias ædificari prohibentem: Cruces, & Imagines confringendas suadentem, damnationis sententiâ percuserunt. Undecimum generale, & Tertium Lateranense illustravit annum Christi millesimum centesimum septuagesimum nonum, Alexandri Tertii Pontificis Romani vigesimum, & vigesimum quintum Imperii Friderici Primi. In quo à trecentis circiter Episcopis acriter pro disciplina Ecclesiastica, & contra Uvaldenses Hæreticos dimicatum. Illi enim Sanctorum invocationem, Ecclesiasticas preces, Orationis Dominicæ, Salutationis Angelicæ, Templorum, Imaginum, Olei in Baptismo, Confirmatione, & Extrema unctione, & horum trium Sacramentorum usum impiè tollebant; & similiter in mille aliis insaniebant.

Undecimũ generale, Lateranense Tertium.

Duodecimũ generale, Lateranense Quartum.

Duodecimum generale fuit quartum Lateranense omnium, quæ hactenus celebrata sunt, Conciliorum amplissimum. Ad illud enim mille ducenti, & octoginta tres Patres confluxerunt; ex quibus quatercenteni septuaginta duo Episcopali apice præfulgebant; cæteri erant diversarum Ecclesiarum, Cænobiorúmque præfecti. Annus ille Christi erat millesimus ducentesimus decimus quintus, Innocentii Tertii Pontificis decimus octavus, Othonis Imperatoris decimus septimus. In eo liber Abbatis Joachimi Catholici ab aliquibus erroribus fuit expurgatus. Docebat enim divinam essentiam generare, generari, & procedere; & Personas in illa non propriam, & naturalem unitatem habere, sed collectivam. Damnatus etiam fuit Hæreticus Almaricus, qui astruebat, non secùs in alio pane, atque in Eucharistico esse Corpus Christi; futiles esse resurrectionis, & tartari articulos; Idolorum culturæ parem esse altarium erectionem, thuris suffitionem, & Sanctorum invocationem. Ter deindè Synodalis auctoritas Româ in Galliam cum Romanis Pontificibus commigravit.

Decimum tertium Concil. generale, Lugdunense Primum.

14. *Abass.* Quænam Galliæ civitates hanc adoream sunt adeptæ? *Rom.* Lugdunum, & Vienna. Nam Lugduni Primum Concilium, quod est decimum tertium generale, coactum fuit anno Christi millesimo ducentesimo quadragesimo quinto, tertio Pontificatûs Innocentii Quarti, & vigesimo sexto Imperii Friderici

Digitized by Google

Friderici Secundi. Ad hoc Concilium se contulit Balduinus Orientis Imperator, plures Cardinales, Episcopi centum, & quadraginta, nec pauciores Cœnobiarchæ. Illius contrahendi causa fuit magna Friderici in Sacro bello promovendo socordia; insignita in Romanos Pontifices audacia; & ob eam noxam veternosa in diuturni anathematis sordibus somnolentia. Secundum Concilium Lugdunense, & decimum quartum generale centum, & quinque Episcoporum optatam Orientalis Ecclesiæ cum Romana, abjuratis Græcorum erroribus, attulit unionem anno Christi millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, tertio Gregorii Decimi Romani Pontificis, & primo Rodulphi Primi Imperatoris. Viennense convocatum fuit à Clemente Quinto Romano Præsule sui Pontificatûs anno septimo, Henrici Septimi Imperatoris septimo, Christi millesimo tercentesimo undecimo. In eo ad colloquium tres venêre Reges: Francus, Anglus, & Aragonius; Patriarchæ: Antiochenus, & Alexandrinus, trecentique Episcopi. A quibus proscripti sunt Hæretici Beguardi, & Beguinæ, qui in tantam amentiam prorupêre, ut dicerent, ad eam perfectionem posse hominem naturæ viribus ascendere, ut nullius peccati afflatu percellatur; & tunc omnibus Christianæ legis vinculis solutum esse, quin ad jejunia, orationem, & quævis alia pietatis opera ullo præcepto constringatur. Naturali etiam intellectûs facultate sine lumine gloriæ posse Beatos divinam essentiam contueri. Erroris etiam notatus fuit Episcopus, cui nomen Petro Joannis, quòd sentiret, Christi, dum adhuc viveret, latus lanceâ percussum; Baptismo gratiam non conferri; & rationalem animam humani corporis formam non esse, nec illud vegetare, & agitare.

Decimum Quartum Concilium generale, Lugdunense Secundum.

Decimum Quintum Concil. generale, Viennense.

Concilium Pisanum reprobatum.

15. *Abass.* Nullius erroris nævus acta per illud tempus Concilia fædavit? *Rom.* Tria sequentia, sicut torris erutus de igne, semiustulata fumigârunt. Primum est Concilium Pisanum, Pisis in Italia collectum anno Christi millesimo quatercentesimo nono, primo Alexandri Quinti Pontificis & decimo Ludovici Bavari; quod, cùm ad Ecclesiasticas dissensiones amputandas congregatum esset, illas altiùs altercantium cordibus infixit. Secundum fuit Constantiense apud Constantiam Germaniæ urbem cæptum anno millesimo quatercentesimo decimoquarto, & decimo octavo absolutum. Secundus hic erat annus Pontificatûs Martini Quinti, & octavus Imperatoris Sigismundi. Hoc tamen Concilium à Florentino, & Lateranensi Quinto damnatum fuit, quòd Conciliorum dispositioni, ac depositioni subesse Romanum Pontificem inconsultè definierit. Tertium fuit Basileense, cui nomen dedit Basilea, civitas inter Galliam, & Germaniam constituta. Inchoatum est anno millesimo quatercentesimo trigesimo primo, & in annos undecim ob bella, & multiplices seditiones protractum. Totum hoc Concilium vitiosum est, exceptis quibusdam decretis, quæ Ecclesiarum possessionibus, & suppellectili conservandæ patrocinantur. Fumum deinceps diffemus, & in florem lucis legitimorum Conciliorum exeamus.

Concilium Constantiense reprobatum.

Concilium Basileense, reprobatum.

16. *Abass.* Quandò lumen illud iterum mundo affulsit? *Rom.* In decimo sexto Concilio habito Florentiæ in Italia anno Christi millesimo quadringentesimo trigesimo octavo, octavo Eugenii Quarti Pontificis Romani, Alberto in Occidente imperante, in Oriente Joanne Palæologo; qui Synodum præsentiâ suâ, & secum advecto Josepho Patriarchâ Constantinopolitano, & Legatis Alexandrini, & Antiocheni, & Armeniorum; necnon pluribus Episcopis Græcis, cohonestavit. In ea repetita fuit unio Ecclesiæ Orientalis, & Occidentalis, & Græci suis erroribus anathema dixerunt; illis præcipuè, quibus Purgatorium, & Spiritus sancti à Filio processionem abnegabant. Undè Græci hanc Synodum vocant Nonam generalem. Ad illam vos etiam, mei Abassini, confluxistis, ut patet ex Epistola Abbâ Nicodemi ad summum Pontificem Eugenium IV. & ex alia Regis David, seu Onag Segued ad Romanum Antistitem Clementem Septimum scripta anno 1524. in qua refert, ab eodem Eugenio IV. Legatos quatuor: Theodorum, Dydimum, Petrum, & Georgium cum litteris ad Imperatorem Zera Jacob proavum suum dimissos. Illam Synodum consecutum est Concilium Lateranense Quintum, cui data sunt auspicia anno Christi millesimo quingentesimo undecimo, sub nonum Julii Secundi Pontificis, & decimum nonum Maximiliani Augusti; Sed prorogatum fuit ad annum millesimum quingentesimum decimum septimum, qui fuit quintus Leonis Decimi. In eo centum decem, & quatuor Episcopi aliquas difficultates enodârunt, & Ecclesiam aliquibus hæresibus expurgârunt. In quibus illæ fuêre; animas hominum esse mortales; & omnibus unam, eamdémque animam inesse.

Decimum Sextum Concilium generale, Florentinũ.

Abbâ Nicodemus apud Coccium lib. 7. art. 6. to. 1.

Damianus de Goes in libro de moribus Æthiopũ.

Decimum Septimum Concilium generale, Lateranense Quintum.

17. *Abass.* In ultimo tandem Concilio generali conquiescе. *Rom.* Tridentinum illud fuit senilis Ecclesiæ fœtus, ideóque pretiosior; sicut Joseph, quem Jacob in senectute genuit; eáque de causa liberis aliis ardentiùs dilexit, & in amoris pignus polymita veste decoravit. Ità Deus Ecclesiam suam in hoc Concilio scutulatâ, & versicolore cœlestis sapientiæ tunicâ exornavit. In eo enim definita, & mirabiliter explanata fuêre augustiora Christianæ Fidei dogmata, & decreta. Tridentum verò nobilis est civitas in Venetiarum, & Germaniæ confinio, in qua cæptum illud est Concilium anno Christi millesimo quingentesimo quadragesimo quinto, Pontificatûs Pauli Papæ Tertii undecimo, imperii Caroli Quinti decimo sexto. Sed cùm crebrescentibus bellorum turbinibus bis abruptum esset, & variis cunctationibus adeò extractum, ut Paulo Julius Tertius, Julio Marcellus Secundus, Marcello Paulus Quartus, & Paulo Pius Quartus successerit, quarto ipsius anno, qui erat Christi millesimus quingentesimus sexagesimus tertius, & sextus Imperatoris Ferdinandi, felicem exitum accepit. Causa congregandi vicenalis penè Concilii fuit Lutherus Monachus excucullatus,

Decimum Octavum Concilium generale, Tridentinũ.

Gen. 37. 3.

Digitized by Google

latus, & monialis fœminæ à Sacro gynæceo abactæ contubernio infamis. Qui fætida, & eroſa univerſarum hæreſum veterum oſſa ſuſcitavit, & tot novarum portenta invexit, ut vix poſſint in numerum revocari. A divinæ Scripturæ albo ultra viginti libros Canonicos expunxit. Omnia Sacra Concilia adeò deſpexit, ut Nicænum ſibi ſtramine, fœno, & ſtipula eſſe levius ore impudentiſſimo aſtruxerit. Orationes Cœlitibus, Apoſtolis, & Beatiſſimæ Virgini Mariæ oblatas, ut nænias, & otioſæ plebeculæ deliramenta, negligendas blaterabat. Fidem abſque bonorum operum ſatellitio ſatis eſſe ad ſalutem; peccatum eſſe non nubere; cælibem, vel monachalem vitam agere; Turcis, aliiſque Infidelibus bellum indicere; peccatum non eſſe carnibus in Quadrageſima, ſextâ Feriâ, & Sabbato victitare; nullum eſſe peccatum, niſi ſolam à Fide defectionem; cùm alioqui diceret, omnia hominum opera eſſe peccata; Baptiſmo peccata non deleri; orationem, jejunia, & eleemoſynas citra meritum à Chriſtianis frequentari. Alia inſuper addebat, quæ pudor eſt commemorare; ipſúmque probant Diaboli diſcipulum fuiſſe (quod ipſe in libro de Miſſa fateri non detrectat) & præcurſorem Antichriſti.

Bellarm. in præfat. libri de Conciliis.

octoginta ſpuriis, & omninò ſpongiâ emendandos.

3. *Abaſſ.* Quid tibi ingratum eſt in illa hiſtoria? *Rom.* Semel in prima parte Haymanot Abbau, & iterùm in ſecunda Fidei confeſſio proponitur. Secunda tamen genuina eſt, & prior adulterina; non quòd adulterinam doctrinam contineat, ſed quòd veram alieno loco. Primâ enim continet illa verba: *Et in Spiritum ſanctum Dominum, & vivificantem, qui ex Patre procedit; qui cum Patre, & Filio ſimul adoratur, & conglorificatur.* Quæ verba non ſunt Symboli Nicæni, ſed primi Conſtantinopolitani. Nicænum enim nihil ampliùs dixit, quàm Apoſtolicum: *Et in Spiritum ſanctum*; ut videre eſt apud D. Athanaſeum, Hilarium, Epiphanium, & Nicephorum, Symbolum Nicænum ex integro referentes. Quia, ut docet D. Athanaſeus, Baſilius, & Hieronymus, eo tempore nulla quæſtio contra Spiritus ſancti divinitatem mota fuerat, quam oporteret illo additamento confutare; quod factum eſt à Patribus Concilii Conſtantinopolitani, cùm Macedonius illam infeſtis armis impugnavit. Collector verò fragmentorum Haymanot Abbau non ſuo loco quæque diſponere, ſed inconditam voluminis molem congerendo, & ſuffarcinando attollere curavit.

In eo Symbolum Nicænum confuſum eſt cum Conſtantinopolitano.

D. Baſil. Epiſt. 78. D. Hieron. Epiſt. 65.

D. Athanaſ. Epiſt. ad Serapionē.

CAPUT XVI.

De auctoritate libri Æthiopici Synodorum.

Numerantur Canones, quæ apud Æthiopes in libro de Synodis continentur.

1. *Abaſſ.* Apage Lutherum impuriſſimum nebulonem, nec ſolum Antichriſti, ſed totius impietatis anteambulonem, & meritiſſimum gehennæ poſſeſſorem; cujus procaciam Deus à noſtris finibus avertat. Sed Tridento in Æthiopiam regreſſus noſtrarum Synodorum librum evolve, & num cum Romanis conſentiat, expande. *Rom.* In eo Apoſtolorum Canones, & novem Concilia, quæ cum noſtratibus conveniunt, reperio; Ancyranum, Neocæſarienſe, Nicænum, Gangrenſe, Antiochenum, Laodicenum, Sardicenſe, Primum Conſtantinopolitanum, & Epheſinum. Ex quibus quatuor: Ancyranum, Neocæſarienſe, Gangrenſe, & Laodicenum provincialia ſunt; & ideò illorum in ſuperiori capite nullam feci mentionem; probatæ tamen ſunt auctoritatis. Quinque alia ſunt generalia: Nicænum, & Sardicenſe, de quibus præcedenti capite n. 4. Conſtantinopolitanum, & Epheſinum, de quibus num. 6. & Antiochenum, de quo num. 5. Licèt autem Concilium illud in Fidei profeſſione, & D. Athanatei damnatione ſiniſtrum fuerit, quinque ſupra viginti Canones de moribus condidit ab Eccleſia receptos, quos veſter codex ſervat incorruptos.

In Haymanot Abbau mendoſa eſt hiſtoria Concilii Nicæni.

2. *Abaſſ.* Quid cenſes de Concilio decem, & octo Patrum, quod illo codice coërcetur? *Rom.* Nicæni Concilii hiſtoriam invenio in Haymanot Abbau, in qua plura mihi diſplicent; in Synodorum libro primùm viginti Canones germanos, poſteà

Quatuor mendacia continentur in illa hiſtoria.

4. *Abaſſ.* Quid ampliùs occurrit illa in hiſtoria diſtortum? *Rom.* Primò in illa ſcribitur, Photinum in eo Concilio damnatum; cùm illius hæreſis poſt annos ſexdecim primùm in Antiocheno Concilio notata, & poſtmodùm in Sardicenſi proſcripta fuerit. Secundò, ibidem traditur, in Concilio Nicæno ſedem fuiſſe Euſebio Romano Pontifici deſtinatam; cùm Romanus Pontifex ſe ad illud non contulerit, ſed Legatos miſerit, ut cap. 14. & 15. indicatum. Tertiò ſi Romanus Pontifex Concilio adeſſet, non Euſebius dicendus erat, ſed Silveſter, à quo Conſtantinus Imperator ſalutari aquâ luſtratus eſt, & illa Synodus convocata. Etſi enim Romanus quidam Antiſtes Euſebii nomen geſſit, quatuordecim ante Nicænum Concilium annis mortuus fuerat. Illi enim ſucceſſit Melchiades, qui duos annos egit in Pontificatu, Melchiadi Silveſter, in cujus annum duodecimum Concilium incurrit. Quartò refertur eodem loco, ſimilem aliam Cathedram Epheſino Epiſcopo oblatam, quaſi Patriarchis eſſet exæquandus; quod nullo unquam tempore factum legitur. Nec in eo Concilio ſedes ullæ Patriarchales ſunt habitæ præter Romanam, Alexandrinam, & Antiochenam, ut patet ex ſexto Canone. Jeroſolymitano quidem Epiſcopo honor eſt attributus, non tamen fuit ad Patriarchalem apicem evectus.

5. *Abaſſ.* Quid de prioribus illis viginti Canonibus ſentiendum? *Rom.* Solos illos indubitatam eſſe Nicæni Concilii editionem. Cùm enim in ſexto Concilio Carthaginenſi celebrato anno Domini quatercenteſimo decimo nono coorta eſſet diſceptatio de numero, & auctoritate Canonum Nicænorum, miſſi ſunt ad eos undequaque conquirendos

Soli viginti Canones verè ſunt Nicæni.

in

Digitized by Google

Ruffin. lib. 1. cap. 6. Theodoret. lib. 1. cap. 8. Concil. 6. Carthag. in princ.

in Orientem Legati, qui factâ Alexandriæ diligenti investigatione, solos illos viginti retulerunt. Quare quotquot alii posteà emerserunt; nothi, & surreptitii judicandi. A quâ censura octoginta posteriores non eximendi; qui ad vos Alexandriâ antè plures annos, ad nos anno Christi millesimo quingentesimo sexagesimo Arabicâ linguâ prodierunt operâ Patrum Christophori Roterigii, & Baptistæ Eliani Societatis Jesu, qui à Pio Quarto in illam missionem fuerant expediti; Romæque repertum est aliud exemplar Arabicum vetustius in Bibliotheca Marcelli secundi, quod cum illo Alexandrino, tamquàm ovum cum ovo congruebat. Multa tamen mihi, præter Emi-

Octoginta Canones posteriores sunt suppositii.

Turrian. in procœmio ad eos Canones.

Baron. to. 3. anno 325. §. Sed ut liberè dicamus.

nentissimi Cardinalis Baronii auctoritatem suadent, Canones illos non esse Nicænos; sed illud tibi satis sit, quòd Can. 36. modus eligendi Patriarcham Æthiopicum, & illius sedes in Conciliis Græciæ præscribatur; cùm eo tempore nec Patriarcha, nec Episcopus, nedum prima Christianæ Fidei radix in Æthiopia viget. Nam apud vos omnium librorum, & linguarum consensu firmatum est, primum Æthiopiæ Episcopum fuisse Fremonatum, sive Abbâ Salâma (quem nos dicimus D. Frumentium) à Divo Athanaseo jam Patriarchâ ordinatum; sed Divus Athanasius ad Nicænum Concilium Diaconus accessit. Agi ergo in eo

Id probatur ex Canone, in quo agitur de Patriarcha Æthiopiæ.

Socrat. lib. 1. Histor. Eccl. cap. 7.

non poterat de Patriarcha Æthiopiæ. Ibidem quoque Canones 34. & 35. Seleuciæ Patriarcham in Provincia Babylonia, & Prælatum Persidis nominant; cùm Ecclesiastici annales per ea tempora nullam talium Antistitum memoriam prætendant. Alia quoque in illis Canonibus referuntur, quæ ab Ecclesiastica disciplina, ut tunc colebatur, sunt aliena. Inter vestros octoginta Canones ille habetur: De muliere menstruata in Ecclesiam non admittenda; qui non visitur inter eos, qui Alexandriâ Romam sunt delati; & ab imperito aliquo vestris adjunctus videtur, ut superstitiosam consuetudinem Nicænorum decretorum nomine cohonestaret.

Quinquaginta tantùm Canones Apostolicos Rom. Ecclesia agnoscit.

6. *Abass.* De Canonibus Apostolorum quæ tua est sententia? *Rom.* Apostolorum Canones ab ipsis verbo conditos, & à Divo Clemente ipsorum discipulo scriptos quinquaginta tantùm antiqua Romanæ Ecclesiæ exemplaria, & Dionysii re magni, sed cognomento Exigui versio demonstrat. Quare primos illos quinquaginta veneror, & amplector; reliquos, ut adulterinam appendicem, censeo resecandos; & quotquot à malevolis hominibus sunt adjecti (ut quinquagesimus quintus de Sabbati jejunio damnando) ignibus tradendos. Sic tamen illos suscipio, ut mallem, sicut scripsit ad Bulgaros Nicolaus Primus; solis Episcopis, & Sacerdotibus, qui habent clavem scientiæ, commendari; quàm passim omnium manibus, & imperitâ vulgi; ac mulierculârum interpretatione sordidari. Adverto tamen, intrà illos quinquaginta Canones vestris in codicibus alterum desiderari, alterum corruptum reperiri: sed utrumque malâ fide. Desideratur enim Canon 47. in quo deponi jubetur Episcopus, vel Presbyter, qui eum, qui verum habeat baptisma, denuò baptizaverit. Qui suppressus videtur ab aliquo volente illis connivere; qui apud vos repetito per singulos annos Baptismo inquinantur. Canon depravatus, est 27. Qui in vero textu habet: *In nuptiis autem, qui ad Clerum provecti sunt, præcipimus, ut si voluerint, uxores accipiant; sed Lectores; Cantoresque tantummodò.* Ubi Apostoli solis Lectoribus, & Cantoribus optionem uxorem ducendi permittunt, reliquis omnibus ex Ecclesiastica familia interdicunt. Sed vestrorum Canonum transcriptor exceptionem adnexam illis verbis, *Sed Lectores, Cantoresque tantummodò*, abrasit, & perperam Clericis omnibus esse uxorios indulsit.

Canon 27. Apostolorum corruptus in codice Æthiopico.

7. *Abass.* Siquidem de damnato in nostris Codicibus Sabbati jejunio Canonem suprà retulisti; Scire velim, an in Canones Apostolicos cadere possit aliqua mutatio, vel dispensatio? *Romanus.* Recole, quod exposui capite 13. numero 15. ex traditionibus scriptis, vel non scriptis, quas Apostoli suo ore Ecclesiæ contulerunt, quasdam dici divinas, quasdam Apostolicas. Divinas, solus Deus, qui ipsarum est auctor, mutare potest. Apostolicas Apostoli, dum viverent, pro temporum ratione mutare poterant; ut videmus à Paulo Corinthium priùs incesto coitu pollutum satanæ traditum, & posteà gratiæ restitutum; Apostolos initio viduarum, & egentium necessitatibus inservisse, & tandem illam provinciam septem Diaconis demandâsse. Ut ergo suas constitutiones Apostoli, dum vitam agerent, mutare poterant, sic & nunc possunt Apostolorum successores. Quia Ecclesia eamdem potestatem nunc habet & ordinis, & jurisdictionis, quam olim, dum Petrus, & Paulus inter vivos demorabantur. Nam *pro patribus nati sunt ei filii*, idest, inquit Augustinus, *pro Apostolis Episcopi. Neque enim ipse Petrus*, inquit, Hincmarus Rhemensis, *nedum aliquis Romanæ sedis Antistes aliquem suum successorem aliquo præjudicio, ac potestate privavit, quin eâdem omninò auctoritate omni Ecclesiæ, non solùm antiquis, sed etiam novis institutis nunc leviùs, nunc seviùs consulere posset, imò deberet, prout tempori suo opportunum videret. Hoc utique singularia Romanorum Pontificum decreta testantur; in quibus ipsi suorum temporum necessitatibus diverso modo consuluisse leguntur.* Quin secundum Canonum sanctionem, *is, qui in jus succedit alterius, eodem jure, quo ille, uti debet.* Cùm ergo Apostoli jus habuerint suorum Canonum interpretandorum juxta temporum exigentiam;

Apostolici Canones mutationem patiuntur:

1. Cor. 5. 5. 2. Cor. 2. 6. Act. 6. 4.

Ecclesia eamdem potestatem nunc habet ordinis, & jurisdictionis, quam cùm viverent Apostoli. Ps. 44. 17. D. August. ibid. Hincmarus in collect. Capit. Eccl.

Cap. is qui 46. de Reg. juris. in 6.

Nicolaus I. ad Responsa Bulgaror. cap. 9.

Digitized by Google

tiam, jus idem in ipsorum successoribus perseverat. Nec enim contractior Christus fuit cum illis, quibus Ecclesiam suam regendam tradidit, quàm cùm Josue Synagogæ duce, & Moysis successore, cui dixit: *Sicut fui cum Moyse, ita ero tecum.* Imò in illos munificentior in illa promissione, cujus initium est: *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes.* Et in clausula: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Summæ simul potestatis, & diuturnitatis mentionem facit, ut intelligant Apostolorum successores, suarum clavium ad aperiendum, & claudendum facultates nullo unquam posse tempore senescere; cùm non primùm ab Apostolis, sed ab ipso Christo perenniter emanent.

Josue 1. 5.

Matth. 28. 18. 20.

Indicantur variæ mutationes factæ in Canonibus Apostolicis.

8. *Abass.* Sùntne aliqua exempla, quæ ostendant cum Canonibus Apostolorum ullo unquàm tempore dispensatum? *Rom.* Plurima suppetunt. In primis, cùm Apostolorum Canones ipsorum violatoribus perpetuam depositionis, vel excommunicationis pœnam imponant, Concilium Nicænum, & Ancyranum Episcopis concessère, ut de pœnitentibus humanè cogitarent, & pro satisfactionis qualitate severitatis tempus contraherent. Nam juxta D. Augustinum, *in hujusmodi pœnitentia non tam mensura temporis, quàm doloris attendenda est.* Secundò. In Apostolico Canone 25. cautum est, ut fornicanti Presbytero depositionis tantùm, & non excommunicationis pœna inferatur; sed cùm Clericorum intemperantia excresceret, à Concilio Neocæsariensi Can. 1. utràque pœnâ mulctati sunt. Tertiò. Apostolorum Canone 38. duo Concilia singulis annis celebranda indicuntur; alterum quartâ hebdomadâ post Pascha, alterum autumno. Sed Concilium Nicænum Can. 5. illud, quod celebrandum erat à Paschate, ad tempus ante Quadragesimam retraxit. Posteà tamen visum est, quotannis unum Concilium sufficere; quod omninò sublatum est, cùm Ecclesia nacta est tranquillitatem. Quartò. Canon quadragesimus nonus illos damnat, qui Baptismum sub una, & non sub trina mersione contulerint; sed cùm Ariani in Hispania triplici mersione abuterentur, ad suadendum trium in Deo naturarum differentiam, priùs Divus Gregorius Magnus, & posteà Concilium Quartum Toletanum interdixerunt, ne quis in ea triplicem mersionem intentaret. Quintò. Canone 79. præcipitur, ne quis recèns à seculari conversatione avulsus fiat Episcopus, ne in superbiam efferatur. Contrarium tamen summa cum utilitate ex peculiari Dei impulsu factum in electione Divi Cypriani, Divi Aforosii, & Nectarii Episcopi Constantinopolitani. *Si enim*, inquit Divus Aforosius, *non deest humilitas competens Sacerdotio, ubi causa non hæret, vitium non imputatur.*

Concil. Nic. Can. 11. 12. Concil. Ancyr. cap. 4. & 6.

D. August. Serm. 61. de Tempore.

D. Gregor. Magn. lib. 1. Epist. 41. ad Leandrum. Concil. Tolet. 4. Can. 5.

D. Ambros. Epist. 82.

9. *Abass.* Satis de Canonibus. Quid de Synodis Apostolorum, quæ eodem volumine includuntur? *Rom.* Veras Apostolorum Synodos quinque Ecclesia agnoscit. Tres ex libro Actuum, duas ex antiqua traditione. Quarum nullam olet vester codex. Prima, in qua Divus Matthias Apostolorum Collegio est aggregatus. Secunda, in qua septem Diaconi electi. Tertia, in qua tractatum est de legalium vocatione. Quarta, in quâ Apostolorum Symbolum compositum, de qua nos superiùs capite 8. numero 1. Quinta Synodus Antiochena, in qua novem editi Canones, quorum postremus in favorem Sacrarum Imaginum citatus est in Concilio Secundo Nicæno, quod fuit septimum generale. Ejusdem Synodi meminit Divus Innocentius, cùm Antiochenam Ecclesiam indè magnoperè collaudat, quòd conventum Apostolorum apud se fieri celeberrimum meruerit. Præter has quinque Synodos in suum consessum nullas alias Ecclesia admittit.

Quinque fuêre Synodi Apostolorum. *Act. 1. 15. Act. 6. 2. Act. 15. 6.*

Turrian. lib. 1. pro Can. Apost. cap. 23.

D. Innocent. Epist. 18. cap. 2.

10. *Abass.* Octo Apostolicarum Synodorum libri sub Clementis nomine insigniti apud nos ubique conspiciuntur, quibus in Æthiopia eadem, quæ sacris Evangeliis auctoritas adhibetur. *Romanus.* Ne me inclementem putes, si paululùm invectus fuero in adulterinos errorum partus Clementis, vel Apostolorum nominibus infucatos. Eosdem octo libros, non quidem sub nomine Synodorum, sed Constitutionum Apostolicarum habemus, quæ alio nomine dicuntur, Doctrina Apostolorum; & à vobis Didascalia; quod nomen Græcum est, doctrinámque significat. Et sanè (ut interim Synodos omittam) duo fragmenta, quæ afferuntur in Haymanot Abbau sub nomine Didascaliæ, sumpta sunt ex his Constitutionibus; primum ex lib. 6. capite 11. Secundum ex lib. 5. capite 6. Nec immeritò hoc sibi nomen Opus vendicavit. Quia in primo statim capite verba proponuntur: *Audite doctrinam sacram.* Et libro 6. capite 14. omnes Apostoli sic loquentes introducuntur: *In unum congregati scripsimus vobis Catholicam hanc doctrinam.* Quare liber, qui apud vos Didascalia dicitur, diversus non est; nec alium habet auctorem sivè verum, sivè falsum, quàm Clementem. Cujus autem auctoritatis sit Didascalia, sivè Constitutiones Apostolicæ Divo Clementi ascriptæ, sic discе ex Patribus Trullanis, qui Canone 2. ità dicunt. *Quia Sanctorum Apostolorum per Clementem Constitutionibus jam olim ab his, qui à Fide aliena sentiunt, adulterina quædam, & à pietate aliena inducta sunt, quæ divinorum nobis decretorum elegantem, & venustam speciem obscurârunt: Has Constitutiones ad Christianissimi gregis ædificationem, & securitatem utiliter rejecimus, hæretica falsitatis fœtus nequaquàm immiscentes, & germanæ, ac integræ Apostolorum doctrinæ inferentes.*

De libris Constitutionum Apostolicarum D. Clem. Franc. Turrian. in prologo Const. Apost.

Iidem libri dicuntur Didascalia, sivè doctrina Apostolorum.

Lib. 1. cap. 1. Lib. 6. c. 14.

Canon. 2. Trullanus contra Constitutiones Apostolicas, sivè Didascaliam.

11. *Abass.* Tam citò tibi memoria excessit, à te proximo capite Trullanam Synodum, ut erraticam, illiúsque Canones, ceu lutulentos,

Ab aliis Patribus iidem libri damnantur.

Digitized by Google

Ab aliis Patribus idem libri damnantur.

lutulentos, sugillatos, ut illos ad damnandas Clementis Constitutiones, & Apostolicam doctrinam in patrocinium accersas? *Rom.* Sit tibi vilis Trullanorum Canonum auctoritas; quid tamen dices de D. Athanateo (quem semper Apostolicum cognominatis) qui in Synopsi librum, cui titulus, *Doctrina Apostolorum, & omnia opera Clementina*, ut apocrypha, seu vitiata condemnat? Quid de Gelasio Romano Pontifice, qui eodem itinere insistit? Quid de Nicephoro, qui libro Doctrinæ Apostolorum stylum censorium infigit? Quid de Eusebio Cæsariensi, qui Petri, & Appionis dialogum sub Clementis nomine vulgatum rejicit tamquàm nihil Apostolicæ traditionis redolentem? Quid de Epiphanio, imò de ipso Clemente? Scribit enim D. Epiphanius, ipsum Clementem in Epistolis Encyclicis graviter conquestum de Ebionæis, quòd totum ipsius librum de Periodis Petri, sivè Itinerario inscriptum, paucis integris relictis, adulteraverint. Si ergo sua Opera ab Hæreticis depravata Clemens ipse plangit, quid aliis testibus egemus? Aut quam illis auctoritatem censebimus insidere?

D. Athanas. in Synopsi.

Gelas. cap. sancta Romana. d. 15. Niceph. lib. 2. cap. ult. Idem lib. 3. cap. 18. Euseb. Cæsar. apud D. Hieron. lib. de Script. Eccles. D. Epiphan. hæresi 30. de Ebionæis.

Indicantur errores, qui in libris Constitutionũ Apostolicar. reperiuntur.

12. *Abass.* Pleniùs id mihi suaderes, si in illis Apostolicarum Constitutionum, sivè Doctrinæ libris, quos nos Synodos Apostolorum appellitamus, nævos aliquos deprehendisses, ex quibus argueretur, illos à corruptoribus interpolatos. *Rom.* Utinam nævi tantum in ipsis apparerent, non deformes cicatrices, & liventium vulnerum hiatus. Ex quibus aliquos tibi patefacere non gravabor, nostrorum codicum ordinem secutus. Lib. 3. cap. 2. mortuo conjuge damnantur quartæ nuptiæ, quasi manifesta impudicitia. Quod est contra Pauli doctrinam, qui de viduis sine ulla limitatione dixit: *Si non se continent, nubant.* Rursus: *Cui vult, nubat.* Rursus: *Volo juniores nubere.* Nec adjecit, secundò tantùm, vel tertiò; sed absolutè, nubant, si velint, quoties marito destituuntur. Eodem libro cap. 6. Maria Magdalene à Maria sorore Lazari distinguitur. Quod nec Ecclesia, nec Evangelium permittit. Eodem libro cap. 9. & 10. absolutè traditur, nec mulieres, nec laicos baptizare posse. Addenda tamen esset explicatio; laicos baptizare non posse, ubi sunt Presbyteri, vel alii Clerici; nec fœminas, ubi viri suppetunt; posse tamen in necessitate, illis deficientibus. Lib. 6. cap. 7. refertur, Simonem Magum, & vestrum Eunuchum à Philippo Apostolo baptizatos; cùm is Apostolus non fuerit, sed unus de numero Diaconorum. Si enim Apostolus fuisset, in Samariam posteà non mitterentur duo primores Apostoli Petrus, & Joannes ad Spiritum sanctum, idest, Confirmationis Sacramentum conversis impertiendum; quod Philippus præstitisset, si Apostolico esset munere ornatus. Eodem libro cap. 12. & 14. D. Jacobus frater Domini Jerosolymorum Episcopus, extra Apostolorum chorum nominatur. Eodem lib. cap. 15. docetur, baptizatos, & ordinatos ab Hæreticis, iterùm ordinandos, & baptizandos, quia non sunt veri Episcopi, nec Sacerdotes.

1. *Cor.* 7. 9.
1. *Cor.* 7. 39.
1. *Tim.* 5. 14.
Lib. 3. c. 6.
Cap. 9. & 10.
Lib 6. c. 7.
Act. 8. 14.
Cap. 12. & 14.
Cap. 15.

Quod falsum est, si ritè ab ipsis baptizentur, & ordinentur, ut ostendam lib. 12 cap. 1. n. 15. & cap. 14. n. 19. In septimo earumdem Constitutionum libro, cap. 24. & lib. 8. cap. 33. Sabbati, & diei Dominicæ observatio commendatur. Quod quoad Sabbati sanctificationem Apostolicæ doctrinæ repugnat. De quo dicendum lib. 10. cap. 11. Eodem capite Sabbati jejunium reprobatur. De quo superiùs n. 6. cùm de Canonibus ageremus. Lib. 8. cap. 19. 21. 22. Diaconissæ, Lectores, & Subdiaconi per manuum impositionem ordinari præcipiuntur. Quod abhorret à veritate. Ut enim lib. 12. cap. 14. videndum, solis Presbyteris, ac Diaconis manuum impositio admovetur. Falsum quoque est, quod traditur ibidem cap. 26. Exorcistam ordinatione non consecrari. Deterius verò, quod subditur cap. 32. ancillam soli hero obsequentem recipiendam ad mysteria; intemperantem cum aliis, rejiciendam. Ex hisce zizaniis sparsim à me in unum fasciculum ad comburendum congregatis videre poteris, puram priùs Apostolicarum Constitutionum, sivè Doctrinæ sationem fuisse deinceps senticosâ hæresum admixtione contaminatam. Imperiti verò alicujus opus illud esse, vel ipse titulus ostendit, quem in vestris libris offert Didascalia.

Lib. 7. c. 24. Lib. 8. c. 33. Lib. 8. c. 19. 21. 22. Lib. 8. c. 26. & 32.

Falsitas Synodorum Apostolicarum Æthiopici codicis ex ipso titulo demonstratur.

13. *Abass.* Si mihi memoria non hebescit, Didascaliæ titulus sic habet: [Ibelo asartû, üâ cletû hauareât, vä Paulôs, vä Jacob áhùhû lagzina, üâ sabatû Diaconât, vä saba, vâ cletû ardet ba Didascaliâ. Benta ratit Haymanot, vä Cadâst selasc.] Idest: *Dixerunt Apostoli duodecim, & Paulus, & Jacobus frater Domini, & septem Diaconi, & septuaginta duo discipuli in Didascalia, de recta Fide, & sanctissima Trinitate. Rom.* Nec gravitatem, nec sanctitatem inficior, unam in eo titulo desidero veritatem, quam doleo turpiter tribus falsimoniis sauciari. Primum est, quòd scribatur. *Dixerunt duodecim Apostoli, & Paulus.* Nunquam enim Paulus cum duodecim Apostolis in vita convênit. Perpende ipsius verba in Epistola ad Galatas: *Deindè post annos tres* (à sua scilicet conversione) *ascendi Jerosolymam videre Petrum, & mansi apud eum diebus quindecim.* Si dicas, tunc conditos Apostolicos Canones, & Constitutiones, ut vult D. Sophronius Jerosolymitanus, mendax vester est titulus; addit enim Paulus: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini; quæ autem dico vobis, ecce coram Deo, quia non mentior.* Cui ergo magis credendum? Paulo cum jurejurando affirmanti, nullum à se conspectum Apostolum præter Petrum, ac Jacobum: an vestro titulo Pauli cum duodecim Apostolis congressum mentienti? Si eò te convertas, ut asseras, in alio Concilio ad colloquium cum duodecim Apostolis Paulum admissum, illud assigna. Sed non dabis alium Pauli Jerosolymam accessum, nisi illum, de quo ipse in eadem Epistola: *Deindè post annos quatuordecim iterum ascendi Jerosolymam;* qui annus erat decimus nonus à Christi Ascensione, in quo habita est Synodus de legalium abrogatione, cujus fit mentio Act. 15.

Nunquam in vita cum omnibus Apostolis convênit D. Paulus. *Galat.* 1. 18.

D. Sophron. homil. de agone Petri, & Pauli.

Galat. 2. 1.

Digitized by Google

Dices; ergo in eo Concilio Canones, & Constitutiones à duodecim Apostolis, & Paulo sancitas; quod aliqui confirmare contendunt ex ipsarum lib. 6. cap. 12. ubi cùm Synodus referatur eodem ordine, quo in Actis, dicitur ex persona Apostolorum: *His igitur litteris missis, remansimus nos pluribus diebus Jerosolymis conquirentes unà, quæ in communem utilitatem ad correctionem spectabant:* Concedo, Canones, & Constitutiones tunc cudi potuisse, sed nego Paulum ipsarum compositioni interfuisse; vel ex eodem textu, qui tradit, Apostolos morum Ecclesiæ correctioni incubuisse post Epistolas ad Ecclesiam expeditas; Epistolæ autem, ut ibidem, & in Actis narratur, per Paulum missæ sunt. Non ergo cum duodecim Apostolis Concilio tunc Paulus intererat; nec ipse in Epistola ad Galatas de illa Synodo agens, plures quàm tres nominat, cum quibus tunc fœderis gratiâ manus conseruerit: Petrum, Jacobum, & Joannem. Nec verò poterat cum aliis, si vellet; nam antè octo annos (nempe ab Ascensione Christi duodecimo) ab Herode obtruncatus fuerat D. Jacobus Major, cujus cædes refertur 12. capite Actorum, cùm de illo Concilio in 15. agatur. Et cæteri, si non priùs, saltem cùm sublatus fuit Jacobus, ad prædicationem in varias Provincias sunt digressi. Imò in eisdem Constitutionibus lib. 5. cap. 7. Jacobi martyrium proponitur, & anniversaria solemnitas in illius memoriam indicitur. Et (quod usque ad miraculum obstupesces) Jacobus ille, de quo illic sermo habetur, non est Major, sed Minor Episcopus Jerosolymorum. Verba enim sic habent: *De Martyribus verò præcipimus vobis, ut in omni honore sint apud vos, ut apud nos fuerunt Jacobus Episcopus, & Condiaconus noster Stephanus.* Episcopatum Jerosolymis non Major, sed Minor Jacobus administravit, qui obiit trigesimo à Christi morte anno; cùm præcedenti D. Andreas Achaiam; & ante octo annos, à Christi morte vigesimo secundo D. Philippus Hierapolim Phrygiæ cœlo commutasset. Si ergo, cùm scriptæ sunt Apostolicæ Constitutiones, uterque Jacobus, Philippus, & Andreas ex vivis decesserant, quomodò cum Paulo omnes Apostoli Concilium illud inire potuerunt?

D. Clemens lib. 6. Const. Apost. c. 12.

Act. 15. 26.

Act. 12. 2.

Jacobi, Major, & Minor mortui erant, cùm scriptæ constitutiones Apostolicæ.

D. Clem. lib. 5. Apost. Const. c. 7.

14. *Abass.* Manifestum mendacium illa assertione contineri, ipsa luce liquidius demonstrâsti. Quodnam secundum? *Rom.* Illud tumet in sequenti verbo: *Et Jacobus frater Domini.* En Jacobus ab aliis Apostolis secernitur, quasi Apostolus non esset, cùm Paulus ipsum Apostolum testetur: *Alium autem Apostolorum vidi neminem, nisi Jacobum fratrem Domini*; Et inter potiores Apostolos primum apponat: *Jacobus & Cephas, & Joannes, qui videbantur columnæ esse, dexteras dederunt mihi, & Barnabæ Societatis.* Si Jacobus Apostolus non esset, quomodò illum Paulus æqualì cum Petro, & Joanne, imò digniori subsellio collocaret? Aut cur gloriaretur, se ab ipso in amicitiæ contesserationem admissum? Prætereà, si Jacobus jam erat inter Cœlites, quomodò in Synodo cum Paulo inter Apostolos? Tertium falsiloquium est in consequentibus: *Et septem Diaconi.* Quomodò cùm septem Diaconis congressus est Paulus, qui ipsorum primatem Stephanum lapidantium vestes servans, *omnium*, ut ait D. Augustinus, *manibus lapidavit?* Et cui festa dies in transitûs memoriam in superiori Constitutione simul cum Jacobo decernitur? Vides ergo Apostolicarum Constitutionum subversores, de speciosо tantùm titulo, propter quem deseri posset vadimonium, nihil tamen de illius veritate cogitâsse; imò satis patentem ad mendacia deprehendenda nobis viam reliquisse.

Jacobus frater Domini Apostolus erat.

Galat. 1. 19.

Galat. 2. 9.

Cum septè Diaconis Paulus convenire non potuit.

Act. 7. 17. D. August. serm. 1. de S. Stephano. D. Clem. lib. 5. cap. 7.

15. *Abass.* Mendosum esse titulum non ambigo; sed numquid propter illum cætera damnanda? *Rom.* Si tanta est perversitas in vestibulo, quid in fornicibus, & conclavibus tenebricosis? De similibus enim libris dixit Magnus Leo: *Apocryphæ. Scripturæ, quæ sub nominibus Apostolorum multarum habent seminarium falsitatum, non solùm interdicendæ, sed penitùs auferendæ sunt, atque ignibus concremandæ. Quamvis enim sint in illis quædam, quæ videantur speciem habere pietatis, numquam tamen vacua sunt venenis, & per fabularum illecebras hoc latenter operantur, ut mirabilium narratione seductos laqueis cujuscumque erroris involvant.* Si quis verò D. Leonis nomen æquis auribus non excipit, audiat ipsum Clementem, seu potiùs Apostolos de falsò inscriptis Hæreticorum libris ità sentientes: *Hæc omnia scripsimus vobis, ut scire possitis, qualis sit nostra sententia; & ne libros, quos impii nostri nominis inscriptione munierunt, approbetis. Neque enim nomina Apostolorum attendere debetis, sed naturam rerum, & sententiam nunquam à recto deflexam:* Vide suprà cap. 3. n. 17.

Cavendi hæreticorũ libri falsis titulis inscripti.

D. Leo Epist. 88. aliàs 93. ad Turibium, cap. 15.

D. Clem. lib 6. Const. Apost. c. 16.

16. *Abass.* En ipse uno ex ore calidum, & frigidum efflas; nunc enim Apostolicas Synodos improbas, falsatas ab Hæreticis causatus; nunc probas, cùm ab ipsis testimonia ad tuam sententiam roborandam mutuaris. *Rom.* Paucis tibi mentis meæ sinum expandam. Non dubito, sacram Doctrinam, sivè Constitutiones principiò ab Apostolis formatas, non quidem in Synodo, in qua duodecim Apostoli, Paulus, septem Diaconi, & septuaginta duo discipuli simul convenerint; id enim factu erat impossibile, ut ostendi. Credo tamen, Petrum illas, & Apostolicos Canones cum Jacobo, & Joanne contulisse, & verbo tantùm condidisse post tertiam Synodum, de qua Act. 15. ut jam tetigi n. 13. Ubi solùm improbavi, & nunc improbo, Paulum illis assedisse (cùm jam discessisset,) vel si assedit, certum est, solos tres Apostolos prænominatos adfuisse. Nec ambigo, Petrum seorsim consilii sui participem fecisse Paulum, antequàm discederet; Si enim tunc Paulus de se ait: *Contuli cum illis,* (ideſt, Apostolis) *Evangelium, quod prædico in Gentibus; seorsum autem iis, qui videbantur aliquid esse:* Cur non & Petrus cum Paulo seorsum Constitutiones suas, Canonésque conferret? Quod autem Apostolorum Canones à D. Petro exprompti fuerint, ostendunt illa verba trigesimi: *Sicut Simon*

Judicium de hisce libris.

Constitutiones, & Canones Apostolici à Petro cum paucis Apostolis.

Galat. 2. 2.

Digitized by Google

Can. 30. Apost. *Simon Magus à me Petro.* Ut verò dicantur Constitutiones, vel Canones Apostolorum; satis est, quòd Petrum habuerint auctorem; & unum, vel duos alios approbatores. Quod enim Petrus, tamquàm Apostolorum Princeps, Os, & Caput faciebat, reliqui & præsentiâ, & assensu confirmabant, & facere dicebantur, ut lib. 7. cap. 9. n. 9. ostendendum. Sic cùm primâ vice Paulus ascendit Jerosolymam ad videndum Petrum, nec quemquam alium præter Jacobum contemplatus est, ait D. Lucas: *Barnabas autem apprehensum illum duxit ad Apostolos.* Si ad Apostolos ductus est, cùm duo tantùm essent, cur dici nequeant Constitutiones, & Canones Apostolorum, licèt non sint ab omnibus, sed à duobus, vel tribus vivâ voce confirmati. Quod autem Petrus dixit, id Clemens scripsit. Clementis verò scripta perditi homines corruperunt; non in totum, sed ex parte; decretis Apostolicis suas nugas inserentes. *Quomodo enim*, inquit eodem loco D. Leo, *decipere simplices possent, nisi venenata pocula quædam melle prelinirent, ne usquequaque sentirentur insuavia, quæ essent futura mortifera?* Ideò Hæreticorum doctrina lepræ comparatur, quæ plerumque non totum corpus inficit, sed illud sic maculis aspergit, ut & caro, & morbida lentigo interluscantur. *Quia*, inquit D. Augustinus, *nulla falsa doctrina est, quæ non aliqua vera intermisceat.* Sic in libris Constitutionum D. Clementis vera falsis sunt intermixta. Ne igitur totus lepræ contagione polluaris, sequere Dei in Deuteronomio, & Christi in Evangelio consilium. Ibi enim dicitur: *Si difficile, & ambiguum apud te judicium esse perspexeris inter lepram, & non lepram, venies ad Sacerdotes Levitici generis, & ad judicem, qui fuerit illo tempore.* Hîc autem Christus illis, quos à lepra mundaverat, ait: *Ite, ostendite vos Sacerdotibus.* Cùm igitur inter lepram, & lepram, quâ contaminati sunt D. Clementis libri, propriâ cognitione discernere non possis, vade ad communem totius Ecclesiæ judicem Romanum Pontificem, & ad Sacerdotes ab eodem approbatos, qui ostendent tibi judicii veritatem: & quæ veræ sint Constitutiones Apostolicæ, quæ commentitiæ Hæreticorum, sivè malevolorum hominum substructiones. Cùm verò nos nulli labori pepercerimus, ut in hoc Opere obstructos omnium traditionum fontes consectaremur, scito, Apostolicas esse, quas huc admittimus: humanas, & exoticas, quas eliminamus.

Act. 9. 27.

D. Leo Ep. 88. vel 93.

D. Augusti lib. 2. Quæst. Evang. cap. 40.

Deut. 17. 8. 9

Luc. 17. 14.

Digitized by Google

LUX FIDEI
IN NUPTIAS VERBI,
ET ECCLESIÆ.

LIBER SECUNDUS.
DE AUSPICE CONNVBIALI VERBI, & Æthiopissæ ; ideſt , de Deo, ut unus eſt.

IN PRIMUM SYMBOLI APOSTOLICI articulum : *Credo in unum Deum.*

CAPUT PRIMUM.

Quid intelligere debeamus , cùm dicimus , Deum eſſe unum.

ABASS. Cafarem , quod eſt exlegem , (undè Cafrùm nomen vibrati crinis Æthiopibus) ne deinceps more ſuo Arabes , & Turcæ Chriſtianam dicant Æthiopiſſam , tot divinæ Scripturæ , Conciliorum , & Traditionum legibus ad ambiendum Verbi connubium expolitam. Sed nec ipſam credo inauſpicatam. *Rom.* Inauſpicata eſſe non poteſt ; idem enim , qui illam *ſubtilibus* , & *multicoloribus* , ideſt , multiplicibus legis ſuæ præceptis ex D. Hieronymo , *induit* ; agnoſcens ipſius tempus eſſe *tempus amantium* ; aptum , ſcilicet , ut eſſet *alloquenda* , & honeſto matrimonio collocanda , ipſius auſpex fuit. Quòd ſi ab avium aſpectu auſpicia captantur , & dicuntur , auſpicalis hîc non defecit , ut nec poſteà in Baptiſmo in columbæ ſpecie Spiritus ſancti præſentia , Gabriële pollicente : *Spiritus ſanctus ſuperveniet in te.* Ergo Deus , cùm unus ſit , unus eſt & Verbi , & Æthiopiſſæ auſpex.

Ezech. 16. 10. 13.

Ezech. 16. 8. *Cant.* 8. 8.

Matth. 3. 16 *Luc.* 1. 35.

1. *Abaſſ.* Opus igitur eſt , ut illius unitatem , & ſequentia Symboli verba illuſtres : *Credo in Deum*, ſivè , *in unum Deum. Rom.* Ex D. Auguſtino triplex eſt credendi gradus ; *Credere Deo* ; *Credere Deum* ; *Credere in Deum.* Credit Deo , qui veracibus illius verbis fidem adhibet. De quo genere credendi actum eſt lib. 1. cap. 9. Credit Deum ; qui illum eſſe , illiuſque eſſentiam , & providentiam confitetur ; quæ materia eris iſtius Libri. Credit in Deum , qui ſic Deo , & Deum eſſe credit , ut in illum , tamquàm in ultimum felicitatis humanæ finem non ſolùm mentis volatu , ſed etiam dilectionis greſſibus incitatur. Primum , & ſecundum genus credendi imperfectum eſt ; nec ſolùm in hominibus iniquis , ſed etiam in dæmonibus reperitur , ipſi enim *credunt, & contremiſcunt* , ſed Dei dilectione non commoventur. Tertium proprium eſt perfectionis Chriſtianæ , quam à nobis exigunt Apoſtoli , & ideò dicunt : *Credo in Deum. Quid eſt credere in Deum ?* inquit Auguſtinus ; *Credendo amare , credendo diligere, credendo in eum ire ?* Et ideò ſoli ii articuli , in quibus agitur de tribus divinis Perſonis , eam loquendi formulam conſervant : *Credo in Deum Patrem ; & in JESUM Chriſtum , Filium ejus ; & in Spiritum ſanctum.* Quia reliqua myſteria credimus ; ſed in Patrem , Filium , & Spiritum ità credimus , ut in eos , tamquàm in ſcopum , totam Fidem , & dilectionem dirigere debeamus.

Jacob. 2. 19.

D. Auguſt. tract. 29. in Joan.

Triplex eſt credendi gradus ; credere Deo , credere Deum , credere in Deum. D. Auguſt. tract. 29. in Joan. & homil. 10. in Epiſt. 1. D. Joann.

2. *Abaſſ.* Cur à Deo primus inchoat articulus ? *Rom.* Virtutum Theologicarum objectum Deus eſt. Cùm ergo Fides , Theologica virtus ſit , *Deum ſpeculatur* , *Deum intuetur* , ait D. Cyrillus Jeroſolymitanus. Et D. Auguſtinus : *Fidei unum , ac primum , ac maximum officium eſt , ut in unum credatur Deum.* Quæ doctrina ſumpta eſt ex D. Paulo dicente : *Credere oportet accedentem ad Deum , quia eſt* ; imò ab ipſo Chriſto , qui ait : *Creditis in Deum , & in me credite.* Sunt quidem alia Fidei objecta præter Deum ; ut mundum eſſe creatum ; futurum Antichriſtum , & ſimilia ; ſed Deus ità cum omnibus

Inchoatur à Deo , quia primarium eſt Fidei objectum. D. Cyril. Jeroſol. Catech. 5. D Aug. lib. 4. de civit. Dei cap. 10. *Hebr.* 11. 6. *Joan.* 14. 1.

eſt

est implexus; ut absque illius interventu (non sub præcisa ratione Deitatis, sed revelationis) nequeant attingi. Credo enim mundum fuisse conditum, & Antichristum in illius fine emittendum, quia Deus revelavit. Nisi enim rationem istam complectar, actum Fidei non eliciam.

Dei nominis Etymologia.

3. *Abass.* De Deo siquidem tractationem auspicaris, istius nominis etymologiam expone. *Rom.* Prudenter nominis istius notionem scisciteris; ut enim docet Tertullianus, *fides nominum, salus est proprietatum*; ideſt, constans, & immota nominum cognitio solidam reddit earum rerum, de quarum proprietatibus agendum est, tractationem. Si enim lubricum fuerit fundamentum, necesse est, ut moles superimposita vacillet. Nomen ergo Latinum *Deus* deductum est à Græco θεὸς, derivato à θεᾶσθαι, quod est videre; vel à θεῖν, quod est currere. Quòd Deus cognitione suâ omnia pervadat, & ultra cunctarum rerum ordines transcurrat. Vobis Abassinis duplex est Dei nomen: „[Amlac;] & [Egziabeher.] Hebraicè אמרך ideſt, regnans. sivè imperans à מלך malac; quod Hebræis est imperare. Undè Arabibus Rex Melic, sivè Melique appellatur. Nomen „[Egziabeher] compositum est vel ex duabus, vel ex tribus dictionibus. Ex duabus; „si ità dividamus: [Egzia,] quod est, Do„minus; & [beher,] quod est, terra; Atque ità Deus, universæ terræ Dominus est: Ex „tribus, si ità dividamus: [Egzi] Dominus; „[Ab] Pater; [Er] bonus. Est enim Dominus, Pater, Bonus.

Tertul. lib. de carne Christi, cap. 14.

D. Thom. 1. p. q. 13. a. 8. 9 10.

Guido Fabr. Boder. in Lexico Syro-Chald. in v. מלך

Cornel. in cap. 12. Epist. ad Heb. n. 26.

Nomina, signa sunt conceptuũ.

4. *Abass.* Teneò etymon; nunc precor edoceas, quid mihi sit intelligendum, cùm audio, unum esse Deum. *Rom.* Si homines spirituali naturâ, velut Angeli essent præditi, nec ad res percipiendas, nec ad manifestandas, quas de iis animo effingunt, conceptiones, signis sensibilibus indigerent. Rerum enim species Deus ab initio mentibus indidisset, & ipsi naturales suarum intellectionum imagines invicem jacularentur, quibus rerum absentiam, secluso nominum adminiculo, supplerent. Cùm tamen corporis carcere sint intercluſi, tam ad res intelligendas, quàm ad manifestandos ipsarum conceptus, verborum ministerium desiderant. Sunt ergo verba, sivè nomina signa rerum, & conceptuum. Sicut autem homines ad res, atque mentis suæ partus significandos diversa nomina excogitârunt, sic ad rerum omnium Conditorem indicandum Dei nomen invexerunt.

Dei nomen, aliquandò essentiam simul, & Personas significat, aliquandò essentiam sine personis. D. Thom. p. 1. q. 39. a. 4.

5. *Abass.* Quis ergo mentis conceptus mihi est effotmandus, cùm Deus unus prædicatur? *Rom.* Cùm Dei nomen percipio, vel possum statim animo in divinam essentiam simul, ac Personas, vel distinctè, vel confusè consideratas advolare; vel sistere in solius essentiæ contemplatione, quin ullo modo vel actu, vel virtute ferar in Personas; animo delineans substantiam quamdam intellectricem, increatam, & à semetipsa esse habentem; quod sine errore facere possum; quia Personæ non sunt de conceptu Dei, ut unus est; & res quælibet considerari potest sine his, quæ ad ejus essentiam non pertinent. Prior ille conceptus essentiam, Personasque complectens perfectior est; secundus tamen solius essentiæ tenax, etsi primum extensione non adæquat, rejiciendus non est; cùm à D. Paulo approbatus, imò ab ipso Deo fuerit commendatus. Et hic proprius est Dei conceptus, cùm de eo, tamquàm de unico, tractamus.

Deum Philosophi verè cognovêre, etsi personas nõ noverint. *Rom.* 1. 19.

6. *Abass.* Ubi conceptus iste à D. Paulo approbatus? *Rom.* Plerisque Græcorum Philosophorum ignota fuit Personarum in Deo multiplicatio; nulli verò substantia inexplorata: Undè D. Paulus: *Quia*, inquit, *quod notum est Dei, manifestum est illis, Deus enim illis manifestavit.* Per illa verba: *quod notum est Dei*, declarat illa attributa, congenitásque perfectiones, quæ naturalibus humani ingenii viribus attingi possunt, quas Deus in ea indagine non destituit, sed opportunis auxiliis promovit. Ideò addit Apostolus: *Deus enim illis manifestavit.* Nam etsi aliquæ veritates ordinis naturalis humani intellectûs capacitatem non excedant, omnes tamen explorari (quod fecêre Philosophi) absque supernaturali lumine non possunt. Et inferiùs: *Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur: Sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas: ità ut inexcusabiles sint. Quia cùm Deum cognovissent, non sicut Deum glorificaverunt.* Vide quàm apertè Philosophis veram Dei, & invisibilium ipsius proprietatum cognitionem Paulus ascribat; & quàm sine ullo velamine dicat: *quia cùm Deum cognovissent.* Potest ergo vera Dei cognitio, ex mente Pauli, sine Personarum expressione, vel insinuatione subsistere. Adde, Dei nomen ex primaria impositione substantiam increatam absque Personarum consortio significare. Nam Philosophi illud excogitârunt ad Deum ità exprimendum, ut illum ipsi animo concipiebant.

D. Thom. 1. 2. q. 109. a. 1. Soar. lib. 1. de necessit. gratiæ, c. 1. *Rom.* 1. 20.

Deus cognitionem solius suæ essentiæ sine Personis probávit. *Exod.* 3. 14.

7. *Abass.* Mentem Pauli citra tergiversationem ostendisti; non ità divinam, cùm superiùs dixeris, eam cognitionem à Deo commendatam. *Rom.* Nulli antiquorum Patrum nomen suum Deus planiùs, quàm Moysi manifestavit, cùm dixit: *Ego sum, qui sum. Qui est, misit me ad vos.* De qua manifestatione posteà loquens ait: *Ego Dominus, qui apparui Abraham, Isaac, & Iacob in Deo omnipoténte, & nomen meum Adonai non manifestavi eis.* Én nomen suum verum Deus Moysi aperuit, sed nihil de Personis. Nihil enim aliud est dicére: *Ego sum, qui sum*, quàm, Ego sum illa suprema substantia, quæ non ab alio suum esse mutuatur, sed illud habet à semetipsa. Undè Moyses in Lege: *Audi Israel, Dominus Deus noster, Deus unus est.* Ubi sola mentio de Dei unitate, nulla de Trinitate. Prætereà dubitandum non est, quin Fideles in Lege naturæ, ac scripta veram de Deo cognitionem à patribus per traditionem, & à Sacris libris per lectionem hauserint; cùm tamen tunc singulis necessaria non fuerit notitia Trinitatis, quæ ad summum in solis Ecclesiæ Capitibus conservabatur. Ergo nunc

Exod. 6. 3.

Deut. 6. 4.

Soar. de Fide. disp. 12. sect. 3. n. 10.

Digitized by Google

similis notitia sufficiet, ut vera Dei cognitio habeatur.

Vera est Dei cognitio, cùm cognoscitur tantùm, ut unus est.

8. *Abass.* Vera illa cognitio non videtur. Quia tunc vera rei cujusque cognitio datur, cùm ipsa videtur, sicuti est; Deus autem non tantùm unus est, sed etiam Trinus; ergo non videtur, sicuti est, cùm sola ejus unitas, non autem Trinitas cognoscitur. *Rom.* Si hæc Dei cognitio comprehensiva, vel clara esset, attingi non posset illius unitas, quin & Trinitas includeretur; Sed nulla Dei cognitio comprehensiva dari potest, Quia illa notitia est comprehensiva, quæ totam rem cognoscit, quantùm in se cognoscibilis est. Cùm verò Deus sit infinitè perfectus, & intelligibilis, à nullo intellectu limitato comprehendi potest. *Nam circumscriptionis genus*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *comprehensio est*. At quod infinitum est, nequit circumscriptionis terminis arctari. Nec illa cognitio clara est. Quia clara cognitio debet fieri per proprias rei cognitæ species, non per alienas; at Dei cognitio in hac vita, si ex Fide est, est ex revelatione: *per speculum, & in ænigmate*; Si est ex discursu philosophico, oritur ex aspectu, & consideratione creaturarum: *Invisibilia enim Dei à creatura mundi per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur.* Et: *A magnitudine speciei, & creaturæ cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* In cœlo quidem Beati non comprehensivam, sed claram Dei visionem consequentur; & tunc neque unitatem sine Trinitate, neque Trinitatem sine unitate poterunt contemplari. *Tunc enim videbimùs facie ad faciem*, ut ait Paulus; vel ut Joannes: *Videbimus eum sicuti est.* Videri autem sicuti est, & facie ad faciem non potest, nisi totus videatur. At totus non videtur, nisi Trinus, & unus videatur.

D. Gregor. Naz. Orat. 34.

1. Cor. 13. 12.

Rom. 1. 20.

Sap. 13. 5.

1. Cor. 13. 12.

1. Joan. 3. 2.

Mendax non est cognitio, cùm res non ex toto, sed ex parte cognoscitur.

9. *Abass.* Si cognitio, quæ in hac vita de Deo habetur, non est clara, neque comprehensiva, quo sub genere continetur? *Rom.* Cognitio Dei in hac vita, sive per Fidem, sivè per experientiam acquiratur, obscura est: obscura autem cognitio plerumque non rem totam, sed aliquam tantùm ipsius partem intuetur. Ideò Paulus: *Ex parte*, inquit, *cognoscimus, & ex parte prophetamus; cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est.* Qui ergo nunc divinam essentiam, unitatémque cognoscit, ex parte tantùm in Deum fertur, sed non ideò falsa illhæc est cognitio. Numquid dicèris montem non fuisse contemplatus, quia montem ab uno tantùm latere, non à tergo inspexisti? Numquid Salomonis originem ignorare arguêris, quia Salomonem Filium Davidis, nihil de matre sollicitus, appellasti? Mendax quidem esses, si illum Davidis, non autem Bethsabeë: aut Bethsabeë, non autem Davidis Filium vocitares. Cùm autem alterum parentem nominas, alterius vel oblitus, vel ignarus, nullum in mendacium corruisti. Sic qui unum Deum cognoscens, illum Trinum negaverit, vel unam tantùm personam, aut duas tantùm, aut plures tribus habere contenderit, falsitatis reus erit; non verò qui vel ex ignorantia, vel industria nihil de Trinitate cogitans, illius unitatem prædicaverit. Sic nobis licèt summam Dei simplicitatem in plures rationes justitiæ, misericordiæ, veritatis, aliorúmque attributorum dividere, quin labamur in mendacium, cùm de Deo, ut misericors est, non ut justus, cogitamus; vel cùm justum, non autem misericordem consideramus. Illi enim tantùm conceptui, quo misericordem esse, sed non justum: vel justum, sed non misericordem fateremur, falsitas inesset. Quæ doctrina est D. Thomæ, & D. Cyrilli.

1. 1. 1. 13. 1. 12.

10. *Abass.* D. Cyrilli, quæso locum indica, & verba propone. *Rom.* Libro undecimo Thesauri cap. 1. disputans contra eos, qui dicebant, hominum de Deo cognitionem falsam esse, quia non possunt illam, quam Deus de se ipso habet, notitiam adæquare, ità subdit: *Quomodò non est absurdum dicere: si non scimus aliquid, sicut is, qui optimè, verè, perfectéque scit, longè nos aberrare ab illius rei cognitione? Possumus enim minùs scire, quàm qui perfectè sciat, & tamen non aberrare. Scit aliquis, v. g. lunam eclipsari: Sed quâ ratione, ignorat. Alius, quomodò id lunæ accidat, & ubi, & quandò, maximè novit. Num igitur ille, qui solummodò lunam eclipsari novit, modum, & rationem ignorans, errare dicendus est? Item, qui acutè videt, & qui obtusiùs videt, similiter lunam eclipsari cognoscunt. Nec errat, qui obtusiùs videt; non enim alter, quàm ille, qui acutè videt, eclipsari lunam sentit. Si ergo possumus unam, & eamdem rem alii minùs, alii magis cognoscere, quid prohibet minùs nos homines, & quidem in infinitum minùs, Dei essentiam scire, quàm ipse se ipsum sciat, & tamen nullo errore implicari?* Hactenus D. Cyrillus. Ex cujus doctrina planum est, minùs de Deo illum scire, qui solùm novit illius unitatem, quàm illum, qui in Trinitatem mente collimat; sed non ideò falsam esse illius cognitionem.

Probatur ex sententia D. Cyril. lib. 11. Thes. cap. 1.

CAPUT II.

De distinctione horum nominum, Deus, & Deitas.

Dici potest Credo in unam Deitatem.

1. *Abass.* Tuis ex dictis assequor, cùm dico: *Credo in unum Deum*: posse me animo tendere in substantiam quamdam intelligentem, & à semetipsa infinitum esse habentem, licèt de Personis nihil cogitem; nunc quæro, an, sicut mihi fas est dicere: *Credo in unum Deum*, dicere permittatur: *Credo in unam Deitatem?* Id enim si conceditur, similiter dicam impunè: Deus natus est, & mortuus; ergo Divinitas nata est, & mortua; quod Romani summâ contentione denegatis. *Rom.* Ut dicas: *Credo in unum Deum, & in unam Deitatem*, tibi libenter indulgemus; ut addas, *Deus natus est, & mortuus; ergo nata, & mortua est Divinitas,*

Digitized by Google

Divinitas, seriò, & constanter inhibemus.

Omnis denominatio sumitur ab aliqua forma, vel quasi formæ. D. Hieron. apud D. Th. 3. p. q. 16. a. 8. in corp.

2. *Abass.* Quænam est istius ratio discriminis? Nostri sanè inter Deum, ac Divinitatem nihil interesse arbitrantur. *Rom.* Ad internoscenda nomina vigili opus est solertiâ; *Sæpe enim*, inquit D. Hieronymus, *ex inordinata ejusdem nominis prolatione hæresis incurritur.* Quod iis accidit, qui Deitatem natam, vel mortuam imperitè effutiunt. Sed ut istorum nominum differentiam meliùs percipias, adverte, plurimas esse in rerum naturâ formas, seu quasi formas; nec non & res, quæ eisdem formis afficiuntur, & ab iis denominantur; formas verò partim esse essentiales, partim accidentales; partim intrinsecas, partim extrinsecas; & plerumque simplices esse; aut si compositæ sunt, simplicem habere modum significandi, ideóque abstractis nominibus declarari, quale est Deitas, seu Divinitas; è contrariò res, quæ formas illas recipiunt, aut verè compositas esse, aut mente concipi, tamquàm compositas; & ideò concretis nominibus gaudere; in quo gradu est hoc nomen, Deus.

Quæ sint formæ essentiales, & accidentales.

D. Thom. 1. p. q. 76. a. 1. & 4. & q. 118. a. 3.

Aristotel. 1. Met. cap. 3.

Quæ formæ intrinsecæ, vel extrinsecæ.

3. *Abass.* Plurima in eamdem veluti telam adglomeraști; nunc oportet fila mihi singula evolvas; & in primis, quænam illæ sint formæ? Quæ essentiales, quæ accidentales, quæ intrinsecæ, quæ extrinsecæ? *Rom.* Illæ entitates, quæ subjectis, quibus insunt, aliquam perfectionem tribuunt, formæ dicuntur. Si autem primam perfectionem ipsis conferunt, per quam à rebus cæteris distinguuntur, formæ sunt essentiales; si autem adveniunt rebus in prima jam perfectione constitutis, formæ sunt accidentales; si verò subjectis ipsis inhærent, formæ sunt intrinsecæ; si verò aliis rebus inhæreant, sed aliquo modo res ab ipsis denominatas afficiant, formæ sunt extrinsecæ. Quod exemplis tibi manifestum evadet. Anima rationalis, sivè humanitas essentialis est forma hominis, quia est prima perfectio, quæ in homine consideratur, & ipsum à rebus omnibus secernit. Calor autem, & color accidentales hominis formæ sunt, quia illi adveniunt jam in esse hominis per humanitatem constituto: sunt tamen formæ intrinsecæ, quia in ipso recipiuntur. Aliquæ tamen sunt formæ, quæ in aliis subjectis intrinsecè insident, & alia extrinsecè denominant. Sicut cùm Petrus Paulum videt, vel diligit, visio, & dilectio intrinsecè sunt in Petro, extrinsecè verò in Paulo, quatenùs dicitur à Petro visus, vel dilectus. Atque ità illa visio, & dilectio respectu Pauli formæ sunt extrinsecæ, seu quasi formæ; quia cùm verè illius formæ non sint, instar verarum formarum à nobis concipiuntur.

Formæ simplices, quæ.

4. *Abass.* Rectè id quidem; sed quare formas illas simplices appellaști? *Rom.* Simplex dicitur, quasi sine duplicitate. Quare illud est simplex, quod ità in sua unitate sincerum est, ut nullas entitates, vel partes dissimilares in se habeat, quarum ratione aliud, & aliud dici possit; sed sibi in omnibus ità simile sit, ut nulla in re à semetipso dissentiat. Sic simplicia sunt, anima, lux, calor, color, & pleræque aliæ formæ; quia in anima, luce, calore & colore nihil est, quod non sit anima, lux, calor, & color. Secùs se res habet in compositis, quæ jam simplicia non sunt, sed habent aliud, & aliud. Nam in homine aliud est anima, aliud corpus: in aëre aliud aër, aliud lux; in ferro aliud ferrum, aliud calor; in corpore aliud corpus, aliud color. Ac proindè composita duplicia sunt, cùm præter suam peculiarem substantiam habeant formam, quâ afficiuntur, & à qua denominantur; formæ verò præter se ipsas nihil habent. Sunt tamen aliquæ formæ, quæ compositæ quidem sunt ex superioribus gradibus, sed simplicem habent significandi modum, quatenus ab ulteriori compositione inferiorum, sivè ab omni subjecto liberæ significantur. Talis est humanitas, quæ composita est ex animalitate, & rationalitate; sed illo nomine tamquàm simplex, & cum nullo inferiori, sivè subjecto implicita indicatur. Quod proprium est omnium formarum, quæ ideò abstractis nominibus significantur, sicut composita concretis.

Nomen abstractum, & concretum.

5. *Abass.* Quænam isthæc sunt nomina abstracta, & concreta? *Rom.* Nomen abstractum est, quod simplicem habet modum significandi; seu formam sine cujuslibet alterius rei admixtione significat. Ut anima, lux, calor, candor, & humanitas. Nam anima solam animam; lux solam lucem; calor solum calorem; candor solum candorem; humanitas solam humanam naturam, quasi in se ipsa subsistentem significat. Nomen concretum est, quod habet compositum significandi modum; ideſt, quod significat formam, quasi in habente, vel quasi adjacentem, sivè unitam alicui supposito, vel subjecto. Ut hæc nomina: animatus, lucidus, calidus, candidus, & homo. Nam animatus significat animam homini, sivè Petro adhærentem; lucidus lucem in aëre, vel crystallo; calidus calorem in ferro, vel in ligno; candidus candorem in papyro, vel in pariete; homo humanitatem in Petro, vel Paulo. Proindè nomen concretum duo significat; nempè formam, & subjectum formam habens; non quidem solitarium, sed cum omnibus, quæ ad ipsum spectant. At nomen abstractum nudam tantùm formam in se ipsa consideratam, nulli subjecto adnexam; imò tamquam avulsam, & per se subsistentem significat. Undè colliges, primò diversas omninò esse significationes nominis abstracti, & concreti, nec utrumque eidem rei posse applicari; cùm abstractum unam tantùm rem præcisam significet, concretum duas ad minimum sibi invicem cohærentes. Sicut ergo in numeris unitas differt à binario, nec de binario dici potest, quod de unitate: nec de unitate, quod de binario; sic de re per nomen abstractum significata dici non potest, quod significatur per nomen concretum, aut è converso. Si quandò autem Patres nomen

Nomen abstractum unam tantùm rem, concretum duas significat.

Digitized by Google

abstractum pro concreto, & concretum pro abstracto ponunt, non adeò propriè loquuntur, ut suis locis animadvertemus. Secundò colliges, naturalem, ac veram prædicationem solùm fieri per nomina concreta, cùm concretum de concreto affirmatur; non autem per abstractum, sivè abstractum de abstracto, sivè abstractum de concreto, sivè concretum de abstracto affirmetur; nisi forma sit adeò simplex vel per intellectûs abstractionem, vel per miraculum, vel ob naturæ suæ perfectionem, ut avulsa sit ab omni subjecto, & in se ipsa subsistens, ac proindè semper eadem omninò sivè per abstractum, sivè per concretum nomen significetur.

Naturalis prædicatio solùm fit per nomina concreta.

6. *Abass.* In Ægyptias tenebras iterùm incurrimus, quas dissipabis, cùm mihi ostendes, cur naturalis, & vera prædicatio solùm fiat per nomina concreta, cùm concretum de concreto affirmatur? *Rom.* Illa prædicatio est naturalis, in qua forma, seu quod se habet instar formæ, prædicatur de materia, sivè de subjecto. Sicut enim formæ subjectis perfectionem conferunt, sic etiam naturalem denominationem, si commodis nominibus (qualia sunt concreta, unionem connotantia) significantur. Illa autem vera est prædicatio, in qua ostenditur vera identitas, seu connexio, quæ inter prædicatum, & subjectum intercedit; seu inter duas res, de quibus agitur. Ut cum dicis: Homo est animal: Homo est rationalis; quæris illam identitatem, & vinculum, quod hominem cum animali, rationalique constringit. Illud autem, nomen concretum secum invehit, cùm significet formam tamquàm adjacentem, sivè cohærentem subjecto, de quo affirmatur. Hæc enim prædicatio: Homo est animal, vel rationalis, hunc sensum reddit; Animal, vel rationale est idem cum homine; vel, homo habet animalitatem, & rationalitatem. Tantam verò connexionem, & identitatem formæ cum subjecto nomen concretum infert, ut non solùm connotet subjectum, & dicat eam perfectionem, quæ propria est illius formæ, à qua ipsum derivatur, sed omnes alias, quæ in subjecto quavis ratione reperiantur; perfectionem quidem suæ formæ directè, & explicitè; cæteras autem signatè, & implicitè. Cùm enim dico: Homo est rationalis, directè, & explicitè homini tribuo formam rationalitatis, à qua derivatum fuit nomen rationalis, quod concretum est; sed confusè, & signatè eidem tribuo denominationes aliarum formarum, quæ in eo sunt, & cum eodem habent identitatem. Cùm enim sint illius propriæ, & ipse etiam nomine concreto unionem importante designetur, quandò homo nominatur, omnia, quæ sunt illius, vel idem cum illo, in arenam virtualiter inducuntur. Undè fit, ut prædicatio nominis concreti sit per modum totius, cùm per illam omnia, quæ sunt in subjecto, attingantur. Licèt enim animalitas, rationalitas, candor, & quævis forma partes sint hominis, non totus homo; cùm tamen dico: Homo est animal, rationalis, vel candidus; hæc prædicatio est per modum totius, quia connotat subjectum, quod totum est.

D. Thom. lib. de Ente, & essentia, cap. 1. & 2.

Nomen concretum significat omnia, quæ sunt in subjecto.

Prædicatio nominis concreti est per modum totius.

7. *Abass.* Optima quidem est concreti cum concreto comparatio; cur autem displicet collatio abstracti cum abstracto? *Rom.* Ob prædictam rationem. Cùm enim prædicationis scopus sit, ostendere connexionem, & identitatem prædicati cum subjecto per modum totius, abstractum nomen omnem identitatem, unionémque evertit; significat enim formam sine unione, & à rebus omnibus præcisam. & solùm ut partem remotam, quæ si toti uniatur, illud componere potest. Pars autem præcisa, ut cum toto, vel parte alia non unitur, ità neque de toto, vel de parte alia potest affirmari, ut cap. 11. num. 10. ostendendum; nam unio totum fundamentum est prædicationis. Ideò verum est dicere: Deus est homo; falsum autem, Divinitas est humanitas, vel humanitas Divinitas. Cùm enim dico: Deus est homo, significo, Deum unitum esse humanitati; cùm autem: Divinitas est humanitas, innuo Divinitatem secundùm præcisam sui rationem esse humanitatem, quasi per conversionem, aut consubstantialitatem; quod est omninò à veritate alienum.

Abstractum de abstracto prædicari non potest.

D. Thom. ubi suprà.

D. Thom. 3. P. q. 16. a. 1. 2.

8. *Abass.* Vera igitur erit abstracti de concreto, vel concreti de abstracto prædicatio, cùm nomen concretum semper secum invehat unionem. *Rom.* Unionem, quam nomen concretum infert, illicò tollit cum eodem concurrens abstractum, quod semper suam præcisionem, & rationem pactis in re significata conservat. Affirmare verò unum de altero, esset dicere, utrumque esse idem; ac proindè idem esse totum, ac partem; formam, & subjectum; rem contractam, & abstractam; quod omninò falsum est. Ut si dixeris: Petrus est dextera; Homo est anima; vel, anima est homo; contendes, Petrum totum esse dexteram; & animam, quæ pars est hominis, esse totum hominem; & formam esse totum subjectum; cùm forma tantùm se ipsam contineat; subjectum verò ipsam formam, & cætera, quæ in re singulari reperiuntur. Quis ergo negabit, subjectum tot rerum concursu multiplex redditum, differre à sola forma, & formam à subjecto?

Nec abstractum de concreto, nec concretum de abstracto prædicari potest.

9. *Abass.* Te jam ab aliis nominibus ad Deum, Deitatémque converte. *Rom.* Sicut aliis rebus diversæ formæ diversa nomina inferunt, sic Divinitas essentialis forma est, quæ Deo nomen imponit. Nec mireris, quòd Divinitatem Dei formam nuncupem; auctorem enim habeo D. Paulum de Christo sic dicentem: *Qui cùm in forma Dei esset*; D. Athanaeus: *Una*, inquit, *forma est Deitatis, quæ est etiam in Verbo.* Et alibi: *Pater, & Filius formam unam, & eamdem ex se reddunt.* D. Basilius lib. 1. contra Eunomium, ex quo sumptum est primum ipsius fragmentum Haymanot Abbau: *Quod dicitur in forma Dei esse, æquum ei, quod est in substantia Dei, esse asserо.* Et infrà. *Cùm in Dei forma esse dicat, divinæ substantiæ illi profectò*

Divinitas Dei forma est.

Philip. 2. 6. D. Athanas. serm. 4. contra Arian. & lib. cont. gregal. Sabellii. D. Basil. lib. 1. & 4. contra Eun. P. 1. n. 1. Idem lib. 4.

Digitized by Google

Forma, & substantia in Deo idem sunt. D. Ambros. lib. 7. Epist. 47. & lib. 5. de Fide, c. 3.

profectò attestatur proprietatem. Et lib. 4: *Quod in forma Dei est, in substantia Dei est, (non enim aliud forma, aliud substantia Dei est, ne sit compositus) qui ergo in forma æqualis est, in substantia æqualis est.* D. Aforosius: *Quid est in forma Dei, nisi in natura Dei? In plenitudine Divinitatis: In illa perfectionis divinæ expressione.* Nomen ergo Divinitatis abstractum est, nomen Dei concretum. Ideò non potes dicere de Deo, quidquid dicis de Divinitate; nec de Divinitate, quidquid de Deo affirmas.

Nomen Divinitatis abstractum; Dei concretum.

Si forma sit adeò simplex, ut ipsa sit, quod habetur, & quod habet, idem significatur nomine concreto, quod abstracto.

10. *Abaff.* Tua tecum verba belligerant; principio enim hujus capitis concessisti, dici posse: *Credo in unum Deum:* & *Credo in unam Deitatem.* Ergo quidquid dicitur de Deo, dici potest de Deitate. *Rom.* Longiùs me cogis, quàm destinaveram, argutulis hisce cavillationibus evagari; quarum solutioni superiùs n. 5. ultimis verbis fundamentum præjeci, cùm dixi, tantam esse, posse in aliqua forma simplicitatem sivè per abstractionem intellectûs, sivè per Dei miraculum, sivè ob naturæ perfectionem, ut avulsa sit ab omni subjecto, & in se ipsa subsistens; ac proindè eadem omninò sivè per abstractum, sivè per concretum nomen significetur.

In substantiis communibus idem significat nomen abstractum, & concretum. Fonseca to. 3. Met. in cap. 6. q. un. sect. 3. §. Verùm. & tom. 2. in lib. 5. q. 13 sect. 2. & 5.

11. *Abaff.* Quænam formæ sunt adeò simplices per abstractionem intellectûs, ut eædem sint omninò, sivè per abstractum, sivè per concretum nomen significentur? *Rom.* Naturæ universales, & accidentia. Si enim substantias universales ab omnibus suppositis abstrahas, eásque in se ipsis positas consideres, semper eamdem rem sine ullo extrinseco additamento declarabis, sivè illam abstracto, sivè concreto nomine enuncies; sed differentia tantùm erit in modo significandi; quatenus intellectus (cui nullum jus subest ad invertendas rerum naturas) eamdem substantiam, nunc ut avulsam ab omnibus particularibus, nunc sibi ipsi insistentem architectatur. Tunc enim idem erit animal, & animalitas: homo, & humanitas. Idem accidit in accidentium nominibus, si illa ab omnibus subjectis cogitatione separaveris, & in se ipsis constituetis. Tunc enim idem erit album, & albedo; frigidum & frigus; calidum, & calor; nempè idem accidens, diverso tantùm modo consideratum.

Idem accidit in nominibus accidentiũ abstractorum per intellectum ab omni subjecto. Fonseca. ibidem.

12. *Abaff.* Quibus formis id conceditur per miraculum? *Rom.* Continuo id miraculo in Eucharisticis accidentibus exhibetur; quæ à panis substantia separata sunt, & sibi ipsis inhærent. Et nunc dicimus, in hostia esse candorem, & saporem; nunc hostiam esse candidam, & suavem. Quæ denominatio non cadit in panem; qui nullus ibi est, cùm in Christi corpus conversus fuerit; sed in ipsa accidentia, quæ eadem sunt sivè abstractis, sivè concretis nominibus efferantur. Lucem etiam à Deo primâ die extra subjectum conditam, & ità ad quartam, cùm soli affixa fuit, conservatam D. Justinus, Basilius, Nazianzenus, & Theodoretus sentiunt. Lucis ergo nomen abstractum est, quod solitarium perspicuæ illius formæ naturam significat, sed cùm sol creatus est, & ipsâ convestitus, lucidus est dictus; quod nomen concretum est, nec jam solam lucem, solémque significat. Per illud verò quatriduum, in quo lux extra subjectum permansit, orbem ipsa solis instar illuminavit; tunc verò, & lux, & lucida dici poterat. Lux, quatenùs abstracta à sole; lucida, quatenùs in se ipsa; tamquàm in subjecto residebat. Cùm enim sit forma simplex, rectè subjectum sui ipsius esse fingitur. Tunc ergo rectè dici potest de lucido, quod de luce; & de luce, quod de lucido diceretur; cùm eadem res omninò sit diverso modo significata.

Idem in luce, cùm primùm à Deo condita est. D. Justin. de confes. Fid. D. Greg. Naz. Orat. In novam Dominic. D. Basil. Orat. 6. in Exham. Theodoret. in Genes. q. 14.

13. *Abaff.* Estne aliqua forma, cui id ob naturæ suæ perfectionem debeatur? *Rom.* Illa est Divinitas, quæ lucem simplicitate longè antecellit. Undè D. Paulus de Deo: *Lucem,* inquit, *habitat inaccessibilem*; & in se ipsa tribus Personis communicabilis subsistit. Si ergo sub Dei nomine nullam personam intellexeris (quod fieri posse, præcedenti capite ostendi) tunc Dei & Divinitatis nomina idem omninò significant, & in solo significandi modo differunt; quatenùs Divinitas significat divinam essentiam à Personis abstractam; Dei nomen eamdem in semetipsa subsistentem. Meritò enim dixit antiquissimus Theologus Severinus Boëtius, *Hoc esse proprium Dei, quod in ipso habens, sit id, quod habetur.* Ideò, Deus, qui hoc nomine concreto, tamquàm habens Divinitatem significatur, est eadem Divinitas, quæ habetur. Quin etiam D. Hilarius: *Non,* inquit, *humano modo Deus ex compositis est, ut in eo aliud sit, quod ab eo habetur; aliud ipse, qui habet.* Et Concilium Rhemense sanxit, illam propositionem: *Deus est Deitas:* &, *Deitas est Deus,* ità esse veram, ut in nullo sensu Catholico negari possit. Sacræ etiam litteræ nunc Deum concretis nominibus designant, vocantes verum, bonum, sapientem, justum, misericordem, æternum, viventem; nunc abstractis, dicentes veritatem, bonitatem, sapientiam, justitiam, misericordiam, æternitatem, vitam. Imò docent multi Patres, tantam esse Dei simplicitatem, ut aptiùs abstractis, quàm concretis nominibus explicetur. Undè D. Bernardus: *Non est formatus Deus, sed forma; non est affectus Deus, affectio est; verius veritas, quam verus.* Hinc est, quòd superiùs dixerim, efferri posse: *Credo in unum Deum*; Et: *Credo in unam Deitatem.* Quia duo hæc nomina, quatenùs solam essentiam concernunt, nihil aliud significant, quàm solam Dei formam diverso modo à nobis intellectam; nunc quasi separatam, nunc quasi in se ipsa recumbentem; cùm nihil uno nomine indicetur, quod non alio contineatur; Et modus ille compositionis, qui nomine concreto innuitur, nullius imperfectionis divinæ, sed solius nostræ index est. Ob quam illammet substantiam, quæ summè simplex est, & omni concretione vacat, non possumus absque umbra compositionis intelligere. Ea tamen imperfectio in nostro conceptu sistit, nec ad Deum transfunditur, cui non humanæ cogitationis imperfectio, sed realis, ac sincera ingenitæ Divinitatis forma assistit.

Dei nomen, cùm solam naturã significat, idem significat, quod Divinitas. 1. Tim. 6. 16.

Deus est, quod habet, & quod habetur. Boët. lib. de Trinit. D. Thom. lib. de Ente, & essent. cap. 5. D. Hilar. lib. 8. de Trin. Concil. Rhemense ann. 1148.

Dei naturã melius abstractis, quàm concretis nominibus significatur. D. Bernard. lib. 5. de Consider. D. Thom. 1. p. q. 3. a. 3. & q. 39. a. 6. & 3. p. q. 17. a. 1.

14. *Abaff.* Libenter admitto, dici posse: *Credo in unum Deum*: Et: *Credo in unam Deitatem*; *Deus est Deitas*; Et: *Deitas est Deus*; *Deus*

Soar. lib. 1. de Deo, ut unus est, cap. 14. n. 5.

Cùm dicitur, Deus mortuus est, ergo Divi-

nitas mortua est, nomen Dei nō habet eamdem significationem, quam nomē Divinitatis.

Deus est sapiens, Et: *Deus est sapientia*; *Deitas est sapiens*. Et: *Deitas est sapientia*. Sed his datis, impingimus in lapidem offensionis totius Æthiopiæ; cùm posito, quòd dicatur: *Deus natus est*, *Deus mortuus est*, toto conatu dicendum contendit: *Ergo Divinitas nata est, & mortua? Rom.* Si cùm dicimus: *Deus natus est*, Et: *mortuus*, Dei nomen eamdem suppositionem haberet, quam, cùm dicimus: *Deus est Deitas*; *Deus est sapiens*; *Deus est sapientia*; *Credo in unum Deum*; Et: *Credo in unum Deitatem*, jure illam consequentiam, & confessionem à nobis extorquere tui Æthiopes possent; sed longè diversa est suppositio.

Quia Dei nomen habet significationem personalē, Divinitatis simplicem.

Nam cùm dicimus: *Credo in unum Deum*, & in cæteris, Dei nomen habet simplicem significationem; supponit enim pro essentia præcisa à Personis; quam significationem etiam habet nomen abstractum Divinitatis. Undè fit, ut quidquid altero istorum nomine significetur, altero etiam includatur; ac proindè dici possit: *Deus est Deitas*; *Credo in Deum*; Et: *Credo in Deitatem*. Idem tamen nomen in illis propositionibus: *Deus natus est*, *Deus mortuus est*, non pro essentia supponit, sed pro Persona Verbi divini, quæ nata est, ac mortua. Persona verò aliud est, aliud essentia; non quòd essentia divina separari possit à Personis; vel Personæ ab essentia; sed quòd alia ratio sit essentiæ, alia Personæ. Essentia enim suum esse, & distinctionem sumit à forma substantiali, quæ est Divinitas; Personæ ab aliis formis, ideſt, à suis proprietatibus. Undè dixit D. Augustinus: *Patrem non esse Patrem, quà Deus est.* Et D. Anselmus: *Aliud est Deum esse, aliud Patrem esse.* Similiter Filius aliundè Deus est, aliundè Filius. Deus enim est ab essentia divina, Filius à proprietate filiationis. Si ergo dixero: *Deus natus est, ergo Divinitas nata est*, duas illas rationes, quæ inter se differunt, confundo, & innuo, idem esse Personam Filii, ac Divinitatem; cùm Divinitatis nomen semper simplex sit, & unius Divinitatis significativum; Dei verò nomen concretum, & Personam ex essentia, & proprietate compositam demonstrans.

D. August. 7. de Trinit cap. 4.
D. Anselm. lib. de Incar. cap. 2.

Concretum nomen duplicem habet suppositionem; alteram simplicem, alteram personalem.

15. *Abaſſ.* Quidnam sunt illæ suppositiones, quas proximè insinuasti: simplex, & personalis? *Rom.* Hoc si plenè intellexeris, pluribus te difficultatibus exolvisti. Abstractum nomen, ut sæpè prænonui, unam tantùm habet suppositionem, eámque simplicem (supponere verò nomen dicitur, cùm in oratione ponitur loco rei, quam immediatè significat) semper enim sumitur pro nuda forma, quin nulli rei alii connexa intelligatur. At nomen concretum plures suppositiones admittit; quibus omissis, duas tantùm huic instituto utiles persequemur. Prima suppositio dicitur simplex, ac præcisa: quam habet nomen concretum commune, cùm sumitur pro suo immediato significato, ad quod exprimendum primariò impositum fuit, si forma tantùm in se ipsa, & ab omnibus particularibus, sivè subjectis abstracta consideretur. Hanc suppositionem habet nomen Homo, cùm dicimus: Homo est species animalis; homo est quid commune; homo plures homines sub se continet. Nam in omnibus hisce propositionibus nomen istud significat naturam humanam in se ipsa, ad quam significandam primariò invectum fuit. Personalem suppositionem habet nomen concretum, cùm jam non pro naturâ communi sumitur, sed pro aliquo supposito; vel persona naturæ illi subjecta, ut si dicas: *Homo de terra Hus*, pro Job; *Homo Bethlehemites*, pro David; *Homo Sapiens*, pro Salomone. *Vir dolorum*, pro Christo; *Homo peccati*, pro Antichristo. In his enim propositionibus Hominis nomen non communem omnibus hominibus naturam, sed unum tantùm, designatúmque hominem, sivè personam significat. Sed ad errores in harum suppositionum usu vitandos, duas oportet regulas observes.

Iob. 1. t. 2. *Reg.* 21. 13 *Isai.* 53. 8. 2. *Thes.* 2. 3.

16. *Abaſſ.* A tuis regulis nec transversum ungvem discedere connitar. *Rom.* Prima est. Nullum nomen, quod habet suppositionem simplicem, potest simul habere personalem; nec ullum, quod habeat personalem, simul simplicem habere potest. Causa est; quia suppositio simplex rem significatam à quibusvis aliis præscindit; personalis illam uni, vel pluribus personis astringit; implicat verò simul eamdem rem esse præcisam, & contractam: liberam, & alicui addictam. Secunda est. Nomen eodem modo supponere debere in consequenti, quo suppositit in antecedenti; nec transeundem esse à suppositione simplici in personalem, neque à personali in simplicem; sed in ea persistendum, à qua fuerit inchoatum. Ubi enim datur saltus, illicò & præceps in errorem lapsus. Quia aliam rem significat idem nomen in suppositione simplici, aliam in personali. Si ergo dicam: Hic homo (Petrum designans) moritur; ergo homo, ideſt, species animalis, vel homo communis moritur, in errorem impegi; quia à suppositione personali temerè ad simplicem pervolavi. Si iterùm dicam: Homo est species animalis, vel homo est communis multis; Ergo hic homo (Petrus scilicet) est communis multis; in simile barathrum me dejeci; quia suppositionem simplicem cum personali commutavi.

Idem nomē non potest simul habere suppositionem simplicem, & personalem.

Idem nomē in eadem oratione eamdem suppositionem conservare debet.

17. *Abaſſ.* Concurrúntne in Dei nomine duæ illæ suppositiones? *Rom.* Dei quidem nomen, si in sola ipsius natura sistamus, non est commune nomen (quod habere solet duas illas suppositiones) sed singulare. Undè Sapiens illud dixit *nomen incommunicabile*; quia non est, nec esse potest alius Deus præter ipsum. Sed collatum cum tribus Personis, commune dici potest. Ergo, cùm solam divinam naturam præcisam à Personis significat (ut illam hoc libro consideramus) simplex significatum, & suppositionem habet; relatum verò ad Personas, personalem. Nam nomen concretum significat formam velut in habente; Personæ autem habent in se divinam naturam. Cùm verò illam habeant omnes, ac singulæ, Dei nomen aliquandò supponit pro tribus Personis; aliquandò pro duabus;

Dei nomen respectu naturæ, singulare est, respectu Personarum commune. *Sap.* 14. 21.

D. Thom. 1. P. q. 39. a. 4.
D. Joan. Damasc. lib. 3. fidei orthod. c. 4.

Digitized by Google

duabus ; aliquandò pro una tantùm. Quod dignoscendum est ex diversitate prædicationum, quarum aliquæ tribus, aliquæ duabus, aliquæ uni tantùm competunt.

Dei nomen aliquandò unam tantùm Personam significat; aliquandò duas; aliquandò tres.

18. *Abass.* Exemplis hanc diversitatem comprobato. *Pam.* Cùm dicimus : Deus creat, Deus sanctificat, Deus glorificat, & alia, quæ pertinent ad operationes Dei ad extra, Dei nomen non supponit pro essentia communi tantùm; quia dum præcisa est, nullam dicitur habere operationem, sed supponit pro illa, ut est in Personis, quibus communes sunt omnes operationes ad extra : Omnia enim Trinitatis opera ad extra sunt indivisa. Pro duabus verò Personis supponit idem nomen, cùm aliquid significatur, quod duabus commune esse potest. Ut cùm dicimus : Deus est spirator, spiratoris nomen pro Patre, & Filio supponit; quia Pater, & Filius unum principium sunt Spiritus Sancti. Sic, cùm dicimus : Deus procedit, vel est procedens, intelligimus Dei nomine Filium, & Spiritum Sanctum, quia ambo procedunt; alter per intellectum, alter per voluntatem. Pro una verò Persona supponit, quandò affirmatur aliqua proprietas notionalis, quæ unius tantùm Personæ est propria. Ut, cùm dicimus: Deus est ingenitus; Deus generat; Deus misit filium suum in mundum, Patris Persona intelligitur. Filii verò persona, cùm dicimus : Deus est imago ; Deus est sapientia genita ; Deus homo factus est. Tandem Spiritus sanctus intelligitur, cùm dicimus : Deus est amor ; Deus est donum ; Deus apparuit in specie columbæ ; Deus descendit in linguis igneis. In quibus omnibus propositionibus multiplices errores contingent, si ab una suppositione personali in aliam ; vel à personali in simplicem transeamus. Quod eveniet, quoties à nomine concreto in abstractum, vel ab abstracto in concretum digrediemur. Si enim dixeris : Deus generat ; Filius est Deus ; ergo Deus, (Filium intelligendo) generat. Dei enim nomen in antecedenti Patrem, in consequenti Filium denotat, atque ità fit saltus à persona in personam. Si autem dicas : Deus generat ; ergo Deitas generat, à suppositione personali in simplicem transcurristi. Nam Dei nomen in antecedenti Patris Personam innuit; nomen Deitatis, quod semper simplicem significationem habet, divinam naturam. Si autem fas esset dici : Deus generat, ergo Divinitas generat, dici quoque liceret : Deus generatur, ergo Divinitas generatur ; atque ità in eadem simplici Dei natura contradictoria vera essent ; nempè ; Divinitas generatur, & Divinitas non generatur ; eadémque Dei natura esset genita, & ingenita. Quod si concederetur, concedendum quoque esset, tres Personas Trinitatis simul esse genitas, & ingenitas; quia simul genitam, & ingenitam substantiam haberent. Prætereà non tres, sed sex ponendæ essent in Deo Personæ. Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, & divina natura, quæ Trinitatem aliam constituetet ; generare enim, & generari non posset, nisi duplicem personam haberet. Sicut Pater una Persona est, quia generat ; Filius altera, quia generatur ; & consequenter dicendum esset de Spiritu Sancto : Deus procedit, ergo Divinitas procedit ; atque ita Divinitas procedens, sexta persona esset. Vide, quot hæresum monstra significationis nominum ignoratio parturiat.

Cùm dicitur, Deus natus est, vel mortuus, Dei nomen supponit pro Filio.

19. *Abass.* Quæ dicta sunt, illi propositioni applicato, de qua summa nobis lis est : *Deus est natus, & mortuus ; ergo Divinitas nata est, & mortua. Rom. Cùm hìc dicimus, Deus natus est, vel mortuus*, Dei nomen non habet suppositionem simplicem ; neque enim natus ; vel mortuus est Deus, ut præcisus à tribus Personis. Nec rursus habet eam suppositionem personalem, per quam tres Personæ significantur ; quia una tantùm Persona nata est, & mortua. Ea verò nec Pater fuit, nec Spiritus, sed solus Filius, seu Christus, sicut docet D. Paulus : *Christus pro nobis mortuus est.* Et D. Petrus : *Christus semel pro peccatis nostris mortuus est.* Cùm ergo dico : *Deus natus est, & mortuus*, Dei nomen habet significationem personalem. Cùm autem dico : *Ergo Divinitas nata est*, vel, *mortua* ; muto suppositionem, & à personali in simplicem, quasi in medias syrtes vela tendo. Si autem mihi non licet dicere : Deus (id est Verbum) generatur, ergo Divinitas generatur ; multò minùs licebit dicere : *Deus natus est ; ergo nata est Divinitas : Deus mortuus est ; ergo mortua est Divinitas*, quia magis differt Divinitas à Deo, ut Christus est : quàm ab ipso, ut Verbum est. Nam Verbum præter Divinitatem nihil aliud habet, quàm proprietatem personalem, Christus autem & proprietatem personalem Verbi, & humanitatem, & omnia, quæ ipsam concomitantur. Ergo dici non potest, Divinitatem natam esse, vel mortuam. Quomodò autem verum sit, Deum natum esse, & mortuum, cùm Verbum in sua substantia nec natum sit, nec mortuum, libro sexto, cap. 4. & 8. dicemus.

Rom. 5. 9. 1. *Pet.* 3. 18.

Cùm dicitur, Divinitas mortua est, vel nata, nomen Divinitatis pro Filio supponere non potest.

CAPUT III.

Deum esse, naturalibus rationibus ostenditur.

Deum esse, primus est Fidei gradus. *Hebr.* 11. 6.

1. *Abass.* A prælibata divini nominis significatione ad uberiorem significati cognitionem accedamus. *Rom.* Accessum nobis D. Paulus ostendit illis verbis : *Credere oportet accedentem ad Deum, quia est.* Ergo Deum esse, primus est Fidei gradus, non alterius scientiæ, sed ipsius Fidei lumine, & dolabrâ dedolandus. Reliquæ enim scientiæ subjectum suum non probant, sed ab aliis probatum assumunt, sola sibi Fides sui subjecti probationem munit, quin vel humanæ testificationi,

Digitized by Google

tioni, vel naturalis luminis illustrationi, sed solius Dei assertioni innitatur.

Vtilis etiam est naturalis de Deo scientia.

2. *Abass.* Primo capite Philosophorum de Deo notitiam collaudasti, & à D. Paulo, imò, ab ipso Deo commendatam protulisti; quid nunc palinodiam recantas, & videris eamdem condemnare? *Rom.* Eamdem notitiam nunc approbo, sed illam intra suam se continere sphæram jubeo, cùm inefficax sit ad æternam salutem adipiscendam: Neque enim D. Paulus dixit: *Oportet accedentem ad Deum* scire, sed *credere, quia est*; quia sola Fides supernaturalis plena est, naturalis scientia insufficiens. Non est tamen inutilis, nec explodenda, cùm ad firmandum intellectum in divinæ substantiæ cognitione validissima sit, ob quatuor rationes, quæ à naturali rationis excursu vires desumunt.

Heb. 11. 6.

Deum esse, quatuor rationibus naturalibus probandum.

Nullum singulare in mundo est, quod à se ipso esse habuerit, nec ab alio acceperi.

3. *Abass.* Quænam prima est ratio? *Rom.* Quidquid oculis in hac mundi molitione usurpamus, singulare est, nec à se ipso esse habens, sed ab alio priori acceptum possidens. Quod inductione patebit, si quodvis humanæ, vel belluinæ speciei, vel alterius individuum lustraveris. Hic enim homo, quem digito designamus, ab alio natus est, & ille ab alio, donec in Adamum perveniamus. Hic equus ab alio equo; hic leo ab alio leone progenitus est, donec in primum aliquem ordine retrogrado incedentes incurramus. Nec enim possumus infiniti conquisitione fatigari, sed in ipsis mundi cunabulis sistendum. Licèt autem mundus, & ipsius generationes principio carerent, & ab æterno essent (quod Fides minimè admittit) homo tamen, leo, equus, & res cæteræ non aliam, quàm nunc habent, naturam essent sortituræ. Neque enim Adamus alter esset, si centies mille annis priùs à Deo crearetur; aut nunc naturali generatione ederetur. Modus enim, & tempus generationem non immutant. Ut ergo iste equus, quem præsentem intueris, & indice defigis, à se ipso editus non fuit, nec esse à se ipso induit, sed à generante suscepit; sic quivis alius, quem mente priorem expresserimus, cùm ejusdem naturæ sit, illam sibi non affinxit, sed ab alio anteriori mutuatus est; quidquid enim generatur, aut efficitur, generante, & efficiente posterius est. Si verò temerè asseruerimus, hunc equum sui sibi esse auctorem fuisse, necessariò addendum, ipsum esse habuisse antequàm haberet, & fuisse priusquàm esset. Quibus nihil potest absurdius excogitari.

Ipsæ quoque rerum species à se ipsis esse non habent.

4. *Abass.* Dicet quispiam: Esto singularia à semetipsis esse non hauserint, ut hic equus, & hic leo; tamen equi, & leonis species (& idem de cæteris) hausisse. *Rom.* Quod de singularibus dictum est, speciebus ascribendum. Neque enim in ipsis est sui esse scaturigo, sed ab individuis dimanat; cùm seorsim, ac separatæ non existant, sed in singularibus. Hominis enim species per se non subsistit, sed in hoc, & in illo individuo; quibus viventibus, vivit: & morientibus, extinguitur. Ut ergo hic homo, hic equus, hic leo esse à semetipsis non nanciscuntur, ità neque ipsorum species; cùm unum, idémque sit esse specierum, & individuorum. Necesse est igitur fateri, esse causam aliquam primam, à semetipsa esse habentem, quæ illud omnibus speciebus, & individuis illius expertibus impendit, & primam hanc causam non posse ejusdem esse naturæ cum rebus, quibus esse impertitur. Si enim par illis esset, nec à semetipsa esse haberet, nec illud rebus aliis conferret.

Ergo danda est aliqua causa, quæ speciebus, & singularibus esse contulerit.

Nec cœlum, nec alia causa inferior speciebus, & singularibus, quæ sunt in orbe, esse conferre possunt.

5. *Abass.* Respondebit alius: Primam hanc omnium rerum corporearum causam esse cœlum, quod dissimilem à sublunaribus essentiam sortitur. *Rom.* Quamvis cœlum diversam à rebus sublunaribus naturam sibi vendicet, multisque virtutibus, quibus illæ carent, sit instructum, perfectum animal (qualia sunt equus, & leo) educere non potest, & multò minùs hominem, animâ spirituali, & intellectuali adornatum. Si verò cœlum primæ causæ dignitatem non attingit, à fortiori res quælibet corporea, & illo inferior ad illam non aspirabit; quod enim validioris vires superat, quomodò poterit ab imbecilliori expugnari? Præterea res omnes corporales circumscriptæ sunt, & certis quibusdam actionibus, & effectibus addictæ. Sol enim calefacere tantùm potest, & illuminare; non frigefacere, neque tenebras inducere. Leo leonem gignit, non equum, aut elephantum, & sic de aliis. Cum ergo in rebus corporalibus plurima diversarum specierum individua contemplamur, ad illa in hoc mundi theatrum inducenda opus est, ad primam aliquam causam, cunctis superiorem, & valentiorem provocare. Prima illa causa, Deus est, quem indagamus.

Prima omnium causa Deus est.

Materiæ primæ inertia, & imperfectio.

6. *Abass.* Quænam secunda est ratio. *Rom.* Res omnes corporeæ, quæ hoc in orbe in aspectum cadunt, primam in se materiam includunt. Est verò materia primum illarum subjectum, quod agentis creati effectioni supponitur, è cujus capaci vulva formæ educuntur, & gremio conquiescunt. Quam Philosophi, ac Patres adeò imperfectam censent, ut ad nihil quàm proximè accedere affirment. Nulla enim ex se agendi virtute concitatur, sed in summa inertia, & pura tantùm potentia ad quascumque formas, quas in se quodvis agens creatum induxerit, excipiendas patienter obdormiscit. Postquàm verò semel à Deo creata fuit, solitaria esse non potest, sed semper alicui se formæ pertinaciter adstringit, quâ sublatâ, aliam mirâ rivalitate consectatur. Undè probatur, materiam primam esse à se ipsa non habere, sed partim à forma, partim ab extrinseco agente. Præterea esse à se habere, summa perfectio est; perfectio verò nulla est sine operatione, agendique facultate, quâ vacare materiam ostendimus. Cùm ergo materia imperfecta sit, nec sui esse, aut ullius operationis fontem in se ipsa agnoscat, planum est, quodcumque esse habeat, à peregrino agente mutuatam. Si mutuata est, quæro, quo canali?

Sunt

Sunt enim duo; alter generationis, alter creationis.

Omnis generatio subjectum præsupponit.

7. *Abass.* Quid obstat, ne dicatur, materiam suum esse generationis viâ fœneratam? *Rom.* Nulla generatio fingi potest, nisi ipsam subjectum aliquod, à quo velut à radice decerpatur res generanda, antecedat: sicut herbarum, fruticum, atque arborum generatio semen supponit, quod priùs terræ gremio exceptum, atque fotum in folia, ramos, & fructus adolescit. Pullus etiam in animantibus, & filius in hominibus ex paterno semine, quod ipso prius est, erumpit. Si ergo materia gigneretur, non ipsa primum subjectum esset, sed illud, ex quo ipsa educeretur.

Materia generari non potuit, sed creari.

8. *Abass.* Ex dictis satis dilucidè colligitur, primum subjectum, sivè materiam gigni non potuisse, sed creari. *Rom.* Rectè quidem. Nam creatio, ut ostendemus lib. 4. cap. 1. est productio ex nihilo, sivè ex nullo præsuppositio subjecto. Si ergo ante materiæ creationem nullum aliud subjectum præintelligitur, ipsa primi subjecti nomenclaturam non amittit. Si verò materia suum esse per creationem vendicavit, à nulla corporali causa illud accepit. Nulla enim causa corporalis operari potest absque subjecto, à quo, & in quo suæ fabricæ cæmenta auspicetur; sicut figulus testam absque luto, & area: faber ferrarius absque ferro, & incude gladium effingere non potest. Lutum verò, testâ, & ferrum gladio prius est. Ex alio etiam principio probatur, materiam à nulla causa corporali creari potuisse; quod tale est. Nulla res in aliam agere potest, nisi simul sit cum ipsa. Cùm verò materia totius orbis molem occupet, causa ipsius effectrix illi debebat toto in orbe assidere; quod præstare non posset, si corporalis esset, ne dicamus, duo corpora ejusdem loci ambitu contineri, quod natura minimè concedit. Dici ergo oportet, causam materiæ creatricem esse spiritualem, quæ idcircò illi assistere, eámque ubique conservare possit; sicut animæ rationales, eò quòd sint intelligibiles, & insectiles, eisdem locis excubant, quibus corpora describuntur.

Nulla causa corporalis creare potest.

Deus est causa spiritualis, materiæ creatrix.

9. *Abass.* Inficiari nemo jure queat, causam materiæ creatricem esse debere spiritualem. *Rom.* Causa illa spiritualis, & materiæ conditrix, qualiscumque illa sit, ille Deus est, cujus inquisitione laboramus. Quem ideò Philosophi metaphoricè mundi animam nuncupaverunt; sicut enim anima totum corpus, & quamcumque illius partem vegetat, sic illi opinabantur, *Deum ire per omnes terrásque, tractúsque maris, cœlúmque profundum*; nec ab ullo loco abesse ob spiritualem subtilitatem, quam Sapiens dixit munditiem, quasi à materiæ fœcibus immunitatem. *Attingit*, inquit, *ubique propter suam munditiem.* Quæ verba innuunt, Dei spiritualitatem causam esse, ut ipse sit ubique. Est autem longè diverso modo, quàm anima in corpore, vel materia in mundo. Anima enim sic corpus vegetat, ut ab illo dependeat, & unum compositum cum illo efficiat. Deus autem à mundo non dependet, sed mundus à Deo, tanquàm cœlum ab Intelligentia motrice, & currus ab auriga. Materia verò licèt tota sit in mundo, non est tota in qualibet ipsius parte, sed hæc pars isthic, illa alibi reperitur. Cùm enim omnes sint corporales, eodem loco claudi nequeunt, sed quælibet aliam à loco proprio exturbat; ut videre est in humani corporis membris, quæ ejusdem loci consortium non admittunt. Deus autem totus est in toto mundo, totáque materia; & totus in qualibet ipsius parte.

Virg. lib. 4. Georg.

Sap. 7. 24.

Aliter Deus est in toto mundo, aliter materia.

Angeli, & animæ rationales à sola causa spirituali creari potuerunt.

10. *Abass.* Tertiam adjice rationem. *Rom.* Universis rebus, quas non solùm Fide, sed vel sensu, vel conjecturâ assequimur, nobilitate præstant mentes Angelicæ, atque humanæ; eò quòd sint materiæ expertes, ideóque spirituales, ac rationales. Cùm verò tales sint, suum esse non aliâ possunt, quàm viâ creationis haurire. Necessum igitur est, causam aliquam ad creandum sufficientem assignare; quæ corporalis esse non potest; cùm corporales causæ citra subjecti thorum operari nequeant, creatio verò illius cervicalia non requirat. Prætereà causæ corporeæ corporeis etiam effectibus adstrictæ, spiritualium substantiarum effectionem attingere non valent. Ergo creatrix ipsarum causa spiritualis, & omnipotens esse debet. Ea verò Deus ille est, in cujus inquisitione desudamus.

Deum esse, mundi fabrica testatur.

11. *Abass.* Undè quarta ratio depromenda? *Rom.* A mundi coagmentatione, & dispositione. Dissidium enim, quo partes sibi mutuò opponuntur, & concordia, quâ invicem colligantur, supremum aliquem esse tanti dissidii, & concordiæ moderatorem (qui planè Deus est) testantur. *Invisibilia enim Dei*, inquit Paulus, *à creatura mundi, per ea, quæ facta sunt, intellecta conspiciuntur; sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas, ità ut sint inexcusabiles.* Et Sapiens: *A magnitudine speciei, & creatura cognoscibiliter poterit Creator horum videri.* Hanc ob causam mundum D. Joannes Chrysostomus librum dixit, quem omnes homines, vel etiam rustici, legendíque ignari possunt oculis perlegere, & ex illius aspectu intelligere, sapientissimum fuisse illum autorem, qui ipsum elegantibus adeò, & dissimilibus characteribus, & tot fœtum significationibus conflaverit. Et D. Bernardus Scalam, per quam velut per diversos creaturarum gradus possumus ad cognitionem ipsarum Conditoris ascendere. Ut igitur, cùm quis oculis colluſtrat humanum corpus, licèt ex tot membris dissentientibus compactum, mirabili tamen ordine, & æquabili arteriarum motu in unius vitæ functiones consentire, intelligit intùs animam, ceu Reginam considere, quæ illius concordiæ sit conciliatrix; Ut, quis nobile aliquod ædificium intuitus ex diversis lapidibus, tigniſque compositum, & variis marmorum incrustationibus tessellatum, facilè assequitur, ipsum suæ sibi erectionis principium non extitisse, sed sapientem aliquem architectum, qui totum opus animo priùs delineaverit, deindè à cæmentis inchoaverit, & ad fastigium evexerit; Ut cùm navis ingens mari invehitur, fluctuſque obluctantes victrix rostro proscindit, & squamigeris belluis circùm se addensantibus illudit; quam qui prospicit,

Rom. 1. 20.

Sap. 13. 5.

D. Joan. Chrysost. hom. 9. ad popul. hom. 3. in Epist. ad Rom. & hom. 5. in 1. ad Corinth.

D. Bernard. Serm. in illud Ps. 84. Audiam, quid loquatur.

Digitized by Google

primo statim oculorum jactu agnoscit, ipsam tam insoliti discursûs non esse directricem, sed expertum aliquem gubernatorem, qui clavo assideat; Ut cùm quis lyram audit septem, vel decem fidium discriminibus obloquentem, sonúmque gratissimum imis, mediis, ac summis ad numeros consentientibus reddentem, non solùm mentis, sed ipsarum aurium judicio decernit, aliquem esse fidicinem peritissimum, qui chordas incredibili solertiâ perstringat: Ità qui oculos in diversos creaturarum choros longè, latéque per totum orbem terrarum versicoloribus vestibus, ac disparibus vocibus discurrentes conjecerit, non poterit non audire illam Davidici rythmi cantilenam, in quam omnes conspirant: *Scitote, quoniam Dominus ipse est Deus; ipse fecit nos, & non ipsi nos.* Eam verò non soli homines, quibus est mens, ac sermo; nec solæ aves, & animantia, quibus vox, & cantus; sed muti etiam pisces, bruta tellus, & res animæ expertes, quibus solus est ex corporum allisu sonus, modulantur. Unde Job: *Interroga*, inquit, *jumenta, & docebunt te; & volatilia cœli, & indicabunt tibi; loquere terræ, & respondebit tibi; & narrabunt pisces maris. Quis ignorat, quòd omnia hæc manus Domini fecerit?* Nec gens ulla fuit unquàm barbariæ tantâ efferata, quam Dei cognitio, vel saltem opinio non imbuerit, licèt multi à veritatis scopo aberrantes *incommunicabile nomen lapidibus, & lignis imposuerunt*, ut Sapiens lamentatur.

Psal.99. 3.

Iob.12.7.8.9.

Sap 14. 21.

CAPUT IV.

Ostenditur, Deum esse unum, nec plures esse posse.

Auctoritate probatur, unum tantùm esse Deum.

1. *Abass.* Gentibus omnibus barbariæ efferacior, ipsisque saxis durior ille erit, qui vel ore protulerit, vel in corde suo dixerit: *Non est Deus.* Quæro tamen, an ità contestatum sit, unum esse, ut plures esse non possint? *Rom.* Tam citò te incessit oblivio illius dicti ex Sapientia deprompti, quod *Dei nomen incommunicabile* profitetur? Cur enim dicitur incommunicabile, nisi quia extra unum verum Deum nulli alii potest adaptari. Sic ipse in Deuteronomio: *Audi Israël, Dominus Deus noster, Deus unus est.* In Isaia: *Numquid non ego Dominus, & non est ultra Deus absque me?* In primo Regum: *Neque enim est alius extra te.* In Ecclesiastico: *Unus est Altissimus, Creator, Omnipotens.* Christus apud Matthæum: *Unus est bonus Deus.* Paulus apud Corinthios: *Scimus, quòd nullus est Deus, nisi unus.* His similia plura sunt exempla in Scripturis, quibus si deficeremur, intellectus ipse naturali lumine illustratus facilè deprehendit, unum tantùm Deum esse posse.

Psal.13.1.

Sap.14.21.

Deut.6.4.

Isai.45.21.

1. Reg.2.2.

Eccl.1.8.

Matth.19.17.

1.Cor.8.4.

Si Deus unus non est, nullus est. Tertul. lib. 1. contra Marcion. cap. 2. & 4.

2. *Abass.* Confer aliquarum rationum symbola, quibus devinciantur illorum mentes, qui unum esse Deum inficiantur. *Rom.* Sufficeret illud Tertulliani: *Deus, si non est unus, non est.* Si enim unus non sit, nec Deus esse potest. Illud addo; si dii uno plures essent, infiniti esse possent. Qui enim rationes aliquas excogitaverit, ut quinque, vel decem Deos esse credat, edem impunitate millenos, vel centies millenos asseverabit. Si autem juxta quæstionem tuam plures dii multiplicentur, te vicissim rogo: an ii suum esse à se ipsis possideant an ab alio emendicaverint.

Si dii plures essent, etiam infiniti essent.

3. *Abass.* Divinæ naturæ majestatem dedecet, quidvis ab alio emendicare; Censendum ergo Deum, sivè unus sit, sivè plures, fontanam sibi esse plenitudinem, & dimanationem. *Rom.* Liquida nunc tuo fluxit è pectore sapientiæ scaturigo. Aliquem sibimet esse sui esse fontem, infinita est perfectio, quæ in res creatas substantiam suam ab alio fœneratam habentes cadere non potest. Si ergo plures dii essent, nec suum esse ab alio mutuarentur: unusquisque infinitam hanc perfectionem, nec sibi cum quovis alio communem, imò infinitas alias perfectiones istam consequentes, habiturus esset. Perfectiones enim, & proprietates individuæ sunt essentiarum, sivè naturarum consectatrices. Vel ergo uniuscujusque natura, & proprietatum appendices, illi essent cum aliis communes; vel ità propriæ, & stricti juris, ut nulli alii competerent; Si enim essent cum aliis communes, non plures dii essent, sed unicus, ut nunc est in Personarum numero ob naturæ communionem; si ità propriæ, ut nulli alii competerent, in singulis diversæ essent perfectiones, quæ in nullo alio reperirentur. Cùm verò hæ perfectiones sint infinitæ, illas non habentibus infinita aliqua perfectio, vel perfectiones desiderantur, ac proindè dii non sunt; quia Deo nihil deesse potest. *Deus meus es tu* (David ait) *quoniam bonorum meorum non eges.* Et Machabæi: *Tu Domine universorum, qui nullius indiges.* Et D. Paulus: *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Quomodò ergo in multis diis sunt omnia, si infinitis perfectionibus destituuntur?

Si plures dii diversi essent, nullus verè Deus esset.

Psal.15.2.

2.Mach.14.35.

Rom.11.36.

4. *Abass.* Si multi essent, nec in singulis essent aliorum perfectiones per realem possessionem, essent per mutuam animorum consensionem. *Rom.* Meum, ac tuum atrocia illa verba, omnem animorum conjunctionem, & pacem evertunt, uberrimáque sunt dissidiorum, & bellorum seminaria. Si enim plures dii essent, & suæ sibi quisque naturæ, & magnitudinis demensor, ut nullus nulli cederet, dii: Termini futuri essent. Unusquisque enim esset diversum ab aliis intellectum, & voluntatem sortiturus. Hic ergo pro sui judicii norma, ille pro suo arbitrio suum regnum, quolibet consorte rejecto, esset administraturus. *Nec* enim *regna socium ferre, nec tedæ sciunt*; idest, nuptiæ. Quo dato, quæ pax vel cœlo, vel mundo posset opitulari? Multorum enim (licèt fratrum) regnum nunquàm sine simultatibus cæpit, nec sine bellis processit, nec sine sanguine terminatum est. Si ut unus est in cœlo sol, astrorum omnium imperator; plures essent, quibus non incendiis jam millies totus orbis conflagrâsset? Ne tanto cœlum, vel mundum odio prosequaris, ut illum velis multorum deorum præfecturæ, libidini, & carnificinæ submittere.

Si plures dii essent, omnia dissidiis interirent.

Seneca in Agamemnone.

5. *Abass.*

Digitized by Google

Quid quid eſſe ab alio accipit, Deus eſſe non poteſt.

5. *Abaſſ.* Satis allatis rationibus evincuntur ii, qui plures Deos ſuum ſibimet eſſe conferentes comminiſcuntur. Quid iis dicendum, qui illos ſuum eſſe ab alio hauſiſſe contenderint? *Rom.* Oportere illos ad evomendam inſaniam Antyciras navigare. Neque enim dii eſſent, ſed Deorum mendicabula. Si plures illi dii eſſe ab alio acceperunt, præcedere debuit ille, à quo acceperunt. Vel ergo illud eſſe ex ſua natura impertiit, vel ex aliena; ſi ex aliena, ii, qui accepêre, non naturâ dii ſunt (cùm Dei naturam non vendicent) ſed participatione, vel adoptione. Et ſolus ille, qui dedit, naturâ Deus

1. Cor. 8. 4. 5. eſſet. De quo Paulus: *Nullus eſt Deus, niſi unus. Nam etſi ſunt, qui dicantur dii, ſivè in cœlo, ſivè in terra (ſiquidem ſunt dii multi, & Domini multi) nobis tamen*

Galat. 4. 8. *unus Deus.* Et alibi: *Ignorantes Deum iis, qui naturâ non ſunt dii, ſerviebatis.* Si ex propria natura impertiit; vel totam dedit, vel partem. Si partem, is, qui accepit, non Deus ex integro erit, ſed Dei fruſtulum, & fragmentum; & tam donator, quàm receptor erunt fiſſiles, verſatiles, & corporei. Quæ ludibria, & injuriæ ibi reperiuntur, ubi pars à toto diſſecta vel impenditur, vel excipitur; & divinæ naturæ immensùm adverſantur, ut ſequentibus capitibus videndum. Si verò is, qui impertiit, totam ſuam naturam excipienti dedit; quæro: an ità dederit, ut illam à ſe radicitùs evulſam in illum plenè tranſtulerit; an ità, ut ſimul ſibi totam ſartam, & tectam reſervaverit. Si à ſe radicitùs extirpatam in illum tranſtulit, à divinæ naturæ immutabilitate ſe in interitum præcipitavit, ſicut Phœnix ſuo occaſu in pullum deficit, bombyx in papilionem. Ergo nec ante donationem Deus erat, nec, illâ conſummatâ, Deus remanſit. Deo enim æquè repugnat incipere, atque interire. Quod argumentum, & præcedens tetigêre Patres Concilii Lateranenſis de Patre erga Filium loquentes:

Concil. Lateranenſ. 4. cap. Damnamus. De ſumma Trinit. & Fid. Cathol. *Dici*, inquiunt, *non poteſt, quòd partem ſuæ ſubſtantiæ illi dederit, & partem retinuerit ipſe ſibi; cùm ſubſtantia Patris indiviſibilis ſit, utpote ſimplex omninò. Sed nec dici poteſt, quòd Pater in Filium tranſtulit ſuam ſubſtantiam generando, quaſi ſic dederit eam Filio, quòd non retinuerit ipſam ſibi. Alioquin deſierit eſſe ſubſtantia.* Tandem is, qui totam alterius ipsâ traditione morientis naturam excepiſſet, Deus eſſe non poſſet, utpote mortalis, & caducæ naturæ hæres; quæ in ipſo valentior, & vegetior evadere non poſſet, quàm eſſet in conferente. *Quod enim acquiſitum eſt,*

D. Cyril 4. Theſ. c. 1. inquit D. Cyrillus, *priùs non habebatur, ſed poſteà contigit, atque acceſſit. Quare amitti etiam facilè poteſt. Omne namque quod datur, auferri etiam poteſt; & quod acceſſit, non eſt inconveniens, ſi abibit.*

Pater totam ſuam naturam dat Filio; Pater, 6. *Abaſſ.* Dicendum ergo videtur, Deum illum, qui ſuum eſſe alii Deo, vel pluribus Diis impertiit, ſuammet naturam cum iis communicâſſe, quin illa ſeipſum abdicaverit. *Rom.* Ubi talis donationis ritus intercedit, non in alium Deum, vel in plures, ſed ab eodem Deo in eumdem: non quidem naturâ, ſed aliquâ tantùm proprietate differentem fit collatio. Ac proindè unus hic eſt Deus, in quem credimus; non naturâ, ſed trium Perſonarum proprietatibus diſcriminatus. E quibus, quæ Pater dicitur, divinam naturam à ſemetipſa habet, non ab alio fluentem; Filius eamdem naturam à Patre intellectuali emanatione derivatam; eamdem quoque Spiritus ſanctus à Patre, & Filio voluntatis proceſſione communicatam, ut libro 3. oſtendendum. & Filius Spirit ſancto.

7. *Abaſſ.* Cùm dicimus, Deum eſſe unum, quid ſub unitatis nomine intelligendum? *Rom.* Unitas eſt negatio diviſionis in plura; & unum, quod non eſt in alia diviſum. Itaque unitas, & multitudo opponuntur. Oppoſitio autem debet eſſe reſpectu ejuſdem. Nam negatio non eſt oppoſita affirmationi, niſi tollat illud ipſum, quod ponit affirmatio. Ut cùm dico, hominem eſſe unum, affirmo non eſſe diviſum in plures homines; non autem non eſſe diviſum in corpus, & animam. Cùm dico, corpus hominis eſſe unicum, teſtor ipſum non eſſe diviſum in plura corpora, non autem non eſſe diviſum in plura membra. Cùm ergo dicimus, Deum eſſe unum, ſignificamus, eum non eſſe diviſum in plures Deos, ſeu plures naturas divinas; ſed non negamus, eum diviſum eſſe in plures Perſonas, quæ ſint idem Deus, de cujus perfectionibus aliquid deinceps delibandum. Unum eſt, quod eſt indiviſum. Ariſtotel. 4. Metaph. text. 4. & 10. text. 9. Soar. diſp. 7. Metaph. ſect. 3. n. 4.

CAPUT V.

Oſtenditur, Deum eſſe ſimplicem, & omni compoſitione carentem.

Quid Deus ſit, non inquirendum. 1. *Baſſinus.* Id primum videtur in ea tractatione, ut quid Deus ſit, exponas. *Romanus.* Id, ſi ſaperes, à te nec eſſet in noſtri colloquii auſpiciis, nec in faſtigio quærendum; cùm te, & doctiſſimum quemque Sapiens admoneat: *Altiora te ne quæſieris; & fortiora te non ſcrutatus fueris.* Quò enim ampliùs *ad cor altum* acceſſeris, illíque perniciores alas annectere moliaris, ut Deum cognitione inſequaris, eò ille longiùs avolabit, & glorioſiùs exaltabitur. *Certè enim*, inquit Divus Aforoſius, *Deus eſt, de quo, cùm dicitur, non poteſt dici; cùm æſtimatur, non poteſt æſtimari; cùm definitur, ipſa ſui definitione creſcit.* Et Divus Petrus Chryſologus: *Qui requirit, quid Deus ſit, hic heſcit. Sol in perpetuum tenebrat aſpectum: ad Deum inconcuſſus cæcatur acceſſus.* Nec opus eſt ad tuam audaciam comprimendam

Eccl. 3. 22. Pſ. 63. 8. D. Ambroſ. lib. de Fid. contra Arian. c. 6. D. Petrus Chryſol. ſe. m. 61.

Digitized by Google

mendam Latinorum Patrum testimonia rimari, cùm plurima è vestro Libro pullulent. Divus Basilius : *Audacia est quærere Dei magnitudinem, quia cogitatio contrahitur, & fatigatur à cognitione divinitatis ejus investigabilis.* Theodotus Ancyranus : *Deus non invenitur humana cogitatione, quia substantia Divinitatis longè distat à substantia hominum.* Divus Cyrillus : *Nemo ad Deum accedit, neque cogitatio illum invenit.*

D. Basil. p. 4. n. 1.

Theodot. p. 1. n. 1.

D. Cyril. p. 3. n. 47.

Negationibus melius Deus agnoscitur, quàm affirmationibus.

2. *Abass.* Qui mihi tam graviter succenses, quòd rogaverim, quid Deus sit, credo applaudes, si rogavero, quid non sit ? *Rom.* Applaudam, laudabo, prædicabo cum magno Areopagita, qui ait : *Negationes in divinis rebus veræ sunt, affirmationes verò non conveniunt.* Idcircò Deo affirmationes non conveniunt, quia nulla potest illius perfectionem adæquare ; negationes autem veræ sunt, quia aliquam ab eo removent imperfectionem. Nec solùm mare, & abyssus apud Jobum quæsita de Deo negativè responderunt, *(nam abyssus dicit, non est in me : & mare loquitur, non est mecum,)* sed Sacra ipsa eloquia, & Patrum libri pleraque Dei attributa negativis nominibus insigniunt, dum simplicem, infinitum, immensum, invisibilem, & incomprehensibilem appellant ; *Quæ*, teste Nazianzeno, *non tam de Deo, quàm circa Deum dicuntur.* Non enim ipsius naturam propriè explicant, sed creaturarum imperfectionem innuunt, frustrà in exacta ipsius inquisitione, notione, & comprehensione laborantium. Ipse tamen Nazianzenus concludit, nobis ad cognoscendum Deum, non solùm amovendas ab illo esse creaturarum imperfectiones, sed quæcumque excogitari possint, perfectiones in ipsum congerendas. *Ità enim fiet, ut ex eorum, quæ non sunt, ablatione, & depulsione : atque ejus, quod est, positione comprehendatur id, quod cogitamus.* Cui nos doctrinæ accommodantes, aliquas perfectiones Dei negativas, aliquas affirmativas sequentibus capitibus prosequemur.

Iob. 28. 14.

D. Gregor. Naz. Orat. 34. quæ est secunda de Theologia.

Ibidem.

Deus simplex est.

3. *Abass.* Siquidem simplicitatem primo loco nominasti, Dei quæso tractationem ab illa auspiceris. *Romanus.* Deum simplicem esse, Concilii Lateranensis Patres his verbis definierunt : *Credimus unam essentiam omninò simplicem, indivisámque naturam.* Et iterùm : *Cùm substantia Patris indivisibilis sit, utpote simplex omninò.* Idem Sacræ litteræ significârunt, cùm sæpius Deum, Lucem dixêre. Ut apud Joannem : *Erat lux vera. Ego sum lux mundi. Quoniam Deus lux est.* Apud Paulum : *Qui lucem inhabitat inaccessibilem. Cùm sit splendor gloriæ.* Apud Sapientem : *Attingit ubique propter suam munditiem. Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis Sincera ; & ideò nihil inquinatum in illam incurrit ; candor est enim lucis æternæ.* Quibus in testimoniis Deus lux non dicitur, quòd instar lucis per mundum diffundatur ; sed quòd, ut illa simplex est qualitas, sic ipse vacat omni compositionis, & cujusvis rei à sua natura peregrinæ concretione.

Concil. 4. Lateran. Can. 1.

Joan. 1. 9. & 8. 12. Et Epist. 1. cap. 1. 5. 1. *Tim.* 6. 16. *Hebr.* 1. 3. *Sap.* 7. 24. 25. 26.

Compositio quid sit.

4. *Abass.* Quid est propriè simplicitas ? *Rom.* Dixi capite 2. hujus libri numero 4. simplex illud dici, quod caret omni duplicitate. Nunc aliis verbis : illud esse simplex, quod vacat omni compositione. Est autem compositio duarum, vel plurium rerum, seu partium vel re, vel modo, vel ratione differentium ad aliquam, vel primò faciendam ; vel cùm jam facta est, afficiendam concursus.

Ubi est compositio, ibi rerum multitudo.

5. *Abass.* Cur dicis compositionem esse concursum duarum, vel plurium rerum, seu partium ? *Rom.* Quia ubi una tantùm res est, nulla datur compositio ; ac proindè nec animæ rationales, nec Angeli, si puram tantùm eorum naturam spectemus, compositi sunt ex partibus essentialibus ; sed eximia simplicitate præditi. Homines verò compositi sunt, quia corporis, & animæ conjunctione absolvuntur. Quò verò plurium rerum multitudo in aliquam confluxerit, eò minùs simplex erit. Res verò, quæ ad compositionem concurrunt, compositi partes sunt, quia quælibet earum non dicit, neque confert totum id, quod compositum in se habet.

Rerum, quædam re, quædam modo, quædam ratione distinguuntur.

6. *Abass.* Cur dicis : *Rerum, vel partium re, vel modo, vel ratione differentium ?* *Rom.* Quia rerum, vel partium, quæ in compositione reperiuntur, quædam distinguuntur inter se, quasi res à re ; quædam tamquàm res, & modus ipsam afficiens ; quædam sola ratione, & cogitatione. Re, seu tamquàm res à re distinguuntur, quæ vel naturæ ordine, vel divina virtute ab invicem in totum separari possunt. Ità se habent corpus humanum, & anima rationalis, quæ morte naturaliter dissolvuntur, & post dissolutionem integra perseverant. Quod divinæ potentiæ erga cæterorum viventium animas non est denegandnm. Licèt enim non sint adeò perfectæ, ut humanæ, sufficientem tamen habent entitatem, ut Dei miraculo à corporibus sejunctæ conserventur. Id verò ex Fidei principiis indubitatum est, in substantia, & accidente. Nam destructâ per divinam potentiam panis, & vini substantiâ, & in corporis, & sanguinis Christi substantiam conversâ, manet quantitas, sapor, & color, & alia accidentia. Quod fieri non posset, nisi substantia, & accidentia realiter, ideſt, tamquàm res à re distinguerentur. Talis distinctio intercedit inter res, quæ sunt partes componentes in secundo, quinto, sexto, & septimo gradu earum compositionum, quas inferiùs recensebimus. In solo Deo datur realis distinctio Personarum absque separatione, de quo lib. 3. cap. 4. n. 6. Advertendum tamen, res, quæ re distinguuntur, dum unionem naturalem conservant, non re, sed cogitatione tantùm, vel ratione separari, dum in ipsis invicem

Quænam sit distinctio realis.

internexis

internexis mens fundamentum diſtinctionis agnoſcit.

Quænam ſit diſtinctio modalis.

7. *Abaſſ.* Quænam ſunt illa, quæ differunt, tamquàm res, & modus ipſam afficiens? *Rom.* Modi ſunt entitates imperfectæ, & quaſi rerum umbræ: ſemper naper naturâ, & aliquandò tempore poſteriores rebus, quas afficiunt, & quibus inſunt; ideóque non ſunt illis adeò intrinſeci, ut res ſine ipſis concipi, eſſe, & conſervari non poſſint; ſed ipſi modi nec concipi, nec eſſe, nec conſervari poſſunt ſine rebus, quas afficiunt. Multa enim, quæ priora ſunt, eſſe poſſunt, & concipi ſine poſterioribus: non autem poſteriora ſine prioribus. Ut ſol poteſt eſſe ſine luce, non autem lux ſine ſole. Baſis ſine columna, non autem columna ſine baſe. Tales ſunt in Petro ſeſſio, ſtatio, accubitus, & præſentia in hoc loco. Poteſt enim Petrus nec ſedere, nec ſtare, nec accumbere, nec eſſe in hoc loco; ſed cùm ſedet, ſtat, accumbit, & huic loco affixus eſt, habet ſeſſionem, ſtationem, accubitum, & talem præſentiam; nec hi modi poſſunt ab illo avelli, & ſeorſim collocari, quia immediatè ab illo dependent, eúmque ſecum devolvunt. Talis etiam eſt accidentium inhærentia, quam in Euchariſtia poſt conſecrationem amittunt; nec enim ſubſtantiæ panis, & vini inhærent; ſed nec cùm inhærent, nec cùm ſeparata ſunt, avelli poteſt ab iis inhærentia, ità ut ſeorſim ab ipſis conſtituatur. Quod hi modi habeant entitatem, patet; quia verè res afficiunt, & exiſtunt; quòd autem diſtincti ſint à rebus, quibus inſunt, indè conſtat; quia res aliquandò exiſtunt ſine ipſis, quod fieri non poſſet, niſi res ab ipſis diſtinguerentur. Idem enim ſemper eodem modo ineſt, nec unquàm abeſſe poteſt. Hanc autem modalem diſtinctionem minorem eſſe, quàm primam realem, patet; quia in prima duæ partes disjunctæ ſeorſim exiſtunt, hîc una tantum; ideſt, res, non autem modus ejus.

Quænam ſit diſtinctio rationis, ſeu virtualis.

8. *Abaſſ.* Quænam ſunt illa, quæ ratione diſtinguuntur? *Rom.* In re, quæ una eſt, inſunt aliquandò plures virtutes, ſeu proprietates, quæ nec poſſunt actu ab invicem ſeparari, nec una ſine altera exiſtere; ſed tamen una poteſt ſine alia intelligi, quin altera in alterius conceptu includatur. Quæ ità ſe habent, dicuntur diſtingui ratione, quia in iis ſola cogitatio rationem aliquam diſtinctionis attingit. Nec tamen hæc diſtinctio eſt omninò imaginaria, & conficta, ſed fundamentum invenit in ipſis rebus, in quibus unum ſunt illæ virtutes, & proprietates, quæ in aliis rebus actu ſeparantur; vel à quibus egrediuntur plures effectus, qui in aliis agentibus à diverſis potentiis proficiſcuntur. Undè etiam hæc diſtinctio dicitur virtualis. Sic diſtinguimus in homine rationalitatem ab animalitate; quia licèt in eo ſeparari nunquàm poſſint, animalitas in brutis ſine rationalitate reperitur. Et eamdem animam rationalem in tres gradus: vegetatricis, ſentientis, & ratiocinantis diſtribuimus; quia in homine videmus, non ſolùm ratiocinationem, quæ ipſius eſt propria; ſed ſenſationes, quæ brutis competunt; & accretionem, quæ in plantis ſine ſenſatione, & ratiocinatione dignoſcitur.

Separatio, & diviſio locũ habent in rebus, quæ realiter diſtinguntur; Diſtinctio, & differentia, in omnibus.

9. *Abaſſ.* Aliquandò dicis, illas res dividi, aliquandò ſeparari, aliquandò differre, aliquandò diſtingui; quod eſt diſcrimen inter illa verba? *Rom.* Aliquandò verba hæc confunduntur, & alterum pro altero uſurpatur. Sed qui caſtiùs loquuntur, diviſionem, & ſeparationem in iis tantùm rebus ponunt, quæ ſeorſim poſſunt exiſtere; differentiam, & diſtinctionem, tum in illis (quia omnia, quæ dividi & ſeparari poſſunt, differunt, ac diſtinguuntur) tum etiam in rebus, quæ modo tantùm, vel cogitatione ſecernuntur. Sunt autem diviſio, & ſeparatio negationes unionis, & unitatis ſimul; diſtinctio, & differentia negationes ſolius unitatis. Quia quæ dividuntur, & ſeparantur, amittunt unionem, & conſequenter unitatem, quam ratione unionis participabant. Quæ differunt, & diſtinguuntur, non ſunt unum in eo, in quo differunt: ſunt tamen unum in eo, in quo uniuntur. Ut homo, & leo non ſunt unum in rationali, & irrationali, quibus differunt, ſed ſunt in animali, in quo uniuntur. Et tres divinæ Perſonæ non ſunt unum in proprietatibus, quibus, diſtinguuntur; ſed in eſſentia, in qua conjunguntur. Ideò de ipſis dixit D. Aroſius: *Pater, & Filius, & Spiritus ſanctus diſtinctionem habent, ſeparationem non habent.* D. Ambroſ. lib. 2. de Fid. cap. 2.

Res aliquæ compoſitæ evadunt in prima ſua effectione, aliæ poſteà.

10. *Abaſſ.* Dixiſti etiam, compoſitionem eſſe rerum ad aliquam rem primò faciendam, vel cùm jam facta eſt, afficiendam concurſum; quidnam illud eſt? *Rom.* Compoſitiones aliquæ fiunt in ipſa prima rerum effectione. In primis omnes, quæ fiunt ex partibus eſſentialibus, ſine quibus res conſtare non poſſunt. Deindè multæ accidentales, quia nulla res creata omninò accidentium inſtrumentis, & ornamentis deſtituitur. Tertiò multæ modales, quia omnes ſubſtantiæ creatæ ab ipſa ſui conditione componuntur exiſtentia, & ſubſiſtentia; omnia accidentia exiſtentia, & inhærentia, qui modi ſunt. Aliæ verò tam modorum, quàm accidentium compoſitiones rebus, poſtquàm conditæ ſunt, accedunt. Petro enim jam in ſuo eſſe conſtituto accedit ſeſſio, ſtatio, accubitus, calor, frigus, & alia infinita, quæ cum ipſo faciunt compoſitiones.

Diſtinctio realis non habet locũ in Deo.

11. *Abaſſ.* Admittiſne in Deo illam compoſitionem, quæ fit ex partibus, quæ re ipſa ſeparari poſſunt? *Rom.* Ob quinque cauſas illam compoſitionem rejicio, & deteſtor. Prima eſt. Si Deus compoſitus eſſet ex partibus, quæ re ipſa ſeparari poſſent, imperfectus eſſet, & mortalis. Imperfectus; quia partibus, tamquàm centonibus coagmentatus. *Omne enim, quod pars eſt, imperfectum eſt*, ait D. Gregorius Thaumaturgus. Mortalis; quia, ut docet D. Heraclis: *Omnis paſſio rebus compoſitis probatur inferre luctamen. In ſpirituali autem, & ſingulari ſubſtantia compoſitio nulla eſt. Nec illuc paſſio pertingit, ubi compoſitio non eſt. Ideò* D. Gregor. Thaumat. in expoſit. Fid. D. Heraclis, ſivè Procl. in Epiſt. ad Armen.

Digitized by Google

suscipere passionem inviolabilis natura non potest. Secunda. Omnis res composita indiget aliquo componente, à quo dissitæ illius partes colligantur, & conglutinentur; ut domus architecto; corona aurea cælatore; filii parentibus. Si ergo Deus compositus esset, causam haberet, & creditorem, cui suum esse acceptum referret. Quomodò ergo diceret, apud Jobum: *Quis ante dedit mihi, ut reddam ei?* Quomodò Paulus: *Quis prior dedit illi?* Quomodò apud vos omnes Apostoli in Didascalia: *Dei substantia non habet causam?* Tertia. Deus sæpè in Scripturis dicitur *Principium*, & *Primus*; quia ità simpliciter primus est, ut nihil ipso prius concipi possit; si autem compositus esset, partes, ex quibus componeretur, ipso priores intelligi deberent. Quas duas rationes his verbis simul proponit D. Cyrillus: *Primum simpliciter haudquaquàm compositum esse potest, quia nihil potest ipsi præintelligi, à quo componatur; Nec ulla diversitas in primo simpliciter est. Composita verò congregationes diversorum simpliciun habent, quæ ipsis necessariò præintelliguntur.* Quarta. Quidquid compositum est, perfectionem à se ipso non habet, sed à partibus componentibus mutuatur. At Deo tota sua perfectio congenita est, nec ascita aliundè. Quinta. Nobilius est, quod simplex est, quàm quod multarum rerum centonibus consarcinatum. Ut præstantior est gemma simplex, & modica ingentibus æris, ferrique acervis. Si ergo Deus ex partibus componeretur, aliquid ipso perfectius fingi posset; idest, ipsæ partes, quæ toto essent simpliciores.

Job.41.2. Rom.11.35. Didascalia p.1. Ex D. Clem. lib.6. Const. Ap. cap.11. Joan.1.1. & 8.25. Isai.44.6. Apoc.1.17. D. Cyril. lib.1. Thesauri, cap.3.

Modalis etiam distinctio à Deo exulat.

12. *Abass.* Rectè quidem excludis à Deo eam compositionem, quæ fieret ex partibus actu separabilibus; numquid idem dicendum de modali? *Rom.* Si in Deo essent modi, qui aliquandò adessent, aliquandò abessent, tam mutabilis esset, quàm Petrus, qui modò stat, modò sedet, modò accumbit: nunc isto, nunc illo loco continetur. Quomodò tunc verum esset illud Prophetæ: *Tu autem idem ipse es?* Et illud D. Jacobi: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio?* Ut autem plenè agnoscas, quàm aliena sit à Deo omnis compositio, seu realis, seu modalis, percurre mecum septem compositionis modos, qui in rebus creatis inveniuntur. Primus est, Ex esse, & essentia. Secundus, Ex substantia, & accidente. Tertius. Ex natura, & supposito. Quartus, Ex genere, & differentia, Quintus, Ex potentia, & actu. Sextus, Ex partibus essentialibus. Septimus, Ex partibus integralibus.

Psal.101.28. Jacob.1.17.

Distinctio rationis in Deo concedi potest, nisi includat aliquam imperfectionem cum eo incompatibilem.

13. *Abass.* Videris mihi solas distinctiones, realem, & modalem à Deo removisse, non autem rationis. *Rom.* Distinctio rationis locum habet in Deo, quin illius simplicitatem evertat; quia hæc compositio non est in rebus ipsis, sed in conceptibus illius, qui ipsas inadæquatè apprehendit. Neque enim anima rationalis verè composita est, eò quòd aliquis in ea gradum vegetativum à sensitivo, vel rationali secernat, cùm gradus omnes sint eadem anima. Sic in Deo nullam compositionem, vel mutationem efficit, qui aliquam illius perfectionem sine alia percipit, dummodò tali conceptione nihil Deo indignum affingat. Hanc verò distinctionem in eo habent attributa inter se collata; & natura cum Relationibus, ut suis locis ostendemus.

CAPUT VI.

Excluditur à Deo compositio ex esse, & essentia.

Duplex esse creaturarū; potentiale, & reale.

1. *Abass.* Quisnam est ille compositionis gradus, quem vocasti ex esse, & essentia? *Rom.* Creaturæ omnes duplex esse habent; potentiale, & actuale, sivè reale. Potentiale habent, antequàm creentur à prima causa, vel fiant à secundis; actuale, & reale, cùm creantur, & fiunt.

Esse potentiale creaturarum nihil est.

2. *Abass.* Quodnam est illud esse potentiale? *Rom.* Creaturæ antequàm creentur, sunt possibiles, & possunt creari; ergo habent potentiam, ut creentur. Hoc est esse illarum potentiale; quod non est aliquid reale, & positivum, sed tantùm quædam negatio, seu non repugnantia, ut creentur. Negationes autem, & non repugnantiæ non sunt veræ aliquæ entitates, sed entitatis remotiones. Undè propriè creaturæ, antequàm creentur, nihil sunt; quod D. Paulus significavit, cùm dixit: *Deus vocat ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt.* Ubi creaturas adhuc non existentes *vocat ea, quæ non sunt*; existentes, *ea, quæ sunt.* Et D. Augustinus creaturam sic definivit: *Creatura est ex eo, quod adhuc non est, aut aliquandò non fuit, rei cujuslibet corruptibilis, quantùm in se est, per Omnipotentis Dei voluntatem facta substantia.* Quia omnes creaturæ fiunt; vel ex eo, quod adhuc non est; vel ex eo, quod aliquandò non fuit. Ex eo, quod adhuc non est, fiunt omnia, quæ propriè creantur, ut animæ rationales, Angeli, & hæc rerum universitas, cùm Deus *in principio creavit cœlum, & terram*, & nihil anteà præcederet. De quibus in libro Machabæorum. *Peto nate, ut adspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Ex eo, quod aliquandò non fuit, fiunt omnia, quæ generantur, vel quacumque ratione producuntur; omnia enim fiunt ex materia, quæ aliquandò non fuit; & cùm partem quamdam creatam in se habeant, creaturæ dicuntur. Omnis autem creatura, quantùm in se est, corruptibilis est; quia vel naturaliter interire potest, vel à Deo corrumpi.

Rom.4.17.

Creaturæ difinitio. D. August. lib. contra Feliciau. cap. 7.

Gen.1.1.

2.Mach.7. 28.

Esse potentiale creaturæ est idem cum objectivo, quod nihil in ea ponit.

3. *Abass.* Deus cognoscit creaturas, antequàm sint; & ego nunc cognosco Antichristum, cùm nondùm existat; & dico, illum esse hominem, & animal rationale. Ergo creaturæ aliquod esse habent, antequàm creentur; ac proindè non est dicendum, nihil esse. *Rom.* Cognitio, quam Deus habet de creaturis, non est creatura,

sed

Digitized by Google

sed ipsa creatrix essentia; quia intra Deum nihil est, quod Deus non sit. Hujus verò cognitionis scopus secundarius est ipsa creatura, non actu existens, sed repræsentata in conceptu objectivo, seu secundùm existentiam, & esse objectivum; quod in rebus ità repræsentatis non est quid reale, & intrinsecum, sed denominatio extrinseca à percipientis cognitione. Et quemadmodum res, dum existunt, nullum esse reale accipiunt ab aspectu, vel cognitione intuentium; sic neque cùm non existunt. Ergo esse objectivum creaturæ, antequàm creetur, nihil aliud est, quàm potentia quædam negativa, & non repugnantia, ut à Deo cognoscatur, & ab illius Omnipotentia producatur. Quod est ipsum esse potentiale creaturæ, de quo superiùs dixi, & ipsum nihil. Quale est esse Antichristi, cùm de ipso cogitas. Quid enim in illum tua confert cogitatio? Cùm autem dicis, ipsum esse hominem, sivè animal rationale; si intelligis, jam nunc verè hominem existere, mendax es; si autem illi competere, ut homo, & animal rationale, decreto à Deo tempore, existat, verax es; Sed idem mecum asseris. Affirmas enim, illum esse posse hominem, & animal rationale; quod esse est potentiale, & ipsum nihil. Hæc est essentia creaturæ, antequàm existat; quæ his verbis declarari potest. *Non est, sed esse potest.*

Essentia actualis quid sit.

4. *Abass.* Quid verò est essentia creaturæ, postquàm à Deo creatur, vel à causis secundis producitur? *Rom.* Cujusque rei essentia potest vel physicè, vel metaphysicè considerari. Physicè considerata est primum, ac radicale cujusque substantiæ principium, à quo veluti fonte ejus proprietates, operationésque dimanant, quæ æqualis est in omnibus ejusdem generis, vel speciei individuis. Metaphysicè considerata est prima cujuscumque substantiæ ratio, illam à quacumque alia re distinguens; sed de hac Metaphysica consideratione nihil modò, sed cap. 9. dicendum.

Essentia, seu natura cujusque rei est primum, ac radicale motus ipsius principium.

5. *Abass.* Quodnam illud est primum, ac radicale cujuscumque substantiæ principium? *Rom.* Ut Sapiens architectus immobile cuilibet ædificio cæmentum, columnæque basim supponit, cui tota deindè moles, ipsiúsque ornamenta, & emblemata innitantur; ità Deus solertissimus rerum omnium molitor cuique substantiæ primum quoddam, & constans fundamentum subjecit, quod ipsius amplitudinem, proprietates, & operationes absque vacillatione, & declinatione sustineret. Quod proindè substantiale, non fluxum, aut accidentium carie fistulosum esse debuit. Datum est autem à Deo, ut res quælibet, dum existit, se in sua naturali perfectione tueatur; etsi contra inditas sibi qualitates adversariarum exercitus in aciem procedat, illius adminiculo in primævum statum reducatur. Idem in re qualibet vocatur essentia, substantia, natura, genus, species, forma, quidditas, & definitio. Dicitur essentia in ordine ad se ipsam, quòd verum esse possideat, non imaginarium. Substantia in ordine ad accidentia, quibus substat; & ad subsistentiam, cujus beneficio ipsa sibi, & suis operationibus est fulcimentum. Natura in ordine ad motum, & operationes; quia omnis substantia est propter suam operationem; & quæ naturâ constant, intrinsecum motûs, & operationum principium in se continent. Genus, & species, quia æqualiter in omnibus ejusdem generis, ac speciei individuis reperitur. Forma, quia genus, & species, quæ solam naturam, sivè essentiam in se includunt, formæ sunt individuorum. Vocatur etiam rei quidditas, & definitio; quia, cùm rogamur, quid sit Angelus, respondemus, esse creaturam spiritualem; quid sit homo, esse animal constans recto corpore, & animâ intellectuali; & cùm res quælibet definitur, sola ipsius essentia profertur. Angelus est creatura spiritualis; homo est animal constans recto corpore, & animâ rationali.

Varia nomina essentiæ, sivè naturæ.

6. *Abass.* Súntne omnes essentiæ simplices, an compositæ? *Rom.* Omnes substantiæ creatæ quintuplicem habent compositionem: ex esse, & essentia; ex substantia, & accidente; ex natura, & supposito; ex genere, & differentia; ex potentia, & actu. Sed substantiæ spirituales carent illâ compositione, quæ est ex partibus essentialibus; quæ reperitur in omnibus corpóreis; & ideò à multis simplices dicuntur; sed verè simplex unus est Deus, quia omni compositione vacat, & singillatim illâ, quæ dicitur ex esse, seu existentia, & essentia. Hinc in rebus duplex est unitas; altera simplicitatis, quam habet Deus, Angeli, animæ rationales, & aliquæ partes; altera compositionis, quam habent omnes aliæ substantiæ corporeæ, completæ. Ut homo unus est ex anima, & corpore.

Nulla substantia creata est omninò simplex.

Substantiæ spirituales non sunt compositæ ex partibus essentialibus.

7. *Abass.* Quid est existentia? *Rom.* Existentia est illa ratio, & terminus, qui rem creatam extra nihil constituit, & terminat ipsius non esse, eámque singularem, & determinatam exhibet; est verò aliquid distinctum ab essentia; quia cùm res nondum existunt, ipsarum essentias, sivè esse potentiale sine existentia concipimus; cùm verò jam existunt, intelligimus, ipsas posse non existere, & existentiam ab essentia separamus; Quod fieri non posset, si existentia esset de ratione essentiæ; quia quæ sunt de essentia cujuscumque rei, non possunt ab illius conceptu separari. Ergo existentia essentiæ adventitia est, & compositionem cum illa facit, ab eáque distinguitur. Hæc autem distinctio non est realis, quia nec essentia, nec existentia re unquàm disjungi possunt. Nec est modalis, quia essentia actualis non potest unquàm esse sine existentia, sicut res, quas superiori capite num. 7. recensuimus, possunt esse sine modis, à quibus aliquandò afficiuntur, aliquandò destituuntur. Sed est compositio, & distinctio rationis, quatenùs alterius ratio in alterius ratione non includitur.

Quid sit existentia.

Essentia, & existentiæ efficiunt compositionem rationis, & ratione distinguuntur.

8. *Abass.* Superiori capite num. 13. dixisti, distinctionem rationis à Deo non esse relegandam. Ergo si essentia actualis, &

In Deo essentia, & existentia nec ratione distinguuntur.

Digitized by Google

existentia solâ ratione distinguuntur, non implicat, Deum esse compositum ex essentia, & existentia. *Rom.* Cautè eodem loco animadverti, compositionem rationis tunc in Deo admittendam, cùm nihil ipso indignum affingitur; sed Deo valdè indignum est, si dicatur compositus ex esse, & essentia, sivè ex essentia, & existentia. Esset enim dicendum, aliquandò non fuisse, & nunc esse; vel nunc esse, sed posse non esse, sicut de creaturis affirmatur; cùm Dei proprium sit semper esse, & existentia in ejus essentia includatur, juxta illud D. Gregorii Nazianzeni: *Est utique Deus, velis, ac nolis. Ergo ipsum, quod est, hoc erit substantia ejus.* Et D. Aforosius: *Verè solius Dei est esse, qui semper est.* Hoc verò sui unius esse proprium, ipse indicavit, cùm Moysi nomen ipsius quærenti respondit: *Ego sum, qui sum.* Ideſt: Ego sum illa essentia, cum qua existentia idem est. Et mox: *Qui est, misit me ad vos.* Ideſt, ille, cujus essentia, & existentia nec re, nec humanâ cogitatione dissolvuntur.

Soar. in Metaph. disp. 31. sect. 13. num. 10.

D. Greg. Naz. Orat. 49. de Fide.

D. Ambros lib. 5. de Fide cap. 1.

Exod. 3. 14. Ibidem.

CAPUT VII.

Ostenditur, in Deo non esse compositionem ex substantia, & accidente.

Quid sit substantia, quid accidens.

1. *Abaſſ.* Quisnam secundus ille compositionis est modus ex substantia, & accidente? *Rom.* Pro dicendorum fundamento præmittendum. Omnia, quæ à Deo creata sunt, duas in classes esse distributa, vel ad illas revocari; alteram substantiæ; alteram accidentis. Substantia est ens per se existens, nec alio ente indigens, ut subjecto, à quo sustentetur. Accidens est ens in alio existens, vel alterius sustentaculo ad sui existentiam indigens.

Substantiæ semper ab aliis substantiis separatæ inveniuntur.

2. *Abaſſ.* Has mihi definitiones uberiùs explicato. *Rom.* Res quædam sunt, quæ in semetipsis ab aliis rebus omnibus separatæ existunt, nec ab aliis, tamquàm subjectis fulciuntur. Aliæ, quæ nunquàm ab aliis separatæ inveniuntur, sed semper iis inhærent tamquàm ipsarum appendices. Priores illæ dicuntur substantiæ, ut Michaël, Petrus, aurum, ferrum, & similia; quia nullo fulcro exteriùs quæsito indigent, à quo ipsarum partes essentiales, vel accidentales sustententur; & cùm existunt, ab aliis separatæ digito designantur. Accidentia verò entia sunt infirmæ valetudinis, & semper in aliqua substantia tamquàm in thoro recumbunt, quin unquàm possis in ullum solitarium, & à substantia sejunctum incurrere. Tales sunt: color, calor, frigus, humor, siccitas, & similes qualitates, quæ substantiis ancillantur, nec unquàm ab illarum stipatu divelluntur. Quis enim unquàm colorem, calorem, & frigus extra substantiam offendit? Omnium ergo accidentium subjectum substantia est, quia omnia sustentat; ipsa verò nullum subjectum habet, à quo sustentetur; & omnia de ipsa dicuntur, ipsa verò de nullo.

Accidentia semper in substantia, tamquàm in lecto recubunt.

3. *Abaſſ.* Quo pacto dicis omnia accidentia sustentari à substantia, & de illa dici: ipsam verò à nulla re alia sustentari, nec de illa dici? *Rom.* Petrus, qui est substantia, subjectum est, quod sustentat calorem, frigus, & albedinem, quæ in ipso est; hæc verò de ipso dicuntur. Dicimus enim: Petrus est calidus, frigidus, & albus; Hic calor, hic candor, hoc frigus est Petri; ipse verò Petrus nullâ ulteriùs substantiâ firmatur, nec de ulla re dicitur. Petrus enim non est caloris, nec candoris, sed in eo sistendum. Ideò Philosophus: *Id*, inquit, *est subjectum, de quo cætera dicuntur, cùm ipsum non item de alio dicatur.* Sed hoc magis de prima, quàm de secunda substantia intelligendum.

Prima substantia sola est subjectum, quod omnia sustentat, & de quo omnia dicuntur, ipsa verò de nullo.

Aristotel. lib. 7. Metaph. cap. 3.

4. *Abaſſ.* Quid vocas primam, quid secundam substantiam? *Rom.* Primæ substantiæ sunt substantiæ singulares, & determinatæ, quæ in rerum natura sine ulla intellectûs operatione existunt; ut Michaël, Petrus, hic leo, hic equus. Dicuntur autem primæ, quia primò, & principaliter fiunt, & existunt; iisque positis, secundæ substantiæ secundariò ponuntur, iis ablatis, auferuntur. Eas Aristoteles sic definivit: *Prima substantia est, quæ neque in subjecto est, neque de subjecto dicitur.* Non sunt primæ substantiæ in subjecto, quia non sunt accidentia; non dicuntur de subjecto, quia ipsæ sunt primum subjectum, *de quo cætera dicuntur, cùm ipsum non item de alio dicatur.* Sicut in ædificio primum fundamentum est ille lapis, quem alius non antecedit; & in quavis re primum aliquid ponendum est, à quo ad aliud priùs transitus non detur. Secundæ substantiæ, ex eodem Philosopho, *sunt genera, & species, sub quibus insunt primæ.* Ut Angelus, animal, homo, leo, equus. Nam Michaël, qui est prima substantia, est sub Angelo, quæ est secunda; quia dicimus, Michaël est Angelus. Petrus est sub animali, quod est genus; & sub homine, quæ est species; quia dicimus, Petrus est animal, Petrus est homo. Quam ob causam Philosophi, & Patres, singillatim Divus Athanateus, Nazianzenus, & Basilius secundam substantiam, (quæ natura est, ut videbimus capite sequenti) absolutè dixêre substantiam, Græcè οὐσίαν. Primam substantiam (quod est suppositum, sivè persona) hypostasim, ut jam adverti lib. 1. cap. 11. num. 6. quasi rem, quæ est sub substantia, seu quæ substantiam sustulcit. Nam ex Philosopho: *Nulli substantia inest, nisi sibi ipsi, & habenti ipsam, cujus nimirùm est substantia.* Ubi substantiam vocat naturam, hypostasim verò id, quod habet naturam, vel cujus est ipsa natura, & substantia.

Primæ substantiæ, sunt substantiæ singulares.

Aristotel. in Prædicamentis, cap. de substantia.

Idem lib. 7. Metaph. cap. 3.

Idem lib. 5. Metaph. c. 8. text. 15.

Secundæ substantiæ sunt substantiæ, & naturæ universales.

Aristotel in Prædicam. ubi suprà.

Aristotel. lib. 7. Metaph. c. 16. text. 57.

5. *Abaſſ.* Si secundæ substantiæ primis insunt, & de primis dicuntur, videntur nihil differre ab accidentibus, quæ etiam insunt primis substantiis, & de iis dicuntur. *Rom.* Accidentia insunt primis substantiis, tamquàm subjecto inhæsionis, &

Alio modo secundæ substantiæ insunt primis, aliter accidentia.

de

de illis contingenter dicuntur, quia possunt in iis esse, & non esse. At secundæ substantiæ insunt primis, tamquàm essentiales, & inseparabiles ipsarum partes; & de ipsis dicuntur essentialiter, tamquàm de subjecto prædicationis, cum quo habent necessariam connexionem. Sic manus pedes, & caput corpori insunt, & de corpore dicuntur; non tamen sunt illius accidentia, sed partes substantiales, ipsum integrantes, ac verè substantiæ, sed incompletæ. Sic secundæ substantiæ incompletæ sunt primarum partes, sola autem prima substantia est completa, ac verè substantia.

Partes non sunt in toto, sicut accidentia.

6. *Abass.* Quid est, cur secundas substantias voces incompletas, primas completas? *Rom.* Incompletum est illud, quod non habet, quidquid ad naturæ suæ perfectionem exigitur; completum, cui nihil deest illorum, quæ ipsius natura reposcit. Undè quidquid est in aliquo per modum partis, incompletum est, quamvis in ratione sui nominis completum sit; quia ei deest illa plenitudo, quæ est in toto, quod componit, & solum verè completum est, si sit totum ultimatum. Totum verò ultimatum illud est, quod ità habet totam naturæ suæ debitam plenitudinem, ut cum alio toto, tamquàm vera ipsius pars eidem realiter unita conjungi non possit. Cætera autem tota seu prima, seu media, non sunt verè tota, neque completa, quia verè alterius totius partes esse possunt. Digitus, verbi gratiâ, quid completum est in suo genere, habet enim quidquid ad digiti perfectionem exigitur, nec potest cum alio digito confundi, aut cum illo uniri ad tertium digitum componendum; sed non est totum completum, quia respectu manûs, pars illius est, quam cum aliis digitis componit. Similiter manus respectu alterius manûs completa est, sed incompleta respectu brachii; brachium respectu corporis; corpus respectu naturæ; natura respectu suppositi, sivè personæ; quæ ità totum ultimatum est, ut nullum sit aliud, cui possit tamquàm pars naturali unione copulari. Sic aurum, argentum, & gemmæ completa sunt in propria ratione, sed respectu coronæ, quam componunt, incompleta sunt, quia sunt illius partes. Sola autem corona ultimatè completa est, quia nec cum corona alia, nec cum alia re conjungi potest, ut unum quid cum illa efficiat. Ergo quidquid naturâ suâ ità se habet, ut ad aliud intrinsecè tamquàm ipsius pars ordinetur, incompletum est, quamvis habeat omnem in proprio genere plenitudinem. Cùm autem secundæ substantiæ sint in primis, tamquàm ipsarum partes; & in illis subsistant, completæ dici non possunt; solæ autem primæ completæ sunt, quia in se ultimatè subsistunt, nec ulli alii rei conjungi possunt, ut sequenti capite à num. 13. videndum. Hæc verò nunc satis sint de substantia.

Quid sit completum, quid incompletum

Non omne totum completum est, sed ultimatum.

D. Joan. Damasc. lib. Phys. c. 10.

Quidquid ad aliud ordinatur, incompletum est.

Solæ primæ substantiæ, completæ.

7. *Abass.* Quænam propria est definitio accidentis? *Rom.* Accidens est illud, quod adest, & abest sine subjecti, sivè substantiæ corruptione. Quod ut meliùs intelligas, expende, in quavis substantia non solùm esse suam essentiam, quæ in definitione ponitur; sed alia præter essentiam, quæ in definitione locum non habent; & illi in suo esse substantiali constitutæ advenire intelliguntur; quæ ut essentiam accessu suo non constituunt, sic discessu non destruunt. Nec ideò sunt inutilia, sed valdè necessaria tam ad substantiæ creatæ operationes, quàm ad ornamentum. Creata enim substantia ex se manca est, & imbecillis: & sicut claudus baculo ad ambulandum, sic illa potentiis eget ad operandum. Præterea invenusta est, nec ullo naturæ ornatu perculta; & ideò sicut rasæ tabulæ coloribus, illi opus est aliquibus pigmentis, quibus picturata in aliarum substantiarum conventum pompaticè procedat. Hæc planè sunt accidentia. E quibus aliqua omnem essentiam, ubicumque sit, inseparabiliter comitantur; & naturales illius proprietates dicuntur; quales sunt in substantiis rationalibus intellectûs, & voluntas; in animantibus potentiæ sensitivæ; in viventibus vegetativæ. Sed licèt naturales hæ proprietates inseparabiles sint ab omnibus individuis, quæ eamdem substantiam habent, non tamen sunt in omnibus æquales. Contingit enim in aliquo homine intellectum esse acutiorem, in alio obtusiorem; in aliquo animante potentiam motivam esse perniciorem, in alio tardiorem; quod ostendit, accidentia ad essentiam, quæ in omnibus individuis ejusdem speciei æqualis est, haudquaquàm pertinere. Alia accidentia non in omnibus, sed in aliquibus ejusdem essentiæ individuis separabiliter, & inæqualiter inveniuntur. Ut candor, nigror, rubor. Hic enim homo candidus est, ille ater; hic alio candidior; hic ex candido vi morbi in pallidum, & atrum commutatus. Tandem aliqua accidentia in uno tantùm ejusdem speciei individuo reperiuntur; ut sudor suavè olens in Alexandro; nasus aquilinus in Dario; sextus digitus in aliquo; & facies in omnibus diversæ. Quæ dicitur proprietas characteristica, & hypostatica, quæ determinatum aliquod individuum à cæteris discernit.

Accidentis definitio.

Accidentiũ necessitas.

Accidentia, & proprietates non sunt in omnibus substantiis æquales.

Proprietas characteristica, quæ sit.

8. *Abass.* Cur dixisti suprà, omnia à Deo creata in duas hasce substantiæ, & accidentis classes esse distributa; vel ad illas revocari? Quænam sunt illa, quæ revocantur? *Rom.* Modi, de quibus actum cap. 5. num. 7. propriè nec sunt substantiæ, quia per se non subsistunt; nec accidentia, quia separari non possunt à substantia, vel accidente. Sed substantiales in substantiæ asylo, accidentales in accidentium diversorio commorantur, substantiales, sunt omnes partium substantialium uniones, & subsistentiæ; accidentales, accidentium inhærentiæ.

Modipartim ad substantiam, partim ad accidentia revocantur.

9. *Abass.* Qualis est substantiæ, & accidentium compositio, & cur est à Deo aliena? *Rom.* In omnibus substantiis creatis cernitur ipsarum essentia, & ingens accidentium caterva; ergo datur in illis compositio ex substantia, & accidente, quæ indicatur

Omnes res creatæ compositæ sunt ex substantia, & accidente.

Digitized by Google

indicatur nominibus concretis accidentium; qualia sunt album, nigrum, calidum, & similia; quæ, ut dictum est cap. 2. num. 5. simul & substantiam, sivè subjectum, & ipsum accidens connotant. Album enim significat substantiam, quæ habet albedinem; nigrum illam, quæ atro colore infucatur. Quare non est difficile ostendere, non posse hanc compositionem in Deum cadere. Quomodò enim esset perfectus, & immutabilis, si ei aliquod accidens posset adesse, vel abesse? Quomodò summum, ac totum bonum, si aliquid boni illi esset ab accidentibus emendicandum?

Accidens non potest esse in Deo.

CAPUT VIII.

Ostenditur, in Deo non esse compositionem ex natura, & supposito; & quid sit suppositum.

Varia naturæ nomina.

1. *Abass.* Quænam est compositio ex natura, & supposito? *Rom.* Naturam cap. 6. num. 5. ostendi, idem esse cum rei substantia, essentia, genere, vel specie, forma, quidditate, & definitione. Dicitur autem natura, quod primum, & radicale sit rei, quæ nascitur, principium; & prima naturalis motûs, & operationum origo. Quæ in omnibus, & singulis ejusdem generis, vel speciei individuis æqualiter invenitur; nec præter puram essentiam ullius rei accidentariæ, aut extrinsecæ consortium admittit.

Natura solam essentiam complectitur; suppositum naturam, & omnia, quæ sunt in singulari substantia. Concil. Ephes. in Epistolis D. Cyrill. 5. & 6. Synodus.

2. *Abass.* Quid verò est suppositum? *Rom.* Suppositum idem est, quod hypostasis, prima substantia, res subsistens (undè ab aliquibus Conciliis dicitur etiam subsistentia) particulare, singulare, individuum; & in substantiis rationalibus persona; de qua modò non est agendum sub proprio nomine personæ, sed sub communiori nomine Latino suppositi, & Græco hypostasis; quæ significant substantiam, ut supposita est omnibus, quæ eidem inesse, vel de ea dici possunt; ac proindè substantiam individuam, & singularem, sivè primam, cui omnia accidentia, & ipsæ secundæ substantiæ, sivè naturæ insunt. Ut enim diximus capite superiore, numero 4. ex Aristotele: *Nulli substantiæ inest, nisi sibi ipsi, & habenti ipsam, cujus nimirùm est substantia*, ideòst, suo individuo, ac singulari, de quo etiam omnia dicuntur. Id enim est subjectum, *de quo*, ut ait idem Philosophus ibidem, text. 3. *Cætera dicuntur, cùm ipsum non item de alio dicatur.* De Petro enim affirmamus, esse animal rationale (quæ ipsius est natura) esse corporeum, ac risibilem (quæ sunt naturæ appendices) esse candidum, vel atrum; rectum, vel gibbosum; glaucum, & cæsium, quæ nihil ad naturam, nec de ea possunt affirmari, cùm in aliquibus tantùm individuis, & in iis inæqualiter visantur: Cùm ergo ad naturam non pertineant, & tamen Petri propria sint, & de Petro dicantur, planum est ad ipsius personam, Petri nomine indicatam, attinere; ipsúmque esse subjectum, cui omnia insunt, & de quo omnia dicuntur, cùm ipse de nullo alio dicatur. Nam à natura communi, sivè à genere, & specie, & ab accidentibus fit descensus ad suppositum, cùm dico, Petrum esse animal, vel hominem; esse candidum, & atrum; sed à Petro nec ad alium Petrum, vel alium hominem fit descensus, cùm tantùm dicatur identicè de se ipso: Petrus est Petrus. Undè etiam suppositum dicitur singulare, quòd de uno tantùm dicatur; particulare, quòd nihil habeat commune, sed speciei subsit, & de parte, nempè, de se ipso, non de toto dicatur. individuum, quòd non possit, sicut naturæ communes, in alia particularia dividi. Hæc tamen nomina, singularis, particularis, & individui non convertuntur cum supposito. Nam multæ substantiæ incompletæ, ut manus, oculi, & similes, sunt particulares, singulares, & individuæ, non tamen suppositæ, quia non sunt substantiæ completæ, neque per se, sed in toto subsistentes. Quæ causa fuit, cur Philosophi, & Theologi *suppositum* definierint *substantiam completam, & incommunicabilem.*

Aristotel. 7. Met. cap. 3.

Ibidem.

Supposita varia nomina.

3. *Abass.* Cur dixêre: *substantiam completam? Rom.* Ut suppositum à natura secernerent. Natura enim est substantia incompleta, juxta doctrinam superiori capite num. 6. assignatam. Quia etsi habeat partes essentiales, quæ omnibus aliis præstantiores sunt, & sit totum in sua ratione; non est totum ultimatum, nec habet, quidquid substantia habere potest. Supposito autem nihil deest tam partium essentialium, quàm integrantium; imò & accidentium, quæ ipsum decent, usque ad termini appositionem. Undè completum, & perfectum, & totum dicitur. *Totum enim, & perfectum,* ex Aristotele, *vel idem sunt, vel maximè affinia. Perfectum autem nihil dici potest, si finem non habet.* Sic domus completa, & perfecta, & tota non dicitur, nisi cùm fastigio consummatur. Ergo suppositum dicitur substantia completa, quia habet substantiæ finem, & terminum, & complementum; & ideò est totum ultimatum.

Suppositum est substantia completa.

Aristot. 3. Physic. c. 7. text. 64.

4. *Abass.* Quodnam est illud complementum, sivè finis, sivè terminus substantiæ? *Rom. Omnia* Deum *in mensura, numero, & pondere* disposuisse, tradit Sapiens. Ut ergo in mensura, numero, & pondere est aliquid primum, aliquid medium, & aliquid ultimum, à quo sumitur denominatio, sic se res habet in substantiis. Palmus (qui est mensura) constat duodecim digitis; si undecim tantùm apponas, palmus non est; ultimi adjectio, vel etiam unguis transversi palmum absolvit. Denarius, numerus est conflatus ex decem unitatibus; novem illum haudquaquàm perficiunt; sed unam si addideris, denarium habebis. Auri uncia (quæ pondus est) decem apud vos drachmas continet; si illi unica drachma, vel exiguum

Subsistentia est complementum substantiæ.

Sap. 11. 22.

Digitized by Google

exiguum granum subtrahatur, uncia non est; at ubi granulum adjecisti, unciam reddidisti. Similiter quævis substantia naturam suæ mensuræ, numeri, ac ponderis cæmentum habet; potentias, proprietates, & accidentia, tamquàm digitos, drachmas, & unitates; sed præfinitam sibi mensuram, numerum, & pondus non adæquat, dum non attingit modum quemdam, qui dicitur subsistentia; estque illius finis, terminus, actus ultimus, & complementum, quod ipsam claudit, & perficit; non quidem in ratione essentiæ, sed in ratione existentiæ.

Subsistentia modus est.

5. *Abass.* Cur illam subsistentiam vocas modum? *Rom.* Capite 5. num. 7. docui, modos esse entitates, quæ res à sua essentia non dimovent, sed additi, vel detracti alium, atque alium statum illis conferunt. Tales sunt, existentia in se, quæ est subsistentia (quam habent omnia suppositа) & existentia in alio, quam habet Christi humanitas in Verbo; & omnia accidentia in subjecto. Ut ergo idem est accidens, cùm subjecto inhæret, & cùm in Eucharistia est extra subjectum (sed dum est in subjecto, habet inhærentiam; dum extra subjectum, habet existentiam in se, qui sunt diversi modi) & idem est homo, sivè stet, sivè sedeat, sivè cubet; sic eadem est substantia, sivè in se, sivè in alio existat; licèt existentia in alio, & subsistentia diversi sint modi.

Subsistentia est finis, & terminus substantiæ. Aristot. 5. Metaph. cap. 17.

6. *Abass.* Subsistentiam modum esse agnosco; quo pacto est finis, terminus, & complementum substantiæ? *Rom.* Per Aristotelem, *cujusque rei terminus est ille, intra quem sunt omnia, quæ ad ipsam spectant, & extra quem nihil ipsius est.* Ut agrorum termini sunt viæ angustiores, quibus privatorum possessiones ità definiuntur, ut intra ipsos sit quidquid ad quemvis possessorem pertinet, extra ipsos nihil contineatur. Ità subsistentia terminus est, qui cujusque substantiæ singularis fundum ità perfectè circumscribit, ut intra ipsam sit quidquid ad quodlibet individuum spectat, ultra ipsam verò nihil illius reperiatur. Habent quidem omnia, ut dixi, sphæræ suæ principium, medium, ac finem. Sed principium propriè terminus dici non potest, cùm rem non terminet, sed inchoet; licèt dici possit terminus extrinsecus alterius rei, cum qua aliquam habeat connexionem. Ità existentia terminus extrinsecus est essentiæ objectivæ, seu non existentis, quia terminat illius non esse; essentiæ autem existentis principium est, non terminus; quia cùm substantiæ cognitionem indagamus, in sola ipsius existentia non conquiescimus; sed ulteriùs extendimur, donec ad existentiam per se, quæ est subsistentia, perveniamus; ad quam substantia, etiam postquàm existit, adhuc est in via; nam potest, vel in se, vel in alia substantia existere. Sicut accidentis naturam non plenè assequimur, dum ipsum existens consideramus, nisi ad ipsius existentiam in alio, quæ est inhærentia, procedamus. Ut ergo inhærentia terminus est accidentis, ultra quam non datur in illius cognitione progressus, sic subsistentia terminus est substantiæ, quia in illa substantiæ ratio, & cognitio conquiescit. Est autem subsistentia terminus substantiæ in ratione existentiæ, non in ratione essentiæ; quia ut essentia perfectè sine existentia, sic etiam sine subsistentia intelligitur; sed ipsa existentia substantiæ plenè non agnoscitur, nisi esse per se existentiam intelligatur.

Existentia magis est principium, quàm terminus substantiæ.

Soar. disp. 14. Met. sect. 4. n. 24.

7. *Abass.* Cur dixisti, subsistentiam esse actum substantiæ? *Rom.* Actus potentiæ respondet, eámque à potentialitatis imperfectione absolvit. Est autem in qualibet potentia actus primus, secundus, & ultimus. Actus primus est ipsamet potentia existens, & in promptu ad agendum; ut in homine intellectus, & voluntas; in igne potentia calefaciendi. Actus secundus est operatio ejusdem potentiæ; ut intellectio, volitio, calefactio. Actus ultimus est forma producta per illam operationem; ut conceptus, amor, calor. Illi autem dicuntur primi, vel secundi, quia potentia post illos adhuc est in via ad aliquem ulteriorem; sed ille ultimus est, post quem nullus restat potentiæ consequendus. Ità subsistentia ultimus est actus substantiæ, quia cùm substantiam illa informatam contemplamur, nullus ei potest actus alius advenire. Dum enim essentiam objectivam consideramus, agnoscimus eam in via ad existentiam; dum illam jam ut existentem perpendimus, adhuc est in bivio, ut in se, vel in alio existat; cùm autem in se existentem intelligimus, gradum figimus, nec ad quidvis aliud extendimur.

Subsistentia est actus ultimus substantiæ.

Nec natura, nec subsistentia sola, dicitur suppositum, sed natura terminata subsistentiâ.

8. *Abass.* Quid est illud, quod propriè dicitur suppositum, vel hypostasis? Natura sola, an sola subsistentia, an quidvis aliud? *Rom.* suppositum non est sola natura, nec sola subsistentia; sed natura vestita potentiis, & accidentibus, & terminata subsistentiâ. Quod facilè intelliges, si recolas, quæ superiùs num. 4. dicta sunt de mensura, numero, & pondere. Ut enim palmus non sunt quatuor, vel sex, vel decem digiti, neque ipse duodecimus per se sumptus, sed tota decem digitorum plenitudo, quam duodecimus inducit; nec denarius est, vel uncia, quod habet quinque, vel octo unitates, atque drachmas: neque ultima unitas, vel drachma seorsim sumpta: sed illud, quod habet aggregationem decem drachmarum, vel unitatum, cui ultima unitas, vel drachma, vel etiam minimum scrupulum rationem, & nomenclaturam denarii, vel unciæ invehit; sic neque natura, neque potentiæ, neque accidentia sola suppositum, vel personam constituunt: sed istorum omnium collectio subsistentiæ fastigio coronata. Undè inferes, distingui naturam, & suppositum, tamquàm simplex, & compositum; vel magis simplex à magis complexo; & partem, ac totum.

Subsistentia ultimò producitur à generante.

9. *Abass.* Quandò, & à quo producitur subsistentia? *Rom.* Cùm subsistentia sit terminus substantiæ, ultimo loco post cæterorum

Digitized by Google

rorum conventum illi advenit. Sicut, cùm apud vos vinum ex melle aquâ macerato conficitur, primò mel in amphoram jacitur, deindè aquâ diluitur, tum alia medicamenta adhibentur; nec statim vinum dicitur, vel cùm fervet, & spumat; sed cùm ad certum temperamenti terminum accedit, quod condimentarii hoc verbo explicant: *Pervênit.* Ità in substantiis natura substernitur: potentiæ, & accidentia adjiciuntur; sed non est dicendum suppositum [illegible]enisse, nisi cùm ultimo loco accedit [illegible]stentia, quæ si substantia creatur, à Deo creatore: si gignitur, à generante principaliter producitur, partibus essentialibus, ideſt, materiâ, & formâ, seu naturâ ad illam etiam concurrentibus.

D. Thom. 3. p. q. 2. a. 3. a. d. 1. & q. 16. in corp. & ad. 1. Soar. in Metaph. disp. 34. sect. 6. n. 9.

Quatuor munera subsistentiæ.

10. *Abaſſ.* Quod est munus subsistentiæ? *Rom.* Non unum, sed quatuor sunt illius munera. Primum, naturam indeterminatam, & quasi vagantem ad hoc individuum astringere. Secundum, hoc suppositum, sivè individuum penitùs à quocumque alio separare. Tertium, suppositum incommunicabile reddere. Quartum, suppositum completum operandi principium, seu principium quod constituere.

1. Subsistentiæ munus, naturam determinare.

11. *Abaſſ.* Quo pacto subsistentia naturam indeterminatam, & quasi vagantem ad hoc individuum adstringit? *Rom.* Dixi n. 6. & 7. essentiam, sivè naturam, etiam cùm existit, in via esse, ut sibi ipsi relinquatur, & in se existat, vel ut alii substantiæ applicetur, ut in ipsa existat. Si ergo sibi relinquitur, fit suppositum, in quo ipsa sibi inest, sibi astringitur, & ad hoc individuum, Petrum scilicet, vel Paulum determinatur.

D. Basil. Epist. 43. ad D. Greg Nyssen.

Quare D. Basilius agens de differentia naturæ, & hypostaseos docuit, *substantiam, sivè naturam esse quid indeterminatum; hypostasim verò, sivè suppositum naturam determinatam.*

D. Cyril. lib. 1. de Trinit.

Et D. Cyrillus, *substantiam esse quid commune, hypostasim verò terminum substantiæ, seu substantiam determinatam.* At suppositum in creaturis non solùm naturam subsistentiâ definitam includit, sed plura accidentia determinata, quæ nullo modo ad naturam ità pertinent, ut essentiam constituant, aut de illa prædicentur. Quod movit D. Joannem Damascenum, ut diceret, *fieri non posse ut duæ hypostases accidentium numero, & ratione inter se non differant; & accidentia notas esse illarum characteristicas.* Ex quo patet, magnum esse discrimen inter substantiam, & hypostasim; sivè inter naturam, & personam. Quia natura essentiam solitariam, persona verò eamdem multis ornamentis phaleratam, & subsistentiâ terminatam complectitur. At verò inter rem nudam, & vestitam magnum discrimen intercedit.

Suppositum in creaturis multa accidentia includit.

D. Joan. Damasc. Dialect. cap. 30.

2. Subsistentiæ munus, suppositum omninò à re quavis separare.

12. *Abaſſ.* Quo pacto subsistentia suppositum à quocumque alio separat? *Rom.* Dixi num. 6. & 7. subsistentiam esse terminum, & ultimum actum substantiæ: termini autem, & actus ultimi officium est, rem, in qua sunt, à quavis alia penitùs separare. Res enim terminata, dum terminum suum servat, non potest cum alia confundi, ut num. 14. ostendemus. Actus etiam ultimus, qualis est subsistentia, rem, in qua est, à cæteris discernit. Quia ex potentia, & actu fit unum quid; nec potest dari unitas in compositione, nisi potentia cum actu conjungatur; sed res, quæ est in actu ultimo, nunquàm potest in potentia ad aliud, quod ipsius sit actus, considerari. Undè dixit Philosophus, ex duabus substantiis, sivè rebus existentibus, unam fieri non posse, quia res existentes sunt actu, *actus autem separat.* Ergo cùm suppositum habeat subsistentiam, quæ est terminus, & actus ultimus substantiæ, illius beneficio separatum est à quacumque alia substantia. Undè D. Joannes Damascenus, secutus D. Cyrillum à nobis allegandum lib. 3. cap. 2. num. 6. personam sic definit: *Persona est substantia separata.* Et D. Athanateus in vestro libro dixit egregiè: *Non habet Filius unigenitus duas substantias separatas*; ideſt, duas personas.

Aristotel. 8. Metaph. cap. 1. text. 3.

Aristotel. 7. Metaph. cap. 13. text. 49.

D. Joan. Damasc. lib. Dialect. cap. 65.

D Athanas. p. 8. n. 1.

3. Munus subsistentiæ. Suppositis communicationem, & unionem similitudinariam non tollit subsistentia.

13. *Abaſſ.* Quomodò reddit subsistentia suppositum omninò incommunicabile alii supposito? *Rom.* Multiplex est communicatio, & unio similitudinaria. Datur enim communicatio politica multorum hominum in eadem civitate, vel exercitu. Datur & domestica viri, uxoris, filiorum, & servorum in eadem domo. Datur & amicitiæ communicatio, per quam *conglutinata est anima Jonathæ animæ Davidis.* Et: *Omnium credentium fuit cor unum, & anima una.* Est etiam communicatio per contactum, ut cùm duo corpora obvia se contingunt; vel ex arte, ut cùm duæ tabulæ glutino, vel duo metalla plumbo sociantur; vel fortuitò, ut lapides in acervo. Potest etiam esse communicatio per penetrationem; si duæ res, ambæ corporales, vel ambæ spirituales, vel una corporalis, & altera spiritualis sint in eodem loco. Sicut Christus Dominus ingressus est ad discipulos januis clausis, & multi dæmones habitant in corporibus obsessis. Has communicationes, & quasvis alias similes subsistentia supposito non adimit; quia quæ ità communicant, in se ipsis subsistunt, & verè plura sunt, & tantùm nomine, & similitudine unum; sed tollit eam communicationem, quæ fit per veram compositionem, & unionem.

1. Reg. 8. 1. Act. 4. 32.

Joan. 20. 19.

Subsistentia tollit à supposito verâ cum quovis alio unionem.

14. *Abaſſ.* Cur tollit subsistentia supposito eam communicationem, quæ fit per veram compositionem, & unionem? *Rom.* Unio compositionis sic unum conflat ex duobus, vel pluribus, ut illa in se ipsis non subsistant; nec jam sint duo, vel plura tota actu, & separata, sed partes unius totius, & unum totum. Sicut in homine anima, & corpus non sunt duo tota separatim existentia, sed partes unius hominis, & unus homo. Si ergo suppositum esset communicabile alii supposito per compositionem, & unionem, ex illis duobus suppositis fieret unum tertium, cujus ipsa partes essent. Quòd si fieret, utrumque suum terminum amitteret, & jam neutrum illorum esset suppositum, sed ambo partes illius tertii.

15. *Abaſſ.*

Digitized by Google

Si duo suppositа verè unirentur, utrumque suum terminum amitteret, & ambo eundem terminum communem vendicarent.

15. *Abass.* Cur utrumque illorum suppositorum suum terminum amitteret, si alterum alteri uniretur? *Rom.* Dixi num. 6. ex Philosopho, de ratione termini ultimi esse, ut nihil rei, quam terminat, extra ipsum esse possit; si enim esset, jam ipse terminus ultimus non esset. Si ergo suppositum cum alio supposito uniretur, oportebat, ut neutrum illorum suam per se subsistentiam, & ultimum terminum haberet, sed ambo communem aliquem, quo continuarentur, & unirentur. Nam ex Aristotele, *continua sunt, quæ communi termino copulantur.* Ergo si duo illa suppositа unum terminum communem habent, jam prior ille ultimus non erat; & ipsa, quæ dicebantur esse ultimò terminata, & in se subsistentia, sunt extra suos terminos, & alterum in alterius, vel in tertii cujusdam finibus constitutum; cùm jam non in se, sed alterum in altero, & ambo in quodam tertio subsistant. Quod, ut meliùs intelligas, sume duas tabulas palmares, quarum utraque sui palmi termino finiatur. Si illas ità velis conjungere, ut, servatis iis terminis, una tabula fiant, frustrà laborabis. Solùm enim se contingent, & terminorum complexu arctabuntur. Contigua enim sunt illa, quorum termini se tangunt. Si autem divinâ virtute fiat, ut altera alteri uniatur, (sicut ossa in campo priùs disjecta, apud Ezechiëlem) tunc utraque privatum terminum amitter, & ambæ communem sortientur. Quo sumpto, jam non erunt duæ tabulæ palmares, sed una tertia bipalmaris ex duarum copula resultans. Ità si duo suppositа unirentur, utrumque suppositi rationem amitteret, & neutrum in se, sed in quodam tertio subsisteret.

Aristotel. in Prædicam. cap. de Quantitate.

Ezech. 37. 7.

Cur ex duabus aquis fit una aqua, non ex duobus suppositis unum suppositum.

16. *Abass.* Si aquam, quæ in duobus vasis est, simul in unum congeras, ex duabus aquis fiet una aqua. Ergo ex duobus suppositis, vel personis potest fieri una persona, & suppositum. *Rom.* Hujus dubii solutione tota quæstionis difficultas expeditur. Cùm duæ illæ aquæ separatæ sunt, duo suppositа constituunt, quorum unumquodque suo termino definitur. Cùm autem conjunguntur, unaquæque priorem terminum amittit, & ambæ communem quemdam continuatione sortiuntur; & fit una aqua. Nec id aquæ difficile, cùm liquida sit; *liquida verò illa sunt, quæ habent terminos facilè communicabiles.* Si ergo duo quævis alia suppositа ità conjungerentur, ut alterum alteri intimè communicaretur, corrumpendi essent privati cujusque termini. *Oportet enim*, inquit Aristoteles, *id, ex quo aliquid fit, non permanere, sed mutari.* Si autem termini mutarentur, & corrumperentur, jam non fieret duorum suppositorum, sed duarum naturarum communicatio; quod non repugnat, cùm naturæ sint substantiæ incompletæ. Hoc tamen discriminis interest inter duas aquas, si commiscerentur, & duo alia diversarum naturarum suppositа, si corruptis terminis conjungerentur; quòd duæ aquæ, cùm liquidæ sint, & invicem transmutabiles, in unum suppositum, & eamdem substantiam coirent; duæ verò naturæ solidiores supposito, sed non unicâ naturâ necterentur. In quo longè aberravit Senuteon, cùm duarum Christi naturarum unionem similitudine duplicis aquæ in urnam conjectæ declaravit.

Soar. disp. 34. Metaph. sect. 5. n. 3. 4. & deinceps.

Aristotel. lib. 1. de gener. cap. 10. text. 89.

Aristotel. 7. Met. cap. 7. text. 26.

Senuteon p. 2. n. 11.

17. *Abass.* Etsi juxta usitatum naturæ ordinem repugnet, ex duobus suppositis unum conflari, id non videtur divinæ potentiæ denegandum: Cui, *non est impossibile omne verbum. Rom.* Verbum quidem, ideſt, omne illud, quod divinus intellectus, ut verum ens concipit, non est invium ipsius Omnipotentiæ. Illud tamen, quod ex ipsis terminis repugnat, Dei Verbum non est, sed mendacium, & omninò impossibile; quia impossibile est illud, cujus termini in eadem re conjungi non possunt. Tale quid esset, si Deus efficere vellet, ut ex duobus suppositis in sua integritate persistentibus unum fieret. Simul enim vellet, ut essent duo, & non essent duo; ut essent unum, & non essent unum. Qui termini in eadem re simul conjungi non possunt, juxta duo illa principia, quæ omnium prima sunt. *Impossibile est, idem simul esse, & non esse. Impossibile est idem de eodem, secundùm idem, simul affirmari, & negari.* De quibus libro 4. capite 1.

Nec per Dei potentiam potest fieri unum suppositum ex duobus. Luc. 1. 37.

Quid sit impossibile. Aristot. l. 1. de cœlo text. 111.

18. *Abass.* Rectè quidem de suppositi incommunicabilitate; jam ostende, quo pacto subsistentia suppositum constituat completum operandi principium, sivè principium quod; & quidnam sit istud principium quod? *Rom.* Duplex est, ex D. Thoma, cujusque rei perfectio: prima, & secunda. Prima est in ordine ad se ipsam, quatenus intrinsecè completa est; quæ perfectio consurgit ex integritate omnium partium, quas naturâ suâ exigit, & subsistentiæ adventu consummatur. Secunda est in ordine ad finem. Omnia enim, quæ naturam, ideſt, intimum motûs principium in se habent, in finem aliquem ordinantur, in quem insita inclinatione feruntur, nec illum sine aliqua operatione consequi valent. Hinc est, quòd Philosophus dixerit: *unamquamque rem esse propter suam operationem.* Quia aliquorum agentium finis est ipsa operatio, ut citharistæ fidium pulsatio; omnium hominum, Dei contemplatio. Aliquorum autem finis, est aliquod opus, ad quod viam sternit operatio; ut domus finis est architecti, quæ nequit sine ædificatione absolvi. Secunda ergo perfectio est operatio, quæ primam completam supponit. Cùm verò subsistentia sit complementum primæ perfectionis suppositi, antecedenter se habet ad omnes illius operationes; non quidem ut forma agens, sed ut ratio agendi. Quia priùs est, rem in suo esse absolutam esse, quàm operari; cùm modus operandi sequatur modum essendi, & per operationem substantia esse effectui conferat; nec conferre possit id, quod perfectè non habet, sicut fons in agros redun-

4. Munus subsistentiæ.

Subsistentia requiritur antecedenter in supposito, ut operetur. D. Thom. 1. p. q. 73. a. 1. in corp.

Aristotel. lib. 1. Eth. cap. 1. & lib. 8. cap. 1. & lib. 1. Polit. cap. 1.

Soar. in Meta. disp. 13. sect. 2.

Idem disp. 14. sect. 7. n. 6. 9. 10.

D. Thom. 1 p. q. 89. a. 1. in corp.

Digitized by Google

dare nequit, nisi in se plenus sit. Hinc natum est commune illud Philosophorum, & Theologorum proloquium: *Actiones esse suppositorum, seu versari circa singularia*; quia à suppositis tamquàm à principalibus agentibus, & principiis, ut quod, egrediuntur, & ad suppositа tamquàm ad terminum adæquatum, & ut quod, feruntur.

Aristotel. 1. Metaph. cap 1. & 1. de Anima, text. 64. Soar. disp. 34. Metaph. sect. 7. n. 11.

19. *Abass.* Quidnam illud est: actiones egredi à suppositis? *Rom.* In omni motu, sivè operatione aliquid primum, & aliquid postremum dandum est; quia omnis operatio finita est; finitum autem est illud, quod terminis utrinque clauditur. Illud autem primum tale esse debet, ut moveat, & operetur non motum intrinsecè ab alio; si enim semper aliud ab alio moveretur, daretur motus infinitus ex parte principii, quod natura non admittit; in qua omnis motus reducitur ad aliquam causam secundam non motam intrinsecè ab alia secunda; & ad unam primam, quæ extrinsecè omnes secundas movet. Illa causa secunda, quæ movet non mota intrinsecè ab alia, dicitur agens principale, sivè principium quod; quia ipsum est, quod agit, quin agatur, & cui actio principaliter tribuitur. Hoc verò est suppositum, in quo solo sistendum est in quavis operatione; non autem in quavis alia forma, vel potentia, vel parte, à quibus etiam motus procedit; quæ omnia dicuntur principium quo, quia sunt illa, quibus suppositum agit ut instrumentis, & quæ ipsum agit. Quod exempla tibi facient manifestum. Cùm Petrus scribit, calamus movetur à digitis, digiti à manu, manus à brachio, brachium ab humeris, humeri à corpore, corpus à phantasia, phantasia ab intellectu, intellectus ab anima, sivè à natura, natura à Petro; Petrus verò à nulla alia re intrinsecè movetur, nisi à semetipso, & extrinsecè à Deo. Ergo Petrus (quod est suppositum) est causa principalis, & principium quod scriptionis; solus enim ipse scribit non motus ab alio; cætera autem tamquàm instrumenta concatenato ordine invicem moventur. Petrus enim movet naturam suam, sivè animam, anima intellectum, intellectus phantasiam, phantasia corpus, corpus humeros, humeri brachium, brachium dexteram, dextera digitos, digiti calamum. Hæc verò omnia sunt principia quo, & instrumenta suppositi. Quia si rogeris: quo scribit Petrus? respondendum est: calamo, brachio, humeris, corpore, phantasiâ, intellectu, animâ; nec in quolibet eorum gradus, sed in solo Petro figendus, cui etiam ultimò facti laus, vel vituperatio tribuenda. Non enim dicimus rectè, librum à Petri calamo, vel etiam manu, sed à Petro exaratum. Undè ad suppositum, & naturam dignoscendam duæ tibi sunt regulæ edocendæ.

In omni operatione dandum est aliquid, quod moveat non motum ab alio.

Suppositum movet non motum ab alio, ut principium quod.

D. Joan. Damasc. lib. 1. de Fid. cap. 8.

D. Thom. 1. p. q. 41. a. 5.

Joann. Theolog. in Concil. Florent. sess. 18.

Soar. lib. 6. de Trinit. cap. 5 & 6.

Actiones ultimò suppositis tribuuntur.

20. *Abass.* Quænam prior est regula? *Rom.* Illud principium quo, quod propinquius inest suppositо, seu principio quod, dicitur natura, quam Philosophus ità definivit: *Natura est principium, ut id moveatur, & quiescat, in quo primò, & per se, non ex accidenti inest.* Ubi adverte, aliud esse naturam, aliud verò id, in quo ipsa est, quod est suppositum. Illi verò primò, & per se inest, quia est radicale principium motûs; nec inter naturam, & suppositum quidquam aliud intercedit.

Natura est principium primum quo.

Vide cap. 6. n. 5.

Aristotel. lib. 2. Phys. cap. 1. text. 3.

21. *Abass.* Quænam regula posterior? *Rom.* Suppositum dici non potest quidquid habet rationem partis, vel instrumenti. Instrumentum dicitur, quidquid ab alio movetur, etsi virtutem ad talem motum in se habeat. Ut manus instrumentum est ad scribendum, ignis ad cauterium inurendum; quamvis illa duo innatâ virtute ad eas operationes incitentur. Instrumentorum autem quædam dicuntur conjuncta, quædam separata. Conjuncta, quæ cum causa principali veram habent unionem; ut digiti cum manu, manus cum brachio. Separatorum autem duo sunt genera; quædam omninò sunt divulsa, ut patris semen in matris vulva ad gignendum; & radii solares in speculo ad ignem eliciendum; quædam solo tactu conjunguntur, ut calamus, ascia, securis.

Nihil, quod se habet ut pars, vel instrumentum, dici potest suppositum.

D. Thom. 4. Contra Gent. c. 41.

Quid sit instrumentum.

22. *Abass.* Quid tandem est illud, quod dixisti: omnem operationem ad suppositum terminari? *Rom.* Omne agens simile sibi efficere conatur. Ut ergo in agente est aliquid, quod operatur ut quod, nempè, suppositum; & aliquid, quo operatur, idest, forma; Sic in re, quæ fit, est aliquid, quod fit per se, quod est suppositum, & dicitur terminus adæquatus, vel ut quod; & aliud, quo fit, seu terminus ut quo, quæ est forma, quâ constituitur suppositum; quæ nunquàm dici potest propriè fieri, sed fieri in suppositо, vel cum suppositо. Ut enim quæque res est, ità fit; quia fieri tendit ad esse; sed id propriè est, quod per se subsistit; illud est impropriè, quod inest rei subsistenti, sivè quod est in alio. Ergo compositum, vel suppositum, quod per se est, per se fit. Forma verò, quæ non est per se, sed in alio, non fit per se, sed in alio, vel in compositо, & subjecto. Præterea forma est in suppositо, tamquam pars illius; partes autem propriè non fiunt, sed totum; partes verò fiunt in toto, seu cum toto. Nam agentis actio una est; ergo requirit unum terminum totalem, quod est suppositum; sed cùm forma, vel quævis alia pars sit in eodem suppositо inadæquatè, seu ut quo, actio etiam ad illam fertur inadæquatè, seu quasi ad terminum quo. Numquàm ergo dicendum est absolutè, formam, vel partem aliquam fieri (significaretur enim esse per se subsistentem) sed fieri in compositо, & toto, vel cum illo. Quod probatur tam in artefactis, quàm in naturalibus. Pater enim generat Filium, non materiam, aut animam, quibus ipse constat. Artifex non facit per se rotunditatem, neque figuram, sed globum æneum rotundum, & imaginem lapideam; in globo tamen facit rotunditatem, in imagine figuram.

Suppositum est terminus ut quod actionis.

Forma non fit propriè, sed fit in compositо.

Aristotel. 7. Metaph. cap. 8. text. 16. 17. lib. 8. cap. 3. text. 8.

Soar. disp. 15. Metaph. sect. 4.

23. *Abass.*

Digitized by Google

Actiones versantur circa singularia.

23. *Abaff.* Quid tandem illud est, quod dixisti : actiones circa singularia versari ? *Rom.* Ostendi num. 2. suppositum, & singulare idem esse ; si ergo actiones à suppositis egrediuntur, & ad suppositа terminantur, etiam circa singularia versantur. Cùm enim universalia per se non existant, nec etiam agunt ; quia per se existentia antecedenter ad operandum requiritur. Neque etiam per se fiunt universalia ; quia non per se, sed in singularibus existunt. Ergo actiones tam ex parte principii, quàm ex parte termini inter singularia versantur. Hinc est, quòd species propriè, & ut quod nec agunt, nec fiunt. Neque enim homo hominem, vel leo leonem ; sed talis leo, talem leonem ; & Jacob Judam genuit. Nec Medicus facit sanitatem, sed Petrum, ac Paulum sanum.

Cur compositio ex natura, & suppositо in Deo locum non habet.

24. *Abaff.* Ex his, quæ de supposito dixisti ; acinum aliquem videor decerpsisse. Tempus jam est declarandi, cur hæc compositio ex natura, & suppositо à Deo, ut unus est, eliminetur. *Rom.* Omnia, quæ dicta sunt à numero 6. usque ad præsentem, id apertè convincunt. Nam subsistentia, quæ est forma suppositi, reddit illud incommunicabile cuivis alii supposito ; Deus autem, ut unus est, communicabilis est tribus suppositis, sivè Personis : Patris, Filii, & Spiritus sancti. Præterea subsistentia suppositum ad omnes actiones, ut quod, eliciendas aptum reddit ; Deus tamen, ut Deus est, nihil operatur, sed ad intra Personæ divisim, ad extra indivisæ, ut quod operantur ; & natura divina, quæ est ipse Deus (quia Deus, & Divinitas sunt idem, ut dictum est cap. 2. numero 13.) tantùm est principium quo operandi. Nam intellectus, quo Pater Filium : & voluntas, quâ Pater, & Filius Spiritum sanctum : & Omnipotentia, quâ tres Personæ creaturas producunt, ipsa est natura divina, quâ operantur, ratione tantùm distincta ; de quo lib. 3. cap. 5. num. 6.

CAPUT IX.

Excluditur à Deo compositio ex Genere, & Differentia.

Quid sit Genus, quid Species.

1. *Abaff.* Ingens tranavimus æquor. Nam in his, quæ de supposito dixisti, arcem munitissimam non solùm ad tela arundinea, quæ nostri in personam (de qua nunquàm non est sermo) obstinatè jaculantur, sed ad alia validiora arcenda substruxisti. Sed antequàm de quarta compositione, quæ est ex genere, & differentia, loquaris, expone quid sit Genus, quid Differentia ? *Rom.* Superiori cap. num. 1. dixi, naturam aliquandò Genus, aliquandò speciem vocari. Quia aliquæ sunt naturæ superiores, quæ sub se habent alias naturas communes, & individua, quæ differunt essentiâ ; ut animal sub se habet hominem, & equum, quæ sunt naturæ essentiâ distinctæ ; Petrum quoque, & Bucephalum, quæ sunt diversæ essentiæ individua. Tales naturæ dicuntur Genera. Sunt aliæ naturæ communes, quæ non naturas communes, sed sola individua ; non quidem essentiâ, sed solo numero differentia suo ambitu coërcent ; ut homo Petrum, & Paulum, & cætera particularia ; equus Bucephalum, Æthonem, Pyroum, & Phlegonthem (quæ sunt equorum nomina) tales naturæ dicuntur species.

Quid sit Differentia.

2. *Abaff.* Quid est Differentia ? *Rom.* Differentiæ sunt quædam notæ, & proprietates, quæ tamquàm uncinuli naturis communioribus adjectæ indeterminatam ipsarum amplitudinem, nunc ad Genera, & Species, nunc ad individua restringunt. Undè nunc genericæ, nunc specificæ, nunc individuales dicuntur. Sic vegetativum, & sensitivum sunt Differentiæ genericæ, quæ adjectæ corpori illud ad plantam, & animal, quæ sunt Genera, traducunt ; rationale, & hinnibile sunt differentiæ specificæ, quia animal ad hominem, & equum, quæ sunt species, devinciunt ; Petri, & Pauli Differentiæ sunt individuales, quia humanam speciem sine ullo essentiæ, sed solius numeri discrimine, Petro, & Paulo, atque aliis individuis astringunt. Differentiam sic Philosophi definiunt. *Differentia est, quâ singula differunt ; seu, quæ res differre facit.* Cujus naturam ut plenè agnoscas, tria tibi sunt advertenda.

Porphyr. in Isagoge.

Ubi est differentia, ibidem datur identitas, & distinctio.

3. *Abaff.* Quodnam est primum ? *Rom.* Ubicumque datur Differentia, datur identitas, & distinctio ; quarum ratione res, quæ differunt, sunt idem ; & non sunt idem respectu diversorum ; sunt idem in natura communi, in qua conjunguntur ; sicut homo, & equus unum sunt in animali ; Petrus, & Paulus unum in homine, sed non unus homo ; Pater, & Filius in divinis unum sunt in essentia : *Ego, & Pater unum sumus*, inquit Christus ; sed non unus, quia non una persona. *Differentia enim*, teste D. Cyrillo, *rebus, quas componit, identitatem non aufert, sed simplicitatem.* Ipsa tamen Differentia ex præcisa sui ratione præstat, ut res, quibus adjungitur, non sint idem ; sed in eas nunc aliud, & aliud ; nunc alium, & alium inducit.

Aristotel. lib. 5. Metaph. cap. 9. & lib. 9. c. 5.

Soar. disp. 7. Met. sect. 3.

Ioan. 10. 30.

D. Cyrill. lib. 7. Thes. cap. 1.

Differentia in naturis efficit aliud, & aliud, in individuis alium, & alium.

4. *Abaff.* Quidnam isthuc est : Differentiam in rebus, quibus adjungitur, nunc aliud, & aliud, nunc alium, & alium efficere ? *Rom.* Hoc tibi est secundo loco advertendum. Differentia, quæ invenitur in natura communi, vel illius ratione in individuis, efficit aliud, & aliud. Aliud verò, & aliud in eadem re simul esse possunt, ut in eodem homine aliud est caput, aliud oculi, aliud manus. Sed differentiæ, quæ in solis particularibus inveniuntur (& ideò dicuntur individuales) ut unum, & unum, sic alium, & alium efficiunt. Alius verò, & alius simul esse non possunt ; sicut neque unus, & unus. Cùm

D. Joan. Damasc. lib. Dialect. c. 5. & 17.

Digitized by Google

enim communes naturas numeramus, non dicimus: Alius est equus, alius leo, alius homo; Sed: Aliud est equus, aliud leo, aliud homo. Et homo, seu natura humana habet in se rationale, quæ est propria ejus differentia; & sensitivum, quæ est Differentia animalis; & vegetativum, quæ est differentia plantarum, quin ipsum tot Differentiæ alium, & alium, sed aliud, & aliud reddant. Dicimus enim: In homine aliud est rationale, aliud sensitivum, aliud vegetativum. In Petro aliud est homo, aliud animal, aliud planta; quia has differentias non ratione sui, sed naturæ communis in se includit. At cùm individua numeramus, non dicimus: Aliud est Petrus, aliud Paulus; sed alius, & alius. Ratio hujus discriminis est, quia aliud, & aliud innuit solùm distinctionem, quæ in rebus unitis dari potest, (ut ostendi cap. 5. num. 9.) alius, & alius divisionem, & separationem, quæ à Differentiis individualibus, non à communibus inducitur. Differentiæ enim communes, seu communium naturarum sunt formæ primæ, vel mediæ, quæ separationem non inferunt; Differentiæ verò individuales sunt formæ ultimæ, sivè termini, & actus naturarum communium; terminus autem, *& actus omninò separat*; ut demonstratum est cap. 8. numero 12. Quæ doctrina est Divi Cyrilli in Thesauro: *Non omnis*, inquit, *Differentia separat, sed quæ naturas definit*; idest, individualis. Et D. Gregorii Nazianzeni, cùm ait: *In Trinitate est alius, & alius, non aliud, & aliud. In Christo verò aliud, & aliud, non alius, & alius.* Quæ verba lib. 5. cap. 19. num. 6. pleniùs declaranda ocurrent.

Aristotel. lib. 7. Metaph. cap. 13. text. 49.

D. Cyril. lib. 2. Thesauri, cap. 2.

D. Greg. Naz. Orat. 51. quæ est Epistola 2. ad Cledonium.

5. *Abass.* Quodnam est tertiò advertendum? *Rom.* Differentia, & illud, quod per eam constituitur, non includitur in ratione naturæ communis, nec ad illius essentiam pertinet, sed illi adventitium censetur. Neque enim rationale, vel hinnibile: nec homo, vel equus pertinent ad essentiam animalis, quia sine iis potest concipi, & conservari in aliis speciebus. Nec Petri, & Pauli Differentiæ ad hominis essentiam pertinent, quia sine Petro, & Paulo in aliis individuis humanâ naturâ viret, & efflorescit.

Differentia, & res per illam constituta ad Generis essentiam non pertinet.

6. *Abass.* Cur hanc compositionem in Deo inficiaris? *Rom.* Primò propter rationem proximè tactam. Cùm enim Differentia sit extra rationem naturæ communis, sivè essentiæ, si Deus compositus esset ex Genere, & Differentia, aliquid in eo esset, quod ad ipsius essentiam non pertineret. *Quidquid autem*, inquit Divus Cyrillus, *vero Deo consubstantiale non est, id naturâ Deus esse non potest.* Secundò propter rationem numero 3. propositam. Quia ubi datur differentia, datur identitas, & unitas naturæ, in qua conveniunt illa, quæ differunt. Cùm autem Deus unus sit, nec cum aliis diis in natura convenire possit; nihil relinquitur, cum quo conveniat, nisi creaturæ. Ergo Deo, & creaturis communis conceptus, & natura esse posset; cùm tamen ipse testetur: *Sicut exaltantur cœli à terra, sic exaltatæ sunt cogitationes meæ à cogitationibus vestris, & viæ meæ à viis vestris.* Divus Deonaceos Areosfagos: *Deus absconditus, abstrusus, & ab omnibus exemptus est; eisque præstat immensa dignitate; nihilque eorum, quæ sunt, ei simile propriè, atque omninò appellari potest.* Licèt enim creaturæ substantiæ dicantur, & substantiæ nomen Deo tribuatur, est tamen substantia infinita, illimitata, & *quæ*, ut ait Divus Anselmus, *nullo communi tractatu creaturarum includitur; & à cujus essentiali communione omnis creatura excluditur.* Tertiò propter rationem numero 4. assignatam, quia differentia naturæ addita illam vel aliud, & aliud, vel alium, & alium reddit. Sed in divina natura (omittimus interim Personas) non est alius, atque alius Deus; nec aliud, atque aliud; sed una, & simplicissima essentia. Neque obstat, quòd inter Genus, & Differentiam solius rationis distinctio intercedat, & Deum rationis distinctio non dedeceat; quia jam præmonui capite 5. numero 13. & cap. 6. numero 8. eam distinctionem rationis, quæ aliquam imperfectionis fæcem admistam habeat, à Dei conceptu exterminandam.

Isai. 55. 9.

D. Dionys. lib. de cœl. Hierarch. cap. 12.

D. Anselm. in Monolog. cap. 26.

Cur Deo repugnet cõpositio ex Genere, & Differentia.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 1.

CAPUT X.

Excluditur à Deo compositio ex potentia, & actu.

1. *Baff.* Quænam est quinta compositio? *Rom.* Ex potentia, & actu. *Potentia verò est illud, quo quis agit, aut patitur.* Undè duplex est genus potentiæ; alterum activæ, alterum passivæ. Potentia activa in creaturis semper est aliqua qualitas ipsarum essentiæ superaddita, quæ est principium alicujus operationis. Potentia passiva est id, quo res patitur id, quod in ipsa fit ab agente. Sunt autem aliquæ potentiæ purè activæ, quæ ità agunt, ut nihil patiantur, aut in se recipiant; ut in animantibus potentia motiva: in hominibus intellectus agens; & aliquæ partim activæ, partim passivæ; ut quinque sensus corporei, qui rerum externarum species recipiunt, suasque sensationes, (quæ sunt operationes) eliciunt, & recipiunt; & omnes potentiæ, quæ operantur immanenter; ut intellectus, & voluntas, quæ suarum operationum activum sunt principium, ipsarúmque subjectum. Nulla datur qualitas, quæ sit potentia purè passiva; id autem sola vendicat materiæ primæ entitas, quæ absque ulla ad agendum titillatione patienter omnium formarum irruptionibus, & eruptionibus substernitur.

Potentiæ definitio.

Aristotel. in Prædic. cap. de Qualitate.

Soar. disp. 43. Metaph. sect. 2.

Quæ potentiæ sint activæ, quæ passivæ.

2. *Abass.*

Digitized by Google

Actus, quid sit. Scot. lib. 2. formal. cap. 18. 19.

2. *Abass.* Quid est actus? *Rom.* Actus est forma, quæ perficit potentiam; seu, quæ potentiæ respondet. Potentiarum verò, quæ sunt purè activæ, unicus est actus ipsa actio, prout est via ad formam; ut solis actus est illuminatio, ignis calefactio. Potentiarum autem, quæ simul activæ sunt, & passivæ, duplex; nempè, actio, quæ ab ipsis egreditur, & in ipsis recipitur; & forma per eamdem producta. Ut ab intellectu non solùm intellectio producitur, sed in eodem unà cum rei intellectæ conceptu reconditur. Potentiæ passivæ duplicem quoque habent actum; nempè, ipsam agentis actionem, ut passio est; & formam ab illo inductam. Sic in aëre recipitur solis illuminatio, & lumen: in ligno ignis calefactio, & calor. Ne autem actuum inquisitione fatigeris, scito sex illorum genera à Philosophis numerari. Primum est creatio, quæ Dei Omnipotentiæ respondet, & sola est actio sine passione. Secundum existentia, & subsistentia, quæ respondent objectivæ creaturarum potentiæ ad existendum; cujus prior terminus est existentia; clausula verò, & complementum subsistentia; ut declaratum est cap. 8. num. 4. & 6. Tertium motus, qui describitur, *actus entis in potentia, quatenus in potentia.* Quartum actus informantes; ut omnes formæ substantiales, & accidentales, tam naturales, quàm supernaturales. Quintum operationes immanentes. Sextum substantiæ separatæ, ideſt, Angeli, in quibus summa agendi virtus, & nihil materiæ inest. Solus tamen Deus est actus purus, ut inferiùs dicetur.

Sex actuum genera. Fonseca 9. Metaph. cap. 1. q. 8. sect. 3.

Aristotel. 3. Phys. text. 6. 16. 23.

3. *Abass.* Quo pacto fit compositio ex potentia, & actu? *Rom.* Potentia sine actu, sivè illa activa sit, sivè passiva, solitaria est; post actum, sivè ille unus sit, sivè plures, consortium habet. Coalescunt ergo duæ res, ex quibus fit compositio, & inter quas datur distinctio. Quia potentia sæpè est sine actu, ut oculus modò non videt, modò videt; intellectus modò operatur, modò quiescit; quod est signum distinctionis.

Ubi est actus, & potentia, ibi & compositio. Sour. disp. 13. Met. sect. 5.

4. *Abass.* Estnè in Deo aliqua potentia passiva? *Rom.* Nec tibi in mentem tam cæca cogitatio, nec in buccam tam præceps obrepat interrogatio. Quod est in potentia, potest actum habere, & non habere; potest esse, & non esse; & caret actu, dum illum non habet, vel intelligitur non habere. Deus ergo potentiam, quæ actu careat, habere non potest; & multò minùs potentiam passivam. Hæc enim ab alio in actum reducitur; & alteriùs actionem, & formam ab illo productam suscipit; quæ Deo sunt maximè indigna.

Potentia passiva in Deo non datur.

5. *Abass.* Esto, non sit in Deo potentia passiva, est activa? *Rom.* Potentia activa, quæ intùs operantem ipsum transmutet, & ab actu separata sit, Deum dedecet. Est enim actus purus, quòd semper sit in actu, & ab omni potentialitate remotus; & illius intellectus, & voluntas semper fuit in actu adæquato suæ cognitionis, & amoris; & ideò, cùm creaturas producit, vel quidvis aliud ad extrà operatur, non transit à potentia in actum, quia effectum illum illo temporis articulo producere ab æterno statuit; nec mutatio in ipso, sed in creatura vel condita, vel aliquo beneficio affecta recipitur.

Potentia activa seclusis imperfectionibus in Deo esse potest.

CAPUT XI.

Excluditur à Deo compositio ex partibus essentialibus, vel integrantibus.

Quid sit pars. Aristotel. 5. Metaph. cap. 25.

1. *Abass.* Ad sextam compositionem ex partibus accedamus. *Rom.* Partes sunt illæ, ex quibus totum componitur, vel in quas totum dividitur; Ut hominis partes sunt corpus, & anima; quia vivens ex ipsis constat, in easque moriens dissolvitur. Omissis autem aliis partium divisionibus, illa est solemnior: in essentiales, & integrales. Partes essentiales sunt illæ, ex quibus rei essentia componitur: ut homo physicè ex corpore, & anima; metaphysicè ex animali, & rationali. Partes integrales sunt illæ, quibus aliqua magnitudo constat; ut palmus duodecim digitis; arbor radicibus, trunco, & ramis; corpus pedibus, manibus, capite, & cæteris membris. Quot autem partium, totidem totius sunt genera; est enim totum essentiale, & totum integrale.

Partium aliæ essentiales, aliæ integrales.

Quid sit totum. Aristotel. 4. Met. c. 26. & 3. Phy. text. 63.

2. *Abass.* Quid est totum? *Rom.* Totum est illud, cui nulla deest pars illorum, quæ naturâ illi congruunt. Ità homo est totum quoddam essentiale, cùm animo, & corpore constituatur; & corpus totum quoddam integrale, cùm nullum membrum illi deest. Adverte autem ex Aristotele, totum, & perfectum idem esse; & perfectum non esse, quod finem non habet. Ut ergo totum verè totum sit, attingere debet finem, seu terminum illorum, quæ ipsi naturâ debentur; dum autem non attingit, poterit esse totum in certo genere, seu medium; sed non totum absolutè, neque ultimatum. De quo suprà capite 7. n. 6. dictum est satis.

Suprà c. 8. n. 3. Aliud est totum in certo genere, aliud totum absolutè.

In compositione partes integræ, & unitæ perseverant. D. Joan. Damasc. lib. Dial. S. cap. 64.

3. *Abass.* Novi, quid pars sit, & quid totum; nunc edissere, cujusmodi sit ista compositio? *Rom.* Hæc compositio est partium sine ullius ipsarum exitio, & cum vera unione commeatio. Cùm dico veram unionem, excludo omnes compositiones accidentarias, quas recensui cap. 8. num. 13. cùm plura tota ultimata, & completa vel unà civitate, vel domo, vel amicitiâ, vel contactu, vel penetratione, vel per artem unione similitudinariâ copulantur. Cùm autem dico, partes sine ullius ipsarum exitio uniri, excludo confusionem, quæ fit mistione, & conversione.

Confusio quid sit. D. Thom. 2. 2. q. 108. a. 1. ad 4.

4. *Abass.* Quænam isthæc est confusio, quam compositio excludit? *Rom.* Ex D. Thoma, confusio nunc ordini, nunc distinctioni opponitur. Confusio ordini opposita est compositio eorum, quæ numerantur,

Digitized by Google

ad invicem inordinata; qualis est in lapidum acervo, in quo lapides sine ullo ordine numerantur. Hanc excludit compositio, quia partes tam essentiales, quàm integrales à natura dispositæ sunt; opus verò naturæ, secundùm Philosophum, opus est intelligentiæ, quia à Deo, qui est suprema intelligentia, institutum. Et ex D. Paulo: *quæ sunt à Deo, ordinata sunt.* Confusio oppositâ distinctioni illa est, in qua partes discerni non possunt, cùm penitùs interierint. Hanc tollit compositio, quia partes integras, & incolumes in toto, & à toto distinctas conservat. Nam in homine salvæ, & distinctæ sunt anima, & corpus; in corpore diversa membra, quæ ipsis oculis discernuntur. Quod non habent mistio, vel conversio.

Albert. Magn. in 1. d. 24. lit. g. Conin. b. 1. Phys. c. p. 9. q. 2. a. 2.

Rom. 13. 1.

Mistio quid sit, & ubi reperiatur.

Aristotel. lib. 1. de Generat. text. ult.

5. *Abass.* Quid appellas mistionem, quid conversionem? *Rom.* Mistio est rerum mistilium in quoddam tertium transeuntium unio. Dico: rerum mistilium, quia non omnes res miscerì possunt; sed quæ terminos habent facilè commutabiles, & amissibiles; quales sunt omnes liquores, & corpora simplicia, nempè elementa, & metalla liquefacta. Nam corpora mista fiunt ex quatuor elementis, non tamen in sua specie manentibus; sed in humanum corpus, vel in arborem, vel in aurum commutatis. Ità ex aqua, & vino, nec aqua, nec vinum, sed tertius quidam liquor evadit; ex auro, & argento liquefacto electrum, quod nec aurum est, nec argentum. Conversio est transitus uniqs rei in aliam, cùm res, quæ convertitur, desinit esse, quod priùs erat; & illa, in quam fit conversio, incipit habere aliquid, quod priùs non habebat. Sic in nutritione fit conversio, quia alimentum desinit esse, quod priùs erat, & incipit esse alitì substantia, quod antè non erat; & ipsa alitì substantiæ incipit habere augmentationem, quam ptiùs non habebat. In Eucharistia datur conversio substantiæ panis, & vini in Corpus, & Sanguinem Christi, quia panis, & vinum priorem substantiam amittunt, & in corpus, & sanguinem Christi, qui priùs non erat sub illorum speciebus, commutantur. Longè ergo abest partium compositio à mistione, & conversione.

Conversio quid sit.

Totum essentiale integrale terminatum quavis parte sublatâ perit.

6. *Abass.* Immane quantùm distet partium compositio à mistione, & conversione. Nunc, utrum inter totum essentiale, & integrale, & ipsorum partes intersit, expone. *Rom.* Hoc interest inter totum essentiale, & integrale; quòd totius essentialis partes ità mutuò altera ab altera dependent, ut alterâ positâ, altera ponatur; & alterâ sublatâ, tam altera, quàm ipsum totum auferatur. Sed nec totum integrale, nec ipsius partes pereunt, si pars aliqua amputetur, nisi forte tale sit totum, ut à termino denominetur. Si enim ab homine, vel à Petro solum corpus abstuleris: & animam, & totum hominem, & Petrum funditùs excidisti. Sed si ramum ab arbore, vel à Petri corpore pedem, vel manum præcideris, non ideò vel arborem, vel Petrum evertisti. Si tamen tale sit totum, ut à termino denominationem vendicet, ut palmus, uncia, denarius; quamvis partem auferas, illud penitùs obtruncasti. Palmus enim, digito adempto, palmus non est; nec uncia, drachmâ subductâ; nec denarius, detractâ unitate.

Totum integrale terminatum quavis parte sublatâ perit.

7. *Abass.* Partes ipsæ, dum sunt in toto, quâ ratione distinguuntur? *Rom.* In primis partes omnes, sivè essentiales, sivè integrales, dum sunt in toto, separatæ non sunt, quia separatio requirit divisionem, quam unio excludit; sed solâ ratione distinguuntur, quatenùs intellectus assequitur, illis non repugnare, ut separentur. Et ideò ratione unionis unum sunt actu in toto sub illius nomine; sed ratione distinctionis, potentiæ duæ, vel plures sunt, in se ipsis consideratæ. Quod videbis tam in partibus essentialibus, quàm integralibus. Nam corpus, & anima, dum sunt in Petro, non separantur, sed ratione distinguuntur, cùm consideramus, illas invicem separari posse. Et actu sunt, unus Petrus sub illius nomine; nam Petrus nihil aliud est, quàm ipsius corpus, & anima; sed sub propriis nominibus non sunt unum, sed duo; quia nec corpus est anima, nec anima corpus; Verùm non sunt duo actu, quia actu non separantur; sed duo potentiâ, quia si separentur (quod ipsis non repugnat) actu duo erunt. Nec numerus (quòd nempè partes dicantur duæ, vel plures) divisionem inducit (nam etiam, quæ unita sunt, numerantur, ut digiti in manu, ossa, venæ, ac nervi in corpore) sed cujusque rei qualitatem ostendit. Quod dictum est de partibus hominis essentialibus, accommoda integralibus, in duobus palmis tabulæ bipalmaris.

Partes, dum sunt in toto, non actu, sed potentiâ plures sunt; & ratione distinguuntur.

Aristotel. 7. Metaph. c. 11. text. 37. & lib. 8. c. 1. text. 3.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 5. & 8.

8. *Abass.* Teneo, quâ ratione partes à partibus distinguantur, illas nunc cum toto comparato. *Rom.* Unaquæque pars, tam essentialis, quàm integralis, per se tantùm considerata, distinguitur realiter à toto partes alias, vel unam saltem includente. Quia in utroque extremo realiter includitur aliquid, quod in altero desideratur. A partibus autem simul sumptis, sed non unitis, totum modaliter distinguitur; quia constituitur per unionem, quæ modus est, & quâ carent partes ipsæ, dum simul sumptæ, sed non unitæ, considerantur. Ideò in triduo Passionis Christi totum, seu homo non erat; licèt essent ambæ partes humanitatis; quia carebant unione. Si autem totum comparetur cum partibus simul sumptis, & unitis, ab iis solâ ratione distinguitur; quia nec divisionem, nec modum, vel quidvis aliud habet, per quod ab illis distinguatur. Totum igitur diversum est à partibus, & quiddam tertium; quia nec est sola anima, nec solum corpus, sed quid aliud ex utroque constans; à partibus quidem simul sumptis, sed non unitis, modaliter: ab iis autem unitis, solâ ratione distinctum.

Totum à partibus quâ ratione distinguatur.

Soar. in Metaph. disp. 16. sect. 3. n. 7. 8. 9.

Totum quodlam tertium est.

Aristotel. 8. Met. cap. 1. text. 3.

9. *Abass.* Illud tandem præsta, ut ostendas,

ostendas, quo pacto totum de partibus; & partes de toto prædicentur? *Rom.* In primis totum de partibus nunquàm prædicatur. Quia, ut ostendi cap. 2. num. 6. illa tantum est vera, & formalis prædicatio, in qua forma, vel quod se habet sicut forma, prædicatur de materia, sivè de subjecto; totum autem non est forma partium, sed subjectum; quia totum partibus, non partes toto constituuntur. Prætereà cùm dico: homo est corporeus, homo est animatus; sensus est, quòd homo habeat corpus, & animam. Quod verum est; nam ex Aristotele, *totum habet partes*, partes autem totum non habent; & ideò dicere non possum: Corpus est homo, vel anima est homo; quia nec corpus, nec anima hominem habent. Habere enim significat quoddam jus, & dominium, quod totum habet in partes, quas administrat: non partes in totum, cui parent.

Totum de partibus nō prædicatur, quia illarum non est forma.

Aristotel. in Prædicam. cap. ult. & 5. Metaph. cap. 23.

10. *Abass.* Partésne de partibus prædicantur? *Rom.* Nec partes integrales, nec quod est ipsarum de aliis partibus, nec essentiales de essentialibus prædicantur; nisi solam formam excipias, quæ prædicatur de materia, cùm dicimus, corpus esse animatum. Ratio est, quia cùm sola illa prædicatio vera, & formalis sit, in qua forma prædicatur de materia, sivè de subjecto; una pars integralis alterius forma non est, sed sola forma respectu materiæ. Prætereà prædicatio ostendit identitatem prædicati cum subjecto, una autem pars non est eadem cum alia, sed diversa ab illa; nec immediatam unionem, & identitatem habet cum illa, sed cum toto, in quo ambæ sunt idem totum. Tandem prædicationis sensus est: subjectum habere formam, quæ de ipso affirmatur; ut cùm dico: Petrus est animatus, sensus est, Petrum habere animam; sed una pars, ut dictum est, aliam non habet; neque enim in homine pes manum, aut manus pedem habet, ut pes de manu, vel manus de pedibus affirmentur. Cùm autem partes ipsæ de aliis partibus non affirmentur, nec quod ipsarum est, de aliis affirmari potest, quia solùm ipsarum ratione id sortiri possent. Ut enim pes, manus non est, nec manus pes; nec pedis est scribere, nec manus ambulare; sed cuique parti suum munus adscribitur.

Partes de partibus nō prædicantur, quia non sunt sibi invicem formæ.

Sola forma substantialis prædicatur de materia.

11. *Abass.* Dic tandem, num partes de toto prædicentur? *Rom.* Illa vera est, & formalis prædicatio, ut latè hoc libro probavi, cap. 2. num. 6. 7. & 8. quibus nihil est, quod hoc loco adjiciam, ne te crambe repetita occidat. Illud tantùm monebo. De toto non solùm partes concreto nomine per modum totius prædicari, sed quidquid est partium, juxta regulam Aristotelicam: *Cum quidpiam de quopiam prædicatur, ut de subjecto: ea, quæ de prædicato dicuntur, dicuntur etiam de subjecto.* Ergo cùm totum partium subjectum sit tam sustentationis, quàm prædicationis, quidquid de prædicato, ideſt, de partibus dicetur, de toto dicendum est. Cùm ergo de Petro, quod est totum, & subjectum, dicatur esse oculatum, & comatum: habere pedes, & manus, quæ sunt prædicata; si illius pedes sint claudi, manus contractæ, oculi torvi, comæ rufæ: ipse rufus, torvus, contractus, & claudus dicendus est. Imò si de partibus contraria affirmentur, de eodem simul poterunt affirmari.

Quidquid de partibus dicitur, de toto dicitur.

Aristotel. in Prædicam. cap 2. de iis, quæ dicuntur.

12. *Abass.* Semper audivi, de eadem re contraria simul affirmari non posse; quid tu nunc id non implicare profiteris? *Rom.* Quid tu illam sententiam (nec scio, an malo dolo) duobus verbis substractis perdidisti? Verum tamen axioma est: *De eadem re, secundùm idem, contraria affirmari non posse.* Quod & nunc statum habeo. Cùm autem dico, de eodem Petro, sivè toto, contraria affirmari posse, non secundùm idem, sed secundùm diversas partes id fieri posse designo. Ut autem hæc doctrina, quæ ad materiam de Incarnatione plurimùm conducit, tuo pectori altiùs insideat, adverte. De re simplici contraria nunquàm dici posse; quia cùm semper, & in omnibus sit eadem omninò, nec habeat aliud, & aliud; etiam non habet secundùm quid in ipsa contraria illa prædicata verificentur. Res autem composita, cùm diversas partes habeat, habet aliud, & aliud (ut dictum est suprà cap. 2. num. 4.) quia in Petro aliud est corpus, aliud anima: aliud pes, aliud manus. Et de his partibus contraria affirmantur; nam de corpore dicitur, esse mortale, divisibile, & crassum; de anima, esse immortalem, indivisibilem, & spirituale. Cùm ergo hæ partes sint totius, & de toto prædicentur, juxta regulam superiori n. propositam, quidquid de illis prædicatur, de toto, sivè de Petro (quod est subjectum) simul prædicandum est. Petrus ergo dici potest simul mortalis, & immortalis: divisibilis, & indivisibilis: crassus, & spiritualis; non tamen secundùm idem, sed secundùm aliud, & aliud; nempè, mortalis, divisibilis, & crassus secundùm corpus; immortalis, indivisibilis, & spiritualis secundùm animam.

De re simplici contraria simul dici non possunt.

Aristotel. in Prædicam. cap. de Oppositis.

De re composita, secundùm diversas partes, seu secundùm aliud, & aliud simul contraria dici possunt.

13. *Abass.* Doctrinam istam ulnis gestientibus amplector. At cur omnem compositionem ex partibus à Deo exterminas? *Rom.* Aliquot rationes jam congessi suprà cap. 5. num. 11. Nunc, ut partes essentiales ab eo amoveam, satis sit, quòd earum altera corpus sit, Deus autem corpus non habet. Prætereà partes illæ, etsi actu unum sint, potentiâ tamen plures sunt, & separabiles. Atque ità fingi in Deo posset divisio, & corruptio; quam rationem sequenti capite amplificabo. Ut autem partes integrales à Deo relegentur, facit, quòd illæ in quantitate tantùm reperiantur; quantitas autem corporum sit pedissequa, Deus verò expers est corporis.

Si Deus compositus est ex partibus essentialibus, vel integralibus, corporeus est, &c.

Digitized by Google

CAPUT XII.

Ostenditur, Deum esse incorporeum.

Sadducæi, & Audæi, qui etiàm dicti sunt Anthropomorphitæ, Deũ corporeum finxêre.

1. *Abass.* Id primùm nostrates obstinatè negant, Deúmque corporeum esse quâ pugnis, quâ calcibus contendunt. *Rom.* Id qui affirmant, Audæi sunt, & Sadducæorum sectatores. Audæus enim Deum corporis mole suffarcinatum confinxit; contra quem, & ipsius asseclas, qui dicti sunt Anthropomorphitæ, ideſt humanæ formæ in Deum evocatores, disertè D. Epiphanius, & Cyrillus scripsêre. Sadducæorum verò secta in Actis Apostolorum hæresis dicitur, quæ, ut patet ex eodem libro, in eo versabatur, quòd crederet, *non esse resurrectionem, neque Angelum, neque spiritum.* Qui ergo universim spiritum tollebant, spiritualem naturam à Deo, ab Angelis, & hominibus removebant. Si verò dicas, Sadducæorum hæresim in eo sitam esse, quòd spiritum, ideſt, animam humanam spiritualem esse negarent, tuo te gladio jugulas. Si enim Hæretici sunt habendi, qui animam creatam spirituali dignitate spoliant, justiùs eodem sunt in numero reponendi, qui post tot Scripturæ definitiones illam Creatori auferunt; cùm anima spiritualis esse non posset, nisi spiritualem auctorem nanciscereturr, ut indicatum est cap. 3. n. 9.

D. Epiphan. hæresi. 70. D. Cyril. lib. contra Anthropomorphitas. *Act.* 5. 7. & 23. 8.

Scripturæ testimonia, quibus probatur Deum esse incorporeum. *Joan.* 4. 23. 2. *Cor.* 3. 17. *Luc.* 24. 39. 1. *Tim.* 1. 17.

2. *Abass.* Quænam sunt illæ Scripturæ definitiones? *Rom.* Quid apertius, quàm quod ab ipsâ veritate dictum est: *Spiritus est Deus*; Et ab ipsius Apostolo: *Dominus autem Spiritus est*; additâ ipsius veritatis Interpretatione: *Spiritus carnem, & ossa non habet.* Facit, quòd Deus in Scripturis sæpè dicatur *invisibilis*; si autem corpus haberet, invisibilis non esset, quia visûs objectum est corpus colore aliquo venustatum. Idem ostenditur, cùm dicitur, Deum *neque in templis, neque in manufactis* habitare. Nam si corpore gravaretur, domicilio ad arcendas temporum injurias indigeret. Tandem Deus lux vocatur, *in qua tenebræ non sunt ullæ*; Et: *Lucem inaccessibilem habitare* perhibetur; non quòd sit lux ista sensibilis, quæ mundi tenebras dispellit, sed quia, sicut lux qualitas est, quæ corpus non habet, & ideò est in eodem loco cum aëre, aqua, & crystallo (quæ corpora sunt) sic ille corporis exors est. Duo enim corpora in eodem loco natura non patitur. Undè Patres Concilii Nicæni Filium dixêre *Lumen de lumine*; ideſt, incorporeum de Patre incorporeo. Ut autem planè assequaris illorum ineptiam, & insaniam, qui Deum corporeum cantherino ritu somniant: Te, & tuos rogo cùm Isaïa: *Cui ergo similem fecistis Deum? Aut quam imaginem ponetis ei?* Num montis alicujus præcelsi? Num proceræ arboris? An turriti elephantis, vel alterius animantis?

Aristot. 2. de anim. tex. 66. *Act.* 7. 48. & 17. 24. *Joan.* 1. 9. *Epistol.* 1. *cap.* 1. 5. 1. *Tim.* 6. 16. Atistotel. 2. de Anim. text. 69.

Concil. Nicæn.

Isai. 40. 18. 19.

3. *Abass.* Non sumus adeò cautes, caudices, & belluæ, ut arbitremur, Deo vel rupis, vel arboris, vel alicujus animantis corpus affingendum; sed tantùm humanum omni membrorum apparatu, & elegantiâ concinnum. *Rom.* Si vos ob istam assertionem elegantes rerum æstimatores judicatis, diù est, cùm vos unà cum mundi Sapientibus, idem vobiscum sentientibus, Divus Paulus illâ sententiâ proscripsit: *Dicentes, se esse Sapientes, stulti facti sunt, & mutaverunt gloriam incorruptibilis Dei in similitudinem imaginis corruptibilis hominis.* D. Cyrillus ità opinantes vocat *amentiâ temulentos, & omni fatuitate refertos*; D. Epiphanius, & Augustinus *supina rusticitate obæsos.* Sed ne vos auctoritate tantùm, sed & joculari (quæ tamen simul sit adamantina) ratione premam, rursùs quæro: Quantum sit humanum illud vestri Dei corpus? An sicut alicujus eorum gigantum, qui fuêre ab initio *statura magna?* An instar filiorum Enac, quibus Israëlitici exploratores comparati, locustæ videbantur? An sicut Adam, illorum maximus, qui dictus est Arbe, ideſt, quatuor: fortasse, quia in quatuor hominum altitudinem porrigebatur? An sicut Goliath, qui sexqui-cubitalem, & palmarem mensuram proceritate adæquabat? An sicut Angelus Apocalypseos, qui alterum pedem in terram, alterum in mare protendebat? An ità grande, ut cœlum capite feriat, terram pedibus tundat, ut verum sit illud Isaiæ: *Cœlum sedes mea, terra autem scabellum pedum meorum?* Quale quale sit Dei vestri corpus, cœlum, & terram implere non potest; cùm verus, eò quòd sit Spiritus, dicat: *Cœlum, & terram ego impleo.* Si verò impleret, simul & rotundum, & quadratum esse oportebat.

Nullius corporis forma Deo adaptari potest.

Rom. 1. 22. 23.

D. Cyril. lib. 13. Thes. cap. 3. D. Epiph. hæresi. 7. D. August. hæresi. 50.

Baruch. 3. 26. *Num.* 13. 34. *Ios.* 14. 15.

1. *Reg.* 17. 4.

Apoc. 10. 2.

Isai. 66. 1.

Jerem. 23. 24.

4. *Abass.* Cur in Deo fatale simul exhibendum esset rotundi, & quadrati corporis portentum? *Rom.* Mundus inferior fornicato orbiculatim cœli ambitu includitur; ut ergo Dei corpus illud impleret, globosum esse debebat. Annuis. Præterea cœlum empyreum cubicæ est formæ. Nam *civitas in quadro posita est, & longitudo ejus tanta est, quanta & latitudo.* Ergo ut ad angulos usque confertum redderetur, quadratum corpus exigebat; aliter lepidum illud tui Dei corpus & in cœlo, & in mundo follicaret. Si verò communem humanorum corporum magnitudinem non excederet, cùm corpus certis spatiis definiatur, si in cœlo esset, à mundo: Si in mundo, à cœlo abesset; si Romæ ageret, Æthiopiam: si in Æthiopia, Romam nec videret, nec curaret; falsúmque esset illud Davidicum: *Quò ibo à Spiritu tuo* (non dicit: à corpore) *& quo à facie tua fugiam? si ascendero in cœlum, tu illic es; si descendero in infernum, ades.* Et illud Pauli: *Non longè est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* Tandem si Deus corpus haberet, quæro: an tres Personæ tricorpores, an unius corporis futuræ essent? Ut enim tria corpora haberent, unumquodque

Si Deus corpus haberet, simul & rotundum, & quadratum esse oportebat.

Apoc. 21. 16.

Psal. 138. 7. 8.

Act. 17. 28.

Digitized by Google

quodque illorum suo termino definiri debuit, nec omnia invicem communi termino copulari; ut ostensum est cap. 8. n. 12. & 15. Si autem illa corpora terminata essent, actu tria essent; & unus Deus non esset; quia ex duabus, vel pluribus rebus completis unum effici non potest. Si unum tantùm corpus esset, cùm etiam terminatum esse deberet, simul triplex esse non posset; ac proindè Deus unus, & trinus non esset. Si autem unum in Deo corpus (quod sæpè audivi) tergeminum faciebus architectamini, non Deum cogitatis, sed manducum aliquem, rusticorum, & puerorum in pompis stuporem, ac ludibrium: vel monstrum aliquod de genere Geryonaceo. Quare ridicularium istud, & ludificabile Dei corpus mittite, ne omnibus mente sanis sitis deridiculo, & Deum insitis perfectionibus spolietis.

Imperfectissimus Deus esset, si corporeus.

5. *Abass.* Quibus perfectionibus Deum exuunt, qui illum corporeum comminiscuntur? *Rom.* Corpus omnium imperfectionum sentinam esse David indicavit, cùm dixit: *Imperfectum meum viderunt oculi tui.* Quare iisdem imperfectionibus Deus oppleretur, si corpore constaret; Angelisque, & hominum animis deterior esset, quos spirituales esse lib. 4. cap. 4. & 7. ostendemus. Id enim, quod ex integro est spirituale, nobilius est tam re penitùs corporea, quàm illa, quæ ex corporis, & spiritus concretione subsistit. Undè vates idem hominem æquis animæ, & corporis momentis libratum Angelis paulò minorem appellavit. Singillatim verò, si corporis mole Deus premeretur, nec immortalis esset, nec incorruptibilis, nec immutabilis, nec invisibilis, nec intactilis, nec immensus, nec infinitus, nec Omnipotens, nec perfectè vivens, nec intellectualis, nec voluntarius. Liceat verò mihi cum Divo Gregorio Nazianzeno has sequelas proponente exclamare: *O protervam licentiam! ô crassam vecordiam!*

Psal. 138. 16.

Psal. 8. 6.

D. Gregor. Naz. Orat. 34. quæ est 2. de Theologia.

Mortalis esset Deus, si corporeus.

6. *Abass.* Cur immortalis, & incorruptibilis Deus non esset, si corpore obrueretur? *Rom.* Corpus naturâ suâ corruptioni est obnoxium. *Oportet*, inquit Divus Paulus, *corruptibile hoc induere incorruptionem.* Et Sapiens: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam.* Corruptionem autem ità certò mors consequitur, ut addat Apostolus: *Et mortale hoc induere immortalitatem.* Et alibi: *Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Corpus mortis appellat, quasi ipsius mancipium, domicilium, & carnificium. Cujus corruptionis, & mortis causa est dissidium, quod inter corporis partes diversis elementorum inter se compugnantium qualitatibus imbutas intercedit; quod nec Deus declinare posset, si membrorum diversitate instructus esset. *Quid enim causa esse dicemus*, inquit loco citato D. Gregorius, *quo minus ex elementis conflatum sit, atque in eadem denuò resolvatur? Compositio quippe pugnæ principium est: pugna dissidii: dissidium solutionis: solutio autem, & interitus nullo modo in Deum, ac primam illam naturam cadit: quocirca ne in Deo ullum dissidium, aut pugna oriatur, ex qua solutio consequatur, nec compositio existat.* Infelicem ergo Deum quærit, qui corporeum illum fingit; qui illius gloriam, & immortalitatem mutat *in similitudinem imaginis corruptibilis hominis*; qui cùm illi dicere possit; *Quoniam apud te est fons vitæ*, mavult dicere, Apud te est fons mortis; scilicet corpus, à quo in omnes homines infinitæ ægritudines, miseriæ, & quotidiani interitus corrivantur.

Sap. 9. 15.

Rom. 7. 24.

D. Gregor. Naz. Orat. 34.

Rom. 1. 23.

Psal. 35. 10.

Dei corpus beneficio incorruptibile esse non posset.

7. *Abass.* Quamvis illud Dei corpus suapte constitutione obstrictum esset corruptioni, ipse peculiari gratiæ beneficio illud ab eo tributo solvendo liberasset; sicut Beatorum corpora, cùm fluxæ, & caducæ sint naturæ, perpetuâ à corruptionis morsibus immunitate ipsius Dei munere potiuntur. *Rom.* Gratia, & beneficium naturam quidem sarciunt, sed non immutant. Si ergo Dei corpus naturâ suâ corruptibile fuisset, quocumque medicamento aliundè importato condiretur, corruptionis debito addictum remaneret; & gratiâ sublatâ (quod non implicat) ad ingenium suum rediret; ut redibunt corpora Beatorum, si immortalitatis dote denudentur. *Omne enim, quod datur*, inquit D. Cyrillus, *auferri etiam potest; & quod accessit, non est inconveniens, si abibit.* Et iterùm: *Quod per participationem alicui datur, auferri etiam ab eo potest. Sola enim, quæ naturaliter insunt, inseparabilia sunt.* Præterea nemo dat, quod non habet; Deus autem tunc incorruptionem non haberet, cùm illam à tota sua natura, cujus pars essentialis est corpus, non haberet. Si dicas, à Dei anima gratiam illam corpori impertitam; ut humana anima, quamvis immortalis sit, corpus suum immortalitate non donat, ità nec suum donare Dei anima valeret. Tandem si Dei corpus incorruptionem beneficio adipisceretur, nec Angelis, nec hominum animis, nedùm Beatorum corporibus præstantior esset; nec esset, cur D. Paulus diceret: *Qui solus habet immortalitatem.* Quare solus? Quia cætera voluntario ipsius beneficio, unus ipse naturæ necessitate, non precariò sortitus est immortalitatem.

D. Cyril. lib. 4. Thes. cap 1. & lib. 13. cap. 4.

1. *Thes.* 6. 16.

Si Deus corpore constaret, divisibilis esset.

8. *Abass.* Cur Deus mutabilis esset, ac divisibilis, si corpus gestaret? *Rom.* Audi D. Cyrillum: *Dividi, & fluere corporeæ naturæ propria sunt. Incorporeæ verò, ac divinæ nec passio, nec divisio, nec aliquid hujusmodi accidit.* Nam omnium substantiarum corporearum prima, & individua pedisequa est quantitas; cujus munus est, earum partes extendere, & unam extra aliam sic apta dispositione collocare, ut neque duo ejusdem corporis membra, neque duo corpora diversa possint eodem in loco demorari; sed alterum alterum à suis finibus quasi violentum occupatorem naturæ necessitate propellere oporteat. Quod verò extensum est,

D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 5.

Digitized by Google

est, divisioni subjacet. Est enim divisio partium continui separatio; quæ ubi datur, mutatio quoque visitur; aliud enim est res conjuncta, aliud dissecta. Si autem Dei corpus divideretur, passivam potentiam ad divisionem in se ab alio inducendam vendicaret; quod ipsi repugnare cap. 10. num. 4. ostendimus.

Nec intactilis, nec invisibilis Deus esset.

9. *Abass.* Cur nec intactilis esset, nec invisibilis? *Rom.* Tam visûs, quàm tactûs objectum est corpus; visus colore suffusum; tactus, qualitate aliqua sensibili affectum. Undè Christus, ut se ratione corporis non esse spiritum probaret, dixit: *Palpate, & videte, quia spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Quod tangitur*, inquit D. Afrosius, *corpus est, quod palpatur, corpus est.* Ergo si Deus corpus haberet, nec impalpabilis esset, nec invisibilis. Id autem, quod D. Joannes dixit: *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ*, non innuit Verbum divinum, vel Deum in sua substantia oculis mortalibus inspectum, & censorio manuum tactu à Discipulis exploratum; sed tantùm in corpore, quod assumpsit. Idem D. Afrosius: *Quia*, inquit, *secundùm suam naturam eum videre non poteramus, suscepit quod est præter naturam divinitatis, ut secundùm naturam corporis videretur.* Et D. Augustinus: *Quis est, qui manibus tractet Verbum, nisi quia Verbum caro factum est?* D. Gregorius Naz. *Carnis expers incarnatur, invisibilis cernitur, impalpabilis contrectatur, Dei Filius hominis filius efficitur.*

Aristotel. 2. de Anima, text. 66. & 113. *Luc.* 24. 39. D. Ambros. lib. 10. in Lucam. 1. *Joan.* 1. 1. D. Ambros. lib. de Inc. Domini Sacram. cap. 3. D. August. tract. 1. in 1. Joan. D. Greg. Naz. Orat. de Nativitate.

Corpus immensitatem à Deo tolleret.

10. *Abass.* Cur immensus non esset? *Rom.* Nullum corpus in immensum diffunditur, sed certâ mensurâ continetur; Deus autem omne spatium, sivè reale, sivè imaginarium pervadit. Quod argumentum sic urget D. Gregorius Nazianzenus: *Jam verò quomodò illud tueri poterimus, quod ait Scriptura, Deum omnia pervadere, atque implere, (juxta illud: Nonne cœlum, & terram ego impleo, dicit Dominus? & spiritus Domini replevit orbem terrarum?) Si mundus circumscribat, Deus autem circumscribatur? Aut enim per vacuum universum grassabitur, & res omnes nobis peribunt, ut Deus contumelia afficiatur; nimirùm & corpus factus; & iis, quæ procreavit, carens; aut corpus in corporibus erit (id, quod fieri non potest) aut implicabitur, aut opponetur, aut (ut rerum humidarum natura fert) miscebitur; partimque secabit, partimque ab altero secabitur.* Sic ille. D. Gregor. Naz. Or. 34. *Jer.* 23. 34. *Sap.* 1. 7.

Infinitatem quoque, & omnipotentiam.

11. *Abass.* Cur non esset infinitus, nec omnipotens? *Rom.* Infinitas virtutem illimitatam requirit, & omnipotentia ad omnia se possibilia extendit; si autem Deus corpore arctaretur, ipsius quoque virtus, & activitas certis limitibus coerceretur. Nam causa corporalis, ut dictum est capite 3. numero 5. certis tantùm, iisque corporalibus effectibus addicta est. Quomodò ergo Deus creare posset, quomodò res spirituales producere, si ad corporis angustias redigeretur?

Et vitam, & intelligentiam, & voluntarium.

12. *Abass.* Quomodò non esset perfectè vivens, intelligens, & voluntarius? *Rom.* Corpus à semetipso vitam non habet, sed illam ab anima mutuatur. *Nam spiritus*, inquit Christus, *est, qui vivificat; caro autem non prodest quidquam.* Si ergo Deus corpore, & animo constaret, unâ tantùm ex parte vivens esset. Quare ineptum est illius, quod nihil prodest, sarcinâ Deum onerare. Corpus etiam intelligendi acumen à se ipso non habet, imò ipsum terrenis, & belluinis affectibus obtundit; &, ut ille dixit, *affigit humi divinæ particulam auræ*; Quam doctrinam hausit à Sapiente, qui scripsit: *Corpus, quod corrumpitur, aggravat animam, & terrena inhabitatio deprimit sensum multa cogitantem.* Si ergo corporis crassitie Deus obrueretur, pingui quoque intelligentiâ laboraret, nec perfectæ libertatis compos esset, quæ suas agit in mentis indifferentia radices. Ut verò corpus solertiam intellectûs hebetat, sic voluntatis libertatem enervat, & in miseram vertit servitutem, ut ostendit D. Paulus: *Non enim*, inquit, *quod volo bonum, hoc facio; sed quod nolo malum, hoc ago.* Hanc verò pugnam, & voluntatis vacillationem sibi à corporis satellitio provenire inferiùs designat, addens: *Video aliam legem in membris meis repugnantem legi mentis meæ, & captivantem me in lege peccati, quæ est in membris meis. Infelix ego homo, quis me liberabit de corpore mortis hujus?* Horat. lib. 2. Satyr. 2. *Sap.* 9. 15. *Rom.* 7. 19. *Rom.* 7. 23. 24. 25.

Nec membra tenua, nec spiritualia in Deo fingi possunt.

13. *Abass.* Video omnia hæc incommoda in Deum redundatura, si nodoso, & ponderoso corpore obduceretur. Pacem ergo te inter, & nostros Æthiopes conciliemus; Deo subtile quoddam corpus, & membra gracilia, & elegantissima concede. *Rom.* Vel illa membra intra corporis metas resident, vel in spiritualem naturam transierunt. Si carnis leges adhuc servant, quid interest, crassiora sint, an tenuiora? Vel enim urceus ex luto viliori, vel ex lectiori fingatur, tandem lutum est, & aliquandò frangendus. Nec aliud est aurum, sivè in massam compingatur, sivè in bracteas lucem transmittentes diducatur. Membra illa, quantumvis delicata, vel situ diversa sunt, ut nunc in humano corpore, ità ut digiti à manibus, & caput ab humeris extet; vel instar cochleæ, aut ericii contrahuntur, & in unam massam conglobantur? Si hoc posteriori modo se habent, non humana sunt, sed monstrosa; si priori, nihil ab aliarum rerum corporearum membris differunt; & in Deum illa gestantem omnia, quæ toto isto capite perstrinximus, detrimenta reciprocantur. Si autem dicatur, illa membra esse spiritualia, eodem pertinet, ac si diceretur, corpus esse spiritum, spiritum verò corpus: rerumque naturæ impunè perverterentur. Corporis enim natura postulat, ut pars extra partem excubet; Spiritus, ut totus in toto, & totus in qualibet sphæræ suæ parte dominetur. Soar. disp. 30. Metaph. sect. 4. n. 16. 17.

CAP. XIII.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Solvuntur quædam argumenta, quæ ex doctrina præcedentis capitis oriuntur.

Non poſſumus non res divinas ad corporearũ ſimilitudinẽ intelligere.

1. *Baſſ.* Firmiſſima ſunt, & maximè rationi conſona, quæ ſuperiori capite ſtatuiſti, ſed vellem mihi aliqua, quæ ex eo pullulant, dubia diſſolveres. Primum ſit. Cùm Deum cogito, ſemper mihi ſpeciem aliquam propono humanis membris quàm cultiſſimè delineatam, omnibuſque id uſu evenire intelligo; quod ſignum eſt, Deo corpus aſſidere. *Rom.* Quam in te experiris, ego quoque mihi vernaculam ingenuè profiteor imbecillitatem. *Nam in homine carnali*, ait D. Auguſtinus; *tota regula intelligendi eſt conſuetudo cernendi; quod ſolent videre, credunt.* Noſter enim intellectus ab initio eſt tamquàm tabula raſa, nec ullis ſpeciebus inſignita; ſed quam oporteat temporis decurſu rerum imaginibus picturari. Cùm verò corpori ſit alligatus, ſpecies in ipſum perrumpere non poſſunt, niſi per ſenſuum feneſtras illabantur; nec ſenſus ipſi, cùm corporei ſint, quidquam niſi corporeum admittunt; ſicut & piſces, ut ait D. Gregorius Nazianzenus, ſolùm in aqua natare conſueverunt. Et cùm intellectus peculiaribus rerum ſpiritualium imaginibus conſignatus non ſit, illas ad corporearum ſimilitudinem concipit, & *ut corpus ſuam ſemper umbram ſecum defert, ſic ille corporea etiam rerum ſpiritualium ſimulachra. Non poteſt mens noſtra*, inquit D. Deonaceos Areosfagos, *ad illam cœleſtium hierarchiarum materiæ expertium imitationem, contemplationémque excitari, & conari, niſi rerum corporearum ſibi notarum præſidio utatur.* Nec tamen ideò vel mentes Angelicæ, vel ipſe Deus corporis onere urgetur, ſed tota imperfectio in ipſo intellectu ſubſidet. *Et lumina hæc corporea* (addit idem Pater) *luminis incorporei, quod datur, ſimulachra ſunt.*

D. Auguſt. Serm. 147. de Tempore.

Ariſtotel. lib. 3. de Anim. cap. 4. text. 19.

D. Greg. Naz. Orat. 2. de Theologia.

D. Dionyſ. Areop. de Cœleſt. Hierarch. cap. 1

Deum Prophetæ non in vero ipſius corpore, ſed incorporeâ ſpecie viderunt.

Gen. 12. 7. & 18. 1. *Gen.* 32. 30. *Iſac.* 6. 1.

Joan. 1. 18. & *Epiſt.* 1. cap. 4. 12. *Joan.* 5. 37.

2. *Baſſ.* Sæpè Deum à Patribus, & Prophetis viſum Scripturæ teſtantur. Non ſemel enim Deus apparuit Abraham; & Jacob ait: *Vidi Dominum facie ad faciem*; Et Iſaias: *Vidi Dominum ſedentem ſuper ſolium excelſum.* Ergo Deus corpus habet; ſi enim non haberet, videri non poſſet. Dixiſti enim, viſus objectum eſſe corpus aliquo colore reſperſum. *Rom.* Deum in propria ſubſtantia nemo Patrum, vel Prophetarum conſpicatus eſt, ut D. Joannes patefecit, cùm dixit: *Deum nemo vidit unquam*; Et Chriſtus ipſe: *Neque ſpeciem ejus vidiſtis; neque vocem ejus audiſtis.* Sed tantùm intuiti ſunt aliquam Dei imaginem, vel corpus ab Angelis ex aëre conflatum, in quo non Deus ipſe, ſed Angelus aliquis Dei juſſu loquebatur. Nec verò mentiuntur Prophetæ, cùm dicunt, Deum à ſe viſum, vel auditum; hominum enim imagines, & perſonas ſolemus ipſorum nominibus exornare. Davidem namque dicimus illum, qui in theatro Davidis partes agit; & ſi Regum, vel Imperatorum imagines in aliquo atrio diſponantur, illum eſſe Auguſtum; illum Trajanum; illum Joannem IV. Feliciſſimum Luſitaniæ Regem, & Aſſertorem enuntiamus: Deum verò olim in Angelis apparuiſſe, & per eos locutum; oſtendemus lib. 3. cap. 9. à n. 3.

In ſcripturis membra Deo per metaphoram commodantur.

3. *Baſſ.* Quod dixiſti de imagine, in qua Deus appareret, & loqueretur, evincere non videtur. Nam Scripturæ Deo expreſsè corporis membra; caput, aures, oculos, os, pectus, cor, ventrem, & pedes tribuunt. *Rom.* Non iſta Deo Scripturæ apponunt, quaſi ipſi verè inſint, ſed ut per notarum nobis rerum nomina, & ſimilitudines ad eorum, quæ nobis de ipſo produnt, cognitionem contendere poſſimus. Sic D. Deonaceos: *Scripturæ*, inquit, *divinæ, ſacra ſimulachra, quæ ficta ſunt, mentibus, quæ omnibus lineamentis carent, adhibuerunt, ut noſtræ mentis imbecillitati conſulerent. Eget enim accommodatis ſibi, & cognatis adminiculis, quæ formas rerum, quæ formis carent, nobis proponant.* Per caput, divinam ſapientiam: per aures, & oculos providentiam, & gubernationem: per os, imperium: per manus, potentiam: per pedes, totius orbis dominium declarant. Si verò quæcumque Scripturæ de Deo tradunt, tentes ad litteram ſine ulla inflexione interpretari; in plurima perquàm abſurda te præcipitem devolves. Dices enim, eum eſſe ignem, quòd Moyſes aſſerat: *Deus tuus, ignis conſumens eſt.* Petram, quòd D. Paulus: *Petra autem erat Chriſtus.* Leonem, quòd Amos: *Dominus de Sion rugiet.* Rivalem, quòd ſcribatur: *Deus zelator, & zelotes.* Et ſic alia infinita, quæ pudor eſt commemorare.

D. Dionyſ. de Cœleſt. Hierarch. cap. 2.

Deut. 4. 24.

1. *Cor.* 10. 4.

Amos 1. 2.

Exod. 20. 5. & 34. 14.

Non repugnant Patres Haymanot Abbau. Patres Concilii Nicæni p. 1. n. 12. D. Athanaſ. p. 14. n. 43.

4. *Baſſ.* In Haymanot Abbau, tani apud tercentum decem, & octo Patres Concilii Nicæni, quàm apud D. Athanaſium illa verba habentur: *Omnia, quæ dicta ſunt: quod Deus habeat oculos, aures, manus, & pedes, & omnia, quæ ſcripta ſunt in Sacris libris de Deo, vera, & juſta ſunt. Deus quidem habet omnia, quæ dicta ſunt.* Et tanti Patres fatentur, Deum illa omnia habere. *Rom.* Perlege ulteriùs: utroque enim loco hæc verba ſubjiciuntur: *Deus quidem habet omnia, quorum meminimus, ſed non invenitur, neque cogitatur.* Quod indicat, Deum illa habere ſpiritualiter, non carnaliter. Si enim corporalia eſſent, invenirentur ab hominibus, & cogitarentur: ſpiritualia autem cogitatione non inveniuntur, ut docet D. Gregorius Thaumaturgus: *Quod carnale*, inquit, *eſt, ſpirituale invenire non poteſt; nec illi convenit de eo inquirere, quia non aſſimilatur in ſubſtantia hominis.* Cujus locutionis plura exempla offendes capite ſequenti. Et D. Athanaſius eodem loco ſubjicit: *Credamus ſine inquiſitione, ſicut libri ſancti dixerunt de divinitate ſpirituali.* Si verò divinitas ſpiritualis

D. Gregor. Thaumat. p. 1.

D. Athanaſ. p. 14. n. 52.

eſt,

Digitized by Google

est, nec corpus, nec membra carnalia circumferre potest.

Ex illo loco: Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinē nostram, non deducitur, Deum corpus habere, imò contrarium. *Gen.* 1. 26. *Gen.* 5. 3. *Matt.* 22. 20 *Joan.* 14. 9.

5. *Abass.* Hæc ultima sit dubitatio. Cùm Deus fingendum hominem agitaret, dixit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Si verò Deus corpus non haberet, quî Dei imago homo esse posset? *Rom.* Duplex est genus imaginum, de quo lib. 3. cap. 8. n. 1. Aliud naturalium, aliud arte elaboratarum. Illæ rem ex toto, sicut Seth Adamum; hæ ex parte tantùm, ut Cæsarem illius facies in denario expressa, repræsentant. Naturalis Dei imago, solus est Filius, Patrem ità ex integro referens, ut ipse dicat: *Qui videt me, videt & Patrem.* Et sicut Pater est incorporeus, *sic divinùs in Filio character est incorporeus*, teste D. Cyrillo. Et ideò à D. Paulo dicitur *imago Dei invisibilis. Qui autem*, inquit Divus Joannes Chrysostomus, *invisibilis imago est, ipsum quoque invisibilem esse, necesse est. Aliter non esset vera imago.* Homo autem non est naturalis Dei imago, sed arte, & voluntate facta. *Voluntariè enim genuit nos*, inquit D. Jacobus, *verbo veritatis suæ.* Quod indicant ipsa, quæ citasti, verba: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Fit enim, quod naturâ tale non est. Undè ortum, ut homo non in solidum Dei imago, sed ex una tantùm parte (quâ incorporeus, & invisibilis est) processerit; & illius tantùm ratione Deus dixerit: *Faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.*

D. Cyril. lib. de recta Fide ad Theodosiū. *Col.* 1 15. D. Joannes Chrysost. hom. 14. in Joan. *Jacob.* 1. 18. *Gen.* 1. 26.

Homo secundùm animam, quæ est incorporea, Dei incorporei imago est.

6. *Abass.* Quid est, Dei imaginem esse hominem, quâ incorporeus est? *Rom.* Docui cap. 11. num. 12. cùm res compositæ sunt, diversa de iisdem secundùm diversas partes dici posse. Cùm ergo homo compositus sit, de eo secundùm partem aliam dici potest, esse Dei imaginem; secundùm aliam, non esse. Quod didici à D. Paulo, qui docet, in hominibus esse imaginem terreni, ideſt, Adami: & cœlestis, ideſt, Dei: *Sicut*, inquit, *portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Terreni autem imaginem corpus esse, innuunt illa verba, quibus Ephesios hortatur, deponere *veterem hominem, qui corrumpitur secundùm desideria erroris.* Quid est autem vetus homo, qui corrumpitur secundùm desideria erroris, nisi corpus, quod aggravat animam? Quæ autem est imago cœlestis, & novus homo, nisi anima ipsa, de qua ibidem Apostolus: *Renovamini spiritu mentis vestræ, & induite novum hominem, qui secundùm Deum creatus est?* En novum hominem, non veterem; secundùm Deum creatum in spiritu mentis, non in corpore mortis. Quod in Epistola ad Colossenses planiùs, & efficaciùs concludit, cùm ait: *Induentes novum hominem:* eum, *qui renovatur in agnitionem, secundùm imaginem ejus, qui creavit illum.* Quid in homine renovatur in agnitionem, nisi anima, quæ intellectualis est, & in rerum agnitionem incumbit? Hæc ergo sola est in homine secundùm imaginem ejus, qui creavit illum. Si tamen tibi exprompta, & versatilis esset memoria, hâc me verborum circumitione uti non expediret.

1. *Cor.* 15. 49. *Eph.* 4. 22. *V.* 23. 24. *Col.* 3 9. 10.

7. *Abass.* Undè tamen acerba isthæc sugillatio? *Rom.* Quam tibi nunc propino aquam, vestris ex fontibus ubertim hausi. Ipsum enim Geneſis locum, quem citasti, Divus Cyrillus sic explicat in vestro Libro. [Ubo elaiblu benta cal Zaſchuf uſtâ orit, « camabotu Egziabeher cegâ Kedma, ubenta « Zentû ibê Egziabeher, nigber seba baa- « raiana, uba amsalina hi, Zaibê benta cigâ « hû leseb vetû, va acô Kma hû, alaüetu sa, « ibe benta besina Zaust, esma üetu ithedes « culô amira. Vä quesut neguerû esmâ besina « Za a fâ haleô imut, vâ imacen esca tensae. « Uba metetazê ibê. Vädamu beci sa hebu « Zalîb mani fês vëtu Zai imasen. Vädî le- « bisî hebû guabrô Egziabeher bassagâ, Za- « cama amsala Egziabeher. Esmâ Egziabeher « icona cegâ.] Ideſt: *Propter verbum, quod* « *scriptum est in Geneſi: Faciamus hominem ad* Gen. 1. 26. *imaginem, & similitudinem nostram; dicunt aliqui, Deum habuisse carnem à principio; &* Col. 3. 10. *in ea esse Dei similitudinem; sed non ità est; quia ipse locutus est de homine nostro interiori, qui renovatur omni tempore. Manifesta verò* Part. 3. n. 46 *res est, quòd homo noster exterior moriturus sit, & corrumpendus usque ad resurrectionem.* Et infrà: *Absconditus cordis homo, qui non corrumpitur, spiritus est; quem Deus fecit per* 1. Petr. 3. 4. *gratiam ad similitudinem suam; Quia Deus caro non est.* Vide, numquid aptius ad præ- D. Athanas. in Evang. de sanctissima Deipara. sentis sententiæ interpretationem potuerit excogitari. At si omninò contendis, ad corporeæ alicujus imaginis exemplar hominem creatum, dic cum D. Athanateo, ad similitudinem Incarnationis Christi, & assumptæ carnis formatum.

Locus Genesis in nostram sententiam explicatur à D. Cyrillo p. 3. n. 44.

CAPUT XIV.

Deum esse incorporeum, probatur auctoritate Patrum Haymanot Abbau.

Sex acies testimoniorum.

1. *Abass.* Illustrior nullus fuit Davidis triumphus, quàm cùm ventosum Gigantem suo ipsius gladio truncavit; nec tuus, quàm cùm nostrorum librorum testimoniis grassantes apud nos errores contundis. Ergo, si tibi aliqua suppetunt, ea nobiscum communicato. *Rom.* Sex testimoniorum acies pro nobis militant adversus Anthropomorphitas.

Prima acies Patrum, qui asserunt, Deum esse sine corpore. D. Greg. Thaum. p. 2. n. 1. D. Athan. p. 4. n. 17.

2. *Abass.* Quinam sunt in hoc exercitu primipili? *Rom.* Illi Patres, qui Deum corpore carere conceptis verbis contestantur. Quorum ductor est Divus Gregorius Thaumaturgus, cùm scribit. [Egziabeher « Zebâ aman, za alô embela segâ.] Ideſt: « *Deus verus, qui est sine carne.* D. Athana- teus: [Vä zasä ireco le Egziabeher ba aina « manifês, vä tamera mesaefta emmanifes « Kedus, va emenà mesaeft Kedusat, va « amerô le Egziabeher ba lebunâ, ijt baal « quimurâ

Digitized by Google

„ guimurâ izguer laila Egziabeher emana, vâ
„ imota.] Ideſt : *Qui videt Deum oculo ſpiritûs, & didicit libros ab Spiritu ſancto, & ex iis Deum intelligentiâ cognoſcit, non dicitur unquàm meminiſſe contra Deum paſſionis, & mortis.* Cauſam autem, cur Deus expers ſit
Idem p. 14. n. 52. mortis, eò refert, quòd corpore vacet, ut videbis loco, quem citabimus num. 5. Alibi:
„ [Vâ damû neemen Zembela taacâco, baca-
„ ma ibelâ meſa eſt Keduſat benta melacot
„ menſeſaüi.] Ideſt : *Credamus ſine inquiſitione, ſicut libri ſancti dixerunt, de divinitate*
D. Cyril. p. 3. n. 46. „ *ſpirituali.* D. Cyrillus : [Eſmâ Egziabeher
„ icona ſegâ, vâ itguemer, vâ vêtu eſat,
„ va abran, vâ ij carregô manumhi, vâ jire
„ Kebô alina ; vâ iitrai.] Ideſt : *Quia Deus caro non eſt ; neque comprehenditur ; & ipſe eſt ignis, & ſplendor ; & nemò ad eum accedit, neque cogitatio illum invenit ; neque videtur.*

Seconda acies Patrũ, qui idem de Trinitate affirmant. 3. *Abaſſ.* Qui Patres ſunt poſt principia ? *Rom.* Secunda acies illorum eſt, qui idem de Trinitate ſentiunt. D. Athanateus :
„ [Vâ iitgameru çamâ egoala ema ehau, eſmâ
„ acalat melacotaüi amontũ.] Ideſt : *Non comprehenduntur, ſicut homines, quia Perſonæ di-*
D. Athan. p. 5. n. 9. p. 14. n. 53. „ *vinæ ſunt.* Alibi : [Zaijtrequeb Ab ; Zaijtre-
„ queb Old ; Zaijtrequeb manifês Kedus.] Ideſt : *Inveſtigabilis Pater, inveſtigabilis Filius,*
D. Cyril. p. 2. n. 63. *inveſtigabilis Spiritus ſanctus.* D. Cyrillus :
„ [Feſumân em cadimû beſalæſtû acalat, üa
„ ſeleſtû gueſſat, embeſa ſegâ.] Ideſt : *Perfecti à principio in tribus Perſonis, & facibus, ſine carne.*

Tertia acies idem affirmantium de ſingulis Perſonis. 4. *Abaſſ.* Ad triarios accedamus. *Rom.* Illi ſunt, qui ſingulas Perſonas, ſpirituales,
D. Athan. p. 14. n. 11. vel ſine carne profitentur. De Patre ſic D.
„ Athanateus : [Namerô leab, abafeſuma,
„ amlac Zeba aman bagueſû, uba acalû, ubâ
„ melcû. Vâ ijtrequeb bacamaconu ſema me-
„ ſaeft.] Ideſt : *Agnoſcimus Patrem eſſe Patrem perfectum, Deum verum in facie ſua, & in Perſona ſua, & in lienamentis ſuis ; &*
D. Cyrill. p. 36. n. 2. *non invenitur, ſicut libri teſtantur.* D. Cyril-
„ lus, de Patre ſimul, & Filio : [Vabacama
„ Egziabeher ab zaiiaſtarij, ſadec, vâ her Zela-
„ lam batitû Zaimaut. Kamahû laold niamſali hu
„ laab.] Ideſt : *Sicut Pater eſt inviſibilis, ſanctus, & bonus ; ità etiam Filius, qui eſt imago*
Patres 318. p. 5. n. 6. *Patris.* Tercentum decem, & octo Patres :
„ [Old Zaba aman em ab Zebaaman, Zai-
„ iaſterij em Zâ iaſterij, Zaimaſai em Za
„ ijmaſan. Zajmaut em Zaijmaut.] Ideſt : *Verus Filius à Patre vero ; inviſibilis ex in-*
D. Baſil. p. 4. n. 9. *viſibili ; incorruptibilis ex incorruptibili ; im-*
„ *mortalis ex immortali.* D. Baſilius : [Old
„ Zata old em ab amſala Egziabeher Zaj
„ iaſtarij, Va Zaijtuelêt.] Ideſt : *Filius, qui natus eſt ex Patre, ſimilitudo Dei inviſibilis,*
Theoph. Alex. p. 1. n. 4. „ *& immutabilis.* Theophilus Alexandrinus :
„ [Vêtu old Zeba amân, Zaj iaſterij enza
„ iaſterii.] Ideſt : *Ipſe eſt verus Filius, qui*
D. Gregor. Thaumat. p. 1. n. 9. & 13. *eſt inviſibilis ex inviſibili.* De ſolo Filio D.
„ Gregorius Thaumaturgus. [Vâledetuſâ le
„ old ema ab Zaijtrequeb, vâ ijt cal letenâ
„ guerotû, eſmâ manifeſai vêtu, üba ma-
„ teteſi ibê. Nahû amerna ledetana, vâza
„ manifeſaui it leal laalâ tabaia uguala ema-

hean, vaijtrequeb guemurâ ba alinâ.] Ideſt : *Nativitas Filii à Patre eſt inveſtigabilis, & ineffabilis, quia eſt ſpiritualis.* Et inferiùs : *Ecce nativitatem noſtram, quæ eſt opus hominis, cognovimus ; ſed ſpiritualis attollitur ſupra naturam hominis ; nec unquàm invenitur*
D. Greg. Nyſſ. p. 1. n. 9. *cogitatione.* D. Gregorius Nyſſenus : [Old ijtrequeb baculu amſal, vâ baculû elahuë.] Ideſt : *Filius non invenitur in ulla ſimilitudine, vel ſubſtantia.* Idem probatur ex eo, quòd Filius dicatur Patris cogitatio ; de quo loquendi charactere libro tertio cap. 9. num. 8. Nam cogitatio etiam apud homines ſpiritualis eſt. De Spiritu ſancto idem confitetur D. Athanateus, dicens : [Vâ naamen
D. Athan. p. 14. n. 1. & 2. bamanfes maheauij, Zaimele culô, vê haus culô. Vâ vêtu uſta culû, inefa baculu Zai iaſterij.] Ideſt : *Credimus in Spiritum, vivificantem, qui implet omnia, & movet omnia ; & ipſe eſt intra omnia, & inſufflat in*
D. Gregor. Nyſſ. p. 4. n. 10. *omnibus, quin videatur.* D. Gregorius Nyſſenus. [Vâtre goamihu lecal camaüêtu teſagüana emanifes Kedûs. Vâco la manifês Kedus botû ſega, üa ifitûr vêtu cama ieliu ſeba elahuçan, Vâ cadaean.] Ideſt : *Interpretatio hujus verbi ; quòd ipſe incarnatus ſit de Spiritu ſancto : non eſt, quòd Spiritus ſanctus carnem habeat : neque quod ſit creatura, ſicut arbitrantur Hæretici, & negatores.*

Quarta eorum, qui dicunt, Verbum, quod erat ſine carne, carnem ſumpſiſſe. 5. *Abaſſ.* Quartam aciem producito. *Rom.* Illos complectitur, qui de Chriſto loquentes dicunt, Verbum priùs incorporeum, carnem poſteà ſumpſiſſe. D. Athanateus : [Vâ meſa habena Egziabeher cal Zembela ſegâ, ſemrâ, vâneſa ſegâ feſſuma.] Ideſt : *Venit ad nos Deus Verbum ſine carne ; & voluit ; & ſumpſit perfectam carnem.* Iterùm : [Eſmâ ſegâ, vâ Zalbotû ſegâ tedameru hebura.] Ideſt : *Caro, & quod non habet carnem, convenerunt ſimul.* D. Attifos. [Zâ albotû ſegâ, lebſa ſegâ benteacâ ôbeſsî.] Ideſt : *Qui non habet carnem, propter te ô homo carnem induit.* D. Baſilius. [Neenaſâ naamen, eſmâ Za albotu ſegâ, teſagaoâ ; vâ Za albotû dema, teſatefa demazina.] Ideſt : *Nos credimus, illum, qui non habet carnem, incarnatum fuiſſe ; & eum, qui non habet ſanguinem, ſanguini noſtro communicaviſſe.* Divus Gregorius Nyſſenus : [Vâ neſuh, Zaiimaſen taocfa be helauë egoala emeheyaü, Zaimaſen.] Ideſt : *Purus, qui non corrumpitur, ſuſcepit ſubſtantiam hominum, quæ corrumpitur.* D. Ephrem Syrus : [Vâ aco vêtu Za telaſeca baſegâ : ala üêtu amlac Zatauhada meſla ſeb.] Ideſt : *Non eſt caro, quæ adhæſit carni ; ſed Deus, qui unitus eſt homini.* D. Heraclis : [Ze albotû ſegâ, cona ſegâ embela ulaté.] Ideſt : *Qui non habet carnem, factus eſt caro ſine mutatione.* Theodotus Ancyranus : [Eſmâ Za albotû ſegâ behelauêhû cadamaui meſla ab, lebſa helauë egoala emeehau dehera.] Ideſt : *Qui non habet carnem in ſua priori ſubſtantia cum Patre, poſteà induit ſubſtantiam hominis.* Divus Gregorius Nazianzenus. [Za albotû ſegâ, teſatefa ſegâha leçadaſt danguil Mariam.] Ideſt : *Qui non habet carnem, participavit carnem*

D. Greg. Nyſſ. p. 1. n. 9.
D. Athan. p. 14. n. 1. & 2.
D. Gregor. Nyſſ. p. 4. n. 10.
D. Athan. p. 4. n. 59.
P. 8. n. 3. & p. 14. n. 23. & p. 15. n. 91.
D. Attifos. n. 5.
D. Baſil. p. 5. n. 18.
D. Greg. Nyſſ. p. 3. n. 5.
D. Ephr. p. 5. n. 17.
D. Proclus, p. 3. n. 25.
Theodotus, p. 1. n. 14.
D. Greg. Naz. p. 1. n. 26.

Digitized by Google

P.5. n.2. „ *ex sanctissima Virgine Maria.* Iterùm: [Ze „ albotû segâ, old Zaem ab, taolda em dan- „ guil.] Ideſt: *Qui non habet carnem, Filius*
D. Cyrill. *à Patre, natus est ex Virgine.* D. Cyrillus.
P.2. n.7. „ Vêtu Zaifetur cal, Ze albotû segâ vä sâ „ emhelahuhâ enta ieti tenta ateat.] Ideſt: *Verbum, quod non habet carnem, prodiit ex substantia ejus, qui extitit initium peccati.*
P. 51. n.16. „ Iterùm: [Cadamauïsâ emcadma iseba Kal „ embela segâ vêtu: vä emdera tesegauähi, „ amlac vêtu vä seb ebura.] Ideſt: *Antea quidem, cùm Verbum nondum factum esset homo, sine carne erat; postquàm autem incarnatum est, est Deus, & homo simul.* Divus
D. Joan. Chryſ. „ Joannes Chrysostomus. [Ze albotû segâ,
P.14.n.4. „ mesa basega Kedûs, vä ijarechô, alâ sed- „ faga ansehô.] Ideſt: *Qui non habet carnem, venit in carnem sanctam, & illam non inquinavit, sed amplius mundavit.* Aliqui etiam
Qui carnem non habebat, in carne passus est. Patres dixêre, eum, qui carnem non habebat, in carne passum. Divus Athanateus:
D.Athan. „ [Ainû amesâ imesel Zenta cama iblüo le
P.4.n.26. „ Egziabeher amlac ba helauëhû, Ze albotû „ segâ, ama basega Zenecâ emennena. Vaba-
„ matetesî ibê esma Za albotû segâ, imaut
N. 33. „ beguibta segâ.] Ideſt: *Quæ iniquitas videtur dicere: Deum, qui non habet carnem in substantia sua, passum, & mortuum in carne, quam sumpsit ex nobis?* Et infrà. *Qui non habet carnem,*
P.15.n.91. *moritur in opere carnis.* Iterùm:
„ [Esmâ ij carrebô heman leguemurâ leamdac
„ Kal: esma amlac vêtu behelaüehu Ze albotu
„ sega, vä Zaijmem, hama bassega amami.]
Ideſt: *Non appropinquavit unquam passio Deo Verbo, quia est Deus in substantia sua, qua non habet carnem; sed impassibilis infirmatus*
D. Cyril. „ *est in carne passibili.* D. Cyrillus: [Vä jhama
P.11. n.22. „ Kal ba elauëhü, ala ihamamî vêtu bame-
„ lacotû, esma icona segâ; vä daemu bese-
„ gahu batitû hama.] Ideſt: *Non est passum Verbum in sua substantia, sed impassibile in divinitate sua, quia caro non est; sed in*
P.53. „ *carne tantùm passum est.* Iterùm: [Menû vêtu
n. 51. „ Zentu abd Zaireseo lecadamaui Za albotu
„ segâ la aba de cama feturan.] Ideſt: *Quis est insanus iste, qui applicat infirmitatem creaturarum primo, qui non habet carnem.*

Quinta acies corũ, qui dicunt, invisibilem in carne visum. 6. *Abaſſ.* Quintana portâ sụâ jam acies prorumpat. *Rom.* Hæc illos Patres emittit, qui de Christo loquentes docent: Invisibilem in sua substantia, in carne visum.
D.Attifôs n. 7. „ D. Attifôs: [Zai iasterij, uzaijt vëlat, te- „ saguëa basegâ Zaituelat.] Ideſt: *Qui est invisibilis, & immutabilis, carnem assumpsit, qua mutatur.* Divus Scander Alexandrinus:
Alexander Alexandrinus, p.2.n.1. N. 3. „ [Vä Zaijastarij taraea. Vä bemaretazi ibê „ vä nasarauô lazaijtnesar.] Ideſt: *Qui erat invisibilis, apparuit.* Et infrà: *Inspexerunt*
Theodotus p. 1. n. 8. „ *eum qui aspici non potest.* Theodotus: [Zai „ jasterij bâ helauehu, astaraë ieze.] Ideſt: *Qui erat invisibilis in sua substantia, nunc*
D. Gregor. Naz. p.3. n. 5. *apparuit.* Divus Gregorius Nazianzenus: „ Astaraë enzâ ijastarij be helauë melacotû.] Ideſt: *Visibilis factus est, qui erat invisibilis*
P.4.n.10. „ *in substantia divinitatis sua.* Iterùm: [Se-
„ maïauï Zai trequeb, vëtü asteraë diba medir
„ belibseta segâ. Asteraë Zaij asterij.] Ideſt: *Cœlestis, qui investigari non potest, apparuit super terram in veste carnali; apparuit, qui est invisibilis.* D. Cyrillus: [Zai jasterij cona segâ embela ulatê.] Ideſt. *Qui est invisibilis, factus est caro sine mutatione.* Iterùm: [Astaraë Zai jastarij, vä taôcsâ arayagabr.] Ideſt: *Invisibilis apparuit, & suscepit formam servi.*

D. Cyril. p.6. n.8. P.9. n.1.

7. *Abaſſ.* Quinam Patres aciem claudunt? *Rom.* Illi, qui simili schemate impalpabilem palpatum, & contrectatum dicunt. D. Attifôs: [Kal Zetas eba, Zaijtgasas melacotû, tegasâ benteaca ôbesi.] Ideſt: *Verbum, quod incarnatum est, cujus divinitas est impalpabilis, palpatum est propter te, ô homo.* Theodotus: [Vazaijtgasas benta Zaicona helauë segâ, tegasa iaze besegâ.] Ideſt: *Qui palpari non potest, eò quod non sit carnis substantia, palpatus est in carne.* D. Joannes Chrysostomus: [Vä old vähad, Zaijtgasai, Zahâlô embela sega, tegasa ïaze belabisâ segâ.] Ideſt: *Filius unigenitus, qui contrectari non poterat, quia erat sine carne; attrectatus est, quandò carnem induit.* Iterùm: [Ahadû batitû Zaijtgasas Zembela segâ, tegasa baedâ egoala emaheau medrauëan.] Ideſt: *Unus tantùm, qui non attrectatur sine carne, attrectatus fuit manibus hominum terrenorum.* Divus Cyrillus: [Vä Zaijtgasas tegasa uracaë, lotû segâ lebatitû.] Ideſt: *Qui contrectari non poterat, contrectatus est, & fecit carnem sibi soli.*

Ultima acies eorum, qui dicunt, impalpabilem in carne palpatũ. D.Attifôs n. 6.

Theodot. p.1.n.10. D. Joan. Chryſ. p.3.n.4. P.5.n.15. D. Cyril. P.9.n.2.

CAPUT XV.

Perstringuntur aliqua Dei attributa.

Deus est immutabilis. 1. *Abaſſ.* Illi, qui deinceps Deum corporis gurgustio præclusum effutierit, corpus instar sepulchri datum ad animam præpinguem contumulandam arbitrabor. Nunc ad cæteras Dei perfectiones transvolato; & in primis ad immutabilitatem, quam post corporei ponderis immunitatem, primam numerasti. *Rom.* Suam ipse testatur immutabilitatem. *Ego*, inquit, *Dominus, & non mutor.* David: *Mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es.* Sapiens: *In se permanens omnia innovat.* Samuël: *Porrò triumphator in Israël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* D. Jacobus: *Apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio.* Ipse Balaam maleficus: *Non est Deus, quasi homo, ut mentiatur; nec ut filius hominis, ut mutetur.*

Malach.3.6. *Pſal.101.28.* *Sap.7. 27.* *1.Reg.15.29.* *Jacob.1.17.* *Num.23.19.*

Dei immutabilitas in natura, & operationibus. 2. *Abaſſ.* In quo hæc Dei immutabilitas consistit? *Rom.* In immobili naturæ, & operationum firmitate. Naturæ; quia semper, & necessariò ipse sibi sui esse auctor, & vindex extitit, quin unquam illius jacturam facere, aut pati possit. Operationum; quia omnis Dei operatio intellectu, & voluntate continetur, & neutram potentiam ulla potest conturbare vicissitudo. Quia divinus intellectus ab æterno se ipsum, & omnes creaturas, & illarum actiones unico,

&

Digitized by Google

& invariabili actu comprehendit; & voluntas, quidquid posteà in tempore vel dilectione, vel odio prosecutura esset, jam tunc pro temporum discrimine, vel probavit, vel damnavit. Creaturarum autem in essendo deliquia radicem habent naturæ caducæ vertiginem; in operando inconstantiâ tam voluntatis, quàm intellectûs volubilitatem. Intellectus enim à rei, quam primò perpendit, cognitione mutatur, quia rationes omnes, quæ posteà essent impulsuræ ad aliud consilium capessendum, altiùs non inspexit. Mutatâ autem cognitione, consectarium est, ut voluntatis affectus nunc à fuga, nunc à prosecutione commutetur; quia voluntas plerumque intellectui obsecundat. Sed cùm Dei cognitio immota sit, ipsius quoque voluntas nullâ mutatione percellitur. Quam causam conversionis creaturarum, & divinæ immutabilitatis Sapiens innuit, cùm dixit: *Multæ cogitationes in corde viri: voluntas autem Domini permanebit.* Hæc enim verba ostendunt, hominum voluntatem frequenter in hanc, & illam partem flecti, quia in intellectu diversarum cognitionum acies tumultuantur; divinam verò idcircò esse immutabilem, quia unius simplicissimi actus firmitudini adhæret.

Voluntatis divinæ immutabilitas à cognitionis immutabilitate procedit.

Prov. 19. 21.

3. *Abass.* Estne aliquid præter Deum immutabile? *Rom.* Angeli, animæ rationales, & cœlestes orbes, si puram tantùm naturam attendamus, ab omni mutatione sunt alieni, cùm nullius rei creatæ impressione perire possint. Si tamen Deo componantur, mutabiles sunt, quia potentiam passivam habent, ut ab illo in nihilum redigantur. Undè David: *Opera manuum tuarum sunt cœli; ipsi peribunt, tu autem permanebis. Et omnes sicut vestimentum veterascent, & sicut opertorium mutabis eos, & mutabuntur; tu autem idem ipse es, & anni tui non deficient.* Cùm autem dicit: *ipsi peribunt, & mutabis eos*, non est sensus, cœlestes globos unquàm à Deo commutandos, & dissipandos, sed id non esse extra ipsius potentiæ cancellos. Quemadmodùm Christus, ut ostenderet, faciliùs posse cœlum, quàm suorum verborum veritatem ruere, dixit: *Cœlum, & terra transibunt, verba autem mea non præteribunt.* Cæteræ creaturæ, ipsique adeò Angeli, animæ, & corpora cœlestia operationum mutabilitatem non effugiunt. *Ecce, qui serviunt ei*, inquit Job, *non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem.* Et iterùm: *Ecce inter sanctos ejus nemo immutabilis.* Nam plurimi Angelorum à cœlesti felicitate in abyssum sunt devoluti; Animæ variis cogitationum turbinibus rotantur, & nunc fiunt in virtutem, nunc in vitia proclives; Angeli, & animæ loca motu assiduo commutant, ipsúmque cœlum perpetuâ vertigine circumvolvitur. Solus Deus nec loco cedit, quia ubique est; neque succedentium cogitationum, vel affectuum æstibus agitatur; & ideò, ut *solus habet immortalitatem, sic solus immutabilitatem.*

Angeli, animæ, & corpora cœlestia respectu divinæ potentiæ sunt mutabilia.

Ps. 101. 27.

Matth. 24. 35.

Job. 4. 18.

Job. 15. 15.

1. Tim. 6. 16.

4. *Abass.* Satis de immutabilitate; dic aliquid de æternitate. *Rom.* Dei æternitatem, quæ est immutabilis, & perseverans ipsius existentiæ duratio, multa Scripturæ testimonia ostendunt; è quibus pauca accipe. In Genesi: *Invocavit ibi nomen Domini Dei æterni.* In Exodo: *Dominus regnabit in æternum, & ultra.* In Tobia: *Magnus es Domine in æternum, & in omnia sæcula regnum tuum.* In Psalmis: *A sæculo, & usque in sæculum tu es Deus.* Iterùm: *Misericordia Domini ab æterno, & usque in æternum.* In Daniële: *Deus æterne, qui absconditorum es cognitor.* In Paulo: *Sempiterna quoque ejus virtus, & divinitas.* Iterùm: *Secundùm præceptum æterni Dei.*

Deus æternus est.

Gen. 21. 33. Exod. 15. 18. Tob. 13. 1. Ps. 89. 2. & 102. 17. Dan. 13. 42. Rom. 1. 20. & 16. 26.

5. *Abass.* Undè Deo profluit æternitas? *Rom.* Ab ipsius immutabilitate. Illud enim solùm æternum dici valet, quod neque à non esse ad esse, neque ab esse ad non esse (quod solius Dei est proprium) mutari potest. Ideò de illo scriptum est in Machabæis: *Qui solus es bonus, Rex, solus præstans, solus justus, & omnipotens, & æternus.* Et sicut Deus merito suæ simplicitatis expers est divisionis in partes, ità ipsius duratio tota simul, & præsens est, quin dividi possit in principium, medium, & finem: in præteritum, præsens, & futurum; Sed omnes temporis differentias ipsis invariabiliter coëxistens, adeò plenè complectitur, ut de Christi divinitate loquens D. Joannes dicat: *Qui est, & qui erat, & qui venturus est.* Et Divus Paulus: *JESUS Christus heri, & hodie, ipse & in sæcula.* Quod enim Deus est hodie, fuit heri, & cras, atque in sæculum futurus est. Et in Scripturis de ipso sermo est nunc per verba præsentis, nunc præteriti, nunc futuri temporis. De præterito enim dicitur: *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* De præsenti: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor.* De futuro: *Alium paraclitum dabit vobis. Quæcunque audiet, loquetur. Ille de meo accipiet.*

Æternitas Dei profluit ab immutabilitate.

2. Mach. 1. 24, 25.

Apoc. 1. 8.

Heb. 13. 8.

Ps. 2. 7. Joan. 5. 17. & 14. 16. & 16. 13. 14.

6. *Abass.* Estne tibi in proclivi aliqua similitudo, quâ hanc divinæ æternitatis ad omnia tempora coëxistentiam ostendas? *Rom.* Tres accipe. Prima sit puncti, quod centrum est circuli. Ut enim punctum illud immotum æqualiter omnibus peripheriæ partibus respondet: tam iis, quæ ad præsens describuntur, quàm iis, quæ priùs descriptæ fuerunt; nec mutationem subibit, cùm aliæ describentur; sic Deus immotus in sua æternitate consistens, omnibus temporis differentiis respondet. Et sicut à centro multæ in peripheriam lineæ ducuntur, quæ omnes, cùm circulum convolvimus, moventur, quin centrum ipsum loco tantillùm cedat; sic multiplex est temporum vicissitudo, cùm divina æternitas cujuslibet ignara sit mutationis. Altera sit pontis supra tumidum, & concitatum fluvium siti; qui, cùm ille labatur in omne volubilis ævum, eodem semper vestigio subsistit. Tertia hominis, qui summo præcelsæ alicujus turris fastigio insidens, & in diversos viarum anfractus oculos conjiciens, accedentes, & recedentes: de flectentes ab itinere, & penitùs aberrantes immotus ipse contemplatur. Ità Deus inconcussæ æternitatis suæ firmitudini insistens tempora

Tribus similitudinibus ostenditur, quomodò æternitas coëxistat creaturis.

Digitized by Google

omnia, quamvis ipsa variis mutationibus distrahantur, ut præsentia intuetur; cujus merito ait Isaias: *Hæc dicit excelsus, & sublimis, habitans æternitatem.* *Isai.57.15.*

Dei immensitas.

7. *Abass.* Omissâ æternitate, immensitatem consectare. *Rom.* Res illa, quæ contracta est, & certo loco addicta, dimensa dicitur; illiusque mensura est locus, quo circumscribitur. Si verò res ulla fuerit, quæ omnia loca impleat, nec ullius terminis includatur, immensa erit. Hæc autem Deus est, ipso teste apud Jeremiam: *Numquid non cœlum, & terram ego impleo?* In Sapientia: *Spiritus Domini replevit orbem terrarum. Attingit ubique propter suam munditiem. Attingit à fine usque ad finem.* Apud Paulum: *Quamvis non longè sit ab unoquoque nostrum.* Alia testimonia vide cap. 12. num. 3. & 4. *Jer.23.24.* *Sap. 1. 7.* *Sap.7.24.* *Sap. 8. 1.* *Act.17. 28.*

Immutabilitas in Deo radix est immensitatis.

8. *Abass.* Quænam Deo radix est immensitatis? *Rom.* Illa eadem immutabilitas. Quod enim immutabile est, locum mutare non potest; ac proindè immensum esse debet. Colligitur verò Dei immensitas à rerum creatione, & conservatione. Cùm enim ubique operetur, ubique adesse necessum est; quia nemini licet, nisi ubi adest, operari. Ideò D. Paulus ex hominum vita, & motu Dei in ipsis præsentiam collegit. *Non longè*, inquit, *est ab unoquoque nostrum; in ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.* David quoque, cùm testatus est, Deum à se omnibus in locis repertum, adjungit: *Etenim illuc manus tua deducet me, & tenebit me dextera tua.* Quasi ex sui conservatione Dei præsentia esset comprobanda. Cùm autem audis, Deum rebus esse omnibus præsentem, ne putes iis (sicut animam corpore) intercluſum, aut illigatum; sed ipsis intimum, ut Creatorem, & conservatorem; extimum verò, ut curatorem, & custodem: *Omnia*, inquit Divus Augustinus, *implet sine inclusione.* Nam vel cœlum ipsum transcendit, teste Salomone: *Cœlum, & cœli cœlorum te capere non possunt.* Et Jobo: *Excelsior cœlo est, & quid facies? profundior inferno, & unde cognosces? longior terra mensura ejus, & latior mari.* Hac de causa non solùm ait Divus Paulus: Deum non esse procul ab uno quoque nostrûm, sed nos in ipso esse, vivere, & moveri, quod significat, Deum intra nos esse, sicut est anima, quâ vivimus; & extra nos esse, sicut est locus, in quo movemur, & sumus. Locus enim rem locatam exteriùs ambit. Nam, ex mente Divi Augustini, creaturæ sunt in Deo, quasi spongia in mari, quæ intùs aquam continet, & exteriùs aqua continetur. *Deus tamen*, eodem teste, *in omnibus locis sine loco habetur; omnia continet sine ambitu; ubique præsens est sine situ, & motu.* *Act.17. 28.* *Psal.138.10* *D. August. lib. Medit. cap. 29.* *3.Reg.8.27.* *Iob.11. 8.* *Act.17.28.* *D. August. l.7. Confes. cap. 5.* *L. August. supra in hoc it.*

Dei Invisibilitas.

9. *Abass.* Ne adeò te distrahat Dei immensitas, ut prætereat invisibilitas. *Rom.* Qui Deum esse invisibilem in Scripturis non videt, cæcus est à nativitate. Iob enim dicit: *Si venerit ad me, non videbo eum.* Divus Joannes: *Deum nemo vidit unquam.* Divo Paulus: *Invisibilia Dei.* Alibi: *Qui est imago Dei invisibilis.* Alibi: *Regi sæculorum, immortali, & invisibili:* Alibi: *Quem nullus hominum vidit, sed nec videre potest.* Causa autem, cur Deus videri non possit, à nobis inculcata est capite 12. numero 2. & 9. & capite 13. numero 2. Visûs, scilicet, objectum esse corpus aliquo colore illustratum; Deum autem non minùs dedecent corporis membra, quàm colorum pigmenta. *Iob.9. 11.* *Joan.1.18.* *Rom.1.20.* *Colos.1.15.* *1.Tim.1.17.* *1.Tim.6.16.*

Corporeis oculis Deus non videtur.

10. *Abass.* Ut de Prophetis taceam, quos superiùs dixisti, corporea tantùm in imagine Deum contemplatos, Beati *Deum facie ad faciem* videbunt, ut testatur Divus Paulus; & *sicuti est*, ut Divus Joannes. Non est ergo Deus invisibilis. *Rom.* Breviter respondeo cum Divo Augustino: *Non videbitur Deus oculis carnis, sed videbitur oculis mentis.* Et iterùm: *Videri divinitas humano visu nullo modo potest; sed eo visu videtur, quo jam qui vident, non homines, sed ultra homines sunt.* Id verò Christus significavit, cùm dixit: *Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.* Ut autem, *absconditus cordis homo*, apud Divus Petrum est anima, sic cordis oculus est ipsius acies ab omni corporeæ contagionis concretione repurgata. Nec verò nudus mentis oculus Deum videre poterit, nisi fuerit superioris qualitatis, quæ lumen gloriæ dicitur, infusione roboratus; de quo libro 8. capite 12. num. 5. *1.Cor.13.12.* *1.Ioan.3.2.* *D. August. lib. de Symbolo, & in Epistola ad Italicam.* *Matth.5.8.* *1.Pet.3.4.*

Dei incomprehensibilitas.

11. *Abass.* Ut Deus est invisibilis, estne simul incomprehensibilis? *Romanus.* Tibi Job illam reddet responsionem: *Forsitan vestigia Dei comprehendes, & usque ad perfectum Omnipotentem reperies?* Et iterùm: *Dignè eum invenire non possumus; magnus fortitudine, & judicio, & justitia; & enarrari non potest.* Jeremias: *Magnus consilio, & incomprehensibilis cogitatu.* Divus Paulus: *Quàm incomprehensibilia sunt judicia ejus, & investigabiles viæ ejus!* Nam rem aliquam comprehendere, est cognoscere illam, quantùm ex se cognoscibilis est; Deus autem, cùm summè, & infinitè perfectus sit, infinitè etiam cognoscibilis est. Cùm ergo omnis intellectus limitatus sit, & illius cognitio definita, nullus Deum comprehendere potest. Undè est incomprehensibilis. Ex quo etiam colligitur, ipsum esse ineffabilem sivè mente, sivè linguâ. Quia lingua id solùm effari potest, quod mens priùs comprehendens intra se ipsam enuntiat. Cùm autem nullus intellectus Deum comprehendere possit, ità nec etiam effari. Sicut Jobi sententia declarat: *Et enarrari non potest.* Hinc est, quòd summi Prophetæ, cùm propiùs ad Deum accessêrunt, longiùs se ab illius præconiis evulgandis recessisse agnoverunt. Nam Moyses: *Ex quo*, inquit, *locutus es ad servum tuum, impeditioris, & tardioris linguæ sum.* Isaias: *Iob.11.7.* *Iob.37.23.* *Jer.32.19.* *Rom.11.33.* *Exod.4.10.*

Dei ineffabilitas.

Digitized by Google

Isai. 6. 5. Jerem. 1. 6. Isaïas : *Vir pollutus labiis ego sum.* Et Jeremias : *A, A, A, Domine Deus : ecce nescio loqui, quia puer ego sum.*

Infinitas Dei.

12. *Abass.* Ullámne Deus habet infinitatem ? *Rom.* Infinitum est, quod nullo fine terminatur. Triplex autem est finis : loci, perfectionis, & potentiæ. Deus loci fine non concluditur, quia est immensus. Nec ejus potentia ullo limite coërcetur, quia est Omnipotens : *Et facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus.* Facit verò non in uno tantùm genere, ut causæ creatæ, quæ ad certos tantùm effectus determinatæ sunt ; ut equus, & leo ad equos ; & leones progenerandos : ignis ad calefaciendum : aqua ad humectandum ; sed in omni. Potest enim Angelos, animas rationales, & alias substantias spirituales ; & corporeas creare ; & illa omnia solus efficere, ad quæ cæterorum agentium facultas se extendit ; quæ est propriè Omnipotentia, de qua iterùm lib. 4. cap. 1. pertractandum. Cùm autem potentia naturam sequatur, infinita in eo potentia non esset, nisi & ipsius natura infinita perfectione, & magnitudine præcelleret ; de qua Psaltes : *Psal. 144. 3. Baruch 3. 25.* *Magnus Dominus, & laudabilis nimis, & magnitudinis ejus non est finis.* Baruch : *Magnus est, & non habet finem ; excelsus, & immensus.*

Psal. 144. 3. *Baruch 3. 25.*

Perfectio Dei. Aristotel. 5. Metaph. cap. 16.

13. *Abass.* Deum perfectum esse quid ostendit ? *Rom.* Perfectum illud dicitur, quod habet omnia, quæ ipsi ad naturæ suæ mensuram congruunt. Cùm verò Deo nihil eorum desideretur, quæ ipsius natura exigit ; David dicente : *Deus meus es tu, quoniam bonorum meorum non eges* ; In Machabæorum libris : *Tu Domine universorum, qui nullius indiges* ; Et in Actibus Apostolorum : *Non manibus humanis colitur, indigens aliquo* ; perfectus, & omne bonum nuncupatur ; *Estote perfecti*, inquit Christus, *sicut & Pater vester cœlestis perfectus est* ; Et in Exodo : *Ostendam omne bonum tibi :* Nihil enim boni nomen sortiri potest, quod in Deo plena margine non redundet ; cùm non solùm congruas naturæ suæ, sed omnium creaturarum perfectiones complectatur.

Psal. 15. 2. *2. Mach. 14. 35.* *Act. 17. 25.* *Matt. 5. 48.* *Eccl. 33. 19.*

Omnes creaturarũ perfectiones in Deo sunt, non formaliter, sed eminenter.

14. *Abass.* Qualis cujuscumque rei natura est, tales & illius perfectiones. Cùm ergo Dei natura sit infinita, quomodò capax est perfectionum creaturarum, quæ limitatæ sunt ? *Rom.* Dantur aliquæ perfectiones, quæ nullo imperfectionis stigmate compunguntur ; quales sunt æternitas, immensitas, immutabilitas, & similes ; quæ non solùm verè in Deo reperiuntur, sed sunt ipsa Dei essentia. Sunt aliæ, quibus aliquod imperfectionis contagium admiscetur ; ut esse calidum, album, pulchrum, aliæque cognatæ ; quæ sunt creaturarum consectatrices ; & ab ipsarum mole, vel mutabilitate dimanantes. Hæ in Deo non re ipsa desident, sed nobiliori modo, quàm in creaturis ; utpote eminenter, & tamquàm in prima causa, à qua creaturæ totam suam naturam, & perfectiones mutuantur ; juxta illud D. Jacobi effatum : *Omne datum optimum, & omne donum perfectum de sursum est, descendens à Patre luminum.* Licèt enim esse creaturarum, & illarum perfectiones, dum intra ipsarum cancellos considerantur, angustæ sint, facultas tamen creaturas moliendi, & ipsis perfectiones largiendi, indubitatum est illimitatæ naturæ argumentum. Sicut esse angusti oppiduli judicem, vel paucorum militum decurionem, exile est munus ; potestas autem ipsum conferendi, augustum quid est in Rege ; non enim illorum munerum fine clauditur, sed ad omnia regni sui munia : Prætorum nempè, Præfectorum, Proregúmque protenditur ; ut verè dici possit, plenam omnium regni magistratuum jurisdictionem in uno Rege contineri. Eodem modo Deo insunt omnes, quas ipse creaturis impertiri potest, perfectiones ; quæ in ipso creatæ non sunt, sed ipsa creatrix essentia. Cujus rei, merito dixit D. Joannes : *Quod factum est in ipso, vita erat.* Quamvis enim creaturæ in semetipsis mortales sint, & caducæ, ipsarum tamen esse in Deo vitale est, & æterna ipsa Dei vita, à qua cùm statutus ab ipso articulus advenit, temporalem vitam hauriunt : Nam teste Divo Paulo : *Ipse dedit omnibus vitam, & inspirationem, & omnia.* Et iterùm : *Quoniam ex ipso, & per ipsum, & in ipso sunt omnia.* Cur enim ipse se vocat *florem campi, & lilium convallium* ; Et alibi dicit : *Pulchritudo agri mecum est* ; nisi, quia ipse *producit in montibus fœnum, & herbam servituti hominum* ; & agri lilia nunc candore vestit, nunc purpurisso, nunc croco, nunc hyacintho ? Eodem ritu dicitur Deus sol, ignis, aurum, & margarita ; quia soli lucem, igni calorem, auro pretium, & margaritæ splendorem tribuit ; atque ab ipsis vicissim admittit datæ à se nomenclaturæ reciprocationem.

Joan. 1. 4. *Act. 17. 25.* *Rom. 11. 36.* *Cant. 2. 1.* *Psal. 49. 11.* *Ps. 146. 8.*

CAPUT XVI.

Ostenditur, quomodò in Deo sit vita.

Viventia naturali loco constituta a se ipsa movent.

1. *Abass.* Cùm dixeris, creaturas in Deo ipsam esse Dei vitam, quid vita sit, exponere ne cunctator. *Rom.* Vivere illa dicuntur, quæ in loco naturali constituta se ipsa movent alicujus principii sibi intrinseci adminiculo. Undè in rebus creatis duplex est vita ; altera substantialis, altera accidentalis. Vita substantialis est anima, quæ est principium intrinsecum, & radix omnium vitalium operationum : accidentalis sunt ipsæ vitales operationes ab anima exercitæ.

Aristotel. lib 2. de Anim. cap. 2. text. 13.

Non viventia in proprio loco se non movent, in alieno moventur à generante.

2. *Abass.* Quidnam illud est : Viventia illa dici, quæ in loco naturali constituta se ipsa movent ? *Rom.* Multa, quæ viventia non sunt, alieno loco constituta ad naturalem impelluntur ; sed non à semetipsis ; neque ab aliqua potentia sibi intrinsecùs inhærente ; sed à generante, qui naturalem inclinationem illis indidit, sedem nativam unico tantùm motu quæritandi. Quo in

Digitized by Google

genere sunt, quæ gravia, & levia dicuntur. Saxum enim, quod grave est, si è terra (quod illi natale solum) sursùm extrahatur, suopte pondere in terram devolvitur. Ignis, qui cæteris elementis levitate præstat, sursùm semper contendit, ut in proximam cœlo sedem naturæ suæ debitam se recipiat. Sed saxum, ubi in terram: ignis, ubi in suam regionem se collegit, æternùm conquiescunt, nec alterius loci adipiscendi ambitione agitantur. Cùm è contrario viventia sui loci possessione functa pro animarum diversitate, vel illum penitùs sua virtute deserant; vel in eodem permanentia variis motibus ultrò, citróque excurrant. Aristotel. 2. de An. c. 2. Sunt verò tria animarum genera: vegetatricis, sensitivæ, & rationalis; & secundùm eas triplex motus, sivè operationes in viventibus gradatim nobiliores.

Plantarum vita ex vi animæ vegetatriciš.

3. *Abass.* Quis primus est animæ gradus? *Rom.* Illius, quæ dicitur vegetativa; quæ licèt illis, quibus inest viventibus, omninò separationem à suo loco naturali non concedat, præstat tamen, ut alimento è terra exucto, & intùs concocto in omnem dimensionem, idest, sursùm, deorsùm, & in latera moveantur, & excrescant. Quod vitæ genus cernimus in plantis, quæ humorem è terra haurientes, & suo quasi ventriculo digerentes in imum radices: in ambitum latera: gemmas, & frondes in excelsum diffundunt. Quibus notis à non viventibus secernuntur; hæc enim non alimento intùs susceptо, sed adglutinatis exteriùs appendicibus excrescunt; ut videmus saxa terræ, & fondium congestu fieri grandiora; & ignem lignis appositis, quæ non in ipsius substantiam convertuntur, sed in cinerem, nutriri. Hic tamen vitæ gradus imperfectus est; nam licèt virgulta, atque arbores adolescant, & moveantur, & hâc prærogativâ longè non viventibus antestent, semper tamen eidem, quo natæ sunt, loco immobiliter affiguntur.

Animantiũ vita ex vi animæ sensitivæ.

4. *Abass.* Quis secundus est vitæ gradus? *Rom.* Illorum viventium, in quibus animæ vegetatrici adjungitur sensitiva, quæ multò est præstantior. Hæc enim non tantùm in dimensionem excrescunt; verùm uni loco minimè astringuntur; sed alia aliis permutant tam internorum, quàm externorum sensuum, ac membrorum ministerio. Qui gradus in omnibus animantibus res eminùs, & cominùs sensuum ope contemplantibus, & duplici appetitu: quorum alter dicitur concupiscibilis, alter irascibilis, consectantibus, vel defugientibus reperitur. Nam appetitu concupiscibili, quod suæ naturæ conveniens est, intendunt; irascibili, quod est dissentaneum, execrantur; & tam ad bonum consequendum, quàm ad malum vitandum potentiâ motivâ, quâ de loco ad locum demigrant, quæque duorum appetituum jussioni subjacet, sunt instructi. Si enim natura illis sensus tantùm ad cognoscendas res suæ naturæ conformes, vel pugnantes; & appetitum ad illas desiderandas, & istas rejiciendas indidisset; nec potentiam ad utiles apprehendendas, & noxias effugiendas addidisset, novercam se, non matrem exhiberet; cùm illa cognitio non utilitatis esset, sed carnificinæ conciliatrix. Nam siquis oculos haberet ad herbam fami, & aquam siti sedandæ idoneam contemplandam, & appetitum ad desiderandam; non tamen pedes ad illam quærendam, vel ad objectum sibi lupum devitandum; non privato commodo, sed tormento nata diceretur. Sed hic motus, & vitæ gradus multis adhuc scatet imperfectionibus; cùm animantium sensus certæ corporum parti sint affixi; nec cognitio res corporeas, singulares, & præsentes transgrediatur; aut in se ipsam reflexo intuitu respiciat. Herbam enim ovis videt, & comedit; sed se videre, & comedere non dignoscit.

Hominum vita ex vi animæ rationalis nobilissima.

5. *Abass.* Quis tertius est gradus? *Rom.* Humanarum animarum, quæ gradui vegetativo, ac sensitivo adjiciunt rationalem. Homines enim, ceu plantæ, adolescunt: ceu animantia, moventur; ulteriùs tamen intelligunt, & ratiocinantur. Intelligere autem eminentissimus est vivendi modus, qui non à corporeo sensu, sed ab spirituali profluit; nec tantùm rebus, quæ sub oculorum obtutum cadunt, & singularibus: sed communibus, & spiritualibus inspiciendis occupatur; & in se ipsum redit; se intelligere, & amare animadvertens. Multa quoque tam propè sita, quàm longè divulsa: tam præsentia, quàm præterita; imò & futura contemplatur; nec uno loco constringitur, sed liberè toto orbe volitat, & ultra cœli spatia porrigitur. Aristotel. lib. 2. de Anim. text. 13.

Angelica vita, & cognitio humanam exced.t.

6. *Abass.* Aliquámne gradus iste vitæ patitur imperfectionem? *Rom.* Non omni vacat. Nam anima rationalis gradum vegetantem, & sentientem adjunctum habet; & ob vegetantem, paulatim, & per intervalla corpori accretionem subministrat; ob sentientem, per solas sensuum fenestras cognitionem haurit; iisque oppilatis ipsa præditur, dormientibus otiatur; nec corporis pedicam unquàm potest deponere; sed quocumque pergat, illud necessariò circumferre debet; & ad illius gravitatem, & tarditatem suum cursum moderari. Est ergo aliud vitæ genus excellentius in Angelica natura ex toto spirituali, quæ corporis impedimentis carens, phantasmata ad intelligendum non speculatur; & nulli loco mancipata, in quemcumque animo destinaverit, fulmine ocyùs se transferre potest; & multò plura, quàm homines uno mentis jactu pensitare.

Divina vita intellectualis est, & omnium perfectissima.

7. *Abass.* Hæc planè videtur esse divinæ vitæ periodus. *Rom.* Multò est sublimior, & exactior. Quantumvis enim Angelorum vita sit eminens, non est vita per essentiam; quia ipsorum substantia non est immediatum vivendi, intelligendique principium; sed intellectus, quæ est potentia re ab essentia distincta. Nec est vita, quæ ab ipsis intimè profluxerit, & ab æterno duraverit; sed quam in tempore à Conditore acceperint, & ab ipso possit auferri; nec qua

omni

Digitized by Google

omni loco fruantur, sed in illo tantùm, quem limitata ipsorum præsentia possit occupare. Deus tamen ubique vivit, Eliâ teste: *3. Reg. 17. 1.* *Vivit Dominus Deus Israel, in cujus conspectu sto.* Ipsiusque vita æterna est, Joanne dicente: *1. Joan. 5. 20* *Hic est verus Deus, & vita æterna.* In *Deut. 32. 40* Deuteronomio: *Vivo ego in æternùm.* In *Apoc. 3. 14.* Apocalypsi: *Adoraverunt viventem in sæcula sæculorum.* Vita autem non ascita, sed innata, Filio attestante: *Joan. 5. 26.* *Pater habet vitam in semetipso.* Et vita per essentiam: *Joan. 14. 6.* *Ego*, inquit, *sum via, & veritas, & vita.* Et vita, à qua vitam Angeli, homines, & quæcumque se *Act. 17. 25. 28.* moventia hausêrunt, Paulo prædicante: *Cùm ipse det omnibus vitam, & inspirationem; In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus.*

Spiritus sanctus non est vita Patris, neque Filii.

8. *Abass.* Spiritum sanctum Patris, & Filii vitam esse Libri nostri contestantur. *Rom.* Modus ille loquendi à Patrum sententia, & veritate plurimùm abhorret. Nam antequàm intelligamus, Spiritum à Patre, Filióque procedere: Patrem, & Filium in suo esse personali constitutos, vivere intelligimus. Priùs enim Pater Filium generat; generare autem non posset, nisi viveret; cùm generatio sit progressio viventis à vivente. Hinc est, quòd Filius ipse dixit: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et iterùm: *Ego vivo propter Patrem.* Si ergo Pater vitam à semetipso, Filius à Patre nanciscitur, (quod est propter Patrem vivere) nec Pater, nec Filius ab Spiritu sancto, qui posterior est processione, illam rectè dicentur vendicare; nam tamquàm inanimes ante illius constitutionem obtorpescere viderentur.

Aristotel. lib. 7. Met. cap. 8. text. 18.

D. Thom. 3. p. q. 32. a. 3.

Joan. 5. 26. *Joan. 6. 57.*

CAPUT XVII.

De intellectu divino.

Intellectus, & intelligere sunt in Deo.

1. *Abass.* Cùm dixeris, vivere divinum esse intelligere, vellem enuntiares, quid mihi sit de divino intellectu sentiendum. *Rom.* Deum intelligere in confesso est, Job asserente: *Job. 12. 13.* *& 28. 23.* *& 34. 15.* *Psal. 138. 3.* *Sap. 9. 11.* *Ipse habet consilium, & intelligentiam.* Iterùm: *Deus intelligit viam ejus.* Tertiò: *Novit enim opera eorum.* Psalte: *Intellexisti cogitationes meas de longè.* Et tandem Sapiente: *Scit enim ille omnia, & intelligit.* Cùm Deo adsint scientia, & intelligentia, quæ sunt actus, necesse est inesse intellectum. Nam, ex doctrina Philosophi, ex actu potentia colligitur; sicut ex luce, & calore, qui solis actus sunt, illius ad illuminandum, & calefaciendum potentiam arguimus. Deum quoque verum, atque veracem esse, Scripturæ docent. *Ego*, inquit, *Joan. 14. 6.* *sum via, & veritas, & vita.* D. Paulus: *Est autem Deus verax.* Verus autem, & verax non esset, si intellectu destitueretur; veritas enim sine intellectu subsistere non potest.

Aristot. 1. de Cœlo cap. 12. text. 132.

Veritas est in intellectu.

2. *Abass.* Quid est veritas? *Rom.* Eamdem Pilatus movit quæstionem, sed non expectatâ responsione ad perditionem velificavit. Quem ne sequaris, scito, veritatem esse intellectûs cum re percepta conformitatem; eúmque intellectum, & cognitionem esse veram, quæ rem, qualis in se est, sine adjectione, vel imminutione adæquat. Hanc intellectûs veritatem dictorum veritas, quæ est propriè veracitas, consequitur. Ille enim verax est, cujus verba eam cognitionem exprimunt, quâ intellectus rebus à se perceptis conformatur. Ille mendax, qui aliud intelligit, aliud enuntiat. Cùm igitur Deus cuncta, ut sunt in se ipsis, introspiciat, & Sanctis, ut à se sunt agnita, revelet, æquè verus est, ac verax, & summa veritas. Divinus tamen intellectus in Deo longè abest à conditione creatarum potentiarum, quæ à rebus, quibus insunt, & à propriis actibus separari queunt. Nullâ enim ratione à Deo sejungi valet, nec ab intelligendi actu vacare; cùm tam actus, quàm intellectus ipsa sint Dei substantia.

Joan. 18. 38 Aristotel. 9. Met. text. 21

D. Thom. 1. p. q. 16. a. 1.

Deus ipse primarium est sui intellectus objectum.

3. *Abass.* Quænam sunt illa, quæ suo Deus percipit intellectu? *Rom.* Inprimis se ipsum. Ipse enim sibimetipsi est præcipuum, perfectissimum, & præ omnibus intimè præsens objectum. *Spiritus enim*, inquit Divus *1. Cor. 2. 10.* Paulus, *omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et inferiùs: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi spiritus Dei.* Non autem se solitarium contemplatur, sed suam omnipotentiam, & quæcumque ab illa egredi possunt; sive parva, sivè magna, sivè præterita, sivè præsentia, sivè futura, cum omnibus, quas subire possunt, varietatibus. Quia eodem Apostolo teste: *Non est ulla creatura invisibilis in conspectu ejus. Omnia autem nuda, & aperta sunt oculis ejus.* Quæ cognitio naturalis dicitur, & comprehensio; quia per illam Deus semetipsum, & omnia, ad quæ ipsius se potentia potest extendere, comprehendit; de qua cap. 20. n. 5.

Heb. 4. 13.

Proponitur modus humanæ cognitionis.

4. *Abass.* Quisnam modus est divinæ cognitionis? *Rom.* Omnium, quicumque possunt excogitari, perfectissimus. Quod plenè assequêris, si modum intelligendi hominum, Angelorúmque perpendas; & ab eo imperfectiones, quæ à Deo sunt alienæ, secernas. Cùm Deus rationales animas è nihilo educit, easque corporibus includit, ipsarum intellectus est instar puræ membranæ, nec ullis characteribus picturatæ, quæ temporis fluxu diversis notis est exaranda. Nihil enim operari potest, antequàm rerum formis consignetur. Undè Philosophi intellectum patientem dixêre; non quia nihil operetur, sed quia in ipso prior est passio, quàm operatio; cùm res, quas labente tempore percipit, suis ipsum imaginibus insigniant. Cunctis enim rebus insitum est à natura, ut à se quædam veluti semina dimittant; ea verò sunt tenuissimæ quædam species, & imagines, quæ in se positæ intùs mentis palatium pervadere non possunt, nisi priùs exteriorum sensuum hospitio excipiantur; illosque transmittere non possent, nisi rebus, à quibus emittuntur, essent subtiliores. Si enim rerum imagines

Suprà cap. 13. n. 1.

Species necessariæ sunt ad cognoscendum & quid sint.

Digitized by Google

æquè crassæ essent, atque res ipsæ, à quibus vibrantur, ad ipsarum cognitionem gignendam nihilo ipsis essent utiliores; & sensibus applicitæ auxilio non essent, sed impedimento, sicut res ipsæ. Aurum enim, & margaritam si oculis imponas, illos obrues, & obtundes; si ex commodo intervallo, quo species cursitare possint, objectes: reficies, & exhilarabis. Quæ reliquorum est sensuum consuetudo.

Specierum munus.

5. *Abass.* Cui usui sensibus illæ sunt species? *Rom.* Species sensus ad operandum adjuvant, & determinant. Illos enim ad hoc, vel illud percipiendum indifferentes, & velut ancipites natura effinxit; sed auri species in oculum incurrens, illum ad aurum contuendum: vox hominis in aures illapsa ad hominem: sonus citharæ ad citharam audiendam devincit. Sed, speciebus aliis omissis, visiles tantùm consectemur. Oculus mortuâ auri specie, quæ auri est fœtus, atque semen, vestitus, & roboratus, propriâ virtute actionem elicit, quæ dicitur visio; cujus terminus est alia viva, atque expressa auri imago. A rebus autem species disseminari, & visionem illarum esse partum, viventémque imaginem hujus ope efformari, indè patet, quòd oculi pupillam, non nostri tantùm, sed omnium rerum, quæ in eum concurrunt, similitudinibus descriptam contemplemur. Nec expressæ illæ imagines plus temporis in oculis, quàm ipsa visio, perdurant; nec visio longiùs protenditur, quàm dum res ipsæ ante oculos persistunt; ipsis enim sublatis, illicò evanescit. Hæc enim omnes sensus externos afficit ægritudo, ut rerum tantùm præsentium cognitionem admittant.

Specierum aliæ sunt impressæ, aliæ expressæ.

In phantasia brutorum, atque hominum corporeæ sunt species.

6. *Abass.* Expressæ illæ ab oculis imagines ipsorum tantùm atrium servant, an introrsùs irrumpunt? *Rom.* Vivæ illæ imagines ab oculis excussæ, ab iis minimè discedunt, sed alias sui, & rerum, quas exprimunt, vicarias in sensum internum (qui à Græcis phantasia, à Latinis imaginativa dicitur, & in cerebro considet) immittunt; qui sensus non specierum tantùm, quæ ab oculis, sed quæ ab aliis sensibus externis expediuntur, diversorium est; iisque instructus propriam elicit sensationem, quæ viva etiam est effigies objecti; nec statim aboletur, sed sui post se vestigium relinquit. Non enim rebus tantùm præsentibus alligatur, sed etiam in absentes, & longè dissitas se extendit. Hinc est, quòd animantia perfecta, quibus omnibus ille sensus suppetit, rerum semel perceptarum reminiscuntur; & ovis ad pastionem, bos ad præsepe, avis ad nidum, apis ad alveare, & formica ad suum horreum, regrediuntur. Quod minimè aggrederentur, nisi intùs præteritarum actionum aliquæ imagines residerent.

Humanum intellectum spirituales tantùm species pervadunt.

Ut autem sensus iste corporeus est, sic & illius imagines, quæ brutis tantùm animantibus, non tamen rationalibus sufficiant. Idcircò datur in hominibus potentia spiritualis, quæ vocatur agens intellectus, virtutem habens phantasia, & illius speciebus velut instrumentis utendi, illásque in ordinem sublimiorem evehendi, & spiritualem rei corporeæ speciem ab ipsis extundendi; quæ ideò in patientem intellectum non solùm penetrat, sed æternam ibi sedem figit. Cúmque intellectus ipse spiritualis sit potentia, & rei spiritualis nullus sit interitus, infinitæ in quolibet intellectu species deponi, & semel impressæ æternùm possunt perennare.

Quid sit intellectio.

7. *Abass.* Semel in patientem intellectum species illæ conjectæ, sopori se dedunt, an quidquam negotiantur? *Rom.* His speciebus, quæ spiritualia jam sunt rerum corporearum semina, informatus intellectus, spiritualem elicit operationem, quæ dicitur intellectio, sivè intelligere, sivè productio, aut origo activa intelligendi. Est enim quædam veluti via, quâ intellectus graditur ad producendam spiritualem quamdam, & vivam, atque expressam rei corporeæ; aut si spiritualis est, corporeo priùs modo conceptæ imaginem, qui ultimus est totius istius machinæ intelligendi terminus. Intellectus enim omnia, quæ percipit, ad se quodammodò evocat, eisque se similem concinnat. Quo sensu dixit Aristoteles, *intellectum fieri omnia, quæ intelligit*; sicut dicere possumus, speculum fieri omnia, quæ suas in illud species jaculantur; quod in sequenti paradigmate clariùs elucebit. Cùm in Romam, vel in quidvis aliud mentis obtutum defigimus, illud intra nos habere videmur; non quòd re vera habeamus, sed quòd illius imaginem animo delineemus. Hæc mentis imago dicitur etiam conceptus, quia per illam intellectus rem intra se perfectè concipit; & verbum, quia per eamdemmet ipse secum loquitur; de quo uberiùs lib. 3. cùm ad Filii generationem ventum fuerit, agendum, in quem locum hujus capitis doctrinam sedulò repone.

Intellectionis terminus est imago expressa rei intellectæ, quæ etiam verbum dicitur. Aristotel. 3. de Anim. cap. 4. text. 19.

Quinque ad intelligendum necessaria quomodò distinguantur.

8. *Abass.* Secundùm ea, quæ à te dicta sunt, cùm intellectus agendo incumbit, quinque concurrunt. Objectum, sivè res intellecta. Ejusdem rei semen, sivè species. Ipse intellectus. Intellectio, & imago expressa objecti, quam verbum quoque, & conceptum appellasti. Quid inter hæc intersit, enucleato. *Rom.* Objectum, & impressa ipsius species re invicem separantur. Nam objectum est extra intelligentem, species intra intellectum; objectum corporale, species insectilis, & spiritualis. Species quoque, & intellectus re distinguuntur: Hic enim nudus priùs creatus fuit, & postea paulatim speciebus adornatus. Intellectus etiam ab intellectione, & ab imagine expressa, sivè verbo re sejungitur; quia sine iis diù permansit; ipsóque persistente, illa suo, ubi cessat advertentia, extinguuntur. Intellectio tamen, & expressa rei imago, sivè verbum invicem cohærent; cùm intellectio sit instar viæ, verbum instar termini; via autem sine termino, & terminus sine via non subsistant. Sed nec intellectio verbum est, nec verbum intellectio. Nam verbum imago est, intellectio autem non

imago,

Digitized by Google

imago, sed imaginis effectio. Sicut aliud est pingere, aliud pictura; cùm tamen alterum ab altero dependeat.

Similitudine illi quinque, utcumque, declarantur.

9. *Abass.* Propone mihi aliquam similitudinem, cujus contemplatione intelligam, intra intelligentem esse intellectum, speciem, intellectionem, & verbum, sivè imaginem expressam; rem verò, quæ percipitur, exteriùs demorari. *Rom.* In hortum pulcherrimis ejusdem generis arboribus consitum te converte; & in præstantissimam ex iis oculos conjice, quæ firmo sit trunco, & patulis diffusa ramis; quorum è medio unus assurgat lævibus tunicis, atque libro coopertus, è quo rectæ, & proceræ virgæ exoriantur, quarum quælibet in summa gemma florem eximium, sivè pomum emittat. Arbori hominem confer: trunco illius naturam: diversis ramis externos sensus, intimasque potentias: medio, & excellentiori intellectum: illius cortici, & integumentis species: virgis prorumpentes ab illo intellectiones: Flori, sivè pomo verbum; & expressam mentis imaginem. Cùm verò ipsa consimilium, & quasi ad æmulationem assurgentium arborum imago sit, illæque circùm ipsam diffundantur, objecta referunt; quæ extra intellectum diversantur.

Angeli species à rebus non accipiunt; in aliis, ceu homines, intelligunt.

10. *Abass.* Ad hominúmne amussim Angeli intelligunt? *Rom.* Cùm Angeli corporei non sint, sensibus corporeis vacant; nec species à rebus corporeis aucupantur; sed cùm primùm à Deo fuêre conditi, necessariis quoque ad rerum, quæ extra ipsos sunt, cognitionem speciebus sunt instructi. Nam ad se ipsos agnoscendos externâ specie non indigent; sed satis est, ut suam naturam intueantur, quæ ipsis semper intimè adest; nec est minùs spiritualis, quàm quælibet earum specierum, quas Deus ipsorum mentibus congenerat. Sed illas ubi à Deo accepêre: eodem, quo homines intelligendi tramite gradiuntur. Habent enim objecta, sivè res, quas intelligant extra se constitutas, illarum similitudines, intellectum, intellectionem, atque verbum.

Divinæ cognitionis supra Angelicam, & humanam eminentia.

11. *Abass.* Num illa, quæ de hominibus, atque Angelis disseruisti, locum in Deo sortiuntur? *Rom.* Omnia quidem in eo, sed eminentiori modo, & citra divisionem reperiuntur. Quidquid enim in hominibus atque Angelis distinctionem subit, summa in Deo unitas conjungit. Et ut ab objecto ordiamur; res, quas Angeli, hominésque percipiunt, ab ipsis adeò segregantur, ut extra ipsorum substantiam, & mentes secubent; sed tantùm ab ipsarum concursu dependent, ut iis non opitulantibus nequeant operari. Cùm verò ipsarum rerum bajuli esse non possint, earum vice species, sivè labore suo partas (quod proprium est hominum) sivè à Deo impressas, (quod est Angelorum) tamquàm semina mentis gremio confovent; nec sine iis fœcunditatem ad intelligendum nanciscuntur.

Dei essentia sumet objectum est.

Objecta tamen, & res, quas Deus intelligit extra ipsum non demorantur; nec ipse à quavis re, aut ab illius specie dependet; sed objectum divini intellectûs est ipsamet Dei natura, quam per se ipsam, quasi per speciem, & in ipsa omnia contuetur. Non enim creaturas primariò in se ipsis per species ab ipsis haustas, tamquàm ab ipsis dependens agnoscit; sed in sua substantia, atque omnipotentia, quatenùs creaturæ ab ipsa dependent.

Ipsa Dei essentia speciei vicem subit.

12. *Abass.* Satis de objecto: nunc de speciebus. *Rom.* In homines, atque Angelos species ab externis finibus demigrant; nempè, in homines à rebus; in Angelos à Deo. Ipsi tamen Deo, cùm ditissimus sit; actus purus, & immutabilis, omnisque passivæ potentiæ expers, non solùm ab aliis, sed à se ipso species accipere, injuriosum est. Præterea Angeli, atque homines, cùm res intra semetipsos non habeant, speciebus indigent; quæ ipsarum præsentiam suppleant. Deus autem semper sibi præsens est, nec species ulla fingi potest, quæ ipsum meliùs, & omnia in eo tamquàm in speculo, quàm ipsius substantia, perfectiùs Angelica, repræsentet. Sicut etiam Beatorum mentes, postquàm lumine gloriæ illustrantur, non alterius speciei adminiculum requirunt, sed Dei substantiam in semetipsa, ac per ipsam contemplantur.

Intellectus divinus nunquam ab intelligendo otiatur.

13. *Abass.* Intellectus in Deo quomodò cogitandus? *Rom.* Angelorum, hominumque intellectus potentiæ sunt ab ipsorum essentia distinctæ; quæque operari possunt, & non operari; uni rei, & non alteri; non autem simul omnibus, quarum habent species, intendere; nec semper in ejusdem rei cognitione perseverant, sed ab una in aliam digrediuntur. Jam humanus intellectus in somno ab omni actione feriatur. Sed divinus, cùm sit intra Deum, necesse est, ut ejusdem sit substantiæ, nec unquàm nictet, vel dormitet; sed illa omnia simul cognoscat, quæ in ipsius substantia, tamquàm in speculo enitescunt. Si enim Deum unquàm otiosum; etiam somniculosum, & stertentem fingeremus; falsúmque esset illud Davidis: *Ecce non dormitabit, neque dormiet, qui custodit Israël*; Et illud Sapientis: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem.* Sicut enim sol, dum circumactu non interrupto orbem collustrat, ab illuminandi actu nunquam cessat, sic Deus sui, & omnium rerum in se ipso cognitionem non interponit.

Psal. 120. 4. *Eccl.* 23. 28.

Intellectio Dei immutabilis.

14. *Abass.* Intelligere, & intellectio quomodò in Deo consideranda? *Rom.* Intelligendi actus in hominibus, atque Angelis non solùm ab ipsis, sed ab ipsorum intellectibus discriminatur; cùm aliquandò torpeant, & sæpiùs ab unius rei cognitione in aliam se conferant: Deus autem nunquàm otiatur, nec res gradatim, sed unico intuitu; eo verò semper immoto contemplatur. Cúmque hæc operatio intra ipsum sit, nihil ab ipsius intellectu, & substantia differt.

Verbum in divino intellectu nunquam mutatur.

15. *Abass.* Verbum, conceptus, & expressa objecti imago in Deo quo pacto intelligenda? *Rom.* Quamvis in Angelis, atque hominibus intellectio, & verbum re idem

Digitized by Google

idem sint, ab intellectu tamen separantur. Sed in Deo intellectus, intellectio, & verbum re nunquàm disjunguntur. Nam verbum intra Deum sedem habet, dicente Joanne: *Et Verbum erat apud Deum.* Sed intra Deum nihil esse potest, quod Deus non sit. Ideò enim addit Evangelista: *Et Deus erat Verbum.* Quod æquali ratione de intellectione sentiendum. Ut ergo divina natura à se ipsa non separatur, quatenùs objectum est, & res intellecta; nec quatenus species, per quam se ipsam, & cætera in ea contenta intuetur; nec quatenùs est intellectus, vel intellectio, vel verbum; ità quinque hæc, quæ recensuimus, inter se idem sunt; nec realiter distinguuntur.

Joan. 1. 1.

Distinctio rationis, quam aliqui virtualem dicunt, Deo non repugnat.

16. *Abass.* Esto quinque hæc realiter non distinguantur, potestne inter ea aliquid distinctionis commeare? *Rom.* Nulla Deum realis, vel modalis distinctio afficit; sed illius unitatem minimè dissolvemus, si dicamus, inter illa rationis distinctionem, quam aliqui virtualem etiam dicunt, intercedere; quæ reperitur in re, quæ cùm una sit, plures virtutes habet, quarum altera sine altera concipi potest; cúmque eam una tantùm affectam consideramus, diversam à se ipsa, dum aliis exornatur, ipsasque virtutes inter se invicem collatas reputamus. Sicut oleum virtutem habet humectandi, penetrandi, calefaciendi, illuminandi, vultum nitidum reddendi, & vulnera confovendi; quas virtutes, cùm unum sit oleum, cogitatione secernimus, & ipsum à se ipso diversum, si cum una tantùm, & non cum aliis concipitur, arbitramur. Eodem modo hominis anima, cùm unica sit, tres habet gradus, sivè virtutes: vegetandi, sentiendi, & ratiocinandi; & aliquid distinctionis ipsam accretionem corporibus suppeditantem, à se ipsa motum suggerente, vel argumentationem componente, habere comperimus. Eò quòd virtutes illæ diversis in rebus distinctæ excubent; nam planta accretionem vendicat sine sensatione; animal sensationem sine intellectione. Ità si varias Dei virtutes animo trutinemur, easque cum rerum creatarum potentiis conferamus, distinctionis ansam offendemus. Cùm enim in Angelis, & hominibus intellectus, species, intellectio, verbum, & voluntas re distinguantur, fundamentum habemus, eadem in Deo, si non re, saltem ratione separandi, & unum istorum sine altero concipiendi. Eadem verò distinctio cernitur inter Dei essentiam, & attributa; & inter ipsa attributa inter se comparata; licèt enim hæc omnia sint eadem essentia divina, per aliam potentiam intelligere, per aliam velle ex alio capite sapientem, ex alio æternum, ex alio justum, ex alio misericordem imaginamur.

Inter Dei essentiam, & attributa datur distinctio rationis.

CAPUT XVIII.

De voluntate divina.

De Fide est, Deum habere voluntatem, & volitionem. *Rom.* 9. 19. & 11. 2. 1. *Petr.* 2. 15.

1. *Abass.* Divinæ intellectionis modum egregiè discussisti, tempus videtur agendi de voluntate. *Rom.* Voluntatem Deo subesse, ostendunt illa verba Divi Pauli: *Voluntati enim Dei quis restitit?* Et illa: *Quæ sit voluntas Dei bona, & beneplacens, & perfecta.* Et illa D. Petri: *Quia sic est voluntas Dei.* Ubi autem voluntas est, ibidem velle, seu volitio esse debet. De qua David: *Omnia quæcumque voluit, Dominus fecit.* Ecclesiastes: *Quia omne, quod voluerit, faciet.* D. Paulus: *Deus vult, omnes homines salvos fieri.* Licèt autem veritas hæc Fidei decretis stabilita non esset, ubi fateris, Deum intellectu pollere, voluntatem quoque, & volendi actum habere, necessum est, consitearis.

Ps. 134. 6. *Eccl.* 8. 3. 1. *Tim.* 2. 4.

Ex intellectu necessariò sequitur voluntas.

2. *Abass.* Undè pullulat hæc necessitas? *Rom.* Appetitus assecla est cognitionis; ut videre est in animantibus, quæ cùm per sensus rerum notitiam hauriant, sensitivâ etiam appetitione inflammantur. Cùm ergo necessariò sit dicendum, aliquas esse naturas, quæ potentiam rationabiliter operantem habeant, idest, intellectum; consequens est, ut dicatur, rationali quoque appetitu, quæ voluntas est, non esse destitutas. Substantiæ verò, quibus præstò sunt hæ duæ: intellectus, & voluntatis potentiæ, vocantur rationales; in quibus homines, & Angeli censentur; sed Deus potissimùm; summâ enim gaudet immunitate omnium imperfectionum, quibus rationales hominum, Angelorúmque potentiæ contaminantur.

Dei voluntas est ipsamet Dei substantia.

3. *Abass.* Estne divina voluntas, idem quod ipsius substantia, an aliquam subit ab illa distinctionem? *Rom.* Iisdem rationibus, quibus superiori capite probavimus, intellectum re ab ipsius Dei essentiâ non differre, evincitur, eamdem esse voluntatis cum eadem substantia conjunctionem. Non enim Deo minùs est intima voluntas, quàm intellectus. Sed sicut in animantibus sensuum cognitio cognatam sibi appetitionem præcedit, ità in hominibus priùs est intelligere, quàm velle. *Ante omnia opera*, inquit Sapiens, *verbum verax præcedit.* Et Divus Augustinus: *Nihil volitum, quin præcognitum.* Eâdem ratione, Deum priùs intelligere, quàm velle concipimus; sed illa prioritas non est temporis, quasi ullo unquàm temporis articulo voluntatis operationem præcurrerit intellectus; sed est prioritas naturæ, sivè independentiæ; quòd intellectio à prævia volitione non dependeat, sed è converso. Sic priùs naturâ est sol, quàm lux: ignis, quàm calor; quia calor est ab igne, lux à sole; non sol à luce, neque ignis à calore. Cùm verò id, quod in una quaque re primum est, ipsius naturam constituat,

Eccl. 37. 20. D. Augustin. lib. 10. de Trinit. c. 1. Aristotel. 3. de Anim. text. 54. D. Thom. 12 q. 9. a. 1.

Intellectione Dei natura constituitur.

Digitized by Google

constituat, ut ostendi cap. 6. n. 4. & primum in Deo sit intelligere; hoc ipsius naturam constituit. Est enim substantia essentialiter, ac per se primò intellectualis.

Species, & verbum, sive imago expressa non sunt in Dei voluntate.

4. *Abass.* Numquid in divina voluntate illa quinque reperiuntur, quæ in intellectu: objectum, species, potentia, actio, & verbum? *Rom.* Cætera dantur præter speciem, & verbum: Nam hæc duo imagines sunt; species, imago intellectui ab objecto impressa; verbum, imago ab eodem intellectu expressa. Imagines verò in potentiis cognoscentibus sedem eligunt, exulant ab appetentibus. Causa est; quòd potentiæ cognoscentes (quæ sunt in animantibus phantasia; in Angelis, & hominibus intellectus) rerum similitudinem affectent; & illas ideò ad se accersant. Cúmque introrsùm admittere propter crassitiem non possint, subtilioribus ipsarum sibi complacent simulachris. Appetentes autem foras in rerum concupitarum prosecutionem, & possessionem effunduntur. Ut Christus Dominus significavit, cùm dixit: *Ubi est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.* Isaïas: *Abiit vagus in via cordis sui.* D. Bernardus: *Anima magis est, ubi amat, quàm ubi animat.* D. Augustinus: *Pondus meum, amor meus; eò feror, quocumque feror.* Et Poëta: *Trahit sua quemque voluptas.* Sed licèt voluntas propriis speciebus, & imaginibus non abundet, nec privatos oculos habeat, non ideò lumine prævio caret. Sequitur enim præcedentem intellectus cognitionem. Sicut enim intellectus in operationem prodire non potest, nisi priùs rerum speciebus vestiatur, quibus internuntiis ipsæ quoque res in cognitionem influunt; ità voluntas in earumdem rerum amplexum non prosilit, nisi ab intellectus oculo præducatur; quæ notitia simul in voluntatem influit, & cum eâdem conjunctis copiis operatur. Cujus auxilii adeò indiga est voluntas, ut si illa cognitio desit, in actum exire non possit; si tollatur, postquàm exiit, illicò conquiescat, & sopiatur.

Matt. 6. 21. *Isai. 57. 17.* D. Bernard. lib. de Præcepto, & dispens. D. Aug. lib. 13. Confess. cap. 9. Virg. Eclog. 2.

Voluntatis divinæ objectum est essentia divina sub ratione boni.

5. *Abass.* Ut speciem, & verbum à divina voluntate summoveamus, quodnam illius est objectum? *Rom.* Eadem divina substantia, quæ objectum est intellectûs, allicit etiam voluntatem; sed intellectum sub ratione veri, voluntatem sub ratione boni. Bonum enim objectum est voluntatis, quæ nihil diligere, vel prosequi potest mali specie fucatum. Bonum illud dicitur, quod cuique conveniens est. Sunt autem tria bonorum genera; honestum, utile, & jucundum. Honestum illud est, quod rationali naturæ convenit; quodque nullam peccati admistionem patitur; peccatum enim rationali naturæ hostiliter adversatur. Bonum utile est illud, ex quo lucrum aliquod consurgit; jucundum, quod aliquam parit delectationem. Nihil autem quærere potest voluntas, quod non aliquo triplicis illius boni pallio sit exornatum. Concurrunt verò omnia in Deum, qui ipse sibi objectum est omni affluens utilitate, jucunditate, & honestate.

Aristotel. 1. Eth. cap. 8. & lib. 8. cap. 2. & 1. Polit. cap. 1. D. Thom. 1. p. q. 8. a. 1. & 3. contra Gent. cap. 2. & 3. Soar. disp. 33. Met. sect. 6.

6. *Abass.* Potestne divina voluntas aliquid velle, quod mali specie contegatur? *Rom.* Duplex est malum; alterum culpæ, alterum pœnæ. Culpæ malum nec approbare, nec velle potest ille, qui naturâ suâ est impeccabilis; & de quo dixit Moyses in Deuteronomio: *Deus fidelis, & absque ulla iniquitate; justus, & rectus.* Et Habacuc: *Mundi sunt oculi tui, ne videant malum; & respicere ad iniquitatem non poteris.* Mala autem pœnæ velle Deus potest; non quidem à semetipso, sed post criminum prævisionem; cùm jam non mala sunt, sed bona; utpote ad peccatorum punitionem, errantium documentum, & divinæ justitiæ præconium ordinata. Hæc enim sunt, de quibus Amos dixit: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* Et Micheas: *Quia descendit malum à Domino in portam Jerusalem.*

Mala culpæ velle Deus non potest, pœnæ tamè potest post culpæ prævisionem.

Deut. 32. 4. *Habac. 1. 13.* *Amos. 3. 6.* *Mich. 1. 12.*

7. *Abass.* Teneo, quod divinæ voluntatis sit objectum; quisnam illius sit actus, mihi edito. *Rom.* Ubi divinus intellectus unico, & simplici actu fertur in propriam substantiam, & in omnia, quæ in ipsa ceu causa, vel speculo continentur, actus ille voluntatem percellit; quo illa excitata actum alium simplicem dilectionis prolicit, & ipsam divinam substantiam, tamquàm summum bonum, & omnia, quæ ipsius bonitatem participant, necessariò, & ardentissimè deperit. Cùm enim voluntas suopte pondere in bonum feratur, & summum bonum clarè cognitum diligendi necessitatem inferat, non potest non divina voluntas divinam substantiam flagrantissimè amare. Quæ necessitas etiam in Beatorum mentes transilit. Ubi enim semel ipsum clarè sunt intuiti, sibi nequeunt ab ipso diligendo temperare. Quare & Deus ipse à B. Paulo: *Beatus* dicitur, *& solus potens.*

Unico actu se Deus, & omnia in se ipso diligit.

1. Tim. 6. 15.

8. *Abass.* Quænam est ratio divinæ istius beatitudinis? *Rom.* Ex Boëtio Severino: *Beatitudo est status omnium bonorum collectione perfectus*; quem qui possidet, beatus dicitur; solus autem ille, qui Deo fruitur, beatus dici potest; illius enim possessio omnium bonorum complexione redundat. *Hic est*, enim inquit D. Joannes, *verus Deus, & vita æterna.* Et in Evangelio: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Ut ergo hominum, Angelorúmque beatitudo in Dei visione, & fruitione; sic & Dei ipsius in suæ substantiæ contemplatione sita est.

Beatitudo dicitur in divina voluntate.

Boët. lib. 3. de Consolat. *1. Joan. 5. 20.* *Joan. 17. 3.*

9. *Abass.* In ea, quæ Deus diligit: necessario, an libero amore propendet? *Rom.* Se ipsum, & quidquid cum sua substantia necessariam habet connexionem (qualia sunt omnia possibilia) amore necessario Deus prosequitur; libero autem creaturas in decreto suæ voluntatis, & in ipsis consideratas. Habet enim Deus perfectam libertatem, suorumque actuum dominium. Dominium autem in volendo, & nolendo; & hanc rem eligendo, vel repudiando consistit. Id verò necessarium est ad divinam perfectionem constabiliendam. Libertas enim singularis est perfectio, ac prærogativa substantiæ rationalis; & radicem habet in intellectu res voluntati cum indifferentia repræsentante, ut ipsa, quod malit, eligat,

Deus, & necessariò, & liberè per voluntatem operatur.

Digitized by Google

eligat, & consectetur. Nec ulla potest rationalis substantia condi, quæ hoc dignitatis, seu libertatis gradu destituatur; nec dari intellectus, qui res voluntati absque indifferentia, quæ libertatis est pedisequa, proponat. Omnes autem substantiæ, quæ hac dignitate, & actionum dominio potiuntur, non alterius ductu reguntur, sed ipsæ semetipsas (quæ summa est perfectio) moderantur. Possunt enim eamdem rem velle, ac nolle; hanc, vel oppositam amplecti, vel voluntatem erga ipsam suspendere. Sic potest homo velle, vel nolle apricatione concalescere; tepori se, vel frigori objectare. Animantia autem, quæ carent intellectu, res sibi cum indifferentia proponente, uni tantùm negotio addicuntur. Si enim fame instigantur, ut fœnum ante se positum vident, se ab illo sumendo nequeunt continere; si frigore constringuntur, ad solem se exponunt; si sole torrentur, in umbram se recipiunt. Ideò suarum actionum clavum non ipsa tenent; sed natura sic ad unum quid astricta, ut illius contrarium eligere non possint. Plenum verò omnium actionum dominium in nulla substantia rationali perfectiùs, quàm in divina refulget, quam dixit Apostolus, *omnia operari secundum consilium voluntatis suæ.* Ubi enim consilium, ibi libertas, & potestas rem unam eligendi, vel omittendi, aut etiam rejiciendi. Consilium autem quâ ratione in Deo sit admittendum, sequens caput ostendet.

Dominium suorum actuum habent omnes substantiæ rationales.

Eph. 1. 11.

CAPUT XIX.

De actibus divinæ voluntatis.

Unus tantùm est actus divinæ voluntatis, omnes humanæ virtute continens.

1. *Baſſ.* Unius tantùm actus ferax est, an plurium divina voluntas? *Rom.* Quemadmodùm divinum intellectum unus tantùm actus exhaurit ipsius substantiæ, & omnium possibilium cognitionem complectens, ità unus voluntatem; sed qui virtute contineat omnes actus, quibus humana voluntas abundat: & quibus homines ab animantibus sejunguntur; omnes itidem actus appetitus sensitivi eorumdem animantium, qui ab eodem in rationalem, quæ est voluntas, derivantur; dummodò in illis non sit aliqua imperfectio, quæ divinæ sinceritati maculam inurat.

Septem actus in humana voluntate reperiuntur.

D. Thom. 1. 2. p. 12. a. 1. & 2.

2. *Abaſſ.* Quinam sunt actus, quorum fœcunda est humana voluntas, non autem brutorum appetitus? *Rom.* Ubi intellectus humanus voluntati quidquam objicit aliqua triplicis boni sivè honesti, sivè utilis, sivè jucundi dulcedine condîtum, extemplò illa primum actum desiderii, & mox secundum intentionis educit; quorum primo in rem propositam, ut absentem, potiundi aviditate: Secundo in eamdem, ut à se comparandam, nixu jam firmiori concitatur. Sed quia difficultates aliquæ viam obsepire solent, & voluntatem à consecutione retardare; ipsáque hærere potest, quibus mediis ad illas superandas sit utendum: tertius actus, qui consilium dicitur, in intellectu sedem habet; quo ille diligenter inquirit, quod sit medium utilius ad finem comparandum; illudque aliis antelatum statim quartus in voluntate actus, qui consensus dicitur; & quintus subindè, qui vocatur electio, consequitur. Consensu voluntas, judicio intellectus annuit; electione verò medium ab eo cæteris prælatum amplectitur. Sextus deindè imperii actus emergit, quo intellectùs cæteris potentiis indicit, ut ad illud, quod ipse probavit, & voluntas elegit, peragendum se accingant. Cui septimus accedit, qui dicitur, executio; cùm potentiæ intellectûs, & voluntatis jussa capessunt, & simul cum ipsa in opus gnaviter incumbunt. Postremus tandem actus gaudii, seu fruitionis adjicitur, quo voluntas adepto jam bono fruitur, & in optata, ac diù quæsita illius possessione conquiescit. Ex his actibus consilium, & imperium in intellectu residunt; executio partim in intellectu, partim in voluntate; cæteri domicilium in voluntate constituunt.

D. Thom. 1. 2. q. 15. a. 1. & 4.

D. Thom. 1. 2. q. 13. a. 1.

D. Thom. 1. 2. q. 17. a. 1.

D. Thom. 1. 2. q. 16. a. 1. & 2.

D. Thom. 1. 2. q. 11. a. 1.

3. *Abaſſ.* Omnes hi actus, an aliqui tantùm Deo ascribendi? *Rom.* Demptis desiderii, & consilii actibus, qui Deo sunt injurii, ipsum cæteri non dedecent. Nam desiderium est boni absentis opinio, & expectatio; Deo autem, ut nihil deest, ità nihil ipse aliundè venturum præstolatur. Ideò, cùm intellectus voluntati divinam substantiam, ut summum bonum, & omni amore dignum objicit, voluntas in eam, quasi in suum finem, non quidem absentem, sed præsentem, in cujus gloriam omnia dirigit, non alis desiderii, sed intentionis, & amoris raptatur. Deus enim in Apocalypsi est *alpha, & omega; principium, & finis:* Finis autem non solùm omnium creaturarum, sed sui ipsius. Nam *universa propter semetipsum operatus est Dominus*, ut Salomon in Proverbiis testatur. Hunc amorem consensus, consensum excipit aliquarum creaturarum, ut ipso fruantur, electio; de qua dixit D. Paulus: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionem.* Electionem subsequitur imperium; non quidem Dei ipsius erga se, sed erga creaturas; est enim imperium majoris in minorem dictatura. Cujus vi *ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt; & stellæ vocatæ dixerunt, adsumus; & imperavit ventis, & mari, & facta est tranquillitas magna*; quæ exprompta est, non tam Dei, quàm ipsarum creaturarum executio. Totum hunc actuum apparatum claudit fruitio, & gaudium, quo Deus in sua sibi bonitate, & operum præstantia complacuit; de quo Moyses: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valdè bona*; Et Psalmorum auctor: *Lætabitur Dominus in operibus suis.*

Præter desiderium, & consilium cæteri actus in Deo reperiuntur.

Apoc. 1. 8.

Prov. 16. 4.

Eph. 1. 4.

Psal. 148. 5. *Baruch.* 3. 35. *Matth.* 8. 26

Gen. 1. 31. *Ps.* 103. 31.

4. *Abaſſ.* Quo jure consilium à Deo exterminas, cùm nihil magis triviale sit in Scripturis, quàm Deum consilio exundare? Quid illud: *Consilium autem Domini in æternum manet?* Et illud: *Meum est consilium?* Et illud: *Quis enim hominum poterit scire consilium Dei? Rom.* Ex duplici causa consilium in hominibus exigitur. Prima est, rei comparandæ difficultas; quæ ut superetur, opus

Consilii actus proprie non est in Deo.

Psal. 32. 11. *Prov.* 8. 14. *Sap.* 9. 13.

D. Thom. 1. 2. q. 14. a. 1.

Digitized by Google

opus est diversorum mediorum experimento; sed Deo ut nihil est impossibile, ità nihil
Esther. 13. 9. difficile. Esther: *Non est, qui possit tuæ resistere voluntati.*
Iob. 9. 13. Job: *Deus, cujus iræ nemo resistere potest.*
Ps. 75. 8. David: *Quis resistet tibi?*
Sap. 11. 22. Sapiens: *Multùm valere tibi soli supererat semper;*
Isai. 47. 3. *& virtuti brachii tui quis resistet?* Isaïas:
Ier. 49. 19. *Non resistet mihi homo.* Jeremias: *Quis est qui*
Dan. 4. 32. *resistat vultui meo?* Daniël: *Non est, qui re-*
Rom. 9. 19. *sistat manui ejus.* Paulus: *Voluntati enim ejus quis resistit?* Alia consilii adhibendi causa, est ignoratio, & medii, quod utile futurum sit, incertitudo. Undè opus est, ut secum quisque, vel cum aliis ineat de eo eligendo consultationem. Deum autem nihil latet sub ignorationis caligine, sed omnia nota sunt, & explorata; ideóque nec consiliis, nec consiliariis eget. Undè Job meritò arguit Baldad
Iob. 26. 3. Suhitem, quasi aurem Dei vellentem, & consilium ipsi suggerentem: *Cui*, inquit, *dedisti consilium? Forsitan illi qui non habet Sapientiam?* Et Isaïas:
Isai. 40. 13. 14. *Quis consiliarius ejus fuit; & ostendit illi? Cum quo iniit consilium, & instruxit eum?* Sed quia, quæ cum consilio geruntur, feliciter plerumque cedunt, & arcani religione commendantur, Dei autem destinata ad exitum faustè, & secretò perducuntur, ex vulgi sermunculo, consilio uti perhibetur.

Numerantur actus appetitus concupiscibilis.

5. *Abass.* Prætermissis actibus, qui proprii sunt appetitus rationalis, percurre illos, qui in sensitivo sedem habent; & videamus, an in Deum transire possint. *Rom.* Duos appetitus inferiores tam in belluis, quàm in hominibus reperiri cap. 16. num. 4. ostendi. Quorum alter dicitur concupiscibilis; quo id prosequuntur, quod sibi ut conveniens apprehendunt; alter irascibilis, quo ingrata, & sibi displicentia refugiunt. Concupiscibilis sex habet actus invicem oppositos; è quibus tres bonum, totidem malum respiciunt; ii sunt: Desiderium, & fuga; amor, & odium; gaudium, & dolor. Desiderium, amor, & gaudium cum bono congressionem: fuga, odium, & dolor à malo faciunt digressionem.

Amor in Deo sedem habet.

6. *Abass.* Numquid tres illi actus, quibus bonum pro scopo est, in Dei voluntate commorantur? *Rom.* Proprius amoris thalamus est divina voluntas. Amor enim est boni complacentia; cùm is, qui amat, sentit bonum illud, quod ipse apprehendit, rei à se dilectæ convenire. Cùm autem Deus se ipsum contemplatur, sibi omne bonum competere judicat; creaturis verò illud, quod sua ipsis munificentia elargitur. Amorem ergo in se, & in
1. *Joan.* 4. 8. creaturas exercet; Ideò D. Joannes dixit:
Deus. 33. 3. *Deus charitas est.* Moyses: *Dilexit populos;* Et
Ier. 31. 3. Jeremias: *In charitate perpetua dilexi te.* Gaudii etiam actum Deus suum in sinum admittit; est enim lætitia, & voluptas, quæ ex optati boni possessione efflorescit; de qua Salomon: *Delectabar per singulos dies coram eo.*
Et delectatio; sed non carnalis.
Prov. 8. 30. Et ipse Christus apud D. Lucam: *Gaudium*
Luc. 15. 10. *erit coram Angelis Dei.* Ubi notat Tertul-
Tertul. lib. 4. contr. Marcion. cap. 32. lianus, non dici, gaudium illud esse in Angelis, sed coram Angelis, quia Deus ipse in conspectu Angelorum se totum exhibet gaudio delibutum; cujus merito beatus etiam dicitur, ut superiori capite numero 8. observavimus. Sed cùm delectationem in Deo collocamus, ne tibi in mentem subeat aliqua carnalis amoris, vel voluptatis titillatio. *Deus enim spiritus est*; Et: *Nihil inquinatum*
Ioan. 4. 24. *in illum incurrit.* Et quò mens corpore nobi-
Sap. 7. 25. lior est, eò mentis voluptates potiores, & jucundiores, juxta illam D. Augustini sententiam: *Major est refectio mentis, quam ventris.* Desiderium à Deo, ob causam num. 3. traditam, eradendum.
D. August. Serm. 27. de Verbis Domini.

Mali fuga non est in Deo.

7. *Abass.* Quid sentis de tribus aliis actibus, quibus appetitus concupiscibilis à malo deflectit: fugâ, odio, dolore? *Rom.* Ità omne sivè culpæ, sivè pœnæ malum Deus fugat, & à se longè propellit (nec enim *malum ad eum*
Psal. 90. 10. *accedit, nec flagellum ipsius tabernaculo appropinquat*) ut in fugam ab alicujus mali sibi im-
Nec dolor. pendentis terriculo se conjicere non possit. Nullo etiam dolore compungitur; quia dolor in animo consurgit ex alicujus mali reputatione; in corpore, ex violenta aliqua impressione; quam Deus pati non potest; cùm corpore vacet, & animum habeat immunem perturbationum. Hinc est, quòd actus
Nec pœnitentia. pœnitentiæ ab eo sit propulsandus; quia pœnitentia dolor est ex præteriti criminis, vel errati recognitione consurgens. Error autem, vel crimen in Deum non cadunt. Ideò Samuël affirmavit: *Porrò Triumphator in Is-*
1. *Reg.* 15. 29. *raël non parcet, & pœnitudine non flectetur. Neque enim homo est, ut agat pœnitentiam.* Cùm igitur in Sacris codicibus lectitaveris, Deum alicujus rei pœnitentiâ ductum fuisse, aut dolore tactum, ut in Genesi: *Pœnituit eum,*
Gen. 6. 6. *quòd hominem fecisset, & tactus dolore cordis intrinsecùs*; hæc per similitudinem, & ad hominum comparationem dicta intellige. Cùm enim homines à se priùs probata, & gesta retractant, dolere dicuntur, & pœnitere; eámque locutionem in Deum transferunt, cùm aliquam conspicantur in operibus mutationem; quæ tamen ipsius consilium, & æterni decreti constitutionem non attingit, ob causam cap. 15. n. 2. assignatam. Undè ad eum
D. Aug. in Manuali cap. 1. D. Augustinus: *Pœnitet te, & non dolet. Mutas opera, sed non mutas consilium.*

Nullam creaturam Deus odio habet.

8. *Abass.* Quis tuus est de odio intra Deum sensus? *Rom.* Fixum habeto, Deum nullo in creaturarum naturam odio commoveri; quia odium est rei alicujus propter aliquam mali rationem in ipsa apprehensam detestatio; sed creaturarum natura nullâ mali corruptione fœdatur. *Vidit enim Deus cuncta,*
Gen. 1. 31. *quæ fecerat, & erant valde bona.* Undè in libro Sapientiæ: *Diligis enim omnia, quæ*
Sap. 11. 25. *sunt, & nihil odisti eorum, quæ fecisti; nec enim odiens aliquid constituisti, aut fecisti.* Cùm
Cum Deus supplicium inferat, odio habere putatur. autem Deus creaturis supplicium aliquod infligit, non illud ex odio, aut ex mali alicujus; sed ex boni importandi, malique dispellendi desiderio intentat. Sed cùm magni istius boni nucleum, qui sub amaro suppliciorum cortice occultatur, homines legere non possint absque jactura alicujus quæstus, vel jucunditatis, quæ ipsi summa bona ducunt, malorum nomen illis imponunt,

Digitized by Google

Deúmque odii nomenclatione respergunt; quòd ii, qui aliquem odio insectantur, omnibus eumdem bonis denudare, & malis onerare pertinaciter contendunt. Qua ex consuetudine Sacræ litteræ odium in Deum referunt. Ut illud Malachiæ: *Iacob dilexi, Esau autem odio habui.* Et illa Psalmorum, & Sapientiæ: *Odisti omnes, qui operantur iniquitatem. Similiter autem odio sunt Deo impius, & impietas.* Non autem odit Deus, aut punit impium, quâ homo, sed quâ impius est; ut veriùs dici possit, odio in impietatem, quàm in impium concitari; sed quia in ipsam animadvertere solitariam non potest, cùm semper impii animo insideat, in impium odii, & supplicii jacula contorquet. Ideò Sapiens adjungit: *Etenim, quod factum est, cum illo, qui fecit, tormenta patietur.* Sicut Medicus, vel Chirurgus, cùm ægritudinem quasi per se subsistentem exscindere non possint, in ægrotum cauteriis, & lancinationibus desæviunt.

Malach. 1. 2. Psal. 5. 7. Sap. 14. 9.

Multi affectus humani translatitiè tantùm sunt in Deo.

Actus omnes appetitus irascibilis à Deo rejiciuntur.

9. *Abass.* Quo irascibilis appetitus actuum satellitio constipatur? *Rom.* Spe, desperatione, audaciâ, metu, & iracundiâ. Sed Dei aulam nullus istorum actuum ob implicitas ipsis imperfectiones frequentat. Spes enim est boni absentis appetitio; desperatio, lapsus animi difficultatum pondere ab alicujus rei consecutione dejecti. Ut autem Deum nulla potest difficultas delassare, sic neque desperatio debilitare. Spem quoque boni nescit, qui omnium præsentiâ, & copiâ exuberat. *Spes autem, quæ videtur,* inquit D. Paulus, *non est spes. Nam quod videt quis, quomodò sperat?* Audaciam quoque, & metum à Dei valvis eliminato. Nam audacia est motus animi se intrepidè in ingentes difficultates, contempto, & sæpè non præviso periculo, projicientis; metus, animi se contrahentis ex difficultatum pensitatione. Sed cùm Deum nullius difficultatis larva terrere possit; nec timidus ad illam fugiendam, nec audax ad superandam putari debet.

Rom. 8. 24.

Ira ex hominum similitudine; non propriè est in Deo.

10. *Abass.* Quidquid sit de aliis actibus, iracundiæ aculeo Deum non poteris exarmare. *Rom.* Rege apum Rex Cœlitum hac prærogativâ non est inferior. Nam ira est libido vindictæ, quâ quis ad repetendam ex dolore injuriæ sibi irrogatæ ultionem exardescit. Sed Deus, ut nullo potest incommodo à quoquam sauciari, ità neque immodicâ ulciscendi rabie efferari; sed semper in eo completur illud Sapientis: *Tu autem Dominator virtutis cum tranquillitate judicas.* Sed quia Deus, licèt semper pacato, & placabili sit animo, & à turbationibus defœcato, verè tamen supplicia peccantibus imponit; homines autè cùm quemvis puniunt, iracundiæ flammis, & ulciscendi prurigine incenduntur; fit ut, cùm Deus quovis aliquem supplicio mulctat, irasci dicatur, & ulciscì. Ut in Psalmis: *Deus ultionum Dominus, Deus ultionum liberè egit.* Et: *Cùm exarserit in brevi ira ejus.* Quod D. Augustinus Deum alloquens duobus verbis indicavit: *Irasceris, & tranquillus es.* Ubi irasci est punire; quam homines summam credunt iracundiam, nec posse punitionem ab ulciscendi libidine separari. Quem Canonem aliis hominum affectibus, quos Scripturæ Deo attribuunt; ut desiderio, desperationi, compassioni, & aliis similibus, adaptato; quos etiam ad se Deus ipse traducit, cùm verè non patiatur; ut indè homines intelligant, esse sibi in eorum inquisitione laborandum. Cùm enim nullus dolor verè Deum afficiat, Isaïâ dicente: *In omni tribulatione eorum non est tribulatus:* aliquandò tamen Deus ipse dicit, se laborantem sustinuisse; aliquandò locutum sicut parturiente; ut cùm homines jactatum suorum peccatorũ nausea Deum viderint, ipsi dolore, & pœnitentiâ contabescant. Ex quibus colliges, omnes actus Angelicæ, atque humanæ voluntatis, & appetituum, quibus nullus inest imperfectionis nævus, in divina voluntate effulgescere. Et ad extremum subdo, omnium perfectarum virtutum ornamentis divinum intellectum, & voluntatem cohonestari.

Sap. 11. 18.

Ps. 2. 13. & 93. 1.

D. August. in Manuali cap. 1.

Isai. 63. 9. Isai. 1. 14. Isai. 42. 14.

CAPUT XX.

Percensentur virtutes, quibus divinus intellectus, & voluntas exornantur.

Omnes virtutes sunt in Deo, sed diverso modo.

1. *Abass.* Quæ Deum virtutum monilia exornant? *Rom.* Sicut divina essentia omnem excellentiam naturæ suæ debitam, ità & voluntas omnem honestatem complectitur; signatímque illam, quæ virtus dicitur, à qua homines boni, ipsorúmque opera honesta denominantur. Sunt tamen in hominibus aliquæ virtutes, quæ nullâ imperfectionis labe inquinantur; hæ Deo absque ulla tergiversatione ascribendæ. Aliæ confines sunt alicujus mali; non quod approbent, sed quod jam admissum detestentur, & resarciant; ut contritio, & pœnitentia. Hæ non cum omnimoda proprietate, sed eminentiori modo (sicut de creatis perfectionibus dictum est cap. 15. n. 14.) sunt in Deum trajiciendæ. Sed hæ, vel illæ aliter in hominibus, aliter in Deo enitescunt; in hominibus enim sunt veluti indumenta, quæ in dies assumuntur, vel deponuntur; Deo altiùs infixæ, & innatæ, sicut germina, & flores, qui naturaliter ab ipsius ubertate gemmascunt, ut ipse testatur: *Flores mei fructus honoris, & honestatis. In me gratia omnis viæ, & veritatis; in me omnis spes vitæ, & virtutis.*

Eccl. 24. 23. 25.

Virtutum quædam speculativæ, quædam practicæ. Aristot. 11. Metaph. cap. 7. & 3. de Anim. text. 26.

2. *Abass.* Quænam sunt virtutes, quibus Deus verè, ac realiter condecoratur? *Rom.* Omnes illæ, quæ ad veritatis cognitionem pertinent; & ideò speculativæ dicuntur; quarum sedes est intellectus; & aliquæ practicæ, sivè activæ, quæ hominem ad rectè operandum dirigunt; & partim in intellectu, partim in voluntate; aliquandò simul in utroque diversantur.

Ve a Sapientia per altissimas causas, in Deo solo est.

3. *Abass.* Quænam sunt virtutes speculativæ, & in solam veritatis cognitionem collimantes, quibus divinus intellectus illustratur? *Rom.* Sapientia, scientia, & intelligentia. Sapientia verò illa est cognitio, quæ per altissimas rerum causas obtinetur. Cùm ergo Deus prima sit, & altissima rerum causa, séque, & cætera sui contemplatione comprehendat, ut

Aristotel. 1. Met. cap. 2.

Digitized by Google

D. Thom. 1.p.q.1.a.6. Iob. 9. 4. Eccl.24. 7. Eccl.1. 1. Aristotel. 1. Metaph. cap. 2.

ut probatum est cap.17.n. 3. Solus ipse *Sapiens corde est*, ut Job fatetur; & ut ipse prodit in Ecclesiastico: *Ego sapientia in altissimis habitavi.* Et iterùm: *Omnis Sapientia à Domino Deo est, & cum illo fuit semper, & est ante avum.* Vel Aristoteles, cùm adhuc ethnicæ superstitionis vino maderet, dixit, Sapientiâ solius esse Dei possessionē; quasi illud ab ipsa traditū subodoratus: *In hæreditate Domini morabor.* Mortales enim naturâ veræ sumus Sapientiæ ex hæredes, solus Deus illius ex asse sibi vendicat hæreditatem.

Eccl.24.11.

Scientia per veras rerū causas in Deo est. Aristotel.1. Poster. text. 5.& 1.Met. cap.1. Iob.4. 19. Didascalia p.1. n. 1.

4. *Abass.* Quæ Dei est Scientia? *Rom.* Scientia est cognitio, quæ per proprias rerum causas comparatur. Ut cùm agnoscimus, Angelos esse immortales, quia corporis impedimentis vacant; homines caducos, quia *domos luteas incolunt, & terrenum habent fundamentum.* Cùm verò Deus ipse *causam non habeat*, ut docetur in Didascalia, & omnia creata in aliquam causam sint referenda, propriè non sui ipsius, sed tantùm creaturarum scientiam Deus habet. Undè vocatur *Dominus scientiarum.* Etsi enim Dei scientia simplex sit, & unica, triplicem habet surculum; primum scientiæ naturalis, sivè necessariæ; secundum mediæ, sivè conditionatæ; tertium liberæ, sivè absolutæ, & visionis.

1.Reg.2.3.

Scientia Dei naturalis, quæ. D. Thom. in addit. q. 92.a.3.

5. *Abass.* Quænam est scientia naturalis, & necessaria? *Rom.* Illa, quam Deus habet de creaturis possibilibus ob naturalem, & necessariam ipsarum cum ipsius essentia, & omnipotentia complicationem. Non enim minùs intima est Deo, quàm comprehensiva ipsius de se ipso cognitio; quia causam comprehendere nemo potest, nisi & effectus comprehēdat, qui cum ipsa devinciuntur. De hac scientia dictum est à Sapiente: *Scit illa omnia, & intelligit.*

Sap. 9. 11.

Quæ scientia Dei conditionata. Soar. lib.2. de scient. Dei cap.2. num. 5. Molina in 1.p.14.a 13. disp.14. §. Sit ergo. & disp. 18. memb.2.§. Auctores. Ezech.3.5.6 Matt.11.21.

6. *Abass.* Quænam est scientia media, & conditionata? *Rom.* Illa, cujus interventu Deus cognoscit, quid creaturæ rationales operaturæ essent, si in tali statu, & circumstantiis ponerentur. Talis erat notio, quâ Deus assequebatur, quid consilii inituri essent Gentiles, si prædicator ad ipsos Ezechiel destinaretur: *Non*, inquit, *ad populum profundi sermonis, & ignotæ linguæ tu mitteris. Et si ad illos mitterer us, ipsi audirent te.* Et apud Matthæum: *Væ tibi Corozaim: væ tibi Bethsaida, quia si in Tyro, & Sidône factæ essent virtutes, quæ factæ sunt in vobis, olim in cilicio, & cinere pœnitentiam egissent.* Quæ scientia dicitur conditionata, quia res non absolutè, sed sub tali, vel tali conditione possibili attingit. Media verò, quia sita est in naturalis, & liberæ confinio. Nam ex naturali sibi vendicat possibilitatem; ex libera qualem qualem futuritionem. Illæ etenim res non solùm possibiles sunt, sed futuræ essent, si talis, vel talis status in eas incurrisset.

Scientia Dei libera, quæ. D. Thom. in addit. q.92.a.3. Sap. 8. 1.

7. *Abass.* Quænam est scientia libera, sivè absoluta? *Rom.* Illa, quam Deus habet de rebus à se liberè creandis; vel ab ipsis jam creatis liberè gerendis. Undè & libera dicitur. Absoluta verò, quia naturalis possibilitatem, & mediæ conditiones transcendit. Visionis, & finalis etiam vocatur, quia *attingit à fine usque ad finem fortiter*; & res, vel actus per eam cogniti in ultimo jam suæ perfectionis termino constiterunt. De hac scientia dixit libri Sapientiæ contextor: *Scit præterita, & de futuris æstimat; scit versutias sermonum, & dissolutiones argumentorum; Signa, & monstra scit, antequàm fiant, & eventus temporum, & sæculorum.* Et Ecclesiasticus: *Oculi Domini multò plus lucidiores sunt super solem, circumspicientes omnes vias hominum, & profundum abyssi, & hominum corda intuentes in absconditas partes. Dominè enim Deo, antequàm crearentur, omnia sunt agnita, sic & post perfectum respicit omnia.*

Sap. 8. 8. Eccl.23. 28. 29.

Intelligentia, quid in Deo.

8. *Abass.* Quid est in Deo intelligentia? *Rom.* Intelligentia, sivè intellectus dicitur illa cognitio, in qua non datur ab una in aliam cognitionem progressio, sicut in discursu; sed quæ unico actu antecedentia, & consequentia connectit. Talem Job in Deo agnovit, dicens: *Ipse habet consilium, & intelligentiam.* Undè discursus ab eo removendus, in quo ex cognitione antecedente in aliam virtute in ipsa contentam fit transmissio. Fides quoque, in qua à revelantis auctoritate, & obscuritatis caligine ad credendorum assensum transcursus datur, in eo non habet mansionē, qui omnia clarè, & sine externi testimonii appositione contuetur.

Iob.12.13.

Nec discursus, nec fides sunt in Deo.

Ars perfectissima in Deo. Aristotel. 1. Met. cap.1.

9. *Abass.* Satis de speculativis virtutibus delibavi; nunc de practicis; & priùs de iis, quæ divino intellectui adstant, quidquid propinato. *Rom.* Practicæ virtutes illæ sunt, quæ moderandis actionibus adminiculantur; ex quibus duæ ars, & prudentia divino exhibent intellectui comitatum. Ars est exemplar, sivè idêa, quam consulens artifex opus ad illius imitationem molitur. Perfectissima verò est in Deo, qui exactā cujuscumque idêam, ad cujus similitudinē eam posteà produxit, suo formavit intellectu. De qua in libro Sapientiæ: *Omnium artifex docuit me Sapientia.* Et: *Quis horum, quæ sunt, magis quàm illa est artifex?* Et Rex Propheta: *Omnia in Sapientia fecisti.* Prudentia verò est rectum quoddam judiciū, quod homo intra mentē habet, quo ad rectè operandum in singulis, juxta rationis regulam, ordinatur. Cùm verò Deus omnia, & singula ex præscripto rationis, in mensura, & numero, & pondere disponat, prudentiæ præsidiis, & laudibus abundat, teste Salomone: *Dominus Sapientia fundavit terram, stabilivit cœlos prudentia*; Et iterùm: *Meum est consilium, & æquitas; mea est prudentia, mea est fortitudo.*

Sap.7.21.& 8.6. Pſ.103.24.

Prudentia in Deo verè.

Prov.3.19. Prov.8.14.

10. *Abass.* Quæ virtutes tam in Dei intellectu, quàm in voluntate receptaculū sortiuntur? *Rom.* Providentia, & prædestinatio. Providentia est rerum in suum finem naturalē ordinatio, & mediorum ad ipsum consequendū approbatio. Quia actus sunt intellectûs, quos in voluntate sequitur complacentia, & decretum media opportuna adhibendi. *Quomodò enim*, inquit Sapiens, *posset aliquid permanere, nisi Deus voluisset? aut quod à te vocatum non esset, conservaretur?* Duos actus habet providentia, creationem, & conservationē. Creatione Deus res à non esse ad esse vocat; conservatione datum semel esse protegit, ac tuetur. De qua Sapiens: *Tua*, inquit, *Pater providentia gubernat.* Alibi: *Æqualiter cura est illi de omnibus*; Et infrà: *In omni providentia occurrit illis.* Alibi: *Attingit à fine usque ad finem fortiter, & disponit omnia suaviter.*

Datur in Deo providentia, cujus actus sunt creatio, & conservatio.

Sap.11.26.

Sap.6.8.17. & 8. 1. & 14. 3.

Digitized by Google

Prædestinatio partim in divino intellectu, partim in voluntate consistit.

11. *Abass.* Quid est prædestinatio? *Rom.* Prædestinatio est alius gradus providentiæ superioris, & supernaturalis, per quem Deus creaturas aliquas rationales eligit, & dirigit ad se ipsum, qui supremus est, ac supernaturalis ipsarum finis, intuendum, & possidendum. Qua de causa ex duobus actibus conflatur, prævisione, & præordinatione mediorum ad vitam æternam conducentium, quæ ad intellectum spectat; & creaturarum rationalium infallibiliter ad eam perducendarum electione; quod munus est voluntatis. Undè factum, ut prædestinatio nunc divino intellectui, nunc voluntati, nunc promiscuè utrique tribuatur. Intellectui, cùm judex dicit: *Matt.25.34* *Venite benedicti Patris mei, possidete paratum* *Act.13.48.* *vobis regnum à constitutione mundi.* D. Lucas: *Crediderunt; quotquot erant præordinati in vitam* *Rom.8.29.* *æternam.* D. Paulus: *Quos præscivit, & prædestinavit conformes fieri imagini Filii sui.* *Eph.1.5.* Et iterùm: *Qui prædestinavit nos in adoptionem filiorũ.* Nam parare, præordinare, præscire, & prædestinare, intellectus sunt molitiones. Ad voluntatem eam revocat Apostolus, cùm ait: *Ephes 1.11.* *Prædestinati secundùm propositum ejus, qui operatur omnia secundùm consilium voluntatis suæ.* Et suprà: *Eph.1.4.* *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ.* Eligere enim propria est voluntatis exercitatio, à qua prædestinati electi denominantur apud Matthæum. *Matt.20.16.* *Multi sunt vocati, pauci verò electi. Propter electos breviabuntur dies illi.* *Matth.24.* *Congregabunt electos ejus à quatuor ventis.* Et Paulus; *Matt.24.31.* *Omnia sustineo propter electos, ut & ipsi salutem consequantur.* *2.Tim.2.10.*

Ordo divinæ prædestinationis proponitur.

12. *Abass.* Quis actus in Deo prior est erga electos: intellectûs, an voluntatis? *Rom.* Præire semper in operando intellectũ cap.18.n.3. inculcavi. Prior ergo divini intellectus erga salvandos, & non salvandos actus est illorum per naturalẽ, ac necessariã scientiam cognitio, quæ copulata est cum ipsius divinæ essentiæ notione. Secundus, quo scientiæ divinæ conditionatæ varii mediorum calles objiciuntur, per quos possit quamque rationalem creaturã liberè operantem in æternæ beatitudinis stationem provehere. Hunc tertius, qui tamen primus est in voluntate, consequitur, quo Deus antè absolutam meritorũ prævisionem à communi Angelorum, atque hominũ massa salvandos separans, illorum quemlibet efficaciter in æternam felicitatem destinat, prælato aliquo illorum calle, quos conditionata scientia præcurrit, per quam sit illum infallibiliter in designatum finẽ illaturus. Quartus hanc pompã claudit actus, à tertio ratione tantùm distinctus, voluntatis exequentis, quo Deus id præstat, quod per tertium intenderat, sed diverso modo. Nam ille circa omnia gratuitus est, & ex mera Dei liberalitate concessus; ut indicat *Eph.1.4.* illud D. Pauli: *Elegit nos in ipso ante mundi constitutionẽ, ut essemus sancti, & immaculati coram* D. Hieron. in Epist. ad Eph. 5. *ipso.* Ubi notãt D. Hieronymus, & Augustinus, appositè dictum: *ut essemus sancti*; non: quòd essemus. Huc illud pertinet de Jacob, & Esau: D. Aug. lib. de Prædest. Sanct. c.17. & 18. *Cùm enim nondum nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali (ut secundùm electionem propositum Dei maneret) non ex operibus, sed ex vocante* *Rom.9.11.* *dictum est ei; quia major serviet minori; sicut scriptum est: Jacob dilexi, Esau autem odio habui.*

Et illud: *Non ex operibus justitiæ, quæ fecimus* *Malach.1.* *nos; sed secundùm suam misericordiam salvos nos* *2.3.* *fecit.* At quartus actus solam primam gratiam *Tit.3.5.* liberaliter erogat, nullis ab excipiente præ- *Rom.11.6.* jactis bonorũ operũ cæmentis (*Si enim gratia,* Concil. inquit D. Paulus, *jam non ex operibus; alioquin* Trident. *gratia jam non est gratia*) sed ipsius gratiæ aug- sess.6.Can. mentum, & cætera dona succedentia (exceptâ 16. & 22. & perseverantiæ gratiâ) ipsámque gloriam meri- cap. 13. torum pretio parabilem, venalémque reponit. Hæc enim est *corona justitiæ, quam reddet Do-* *2.Tim.4.8.* *minus in illa die justus judex.* Hæc *denarius diur-* *Matt.20.2.* *nus*; Hæc *merces* laborantium; Hæc concessa *Matt 5.12.* *supra decem civitates* pro industria talentorum negotiatione præfectura. Hunc actuum ordinẽ *Luc.19.17.* D. Paulus insinuavit, cùm scripsit: *Quos præ-* *Rom.8.29.* *scivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini* 30. *Filii sui. Nam quos prædestinavit, hos & vocavit; & quos vocavit, hos & justificavit; & quos justificavit, hos & glorificavit.* Præscire enim, & prædestinare primi sunt actus divini intellectus. Vocare denotat electionẽ ad gloriam, quæ *1.Thes.2.12* est voluntatis, eodem Apostolo dicente: *Qui* *Heb.3.1.* *vocavit vos in suum regnum, & gloriam.* Et: *Vo-* *Heb.9.15.* *cationis cœlestis participes.* Et: *Qui vocati sunt* *æternæ hæreditatis.* Justificationis nomen primæ, & cujuscumque alterius gratiæ collationem vocationis consectariam significat. Non enim solùm ad gloriam, sed etiam ad gratiam Deus vocat. *Qui vos vocavit*, inquit Paulus, *in* *Galat.1.6.* *gratiam Christi.* Perfectã verò, perseverantémque justitiam excipit glorificatio, quæ est mercedis promissæ retributio, & æterna nominis in Libro vitæ consignatio.

Liber vitæ, quid sit, exponitur.

13. *Abiss.* Quis est ille vitæ Liber? *Rom.* Liber vitæ non versatilis aliquis est codex, sed quintus, & ultimus divinæ mentis erga electos actus; illa, scilicet, cognitio, quâ Deus, præmissâ scientâ conditionatâ, electione, & mediorũ designatione, & collatione æternam ipsorum felicitatẽ immobili signaculo, additâ illâ D. Pauli inscriptione, communit: *Firmum* *2.Tim.2.19.* *fundamentũ Dei stat. Cognovit Dominus qui sunt* *ejus.* Quisquis hanc descriptionẽ non assequitur, cœli aditu arcetur. *Non enim introibit in* *Apoc.21.27.* *illud aliquid coinquinatum, aut abominationẽ faciens, & mendaciũ; nisi qui scripti sunt in Libro vitæ Agni.* Quisquis autẽ semel in eo conscriptus est, ampliùs expungi non potest, ex illo Apocalypsis testimonio: *Qui vicerit, non delebo* *Apoc.3.5.* *nomen ejus de Libro vitæ.* E contra impii *in scriptura domus Israël non scribentur*, ut ait Ezechiel; *Ezec.13.9.* *nec in terram Israël* scilicet, viventium regionem, *ingredientur.* Sed juxta Jeremiæ vaticinium, *in terra scribentur*, & in tartarum detrudentur. *Qui* enim, inquit Joannes in Apoca- *Jer.17.13.* *Apoc.20.15.* lypsi, *non inventus est in Libro vitæ scriptus, missus est in stagnum ignis.*

Reprobatio damnatorũ actus est solùm modò divini intellectus.

14. *Abass.* Ut prædestinatio duabus fibris, altera in divino intellectu, altera in voluntate nititur, numquid ità reprobatio? *Rom.* Reprobatio in solo intellectu, cujus ipsa judicium est, radices agit, ut indicant illa verba Isaiæ: *Ut sciat reprobare malum.* Ne- *Isai.7.15.* que in eo primus est, sed extremus actus. Nam in naturalis, & conditionatæ scientiæ tractatione æquales sunt reprobi, & electi.

Circa

Digitized by Google

circa illos inefficacem dandi gloriam affectum habet divina voluntas: *Vult enim omnes homines salvos fieri, & ad agnitionem veritatis venire.* In eosdem etiam plurima dona gratiæ, & sæpè uberiora, quàm in electos effundit. Nam *solem suum oriri facit super bonos, & malos; & pluit super justos, & injustos.* Sed cùm illos prævidet extremâ pervicaciâ lapidescere; nec futurum, ut usque ad supremum vitæ spiritum ullis officiis molliantur, illos damnatione dignos censet; quæ est propriè reprobatio, & intellectûs, non voluntatis operatio; ut ipse judex demonstrat, cùm reprobis se dicturum pollicetur: *Quia nunquàm novi vos.* Et iterùm: *Amen dico vobis; nescio vos.* Quæ reprobatio non solùm cunctis Dei erga peccatores actibus, sed etiam ipsorum contra se ipsos sententia posterior est; quâ ipsi se, antequàm à Deo rejiciantur, damnatione dignos illis Sapientiæ verbis pronuntiant: *Ergo erravimus à via veritatis.* Undè Christus ait: *Qui autem non credit, jam judicatus est.* Et D. Paulus: *Vobis oportebat primùm loqui verbum Dei, sed quoniam repellitis illud, & indignos vos judicatis vitæ æternæ; ecce convertimur ad Gentes.* Quis dicet, furem priùs à judice, quàm à semetipso latrocinia sua tacitè secum reputante patibulo addici? Terra ipsa, quam ponderoso primùm ligone cultor proscindit, & à vepribus repurgat, mollioribus deindè rastris, aratione, & occatione subigit, & genialis aquæ rivos opportuno tempore inducit; si rursùm dumis, non autem credito sibi frumento exuberet, priùs in se, quàm Apostolus illam dictat sententiam: *Terra enim sæpe venientem super se bibens imbrem, & generans herbam opportunam illis, à quibus colitur, accipit benedictionem à Deo. Proferens autem spinas, ac tribulos, reproba est, & maledicto proxima; cujus consummatio in combustionem.*

1. Tim. 2. 4.
Matt. 5. 45.
Matth. 7. 23.
Matt. 25. 12.
Sap. 5. 6.
Joan. 3. 18.
Act. 13. 46.
Heb. 6. 7. 8.

Virtutes appetitum concupiscibilem frænantes non sunt in Deo.

15. *Abass.* Numquid sicut aliquæ practicæ virtutes adversus utriusque appetitûs seditionem pugnantes sua castra in humanæ voluntatis, sic in divinæ area metantur? *Rom.* Aliquarum virtutum practicatum munus est, appetituum extra suos se cancellos effundentium emissiones compescere. Nam temperantia appetitui concupiscibili leges præscribit, ne in cibo, & potu: continentia, ne in voluptatibus æquitatis mensuram transgrediatur; fortitudo frænos imponit irascibili, ne aut temeritate præcipitetur, aut timore contrahatur. Undè nec temperantia, nec fortitudo propriè in Dei familia succenturiantur; quia in ejus *regno non est esca, vel potus,* neque nuptiales voluptates, quibus sit ab illis virtutibus modus definiendus. Sed quia temperantia modum etiam, ordinémque servat omnium, quæ dicenda, vel agenda sunt, & omnia Dei opera *honestè, & secundùm ordinem fiunt;* eáque in *numero, pondere, & mensura disposuit,* rerúmque naturas congruis momentis libravit, temperans dici potest. Fortis etiam quatenùs fortitudo in rebus bellicis magis animi magnitudine, quàm corporis viribus excellit. Hinc Job: *Sapiens,* inquit, *corde est, & fortis robore. Quis restitit ei, & pacem habuit?* Iterùm: *Apud ipsum est sapientia, & fortitudo.* In Psalmis: *Dominus fortis, & potens; Dominus virtutum, ipse est rex gloriæ.* Aliæ sunt virtutes, quæ corporis actiones ad libellam revocant; ut modestia, quæ oculorum, ac cæterorum membrorum gestus attemperat; & religio, quæ Deum capitis, cervicis, & genuum inflexione, & Ecclesiasticorum rituum observatione demeretur. Tandem aliæ sunt inferiorum erga superiores reverentiæ procuratrices; ut humilitas, observantia, & obedientia. Quas planum est Deo non competere, cùm nec majorem habeat, quem suspiciat; nec corpus, cujus actiones aurigetur.

Rom. 14. 17.
D. Ambros. lib. 1. Offic. cap. 24. & 25.
1. Cor. 14. 40.
Sap. 11. 21.
D. Ambros. sup.
Job. 9. 4.
Job. 12. 13.
Ps. 23. 8. 10.

Nec modestia, nec religio, nec humilitas, nec obedientia sunt in Deo.

16. *Abass.* Quid censes de justitia, quæ in Scripturis nunc *Dei pallium,* nunc *lorica* dicitur, nunc *cingulum lumborum ejus? Rom.* Justitia illa est virtus, quæ jus suum unicuique tribuit. Cujus tres sunt gradus à Deo sub diversa ratione non alieni: commutativæ, distributivæ, & vindicativæ. Commutativa justitia illa est, quæ circa debiti alicujus ex aliqua conventione, vel expressa, vel tacita subnascentis compensationem versatur; ut ex venditione, mutuo, commodato, vel bonorum amissione. Ex quibus titulis, aliisque similibus nullum cuiquam adversus Deum jus est, quod ipse teneatur resarcire. Nemo enim, quod proprium est, emit, vel mutuum accipit, vel commodatum. Dei autem est, quidquid creatum est. *Domini,* inquit, *est terra, & plenitudo ejus. Si esuriero, non dicam tibi; meus est enim orbis terræ, & plenitudo ejus. Quis antè dedit mihi, & reddam ei? Omnia, quæ sub cælo sunt, mea sunt.*

Justitia commutativa non est propriè in Deo.

Isai. 59. 17.
Isai. 11. 5.
D. Thom. 1. 2. q. 61. a. 4.
Psal. 23. 1.
Ps. 49. 12.
Job. 41. 2.

17. *Abass.* Aliquisne supereſt titulus, qui Deum suis creaturis constituat debitorem? *Rom.* Sola promissio sponte à Deo concepta ipsius fidem obstringit, ut ex vi innatæ fidelitatis, & veritatis id solvat, quod spopondit: Cùm enim singulis Fidelibus dicat: *Esto fidelis usque ad mortem, & dabo tibi coronam vitæ,* meritò Paulus, qui fidem servaverat, & fidem consummaverat, dicebat: *Ideò reposita est mihi corona justitiæ, quam reddet mihi Dominus in illa die justus judex.* Et quia operarii se ad vineam contulerant, factâ conventione ex denario diurno, Pater familias dispensatori suo edicit: *Voca operarios, & redde illis mercedem;* Et operario mussanti ait: *Tolle, quod tuum est.* Tuum, scilicet, non tam ex tuo labore, quàm ex mea promissione; cui nisi Deus staret, infidelis, & injustus haberetur, ut innuit illa Pauli ad Hebræos cohortatio. *Non enim injustus Deus, ut obliviscatur operis vestri.*

Ex promissione consurgit in Deo justitia commutativa.

Apoc. 2. 10.
2. Tim. 4. 8.
Matth. 20. 8. 14.
Heb. 6. 10.

18. *Abass.* Quis gradus est justitiæ, quam distributivam nominasti? *Rom.* Justitiæ distributivæ munus est, præmia cuique secundùm meritorum differentiam rependere. Quam in Deo esse multa Scripturæ testimonia ostendunt. Apud D. Matthæum: *Tunc reddet unicuique secundùm opera ejus.* Et iterùm: *Dedit unicuique secundùm propriam virtutem.* Hunc etiam justitiæ gradum Deus in creaturarum suarum molitione observavit, cùm cuique, quod suæ naturæ congruebat, quasi ad stateram dilargitus est; Angelos spirituales ex asse, homines ex semisse condens; animantibus sensuum internorum, & externorum,

Justitia distributiva in Deo versatur circa præmiorum redditionem.

Matt. 16. 27.
Matt. 25. 15.

Digitized by Google

appetituum, membrorum, venarum, & arteriarum: plantis frondium, truncorum, & fibrarum; mundo quatuor elementorum; cœlo solis, ac syderum apparatum adscribens. Quamvis enim, ut creaturis lucem impertiretur, nulla Deum necessitas constringebat, ubi tamen ad illas è nihilo extrahendas animum adjecit, ut eas donis condecentibus expoliret, sibi ipsi obligationem imposuit. Sicut Rex consularem, vel prætorium magistratum nulli demandare tenetur; sed ubi defert, sibi vincula injicit, ut illa omnia largiatur, sine quibus jurisdictio non potest expediri. Hoc est, quod in libro Sapientiæ enuntiatur: *Cùm ergo sis justus, justè omnia disponis.* Nec verò hæc justitia in Deo nascitur ex aliquo debito, quo erga creaturas devinciatur, sed ex suæ sapientiæ, & munificentiæ dignitate. *Princeps, enim,* inquit Isaïas, *ea, quæ digna sunt principe, cogitabit.* Et D. Augustinus: *Reddis debita, nulli debens.*

L. 1 ff. de justit. omn. jud.

Sap. 12. 15.
Isai. 32. 8.

D. August. Manual. cap. 1.

19. *Abass.* Quis ultimus est gradus justitiæ vindicativæ? *Rom.* Justitia vindicativa pœnas ad peccatorum gravitatem dimetitur, juxta illud Deuteronomii, Pro *mensura peccati erit & plagarum modus;* quem Deus servat in suppliciis inferendis. Danielis 5. *Numeravit Deus regnum tuum, & complevit illud. Appensus es in statera.* In Isaïa: *In mensura contra mensuram judicabis eam.* Et Iterùm: *Ponam in pondere judicium, & justitiam in mensura.* In Apocalypsi: *Quantùm glorificavit se, & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum, & luctum.* Illud tamen ex sanctorum Patrum sententia addendum: Deum in suppliciis irrogandis peccatorum mensuram rarò adæquare, illam verò numquàm superare; nec unquàm extra carceres effundi, sed semper intra præfixas à sua misericordia metas contineri.

Justitia vindicativa Dei cernitur in peccantium punitione.

Deut. 25. 2.
Dan. 5. 26.
Isai. 27. 8.
Isai. 28. 17.
Apoc. 18. 7.

20. *Abass.* Ergo præter cæteras virtutes, quas enumerasti, etiam misericordia constituenda. *Rom.* Deo misericordia est in præcordiis, teste Zachariâ: *Per viscera misericordiæ Dei nostri.* Sed duplex est misericordiæ effectus; alter ità alienam miseriam induere, ut illius sensum in misericordem transferat. *Quis infirmatur,* inquit D. Paulus, *& ego non infirmor?* Undè & Hebræos hortabatur: *Mementote vinctorum, tamquàm simul vincti; & laborantium, tamquàm & ipsi in corpore morantes.* Sed Deus, ut miseriam, ità & hunc gradum misericordiæ excludit; non tamen secundum, qui versatur in miseria à creaturis propulsanda, cujus ratione David ait: *Miserationes ejus super omnia opera ejus.* Et: *Misericors Dominus, & justus, & Deus noster miseretur.* Quam Dei misericordiam etiam liberalitas, & magnificentia comitantur.

Misericordia Dei hominum miseriam fugat, sed in se non transfert.

Luc. 1. 78.
2. Cor. 11. 29.
Heb. 13. 3.

Ps. 144. 9.
Ps. 114. 5.

21. *Abass.* Quid in Deo liberalitas, quid magnificentia? *Rom.* Liberalitas est actus hominis largiter, absque reddendæ sibi gratiæ aucupio, donantis. Deus verò amplis creaturas omnes largitionibus onerat, quin ullam gratiæ redhibitionem intueatur. *Dat enim omnibus affluenter, & non improperat,* ex D. Jacobo. Apud Davidem: *Aperiente te manum, omnia implebuntur bonitate.* Et iterùm: *Aperis tu manum tuam & imples omne, animal benedictione.* Nec verò dexteræ est adeò in animantia profusæ, quòd iis ad sua convivia, vel mensam ferculis implendam indigeat, cùm dicat: *Numquid manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Magnificentia actus est animi generosi, plurimum suarum facultatum in operosis substructionibus insumentis. Quis ergo Deo magnificentior, qui machinæ universi terræ fundamenta suppposuit, elementorum parietes erexit, cœli fornicem arcuavit, illúmque solis, & syderum luminibus picturavit. Ut nihil interim dicamus de cœlesti Jerusalem sapphiris cæmentitiis solidata, quadrato murorum ambitu, & lapide munita, plateis in quincuncem diductis, & gemmis versicoloribus tessellata. Quæ quis videns non exclamet? *Quàm magnificata sunt opera tua Domine?* Et: *Magna opera Domini, exquisita in omnes voluntates ejus. Confessio, & magnificentia opus ejus.* Quis tandem de Deo non buccinetur: *Qui facit magna, & incomprehensibilia, & mirabilia, quorum non est numerus?* Et: *Tua est Domine magnificentia?*

Jacob. 1. 5.
Ps. 103. 28.
Ps. 144. 16.
Magnificentia etiam.
Ps. 49. 13.
Ps. 103. 24.
Ps. 110. 2. 3.
Iob. 9. 10.
1. Par. 29. 11.

22. *Abass.* Siquidem misericordia, & veritas sociæ sunt ità individuæ, ut de iis David dixerit: *Misericordia, & veritas obviaverunt sibi;* & jam de misericordia egisti, quænam sit illa veritas, evulga. *Rom.* Non ibi sermo est de veritate speculativa, de qua cap. 17. n. 2. tractatum; sed de morali, quæ in verbis, & factis elucescit; cùm quis talem se foris exhibet, qualem intùs præstat; non sicut hypocritæ, qui comptis exteriùs velleribus videntium oculis, & manibus blandiuntur, sed intra cutem lupinis dentibus, & moribus desæviunt. Hanc in se ipso veritatem insinuat D. Paulus, cùm ait: *Sed ipsi in nobis nosmetipsos metientes, & comparantes nobis. Nos autem non in immensum gloriabimur, sed secundum mensuram regulæ, quam mensus est nobis Deus.* Qui se ità gerunt, veritatem operari; qui secùs, mendacium facere dicuntur. Apud Jeremiam. *A Propheta usque ad Sacerdotem cuncti faciunt mendacium.* Apud Joannem in Apocalypsi: *Non ingredietur in eam abominationem faciens, & mendacium.* Et: *Foris canes, & impudici: & omnis, qui amat, & facit mendacium.* Hanc veritatem Deus ubique servat, quia omnia ipsius facta veritati, quæ in intellectu; & justitiæ, quæ in voluntate splendescit, examussim concinunt. Undè Psaltes: *Omnes viæ tuæ veritas;* Et alibi: *Operamanuum ejus veritas.* Cùm ergo, qui veritatem enuntiat, & factis consignat, fidelis apud homines habeatur, Deus etiam veritatis in utroque cultor fidelis appellatur. Ut in Psalmo: *Fidelis Dominus in omnibus verbis suis, & sanctus in omnibus operibus suis.* In Epistola Joannis: *Fidelis est, & justus, ut remittat nobis peccata nostra.* Et millies apud D. Paulum.

Veritas moralis est in Deo, cùm ejus facta mentis judicio concinant.

Ps. 84. 11.
2. Cor. 10. 12. 13.
Jer. 8. 10.
Apoc. 21. 27.
Apoc. 22. 15.
Ps. 118. 151.
Ps. 110. 7.
Ps. 144. 13.
1. Joan. 1. 9.

Digitized by Google

LUX FIDEI
IN NUPTIAS VERBI,
ET ECCLESIÆ.

LIBER TERTIUS.

DE TESTIBUS CONNUBIALIBUS Verbi, & Æthiopissæ; sivè de Mysterio Sanctissimæ Trinitatis.

IN ILLUD SYMBOLI: *PATREM.*
Et in illud: *Et in JESUM Christum, Filium ejus.*
Et in illud: *Credo in Spiritum sanctum.*

CAPUT PRIMUM.

Personarum Trinitatem in Deo esse, contra Sabellium ostenditur.

BASS. Deo pronubo feliciter auspicatum Æthiopissæ connubium agnosco; scire ardeo, an ita sit testatum. *Rom.* Si *duorum, vel trium hominum* testimonium ad quodvis negotium, & singillatim ad nuptiarum firmitatem expectatur; *testimonium Dei* (si hoc accedat) *majus est.* Matrimonio igitur Verbi, & Æthiopissæ Pater, & Spiritus sanctus veluti testes adfuerunt. De utroque enim id Sponsi dilectus affirmat. De Patre: *Quoniam testificatus est de Filio suo.* De Paraclito: *Spiritus est, qui testificatur, quoniam Christus est veritas. Veritas autem dicitur.* Ex D. Cyrillo, *quia verè Deus, & homo est*; sed ubi verus homo, illicò & Sponsus Æthiopissæ. Amici quoque Sponsi, cœlestes nempè Spiritus, auriti primùm testes fuêre; cùm nempè illis, hoc matrimonio revelato, imperatum: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* De quibus Evangelista: *Amicus autem Sponsi, qui stat, & audit eum, gaudio gaudet propter vocem Sponsi.* Nostram tamen Æthiopissam in sylvis (quæ tamen ipsi ob amoris magnitudinem geniales horti videbantur) habitantem, an errantem? ipse penultimis Cantici Canticorum verbis exstimulans; *Quæ*, inquit, *habitas in hortis, amici auscultant, fac me audire vocem tuam.* En totam habes Trinitatem; Patrem, & Spiritum sanctum suam præsentiam, testium instar, commodantes; & Verbum Æthiopissæ contubernium ambitiosè affectans. De quo mysterio hoc in libro agendum, in illud verbum Symboli: *Patrem.* Et in illud: *Et in JESUM Christum, Filium ejus.* Et in illud: *Et in Spiritum sanctum.*

Deut. 19. 15. *Matt.* 18. 16. *Joan.* 8. 17. 1. *Joan.* 5. 6. 9. D. Cyril. in expos. Symbol. *Hebr.* 1. 6. *Joan.* 3. 29. *Cant.* 8. 13.

1. *Abass.* Cur Apostoli, cùm Deum priùs unum appellâssent, Patrem posteà nuncupârunt. *Rom.* Ne ità unus crederetur, ut solitarius putaretur. Habet enim & singularis naturæ unitatem, & felicem trium personarum ubertatem, quam nobis Apostoli sub Patris nomine considerandam objecerunt. Sunt enim quædam nomina absoluta, quædam respectiva. Absoluta, illa sunt, quibus expressis, in nihil aliud, quàm in solitarium ipsorum significatum, & quiescentes in eo proprietates mens incurrit; ut cùm dicimus Adamum, Abrahamum, Petrum, & Paulum. Prolatis enim hisce nominibus, nihil mentem pulsat præter singulares illas personas, & intimas ipsarum

Patris nomen Personarum multiplicationem in Deo ostendit.

Digitized by Google

Nomina relativa duatum rerum cognitionē secum important.

proprietates. Respectiva sunt, quæ non illius tantùm rei, quam directè significant, sed & alterius (quæ etiam respectiva est, & cum ipsa implexa, & terminus dicitur) notitiam obliquè invehunt. Et termini nomine prolato ad rem, cujus ille est terminus, recurrendum. Ut cùm regem, dominum, & architectum nominamus, non in una tantùm re quiescit intellectus, sed inter duos terminos expatiatur; à rege ad clientes; à domino ad servos; ab architecto ad ea, quæ construxit, ædificia; & à clientibus ad regem; à servis ad dominos; ab ædificiis ad architectos transcurrens. Talia sunt tria illa nomina: Patris, Filii, & Spiritus sancti, quæ Apostoli Deo in consequentibus addiderunt. Patris enim nomen in Filium, Filii in Patrem; Spiritus sancti in Patrem, & Filium collimat. Quod genus nominum, dicitur relativum. Nam *relativa sunt illa, quæ ad aliud referuntur*; Seu, *Quorum esse est ad aliud, ad quod ipsorum cognitio terminatur.* *Pater autem*, ait Concilium Toletanum undecimum, *non ad se, sed ad Filium est; Filius non ad se, sed ad Patrem; & Spiritus sanctus similiter non ad se, sed ad Patrem, & Filium refertur.*

Aristotel. in Prædic. cap. de Relat. & 5. Metaph. cap. 15. Concil. Tolet. xi.

Cujuslibet Personæ nomen duas alias secum devolvit. D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 2. D. Ambr. lib. 1. de Fid. cap. 5.

2. *Abass.* Quot in Deo personas nomen Patris designat? *Rom.* Duas apertè, tertiam non obscurè. *Nomen enim Patris*, inquit D. Cyrillus, *Filii nomen intellectum in se ipso inducit. Nomina enim hujusmodi alterum per alterum intelliguntur.* Et D. Afotosius. *Cùm Patrem dixeris, ejus Filium designasti: quia nemo ipse sibi Pater est.* Patris etiam nomen Spiritus sancti notitiam inducit; quia Pater non sterilem quemvis filium, sed Spiritus sancti emanationis feracem emittit. Filii quoque nomen cum Patre colligatur. *Quia cum Filium nominas*, inquit ibidem D. Afotosius, *& Patrem ejus fateris; quia nemo ipse sibi filius est.* Sanctus etiam Spiritus cum Filii, cujus ipse est spiritus, nomine conglomeratur. D. Gregorius Nyssenus: *Siquis*, inquit, *Filium acceperit, habebit eum utrinque; hinc quidem suum Patrem, inde verò suum Spiritum simul adducentem.* Qui verò Spiritum sanctum nominaverit, Patrem, & Filium subnotabit. Quemadmodùm, si catenæ tribus intextæ hamulis unum trahas, cæteros eâdem operâ traxisti. Quâ similitudine utitur ibidem D. Gregorius Nyssenus. *Sicut ex catena, qui unam extremitatem apprehendit, alteram quoque summitatem simul attrahit; eodem modo, qui Spiritum traxit, ut ait Propheta, per eum Filium quoque, ac Patrem traxit.* Et D. Gregorius Nazianzenus: *Unum uni coharet, ac verè aurea quædam, & salutaris est hæc catena*; cujus hamuli se mutuò implicitantes, sunt relationes. Concilium illud Toletanum: *Trinitas*, inquit, *in omnibus, quibus voluit singillatim Personas agnosci, unam sine altera non permittit intelligi. Nec enim Pater absque Filio cognoscitur; nec sine Patre Filius invenitur. Relatio quippe vocabuli personalis Personas separari vetat.* Tres ergo sunt Personæ Augustissimæ Trinitatis, quæ sub Patris, Filii, & Spiritus sancti nominibus multis Sacrarum litterarum locis exprimuntur. Sed evidentiùs apud D. Matthæum: *Euntes ergo docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* Et apud D. Joannem in Epistola. *Tres sunt, qui testimonium dant in cœlo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus.*

D. Gregor. Nyss. lib. de diff. Nat. & hypost.

Psal. 118. 131. D. Greg. Naz. Orat. 37. quæ est 5. de Theologia. Concil. Tolet. xi.

Matt. 28. 19

1. Joan. 5. 7.

3. *Abass.* Neque in iis, quæ laudasti, neque in aliis Scripturarum testimoniis, Personæ nomen, sed tantùm Patris, Filii, & Spiritus sancti consignatum dispicio. Quid ergo tres à te Personæ celebrantur? *Rom.* Hypostasis nomen in Patre D. Paulus dedicavit, cùm Filium dixit *imaginem ipsius hypostaseos*; ideſt, Personæ, & faciei, ut vertunt in vestro libro D. Basilius, & Cyrillus. Quorum primus indè educit, suam etiam Filio Personam adscribendam, ità loquens. *Cùm ait, quòd sit imago faciei Dei. Ecce confessi sumus Personam substantiæ divinitatis Filii.* Perfecta enim imago paternæ hypostaseos Filius non esset, nisi eumdem, ut cæteris, ità propriæ Personæ expressione referret; quam tamen in eo idem Apostolus alibi verbis expressis collocavit. *Si quid*, inquit, *donavi propter vos in Persona Christi*; ideſt, Christi personam referens; sicut procurator illius personam agit, à quo fuit institutus. Hominibus quidem Sacræ litteræ frequenter personæ titulum imponunt. In Evangelio: *Non enim respicis personam hominis.* In D. Paulo: *Deus personam hominis non accipit.* Et alibi: *Ut ex multarum personis facierum per multos gratiæ agantur.* Solemnis enim Ecclesiæ mos est, rebus, quarum veritatem Scripturæ continent, sed nomen propriè non indiderunt, affinia, & in aliis jam probata commodare. Ità tercentum decem, & octo Patres in Concilio Nicæno Filium Græcè Omousion, Latinè consubstantialem: ducenti in Ephesino, Beatam Virginem Theotocon, sivè Dei genitricem dixêre, cùm Scripturæ his nunquàm nominibus utantur, sed mysteriorum illis contentorum veritas sub aliorum verborum involucris delitescat. Cùm ergo à Philosophis rationales substantiæ completæ, personæ vocentur, & in humanis pater, & filius duæ sint personæ, atque in divinis dentur Pater, & Filius: atque in Spiritu sancto, vigeat eadem ratio constitutionis, & distinctionis, sancti Patres, & Concilia gloriosum personæ nomen, & ternarii numeri ubertatem in Deum contulerunt.

Personæ nomen Scripturæ non inspectum.

Heb. 1. 3.

D. Basil. p. 1. n. 7. D Cyrill. p. 2. n. 6. p. 3. n. 4.

2. Cor. 2. 10.

Matt. 22. 16 Luc. 20. 21.

Galat. 2. 6.

2. Cor. 1. 11.

4. *Abass.* Ut Deo firmior unitas astruatur, cerne, an dici possit, unam tantùm in eo esse Personam: Patris, Filii, & Spiritus sancti nominibus triplicatam. *Rom.* Cave, ità sentias, vel loquare. Si enim in dicto perstiteris, te in Sabellii barathrum impulisti. Is enim divinam naturam ad unius personæ solitudinem, & vanam trium nominum amplitudinem redigebat; Deum enim ex mundi creatione Patrem, ex carnis assumptione Filium, ex gratiarum largitione Spiritum sanctum; cæterà infœcundum prædicabat. Sed quis adeò demens est, ut rem singularem multiplicet pro nominum incremento?

Sabellii hæresis confutatur.

318. Patres. p. 1. n. 12.

D. Athanas. Serm. contra Arianos Theodoret. lib. 2. hær. fabul.

Digitized by Google

mento ? An duplex erat Isacci filius, cùm Jacob, & Israël nominabatur ? Nam si duplex esset, de eo ante luctam cum Angelo
Gen.32.24. non diceretur : *Mansit solus.* At Christus indè se non esse solum probavit, quod Patris consortio bearetur. *Solus*,
Joan.8.16. 29. inquit, *non sum : sed ego, & qui misit me, Pater.* Et infrà : *Qui me misit, mecum est, & non reliquit*
Joan.16.32. *me solum.* Et tertiò : *Non sum solus, quia Pater mecum est.* Ità verò solus non erat Christus, ut ipse, & Pater non minùs essent duo, quàm duo homines ad testimonii veritatem à lege requisiti. *In lege*, inquit, *vestra*
Deut.17.6. & 19.15. *scriptum est, quia duorum hominum testimonium verum est. Ego sum, qui testimonium perhibeo de me ipso, & testimonium perhibet de*
Joan.8.17. 18. *me, qui misit me, Pater.* Sed quia tertius testis firmitudinem testimonii obsignat, ad illud de Christo ferendum tertia Spiritus
Joan.15.26. Joan.1.40. 42. sancti Persona concurrit. *Ille*, inquit, *testimonium perhibebit de me.* Nec primus Apostolorum triplex usquàm legitur, quòd Petrus, quòd Cephas, quòd Simon appellaretur ; cùm de Personis divinis Joannes simpliciter affirmet : *Tres sunt, qui testimonium*
1.Joan.5.7. *dant in cœlo.* Nec David trifido vitæ pastoritiæ, militaris, ac regiæ munere, & titulo condecoratus, pro nominum diversitate alius, & alius nuncupatur. Pater autem alius est à Filio, & Spiritus sanctus ab utroque. *Alius*, inquit, *est, qui testimonium per-*
Joan.5.32. Joan.14.16. *hibet de me.* Et Alibi : *Alium Paraclitum dabit vobis.* Undè D. Athanateus in suo Symbolo scripsit : *Alia enim est Persona Patris,*
D. Athan. in Symbolo. *alia Filii, alia Spiritus sancti.* Et Pater est in Filio, tamquàm in alio ; Filius in Patre, & apud Patrem : *Ego*, inquit, *in Patre, &*
Joan.14.11. Joan.1.1. Joan.8.38. *Pater in me est.* Iterùm : *Verbum erat apud Deum.* Iterùm : *Ego, quod vidi apud Patrem*
2.Petr.1.17. *meum, loquor.* Tandem Filius à Patre, & Spiritus sanctus à Filio mitti, & accipere dicuntur. *Cum autem*, inquit D. Cyrillus,
D. Cyril. lib. 10. Thes. cap. 1. *alter det, alter accipiat, dualitas Personarum demonstratur ; non nominibus, sed verè, ac personaliter distincta.* Præcipua multiplicitatis divinarum Personarum ratio est, quam à capite 5. prosequemur ; divinitatem ingenitam esse, & duabus processionibus communicari ; ac proindè dandam esse aliquam Personam improductam ; & duas, quæ processionibus constituantur ; & invicem à se ipsis, & à producente distinguantur.

Ab Hæreticorum verbis longè recedendũ.

5. *Abass.* Pater, Filius, & Spiritus sanctus reverà tria sunt nomina ; cujus ergo noxæ reus erit, qui id esse Trinitatem affirmaverit ? *Rom.* Illud Angelorum Loth ex
Gen.19.17. Sodomæ incendio educentium consilium altè animo insculpe. *Ne stes in omni circà regione, sed in monte salvum te fac, ne & tu simul pereas.* Tu quoque non solùm manifestos Hæreticorum errores, & exertos fraudulentarum vulpium dentes, sed etiam cau-
Jud.15.4. das, ideſt, minimam quamque societatem, & similitudinem, vel in iis, quibus utuntur nominibus, perhorresce. *Vinum enim So-*
Deut.32.32 D. Cyril. lib. 9. in Joan. c. 40. *domorum*, Cyrillo attestante, *doctrina eorum, & de suburbanis Gomorrhæ* ; Et parva sæpè scintilla ex ipsis dissiliens totas Christianorum segetes evertit profanis illis vocum novitatibus, & oppositionibus vani nomi-
1.Tim.6.20. nis scientiæ, quas Paulus devitandas admonet ; & quidam admittentes circa Fidem exciderunt. Cùm ergo, ut docent tercenti decem, & octo Patres Concilii Nicæni, Concil. Nicæn. P.1. n.12.
Sabellius finxerit, unam esse faciem sanctissimæ Trinitatis, & tria nomina, quisquis te Trinitatem tria esse nomina dicentem audierit, Sabellianismo vel correptum, vel saltem afflatum judicabit. Aperte igitur cum sanctis Patribus profitere, Trinitatem esse tres Personas trium nominum paludamentis coopertas. Nam D. Gregorius Thaumaturgus : *Pater*, inquit, *& Filius, & Spiritus*
D. Greg. Thaumat. P.1. n.11 & in confess. Fidei. *sanctus non sunt nomina, quæ ipsis postea supervenerint, sed sunt Personæ.* Et in alia Fidei confessione : *Nos credimus, tres Personas, unam habentes divinitatem, declarari nominibus Patris, & Filii, & Spiritus sancti.* D.
D. Athan. P.4. n.12. Athanateus : *Maledicti, qui non credunt in nominibus trium Personarum. Verè intelligamus majestatem divinitatis, & confiteamur tres Personas.* D. Basilius : *Agnoscamus, & intelli-*
D. Basil. P.2. n.6. *gamus distinctionem Personarum ; & credamus in his nominibus, in quibus baptizati fuimus.* D. Agnateus : *Præcepit, ut baptizarent*
D. Ignat. Epist. 8. ad Philip. *in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti : non in unum trinominem.*
Matt.28.19.

Tres facies in Deo quomodò intelligendæ.

6. *Abass.* Quo sensu accipiendum, quod libri nostri passim, tres divinas personas dicunt. Ideſt : *Tres facies, & tria lineamenta ? Rom.* In primis tuo nunquàm animo illa insideat opinatio, ut Deum tricipitem, vel triformem arbitreris ; ne in te cadat fulminea
D. Gregor. Naz. Orat. in præsentia 150. Episcop. D. Gregorii Nazianzeni imprecatio : *Quid existimatis vos, qui tres Personas dicitis ? Num unum veluti quiddam compositum fingitis, quod tres vultus, aut humanam omninò formam habeat ? Vos quoque reclamabitis. Absit. Nec Dei faciem (quæcumque tandem illa est) unquàm videat, qui ità sentit.* Ut enim corpus, sic & corporea facies à Deo secludenda. Nam si tria corpora, & totidem facies haberet, trinus, non unus ; si unum corpus, & tres facies, non Deus esset, sed monstrum de genere Geryonaceo ; quale ii fingebant, qui apud Divum Augustinum ità
D. August. lib. de hær. c. 74. Deum triformem somniabant, ut quædam illius pars, esset Pater ; quædam Filius ; quædam Spiritus sanctus. Sed tam Græci, quàm Latini, (ut advertit Theorianus)
Theorian. in legat. ad Armen. personis faciei nomen indiderunt, quia persona propriè dicit substantiæ rationalis à quacumque alia distinctionem ; & in rebus creatis nusquàm magis, quàm inter facies distinctio comperitur ; ità ut in tot hominum millibus, teste Plinio, duæ non extent
Plinius lib. 7. cap. 1. omninò indiscretæ. Tres ergo facies idem sunt, quod tres personæ sine ullo colorum fuco, vel oris, vel oculorum lineamentis. Sic *Pater faciem* habet, cujus obtutu sem-
Matt.18.10. per Angeli pascuntur ; ideſt, indelebilem illam paternitatis proprietatem, cujus interventu prima Persona à Filii, & Spiritus sancti faciebus, ideſt, proprietatibus sejungitur.

7. *Abass.* Ut nobis licet tres Personas,

cur

Tres Deos dici non licet.

cur non ità tres Deos numerare? *Rom.* Ne in Arianorum, & Tritheitarum, qui ità insaniebant, errorem provolvamur. *Tres Deos,* inquit D. Athanaſius in Symbolo, *vel dominos dicere Catholica religione prohibemur.* Nam tres Perſonas dicimus, quia proprietatum perſonalium numerus ternarium attingit, ſed eſſentia divina, & naturales ipſius proprietates nunquàm diſcedunt ab unitate. *Ego,* inquit, *& Pater unum ſumus. Ut ſint unum, ſicut & nos. Tres ſunt, qui teſtimonium dant in cœlo; & hi tres unum ſunt.* Quibus in locis verba, *Nos: ſumus;* Et, *Sunt,* Perſonarum pluritatem indicant; quam non reſtringit verbum, *Unum*; reſtringeret autem, ſi diceret, *Unus ſumus, vel ſunt*; quia tunc innueretur, Patrem, & Filium eamdem eſſe perſonam. *Unus* enim nomen eſt numerale, quod ad plures ordinandos tendit; *Unum,* collectivum, quod ſiſtit in multorum copulatione. D. Cyrillus: *Cùm unum dixit, identitatem ſubſtantiæ ſignificavit; cùm verò ſumus, in duo ſcindit.* Et D. Gregorius Nazianzenus: *Unum ſunt, non hypoſtaſi, ſed divinitate.* Undè tibi parebunt illa verba, inſtar ænigmatis, Concilii Toletani, undecimi: *In Deo eſſe, quod non recedit à numero; nec numero comprehenditur.* Nec enim Perſonæ à numero abſcedunt; neque divinitas ad numerum accedit. *Hoc enim verè eſt unum,* inquit Boëtius, *in quo nullus eſt numerus.* Et D. Bernardus. *Habes quid numeres, & quid non numeres; ſubſtantia una eſt; Perſona tres.*

Joan. 10. 30. *Joan.* 17. 11. 1. *Joan.* 5. 7.

D. Cyril. lib. 1. Theſ. cap. 1. D. Greg. Naz. Orat. 49.

Boët. lib. de Trinit. D. Bernard. lib. 5. de Conſid.

Cur dicantur tres perſonæ, non tres dii.

8. *Abaſſ.* Quam ob cauſam fas eſt, Perſonas, grande nefas, ſubſtantiam in numerum concire, & tribus diis ſupplicare? *Rom.* Docui lib. 2. cap. 2. num. 2 omnem denominationem ab aliqua forma deſumi; & num. 9. Dei formam eſſe divinitatem, quam, ut tres dii eſſent, oportebat in tribus Perſonis multiplicari. Nihil enim facit participantium multitudo, ſi forma ſingularis in iis includatur. *Nam homines,* inquit D. Cyrillus, *etſi corporibus diſtemus, non ſumus tamen alii naturâ patres à filiis, & filii à parentibus. Abrahæ enim naturam conſpexit, qui filium ejus conſpexit. Sed in hominibus quidem magna videtur eſſe diſparatio; Seorsùm enim quiſque formatus, quamvis una ſubſtantiæ, & naturæ ratio in omnibus communiter ſit, tamen alter in altero non ineſt. In Deo autem non ità eſſe intelligimus, ſed in unam deitatis naturam ſancta Trinitas colligitur, ut unus ſit Deus.* Divus Athanateus. *Patris, & Filii una forma intelligitur, quæ integrè ſe in unoquoque, & ſolidè exhibet.* Id nos D. Paulus erudivit, cùm de Filio dixit: *Qui cùm in forma Dei eſſet*; id-eſt, in Patris natura; Dei enim nomen ibi perſonale eſt, ſicut in ſubſequentibus: *Non rapinam arbitratus eſt, eſſe ſe æqualem Deo*; Ideſt, Patri. Quia nomen *æqualis* relativum eſt, & in alium tendens. D. Aforoſius: *Non eſt,* inquit, *diverſa, nec ſingularis æqualitas; quia nemo æqualis ipſe ſibi ſolus eſt.* Cùm ergo in Perſonis forma divinitatis non multiplicetur, multiplicentur autem proprietates, quas Tertullianus, & D. Auguſtinus vocant formas Perſonarum, tres Perſonæ, non tres dii dicendi ſunt.

D. Cyril. lib. 9. in Joan. c. 39.

D. Athanaſ. lib. contra greg. Sabellii.

Philip. 2. 7.

D. Ambroſ. 2. de Fid. cap. 4. Tertul. lib. contra Praxeam, cap. 2. D. Auguſt. lib. 6. de Trinit. cap.

CAPUT II.

Perſonæ à naturâ diſtinctio ſanctorum Patrum teſtimonis oſtenditur.

Natura, & perſona diſcriminantur.

1. *Raſſ.* Si Perſonæ divinæ numerantur, & tamen unum ſunt, non hypoſtaſi, ſed divinitate, aliud eſſe videtur perſona, ſivè hypoſtaſis; aliud divinitas, ſivè eſſentia, ſivè natura. *Rom.* Optimam ex dictis conſequentiam intuliſti; aliud enim eſt in eadem ſubſtantia rationali natura, aliud perſona. Cujus diſtinctionis, quam acie aquilina diſpexiſti, ignoratio præcipuos in ſanctiſſimam Trinitatem, & Chriſti Incarnationem errores invexit. Hinc enim, teſte D. Gregorio Nyſſeno, Arius Trinitatis communionem in tres ſubſtantias diſtraxit. Sabellius trium Perſonarum gloriam in unius hypoſtaſis inopiam coëgit. Et, auctoritate D. Joannis Damaſceni, Neſtorius duas in Chriſto naturas agnoſcens, totidem hypoſtaſes; & Eutyches, ut unam hypoſtaſim, ſic unam naturam ſtatuendam contendit. Naturam ergo id conſtituit, quod commune eſt omnibus individuis ſub eadem contentis: perſonam illi additæ particulares proprietates, quibus altera ab altera diſcriminatur. Quam differentiam, quia ad internoſcendum in Chriſto unius Perſonæ caudicem, & duarum naturarum ſurculos, valdè neceſſaria eſt, ſi libeat, ſanctorum Patrum (illorum præcipuè, qui apud vos potiores ſunt) Athanatei, Baſilii, Nazianzeni, Nyſſeni, & Cyrilli teſtimoniis confirmabo.

D. Greg. Nyſſ. lib. de differen. ſubſtant. & hypoſtaſ. D. Joannis Damaſc. lib. 3. de Fid. cap. 3.

Teſtimonia D. Athanaſii ex Lib. definit.

2. *Abaſſ.* Mera me jucunditate, ſi id egeris, oppleſti; & fauſtum à D. Athanatheo auſpicium captato? *Rom.* Is ſic habet in Libro definitionum. *Aliud eſt natura, aliud hypoſtaſis. Si quis de divinitate quærat: quot confitearis naturas? Reſponde: Vnam: Hypoſtaſes verò? Tres.* Et inferiùs. *Natura in ſe multas hypoſtaſes continere poteſt. Homines enim uno corpore, & uno ſpiritu conſtantes, omnes ejuſdem ſumus naturæ, & eſſentiæ; ſunt verò multæ hypoſtaſes. Nam ideò dicitur hypoſtaſis, quòd eſſentia ſubſiſtat. Atque natura quidem, & eſſentia dicuntur univerſales; hypoſtaſis verò partialis. Et univerſale quidem nominatur, quod univerſaliter omnia comprehendit, & continet; partiale autem, quod aliquam habet eſſentiæ partem. Verbi gratiâ; ſi hominem dicas, jam quemvis hominem dixiſti, nam univerſale hoc eſt, & eſſentiale; & omnes homines dicuntur; eadem enim eſt omnium eſſentia. Si verò Petrum, & Paulum, aut Joannem dicas, tunc unum hominem denotaſti, eò quòd partiale ſit. Eſt enim commune, ſi hominem nomines (quandoquidem omnes homines ità nominantur) nomen autem uniuſcujuſque eſt partiale. Similiter ſi Angelum nomines, jam totam expreſſiſti eſſentiam Angelorum;*

Ibidem.

Angelorum; hoc enim est commune, & essentiale ipsorum nomen; si verò dicas Michaelem, vel Gabrielem, unam dixisti hypostasim. Natura igitur domina, & genitrix: & radix, & fons hypostasium; hypostasis verò naturæ pars.

Testimonia D. Basilii ex Epist. ad Terent.

3. *Abass.* Aurea ex Alexandrino Divi Athanatei horto poma legisti, experiamur an talia Cappadoces ex D. Basilii viridario decerpserint. *Rom.* Gemmeo hæc stylo exaravit in Epistola ad Terentium. *Non idem est, cum de Deo loquimur, substantia, & hypostasis. Dicimus enim, eam esse rationem substantiæ ad hypostasim, quam rei communis ad particularem. Nam quisque nostrum ex communi ratione essentiæ homo est, & ob peculiares proprietates hic, vel ille. Sic in Deo communis quidem substantiæ ratio intelligitur, ut divinitas, bonitas, aut aliquid aliud; hypostasis verò in proprietate paternitatis, filiationis, aut facultatis sanctificantis cernitur.* Et in Epistola ad Amphilochium. *Substantia, & hypostasis ità differunt, ut commune, & singulare. Ut puta, quæ animalis est ad unum aliquem hominem ratio. Propterea substantiam divinitatis unam confitemur, ut essentiæ ratio minimè diversa reddatur; hypostasim verò singulare quid dicimus, ut inconfusa nobis, & explicata de Patre, Filio, sanctóque Spiritu sit notio. Quippè si separatas cujusque notas non consideremus; ut paternitatem, filietatem, & sanctificationem; sed de communi notione essentiæ Deum confiteamur, fieri nullo modo potest, ut rectæ Fidei ratio reddatur. Itaque necesse est, ad commune adjecto peculiari, hanc Fidei normam confitendo sequi. Commune est divinitas, peculiare paternitas. Hac conjungentes, dicamus: Credo in Deum Patrem. Rursùs in confessione Filii consimile fiat, & commune peculiari jungentes, dicamus: Credo in Deum Filium. Similiter & de Spiritu sancto, verbis consentaneo modo conceptis, dicamus: Credo in Spiritum sanctum. Ità quidem, ut ubique servemus in confessione divinitatis unitatem; ac nihilominùs Personarum peculiare discrimen in separatione proprietatum, quas in singulis mente intelligimus, confiteamur.* Sic Divus Basilius.

Ex Epistola ad Amphiloch & ad Gregorium fratrem 43.

D. Gregor. Nazianzeni testimonia. Orat. 33.

4. *Abass.* Quid Basilio consonum è Ponto scribit ipsius contubernalis D. Gregorius Nazianzenus? *Rom.* Oratione prima de Theologia: *Veritatem*, inquit, *si resticiamus, & pravam contractionem, & absurdiorem ipsa divisionem vitabimus, ut non ad unam hypostasim oratio nostra cogatur.* Et infrà: *Unum omninò Deum retineamus, & tres hypostases, sivè Personas profiteamur, servatâ uniuscujusque proprietate.* In Oratione in præsentia 150. Episcoporum: *Ità perfectionem adipiscimur. Unum quidem quoad essentiam, & individuam adorationem agnoscentes; tria verò quantùm ad hypostases, vel Personas. Personæ verò sunt, quæ dividuntur; non naturis, sed proprietatibus.* In Oratione de laudibus Athanatei: *Una substantia, & tres hypostases à nobis piè dicuntur; quorum alterum divinitatis naturam, alterum proprietates declarat.*

Orat. 32.

Orat. 20. de laudib. Athan.

5. *Abass.* Quid de eadem re sentit Nazianzeni cognominis, & Basilii germanus D. Gregorius Nyssenus? *Rom.* Librum edidit, cui titulum præfixit, de Differentia naturæ, & hypostaseos, in quo hæc inter plurima: *Omnium nominum alia quidem, quæ de pluribus, ac numero differentibus rebus dicuntur; magis universalem quamdam significationem habent; ut Homo. Qui enim hoc dixit, communem naturam per id nomen demonstravit; non tamen ea voce illud, quod est proprium, ac singulare, significavit. Alia verò nomina singularium hominum proprietatum significativa sunt, per quæ non communio naturæ in verbo consideratur, atque spectatur, sed rei cujusdam descriptio: nullam cum eo, quod ejusdem generis est (quantùm attinet ad proprietatem, & peculiaritatem) societatem habens; ut Paulus, vel Timotheus. Non enim jam amplius hujusmodi vox ad communionem naturæ refertur, sed recedens à comprehensiva significatione circumscriptarum quarumdam rerum demonstrationem per nomina præstat. Cùm igitur duo, vel etiam plures eodem tempore fuerint; Verbi gratiâ, Paulus, Timotheus, & Silvanus; ac de essentia hominum quæratur ratio, non aliam quis essentiæ rationem edet in Paulo, aliam in Timotheo, aliam item in Silvano; sed per quas rationes essentia Pauli demonstrata fuerit, eadem reliquis quoque convenient; atque Homousii, ideſt, ejusdem inter se essentiæ sunt, qui eâdem ratione essentiæ describuntur. Sed ubi aliquis, animadversa communione, ad peculiaria, ac propria, per quæ separatur alterum ab altero, considerationem, & contemplationem convertit, non jam itidem ratio, per quam unumquodque cognoscitur, atque discernitur, ei rationi, quæ de alio profertur, per omnia conveniet, etiamsi in aliquibus aliquid reperiatur habere commune. Hoc igitur, quod propriè dicitur, verbo hypostaseos declarari dicimus. Nam qui hominem dixit, dissipatum quemdam, & conturbatum intellectum per indefinitam significationem auribus intulit, ut natura quidem eo nomine significetur; res autem, quæ subsistit, & propriè declaratur, eo nomine non significetur. At qui Paulum dixerit, ostendit in re, quæ eo nomine declaratur, subsistentem naturam. Hoc itaque est hypostasis (quasi dicas, subsistentia) non illa indefinita in omnibus essentiæ ratio: nullam, propter communionem ejus, quod significatur, stationem inveniens; sed ea, quæ id, quod & commune, & indescriptum est, per id, quod de quadam re dicitur, per apparentes nimirùm in ea proprietates, subjicit, circumscribit, atque definit. Quemadmodum hoc Scriptura quoque facere consuevit, cùm in multis aliis locis, tum in historia Job. Cùm enim res ejus enarratura esset, & priùs mentionem communis nominis fecisset, dixissétque: Vir erat: statim sejungit peculiari, ac proprio nomine, per adjectionem ejus, quod dicit: Quidam; ac essentiæ quidem descriptionem, tamquàm nihil utilitatis, & commodi ad propositi sermonis rationem afferentem, reticuit. Quemdam autem per propria insignia denotat, atque designat, & locum edens, & ingenii, morúmque indicia, ac quæcumque intrinsecùs simul comprehensa illum separatura,*

D. Gregor. Nyss. in lib. de differentia naturæ, & hypostaseos.

Iob. 1. 1.

separatura, disjunctura erant à communi significatione; ut per omnia evidens, ac perspicua fieret descriptio ejus, de quo narratio instituebatur; ex nomine, ex loco, ex animi proprietatibus, ex iis, qua extrinsecùs circa eum considerabantur. Quòd si essentia rationem edidisset, nulla jam dictarum rerum in explicatione dictionis mentio facta fuisset. Quam igitur in nostris, ac mundanis rebus rationem differentia tum in essentia, tum in hypostasi cognovisti, hanc si traducas etiam ad divinas doctrinas, atque decreta, non errabis. Cúmque cogitabis, quomodò se habeat essentia Patris, quodcumque tandem tibi tua mens suggerit (Ad nullum enim certum, ac destinatum intellectum animum figere, ac firmare licet; propterea quòd creditum, ac persuasum est, eam essentiam superare omnem intellectum) hoc etiam de Filio intelliges. Hoc eodem quoque modo de Spiritu sancto. Nam increata, & incomprehensibilis ratio una, eadémque in Patre, & in Filio, & in Spiritu sancto est. Non enim aliud quidem magis, aliud verò minùs incomprehensibile, & increatum est. Quoniam autem per propria, ac peculiaria signa inconfusum Trinitatis discrimen habere oportet, quod quidam communiter in ea consideratur (velut non creatum, inquam, aut supra omnem esse comprehensionem; aut si quod tale est) non unà assumemus ad proprii indicationem, sed solùm requiremus ea, quibus uniuscujusque notio dilucidè, & absque mixtione ab ea, qua unà consideratur, segregetur. Et ità potior, ac firmior est Fides, qua in hypostasi separationem, & in essentia conjunctionem docet. Quoniam igitur disceptatio aliud quidem commune, aliud verò proprium, ac peculiare in Sancta Trinitate considèravit, communionis quidem ratio ad essentiam reducitur, hypostasis verò peculiare, ac proprium uniuscujusque signum est.

D. Cyril. lib. 1. de Trinitate.

6. *Abass.* Adeò copiosè, & dilucidè D. Gregorius Nyssenus personæ à natura differentiam proposuit, ut nisi te priùs ad obsignatas D. Cyrilli tabellas rejecisses, ab ulteriori testimoniorum congerie supersedendum judicarem. *Rom.* Ut ego nunc tecum hunc dialogismum, sic D. Cyrillus libros de Trinitate mutuis cum Hermia colloquiis prætexuit, in quorum primo ait: *Filius non est in alia substantia præter eam, qua est Patris; sed in alia subsistentia.* Hermias. *Aliud ergo est substantia, aliud subsistentia.* Cyrillus. *Etiam, magnum inter illa discrimen est; quandoquidem substantia singularia sub se continet.* Hermias. *Quomodò dicis? Tardior enim ad hæc, ut apparet, sum ego.* Cyrillus. *An ignoras, quòd & ipse non sim adeò expediti sermonis ad hæc explicanda? Nihilominùs tamen eundum ad propositum examen divinæ eminentiæ, qua in summis est fastigiis, idque quasi sub imagine. Itaque substantiæ declaratio videtur sicut commune, & universale quiddam esse; nomina verò substantiarum singularium sub illo universali prædicantur, ac dicuntur. Putas, me nunc illud declarare?* Hermias. *Quodnam?* Cyrillus. *Definivimus, hominem esse animal rationale, mortale, juxta rationem illi congruentem; & hunc dicimus ejus substantiæ terminum esse, qui conveniat omnibus particularibus sub eo existentibus. Unde sub hoc communi hominis nomine, vel diffinitione cadit Thomas, Marcus, Petrus, & Paulus. Et hoc sanè modo substantiam quis designarit; eorum autem, qua ut singularia intelliguntur, nondùm manifestam, & evidentem fecerit declarationem. Non enim si quid est homo, id mox est Petrus, & Paulus; Et si quis dixerit: Thomas, vel Marcus, non statim substantiæ terminum enuntiarit, etiamsi declaretur. Homo enim est, sed ostenditur in propria subsistentia, & separata. Igitur nomen substantiæ habet se, ut homo: & gerit in se nomen universalis, & communem rationem generis. Contra subsistentia intelligetur convenientiùs ut singulare, quod neque à communitate destituat, quod explanatur: neque etiam singulare cum obscuro confundat, & commiscear.* Hermias. *Intelligo nunc. Videtur enim mihi non imperitè dictum.* Cyrillus. *Igitur confitentes Filium Patri consubstantialem existere, eum in propria subsistentia conjunctim, & discretim unitum significamus; identitati naturæ adaptantes maximè necessariam Personarum, vel nominum, vel subsistentiarum differentiam, vel distinctionem. Nam ille quidem Pater est, & non Filius; hic iterùm Filius, & minimè Pater.*

Natura, & ipsius proprietates æquales sunt, & immutabiles in omnibus individuis.

7. *Abass.* Talpà cæcior est, qui non videat personæ à natura distinctionem iis, quæ produxisti, Sanctorum Patrum testimoniis inculcari; sed quæ prima sit illius radix, vellem, indicares. *Rom.* Naturam, & essentiam idem esse lib. 2. cap. 6. num. 5. & cap. 8. num. 1. demonstravi. Quæ cùm sit radicale cujusque rei principium, præter partes suas essentiales, nihil aliud vel in sui communione, vel in prædicatione; nec varietatem, aut magis, & minùs in omnibus, in quibus reperitur, individuis, admittit; sed ubique firma est, & immutabilis. Si enim hominis natura est, ut sit animal rationale; nec Petrus magis est animatus, quàm Paulus; nec Paulus, quàm Petrus ratione instructior. *Una enim est omnium hominum natura*, inquiunt D. Athanasius, Chrysostomus, & Aforosius: *Omnes homines, quantùm ad naturam pertinet, unius substantiæ sumus.* Et iterùm: *Inter homines est unitas substantiæ ex communitate naturæ.* Habet etiam natura insitas quasdam proprietates, quæ ipsam necessariò comitantur; ut in hominibus intellectum, & voluntatem, & denominationes ab ipsis pullulantes; ut quòd sit intellectiva, & volitiva, in quibus nunquàm variatur, teste D. Chrysostomo: *Naturalia nec ullo modo mutantur, nec studio, ac diligentiâ hominum acquiruntur.* Et D. Cyrillo: *Sola, qua naturaliter insunt, inseparabilia sunt.* Hæc de omnibus, & singulis ejusdem naturæ individuis æqualiter affirmantur; *Quorum enim,* (inquit idem D. Cyrillus) *natura una est, eorum quoque nomen commune est; & quod uni secundùm naturam inest, cæteris quoque inest, qui ejusdem sunt naturæ.*

D. Athanas. Orat. 4. contr. Arian. D. Chrysost. hom. 6c. in Matthæum. D. Ambros. de Fid cap. 2. & lib. 4. cap. 2.

D. Chrys. ubi suprà. D. Cyrill. lib. 3. Thes. cap. 4. & lib. 3. c. 1.

8. *Abass.*

Digitized by Google

In proprietatibus individualibus, & accidentibus magna est inæqualitas.

8. *Abass.* Nemo non videt naturæ, & naturalibus proprietatibus summam constare immutabilitatem. *Rom.* Verùm in omnibus ejusdem naturæ creatæ individuis aliquæ proprietates, & accidentia reperiuntur, quæ in aliis varietatem subeunt, & mutationem. Hic enim magis est candidus, ille minùs; ille pallidus, ille æneus, ille niger; hic oculis cæsiis, ille cæruleis, ille torvis, aut in transversum distortis; hic dives, ille pauper; quæ planum est ex illa inconstantiæ labe, ad naturam non pertinere, & falsò de illa prædicari. Quis enim illum ferre possit, qui dicat: humanam naturam esse pauperem, vel cæsiam, vel claudam, vel candidam? Licèt enim horum omnium, ubicumque commoretur, susceptrix sit, illa tamen ubique non suscipit. Ergo cùm hæc de singularibus, quæ sunt personæ, affirmentur, (nam Job priùs dives fuit, & posteà pauper; Rachel pulchris oculis; Lia humentibus; Miphiboseth debilis pedibus; Asaël velocissimis, instar caprearum) stabiliendum est, dari differentiam inter naturam, ac personas. Si enim idem omninò essent, iisdem omninò proprietatibus, & prædicationibus, non diversis substernerentur. Tandem sunt aliquæ proprietates, quæ ità uni individuo coaptantur, ut in nullo alio dispiciantur; ut in Artaxerxe manus altera longior, undè dictus est Longimanus; in Cyro nasus aquilinus; in Saule, quòd ab humero, & sursùm super omnem populum emineret; in Goliath sex cubitorum, & palmi altitudo; hæ verè sunt proprietates personales, & hypostaticæ, quia ità ad unam tantùm hypostasim contrahuntur, ut nunquàm ab ea divellantur. *Proprietas enim* (inquit Divus Gregorius Nazianzenus) *hanc rationem habet, ut moveri nequeat. Quonam enim alioqui modo proprietas constaret, si moveretur, ac de sede sua migraret?* In hoc genere censetur Verbi cum humana carne unio, quæ idcircò dicitur hypostatica, ut libro 5. capite 3. numero 4. videndum. Ut igitur omnia hoc capite dicta in compendium redigam, aliud in Deo, & in creaturis est natura, sivè substantia (Græcè οὐσία Usia, „ vobis [Elahue]) aliud suppositum. Græcè ὑπόστασις hypostasis, cui in vestris „ libris nihil propriè respondet, nisi [Acal,] sivè persona, quam capite sequenti ostendemus aliquid addere ultra suppositum. In Deo autem natura id tantùm dicit, quod est commune in divinitate; Suppositum verò communi naturæ adjicit incommunicabilem cujusque Personæ proprietatem. In creaturis natura communem speciem; suppositum, seu persona & naturam communem, & peculiares cujusque individui proprietates, & accidentia demonstrat.

Iob. 1. 3. & 3. 7. *Gen.* 29. 17. 2. *Reg.* 9. 3. 2. *Reg.* 2. 18.

1. *Reg.* 9. 2. 1. *Reg.* 17. 4.

D. Greg. Naz. Orat. 39. in sanct. lum.

CAPUT III.

Quid persona sit, & quid addat super suppositum; Et illius veritas in Trinitate declaratur.

1. *Abass.* Suos inter naturam, & hypostasim limites adeò incorrupte, ex Patrum auctoritate, divisisti, ut vel protervus censeri debeat, qui distinctionem oppugnaverit; vel oppidò insipiens, qui non agnoverit. Sed quia sæpiùs suppositi, sæpiùs personæ vocabulum usurpas, quid inter hæc intersit, referato. *Rom.* Si quæ libro 2. capite 8. de supposito dixi, memori animo retexas, omnes, quæ in personæ notione possunt occurrere, difficultates extricasti. Ibi enim numero 2. docui, hæc nomina affinia esse: Individui, particularis, singularis, primæ substantiæ, hypostasis, suppositi, & personæ; sed non omnia converti, verùm aliqua minùs, aliqua latiùs patere. Nam partes incompletæ, ut corpus, anima, caput, manus, digiti, & similes, à corpore divulsæ, sunt quidem individua, singularia, & particularia, non tamen primæ substantiæ, neque hypostases, neque suppositæ, neque personæ, quæ solâ substantiæ plenitudine intumescunt. Rursùs lapides, arbores, & animantia sunt primæ substantiæ, hypostases, & suppositæ: illam tamen, quæ personæ nomine designatur, perfectionem non attingunt.

Personæ nomen minùs latè patet, quàm suppositi.

Vide lib. 1. cap. 8. n. 2.

2. *Abass.* Ubi isthæc sita est perfectio? *Rom.* Hoc probatæ doctrinæ numisma ex D. Cyrilli Thesauro fœneratum tuæ mentis ærario reconde. Omnium substantiarum nomina, vel nudas ipsarum substantias significant; vel easdem aliquo dignitatis, seu ministerii (quod ipsæ gerant, vel in ipsis geratur) elogio nobilitatas. Ut si equum, leonem, hominem, vel Angelum dixeris, meras tantùm prædictarum rerum substantias indicabis. Si autem dicas Archangelum, Apostolum, Prophetam, Regem, Cæsarem, vel Seguedem: Substantiam Angelicam, & humanam cum dignitatis, vel ministerii additamento expressisti: Nomen enim Archangeli significat Michaëlem & Angelica natura, & militari præfecturâ inter Angelos eminentem. Apostoli, Prophetæ, Sacerdotis, Regis, Cæsaris, & Seguedis nomina aliquos homines ob singularem excellentiam à cæteris secernunt. Tale est nomen personæ, quod non indiscretè omnibus substantiis, sed aliquibus tantùm, in quibus irradiat insignis quædam claritas, & operatio coaptatur. Et, ut cætera missa faciam, sicut Cæsaris nomen non rem inanimem, vel aliquam belluam significat, sed hominem; nec quemvis hominem, sed Romanum; nec tantùm Romanum,

Personæ nomen significat substantiam cum dignitatis auctuario. D. Cyril. lib. 13. Th. cap. 4.

Digitized by Google

sed Romanorum Imperatorem; & Seguedis nomen non solùm hominem Abassinum, sed de Israëlis progenie, & imperii gloria exultantem; adeò, ut cùm audis Cæsarem, vel Seguedem, non tibi sit animo vel in Persidem, vel in Indiam, vel in aulam Æthiopicam, vel Romanam recurrendum; ità cùm personæ nomen tuarum aurium fores pulsaverit, non in aliarum substantiarum mapalia, & præsepia, sed in sola trium naturarum, divinæ, Angelicæ, vel humanæ, quæ inter cæteras imperatoriâ potestate excellunt, palatia transvolandum.

Jus, & moderamen suarum actionum sub. stantiam rationalem in esse personæ constituit.

3. *Abass.* Cur tribus hisce naturis personæ nomen, aliis posthabitis, addicendum? *Romanus.* Tres istæ substantiæ, ut libro 2. capite 18. numero 2. & 9. probatum, eximiam præ cæteris sortiuntur prærogativam, ut intellectûs, & voluntatis operationibus illustentur; & perfecto suorum actuum dominio glorientur; neque ut res insensibiles, & bruta prono naturæ ductu, & cæco impetu agantur. Undè rationalium titulum, & gloriam (quæ summa est, & exprimitur personæ nomine) traxerunt. Ubi igitur aliqua substantia, quæ in quavis harum trium naturarum classe censetur, in se ipsa subsistit, & suarum actionum gubernaculo potitur, illicò inferiorem hypostasis, vel suppositi ordinem transcendit, & in supremam personarum curiam, & nomen adoptatur. Eo verò significatur, illi substantiæ singulari personæ jam titulo insignitæ ad subsistendum in se ipsa, & ad actus suos liberè eliciendos jus subesse. Quod permovit Patres Concilii Franco-fordiensis; ut dicerent, *substantiam esse rem naturæ; personam verò quid juris.* Quia natura, cui advenit dignitas personæ, ultra illas, quæ intra hypostasis, & suppositi angustias consistunt, id ampliùs vendicat, ut ex arbitrii potestate actuum suorum habenas moderetur.

Concil. Franco-ford. apud Soar. tom. 1. in 3. p. q. 2. disp. 8. sect. 4.

Persona non est jus actionum edendarum, sed substantia singularis illo affecta.

4. *Abass.* Quid ergo est persona? Illud jus, & dignitas, quæ rationalem naturam afficit, præcisè considerata, an ipsa natura? *Romanus.* Quod libro 2. capite 8. numero 8. dixi de supposito, & subsistentia, huc transferendum. Et, ut res evadat manifestior, notissima Regis, & Sacerdotis nomina in scenam producamus, quibus finitimum est nomen personæ & significandi modo, & dignitatis significatæ prærogativa. Regis nomen humanam substantiam cognoscendam exhibet; non quidem inermem, sed trabeâ, sceptro, coronâque præsignem. Id verò nomen, & ornamenta ad certum hominem ex solemni unctione, & proclamatione pervadunt; eique tantùm conferunt, ut cùm priùs cliens esset, & non rarò servus, ubi ritè fuit inauguratus, & sui juris factus sit, & summum in alios jus adeptus. Similiter Sacerdotis vocabulum non in quemcumque hominem, sed in illum tantùm cadit, qui fuerit in corpore sacri olei diffusione, & in animo characteris indelebilis impressione dedicatus; quæ mox illum mundanorum principum imperio exemptum in amplissimam corporis, & sanguinis Christi consecrandi, & Fidelibus peccata remittendi potestatem, functionésque alias augustissimas transmittunt. Ità personæ dignitas in rationalis naturæ subsistentia, velut immobili basè considens illius firmitudinem obsignat, eique plenum jus suarum actionum ex animi sententia disponendarum impertit. Ut verò Rex non est sceptrum ipsum, neque purpura, neque jus imperandi; neque Sacerdos est oleum, vel manuum impositio, vel spiritualis potestas ipsi collata; sed homines his ritibus initiati, & aptis insignibus adornati; ità persona non est sola subsistentia, neque jus actionum moderandarum, sed natura rationalis in se subsistendi soliditate confirmata, & liberè agendi jure donata. Ex quibus via patet ad intelligendam celebrem illam personæ definitionem ex Boëtio Severino: *Persona est rationalis naturæ individua substantia.*

Boët. Severin. lib. de duabus natur.

Personæ definitio ex Boëtio explicatur.

5. *Abass.* Hanc quæso minutatim evisceres definitionem. *Rom.* Personam dixit Boëtius *substantiam*; quia suprema illius dignitas non quadrat in servilem accidentium turmam, quæ ob infirmitatem (ut hedera parieti radicibus, & vitis claviculis populo se maritat) semper alicujus substantiæ fulturam ambiunt; sed tantùm in primas substantias, quibus solis datum est, separatas à re quavis alia subsistere, ut latè dictum est libro 2. capite 7. numero 2. Ideò Divus Athanateus in Haymanot Abbau, Divus Cyrillus superiori capite numero 6. & Divus Joannes Damascenus dixêre, personam esse *substantiam separatam.* Addidit, esse substantiam *rationalis naturæ*, quia sicut soli equestri ordini concessum ad senatoriam dignitatem aspirare, sic solis rationalibus substantiis ad personalem, cujus irrationales (sicut perfectæ cognitionis, & libertatis) sunt incapaces. Tandem dixit *individuam*, ideſt, completam, & subsistentiæ fastigio definitam; ac proindè terminatam, à quavis alia substantia segregatam, alii supposito incommunicabilem, & propriis se operationibus prodentem: juxta quatuor illa subsistentiæ munera, de quibus eodem libro, capite 8. numero 10. Quæ hîc ad duo libet revocare; ut illa substantia rationalis personæ dignitate florere dicatur, quæ per se à quavis alia sepositа consistat, & propriis se reddat operationibus manifestam. Quo ex capite à personæ dignitate proscribuntur omnes cujusvis substantiæ partes, & instrumenta sivè separata sint, sivè etiam conjuncta, & insitâ agendi efficacitate polleant, dum

D. Athanas. p. 8. n. 1. D. Cyril. D. Joannes Damasc. in Dialectic. cap. 42. & 44. & 65.

Partes, & instrumenta, personæ esse non possunt. Lib. 2. c. 8. n. 21.

Digitized by Google

dum ſervant cum toto unionem. Quia tunc operatio non ab ipſis ſumit exordium, ſed à toto; nec denominatio in ipſa ultimò, ſed in totum recurrit; & cum à toto ſejunguntur, operandi virtutem penitùs exuunt. Sic calamo nulla ad ſcribendum virtus ineſt, niſi manui cohæreat. Manus autem licèt innatam virtutem, & operationem ad ſcribendum nanciſcatur, illarum jacturam patitur, ubi à brachio diſcerpitur; nec cùm juncta eſt, ſcriptio ab ipſa inchoat, ſed ab ſcribente; nec ſtantium, aut vacillantium litterarum laus, aut vituperatio, nec ſententiarum gravitas, aut levitas in ipſam, ſed in ſcribentem refunditur.

Perſonæ veritas in Deo repetitur.

6. *Abaſſ.* Ergo ex his duobus ſubſiſtentiæ muneribus perſonæ veritatem in Deo effulgere demonſtrato. *Rom.* Deum ſubſtantiam eſſe, libri ſecundi caput 6. numero 8. & ſeptimum numero 9. teſtantur. Eſſe verò ſubſtantiam rationalem, atque liberam, & actuum ſuorum dominio potientem, caput decimum octavum, & decimum nonum. Si ergo per ſe ſubſiſtat, atque operetur, perſonæ dignitate (quæ potiſſima eſt inter homines, atque Angelos) non exuendus. Hominum enim perfectiones, à quibus nævi abſunt, Deo non abrogandas, ejuſdem libri capite 15. numero 14. demonſtravi. Eum verò tripliciter ſubſiſtere; operari verò non quidem in præciſa ratione eſſentiæ, quæ communicabilis eſt, ſed ſecundùm tres proprietates incommunicabiles, paternitatis, filiationis, & ſpirationis, ſacræ litteræ commendant. Tres proindè ſunt in Trinitate hypoſtaſes: Patris, & Filii, & Spiritus ſancti; quæ à D. Gregorio Thaumaturgo *Perſonæ firmæ, ſubſiſtentes, & perfectæ, appellantur.* A Divo Gregorio Nazianzeno: *Unaquæque Perſonarum perfecta eſt in facie ſua.*

D. Greg. Thaumat. p. 1. n. 2. D. Greg. Naz. p. 1. n. 17.

Patri perſonam ineſſe oſtenditur.

7. *Abaſſ.* Ubi perſonæ proprietates Patri adaptantur? *Rom.* Duo illa munia ſubſiſtendi incommunicabiliter in natura rationali, & independenter operandi plurimùm in Patre clareſcunt. In primis enim Pater ſubſtantia eſt. Ipſe enim Moyſi dixit: *Ego ſum, qui ſum.* Et: *Qui eſt, miſit me ad vos.* Eſt etiam ſubſtantia completa. *Eſtote*, inquit, *perfecti, ſicut & Pater veſter cæleſtis perfectus eſt.* Perfecti verò, & completi eamdem eſſe rationem libro 2. capite 8. numero 3. & 4. tradidimus. Deindè rationalem habet naturam intellectûs, & voluntatis actionibus ſe agitantem. De intellectu Divus Matthæus: *Scit enim Pater veſter, quid opus ſit vobis.* Et iterùm: *Scit enim Pater veſter, quia his omnibus indigetis.* Et iterùm: *De die autem illa nemo ſcit, niſi Pater ſolus.* De voluntate idem: *Non ſicut ego volo, ſed ſicut tu.* Iterùm: *Fiat voluntas tua.* Divus Joannes: *Hæc eſt voluntas ejus, qui miſit me.* Patrem autem eſſe Perſonam ſubſiſtentem, indè patet, quòd ſit ingenitus, à ſe, & in ſe ipſo ſuum eſſe poſſidens. De quo Jeremias: *Qui fecit omnia, ipſe eſt.* Et Filius: *Pater habet vitam in ſemetipſo.* Sola enim perſona, quæ in ſe ipſa ſubſiſtit, vitam habet in ſemetipſa; ut Petrus, & Paulus; non autem ipſorum manus, oculi, & cætera membra, quæ non in ſe ipſis vivunt, neque permanent, ſed in corpore. Et clarè Divus Paulus Filium dixit *paternæ hypoſtaſeos*, ideſt, Perſonæ ſimilitudinem; ut jam ſuprà ex veſtris libris capite 1. numero 3. indicavi. Operatur etiam Pater independenter à duabus aliis Perſonis, cùm per duplicem ipſius operationem producantur. *Pater meus*, inquit Chriſtus, *uſque modò operatur.* Et inferiùs. *Pater ſuſcitat mortuos, & vivificat.* Suſcitare enim, & vivificare, ſunt operationes. Habet autem Pater peculiarem quamdam erga Filium operationem rationalem, per quam ab ipſo ſecernitur, eámque ipſe aliquandò vocat cognitionem: *Nemo*, inquit, *novit Filium, niſi Pater.* Et: *Sicut novit me Pater;* aliquandò dilectionem: non quidem antecedentem, ſed comitantem. *Pater*, inquit, *diligit Filium. Propterea me diligit Pater. Sicut dilexit me Pater. Quia dilexiſti me ante conſtitutionem mundi.* Quæ cognitio, & dilectio fundamentum eſt paternitatis, quæ ità primæ Perſonæ cohæret, ut neque ad Filium, neque ad Spiritum ſanctum tranſire unquàm poſſit. In ſolo enim Patre eſt quaſi fontana cognitionis, & dilectionis ſcaturigo; in Filio, & Spiritu ſancto à Patris reſtagnatione redundans. Hinc eſt quòd Pater, Perſona dicatur.

Exod. 3. 14. *Matt.* 5. 48. *Matth.* 6. 8. 32. & 24. 36 *Matth.* 6. 10. & 26. 49. *Joan.* 6. 39. 40. *Joan.* 5. 26. *Heb.* 1. 3. *Joan.* 5. 17. 21. *Matth.* 11. 27. *Joan.* 10. 15. *Joan.* 3. 35. & 5. 20. & 10. 17. & 15. 9. & 17. 24.

Filium perſonam habere, probatur.

8. *Abaſſ.* Magno quidem merito; nunc de Filio. *Rom.* Rationalem etiam naturam habet Filius, intellectûs, & voluntatis dotibus affluentem. De intellectu planum eſt, cùm Patris ſit verbum, & ipſa ratio omnium rerum cognitione exundans. *Neque Patrem*, inquit, *quis novit, niſi Filius.* Iterùm: *Sicut novit me Pater, & ego agnoſco Patrem.* De voluntate Divus Matthæus: Et *cui voluerit Filius, revelare.* Divus Joannes: *Filius, quos vult, vivificat.* Et iterùm: *Volo, ut ubi ego ſum, & illi ſint mecum.* Completa quoque eſt Filii ſubſtantia. *Habitat enim in illo plenitudo divinitatis corporaliter.* Univerſa, inquit Divus Athanaſius, *plenitudo, & integritas divinitatis eſt Pater, ut Pater. Univerſa item plenitudo deitatis eſt Filius, ut Filius; quandoquidem amborum una forma intelligitur, qua integrè ſe in unoquoque, & ſolidè exhibet.* Et ideò ſicut Pater perfectus eſt, ità Filius apud Theophilum Alexandrinum *perfectus ex perfecto.* Illius ſubſiſtentiam, teſte Divo Baſilio, indicat Divus Paulus, cùm dicit Patris hypoſtaſeos imaginem: *Qui*, inquit, *ait quòd ſit figura facies Dei, ecce confeſſi ſumus Perſonam ſubſtantiæ divinitatis Filii.* Eamdem apertè aſtruit Auctor libri Sapientiæ, cùm de ipſa ſcribit: *In ſe permanens innovat omnia.* Et verbum *erat* ſæpiùs à

Matt. 11. 27. *Joan.* 10. 15. *Matt.* 11. 27 *Joan.* 5. 21. *Joan.* 17. 24. *Col.* 2. 9. D. Athanaſ. lib. contr. gregales Sabellii. Theophilus p. 1. n. 2. D. Baſil. p. 1. n. 7. *Sap.* 7. 27. *Joan.* 1. 1.

Digitized by Google

Joanne repetitum : *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Cap. 5. *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Vitam habet Pater à se, quatenùs est ingenitus. Vitam habet in se, quatenùs subsistens. Non ergo ait : *Sicut Pater habet vitam* à semetipso, *sic dedit & Filio vitam habere* à semetipso ; quia proprietas vitam à se habendi (cùm privatus Patris character sit) ab ipso communicari non potest ; & idem Filius, se esse à Patre, fatetur. *Ab ipso*, inquit, *sum, & ipse me misit ;* Sed ait : *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso* ; quia licèt Filius vitam hauserit à Patre, illam in se ipso non minùs subsistens, quàm Pater ipse tuetur. Sicut Abel à se ipso vitam non habuit, sed ab Adamo ; at postquàm habuit, non minùs subsistebat, quàm Adamus. Undè de Verbi vita tradit Divus Paulus : *Vivus est Dei sermo, & efficax.* Vester textus : *Vivum est Dei Verbum, & forte*, sivè firmum, & subsistens. Quod epitheton illi accommodat Theodotus Ancyranus. Eam verò suæ subsistentiæ firmitatem Filius etiam innuit, cum dicit : *Nisi crediderit is, quia ego sum, moriemini in peccato vestro.* Et inferiùs : *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* Ex quibus verbis Judæi intulerunt, Christum Dei personam sibi arrogare, quem sciebant Moysi dixisse : *Ego sum, qui sum* ; Et ideò in ipsum, tamquàm in divinæ gloriæ prædatorem lapidibus involârunt. Suis etiam Filius, ut Pater, operationibus innotescit. *Est enim*, ut ait Divus Gregorius Thaumaturgus, *Verbum operatorium. Pater*, inquit, *meus usque modò operatur, & ego operor.* Et infrà : *Quæcumque ille fecerit, hæc & Filius similiter facit.* Et alibi : *Opera, quæ ego facio in nomine Patris mei.* Etsi verò multas operationes cum Patre communes Filius habeat, unam sibi adeò singulatim vendicat, ut ejusdem participes esse nequeant Pater, & Spiritus sanctus ; quæ est acceptæ à Patre naturæ, & cognitionis in eumdem reflexio. De qua idem : *Patrem quis novit nisi Filius ?* Novit autem refluenti, & quasi retrorsùm actâ cognitione. Pater enim fertur in Filium directâ, Filius in Patrem reciprocatâ. Sic exponendum illud : *Sicut novit me Pater, & ego agnosco Patrem.* Non ergo deteriori jure Filius, quàm Pater, Persona nuncupatur ; signatim à D. Gregorio Thaumaturgo, & Cyrillo.

Joan. 5. 26. Joan. 7. 29. Hebr. 4. 12. Theodot. p. 1. n. 18. Joan. 8. 24. 58. Exod. 3. 14. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 26. Joan. 5. 17. 19. Joan. 10. 25. Matt. 11. 27. Joan. 10. 15. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 26. D. Cyril. p. 55. n. 2.

9. *Abass.* Quid de Spiritu sancto sentiendum ? *Romanus.* Personæ nomenclationem æquè, ac Patrem, & Filium promereri. Rationalis enim est, & intellectu pollens. In libro Sapientiæ : *Spiritus Domini replevit orbem terrarum : Et hoc, quod continet omnia, scientiam habet vocis.* Iterùm : *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ, sanctus.* Et iterùm : *Intelligibilis, mundus, subtilis.* Divus Paulus : *Spiritus omnia scrutatur, etiam profunda Dei.* Et infrà : *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Voluntate etiam præstat. D. Joannes : *Spiritus, ubi vult spirat.* Divus Paulus : *Dividens singulis, prout vult.* Completum esse, innuit liber Sapientiæ, cùm tradit, *ipsum replere orbem terrarum.* Quî enim repleret, si plenitudine careret ? subsistentem verò, sequentia verba : *Et hoc, quod continet omnia.* Quomodò enim omnia contineret, si ipse ex subsistentiæ indigentia labasceret ? Nil tamen ipsi commissum fluctuat, quia est, ut paulò post traditur : *Stabilis, certus, securus.* Divus Epiphanius : *Credimus*, inquit, *Spiritum sanctum esse subsistentem, perfectum.* Divus Cyrillus : *Spiritus est in subsistentia speciali, & intelligitur separatim, secundùm quod spiritus est.* Multæ etiam operationes Spiritum consequuntur. *Divisiones operationum sunt*, inquit Divus Paulus, *idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus.* Ut verò explicet, quis sit ille Deus, subjicit : *Hæc omnia operatur unus, atque idem Spiritus.* Singillatim de doctrina Divus Joannes : *Ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia.* De sermone Divus Matthæus : *Non enim vos estis, qui loquimini, sed Spiritus Patris vestri, qui loquitur in vobis.* Et Divus Lucas : *Segregate mihi Saulum, & Barnabam in opus, ad quod assumpsi eos.* Sortitur etiam Spiritus peculiarem operationem, quam nec cum Patre, nec cum Filio communicat ; quæ est grata accepti beneficii quasi solutio ; cùm impensum sibi à Patre, & Filio amorem, & divinam cum ipso naturam in eosdem gratâ compensatione retorquet. Nam Pater, & Filius communi penè manu amorem in Spiritum sanctum jaculantur ; sed illius rejectio, & in eosdem reverberatio proprium est Spiritûs insigne, ipsum à duabus aliis Personis secernens.

Omnes personæ proprietates vendicat Spiritus sanctus. Sap. 1. 7. Sap. 7. 22. 23. Sap. 1. 7. Sap. 7. 28. D. Epiph. p. 11. n. 11. D. Cyril. Epist. 10. 1. Cor. 12. 4. 6 1. Cor. 12. 11. Joan. 14. 26. Matt. 10. 20. Act. 13. 2.

10. *Abass.* Personæ documenta non minùs in Spiritu sancto, quàm in Patre, & Filio effulgent ; sed libro 2. capite 8. numero 4. dixisti, subsistentiam esse modum substantiam ultimò complentem, & terminantem ; Si ergo in Trinitate sunt tres hypostases, sivè Personæ : tres etiam modi in ea dabuntur ; sivè tres personalitates. *Romanus.* Eodem libro capite 5. numero 7. prænonui, modos esse imperfectas quasdam, & futiles entitates, ac rerum velut umbras ; ac proindè numero 12. adjeci, à Deo, *apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio*, penitùs exterminandas. Ut ergo rerum creatarum subsistentiæ, & personalitates sint modi (quia res possunt sine ipsis existere ; ut extra Verbum Christi humanitas, quæ nunc in Verbo subsistit) divinæ tamen modi dici non possunt ; quia nec divinitas ab ipsis, nec ipsæ à divinitate sunt separabiles, nisi ad summum ratione ; quatenùs divinitas sine ipsis concipi potest, ut

Personalitates divinæ non sunt modi, ut creatæ.

Jacob. 1. 17.

Digitized by Google

ut dictum eodem libro cap. 1. à num. 5. sed quoad existentiam nec divinitatis à personalitatibus, nec personalitatum à divinitate sejunctio conceditur, dicente Nazianzeno: *Unum in tribus divinitas est; & tria unum; illa, inquam in quibus divinitas est; vel, ut magis propriè dicam: quæ divinitas est*; Et D. Joanne Damasceno: *In hypostasibus deitas est; aut deitas est hypostases.* Ut autem modi divinas Personas non afficiunt, sic neque reliquâ, quibus ultra subsistentiam creatæ hypostases, sivè personæ suffarcinantur. Quare cùm D. Basilius dixit, innascibilitatem in Deo *subsistentiæ modum, non subsistentia nomen esse*; Et eodem modo locuti sunt Divus Cyrillus, & D. Joannes Damascenus; non astruunt, esse verum modum, sed, ut castigatiùs alibi scripsit Cyrillus, *subsistentiam, de qua dicitur, non esse tali modo*; ideſt, non esse genitam. Non ergo modi sunt divinarum Personarum subsistentiæ, sed proprietates reales, quæ aliis nominibus dicuntur Relationes paternitatis, filiationis, & spirationis; de quibus capite sequenti.

D. Greg. Naz. Orat. 39. in sanctum.

D. Joan. Damasc. lib. 1. de Fid. cap. 11.

D. Basil. lib. 4. contr. Eunom.

D. Cyril. lib. 13. Th. cap. 1.

D. Joan. Damasc. lib. 1. de Fid. cap. 9.

D. Cyril. 1. Th. cap. 3.

Personæ divinæ præter essentiam, unicam tantùm habent proprietatem: creaturæ multa accidentia.

D. Joan. Damasc. de Dialect. cap. 30.

11. *Abass.* Quænam sunt illa ultra subsistentiam, quibus creatæ personæ onerantur; *Rom.* Libro 2. cap. 8. num. 11. insinuavi, creatas hypostases accidentium consortium non abigere, sed omnia admittere, & sinu confovere. Undè dixit quodam loco Divus Joannes Damascenus, *hypostasim substantiam cum accidentibus habere.* Et alio: *In hypostasibus, ideſt, individuis tum substantias, tum substantiales differentias, tum species, tum accidentia considerari.* Et iterùm, *substantiam in hypostasi assumptis accidentibus actu existere.* Theorianus: *Hypostasis est res existens, & substantialis, in quæ congeries accidentium existit.* Et Iterùm: *Hypostasis dicitur tum id, quod existit, tum quæ in eo veluti per accidens considerantur.* Sed cùm divina natura adeò sit elimata, ut nullam circa se accidentium rubiginem patiatur, ut eodem libro cap. 7. demonstratum, huic etiam creatarum personarum ægritudini nuntium remittit; & illam tantùm in suis hypostasibus probat Epiphanii in septima Synodo definitionem: *Hypostasim esse cum proprietatibus subsistentiam.* Undè verum agnoscens naturæ, personæque discrimen; quòd natura ubique solis essentiæ finibus includatur; persona in divinis constet essentiæ, & unius proprietatis societate; in Angelis, & hominibus naturæ, & unius proprietatis essentialis, ac plurium accidentalium complexione. Ex dictis autem libro 2. capite 2. numero 4. & 5. res composita differt à simplici; & composita ex pluribus ab illa, quæ ex paucioribus conflatur; nam quæcumque additio, vel detractio secum invehit distinctionem.

Idem c. 47. Theorian. in legat. ad Armen.

7. Synod. act. 6. Soar. tom. 1. in 3. p. q. 2. disp. 8. sect. 4.

12. *Abass.* Quid de nostris censes, qui rentur, personam esse ipsam corporaturam; & in suum patrocinium citant verba D. Jacobi, navibus personam apponentis? *Rom.* Digni planè erant, qui paganis ludimagistris, eorúmque tyrunculis explodendi, & exibilandi, vel etiam graphiis configendi traderentur, siquidem adeò crassè impingunt in personæ notionem. Cujus ratio si in corporatione sistit: à Deo, & ab Angelis, quos Fides corporis exortes prædicat, personarum distinctio, & dignitas ableganda; Et non solùm cum hominibus, sed etiam cum belluis; & perfectiùs communicanda; cùm in equis, & elephantis craſſior sit, & erectior corporatura. Noster quidem textus, & Græcus eo D. Jacobi loco naves non personatas, sed magnas dicit. Quid autem si diceret personatas? Numquid, quia dicitur, *terram os suum aperuisse*; *quia auribus percipere* jubetur; quia montibus caput, supercilia, & pedes tribuuntur, ideò credendum, terram vivere, & sentire? Montes intelligere, & ambulare? Frequentissimè vestri libri staturam [acal,] ideſt, *personam nominant.*" *Nam* apud D. Cyrillum sic habetur: *Crevit paulatim Christus in persona carnis tanquam homo.* Et iterùm: *Crevit paulatim in persona, & gratia, & Sapientia.* Et iterùm: *Nos verò dicimus, paulatim crescere in persona, & gratia, & sapientia esse carnis, sicut hominis mensuræ convenit. Et de Verbi substantia dicimus, ipsam esse perfectam, & non admittere accretionem.* Quæro igitur, quænam illa persona fuit, in qua Christus adolevit? Divina, an humana? Non divina, quia ipsius substantiæ negat Divus Cyrillus, & sana Fides accretionem; si humanæ, plaudit Nestorius; habet enim Christus duplicem personam; divinam expertem: humanam compotem incrementi. Faceſſat igitur talis deliratio, & *Acal* locis allegatis, non veram personam humanam, quæ à Christo exulat, sed corporis staturam significet; quam fatemur, in rebus corporeis compositæ personæ partem esse, non totam personam; illam tamen corporis proceritate metiri imperitos, & pygmeæ staturæ hominem malè: giganteæ, benè personatum appellare; quia ut suprà tactum est, & numero sequenti iterùm inculcabitur, persona sui per actiones experimentum præbet; sensibiles verò corporeæ substantiæ actiones corporeis semper motibus, ac gestibus eduntur.

Contra eos, qui personam ponunt incorporatura. *Jacob.* 3. 4.

Gen. 4. 11. *Isai.* 1. 2.

Personæ nomen in libris Æthiopicis frequenter staturam significat.

D. Cyril. p. 2. 3. 50. 52. *Luc.* 2. 52.

13. *Abass.* Id postremum est, quod nostrates urit; quòd dicant, nunquàm suis personam oculis usurpatam; se verò ingenti illam contemplandi, & manibus contrectandi desiderio flagrare. *Rom. Non est tibi necessarium*, inquit Sapiens, *ea, quæ abscondita sunt, videre oculis tuis*; Et in eos, qui de divinis Personis contuendis tale quidpiam inaniter effutiebant, sic tonuit suo tempore D. Athanasius: *Stultorum, & vecordium ista sunt verba: oculis, & loco volentium apprehendere id, quod incorporale est.* Qui tamen asserunt, oculis se nunquàm in personam incurrisse, si de divina, & Angelica intelligunt, quæ carnalium oculorum aciem effugiunt, veriloquio dant operam; si de humana, falsimonio; aut in

Personas divinas videre volentium stultitia. *Eccl.* 3. 23.

D. Athanas. lib. contr. greg. Sabellii.

Digitized by Google

media luce oculos habent noctuinos; quia quot homines, totidem personas intuentur. Nam Petrus, & Paulus, quos aspicis, quibuscum fabularis, personæ sunt humanâ substantiâ incommunicabili præditi: nullo præterquàm suæ naturæ stabilitatis sustentaculo suffulti, & liberè in suarum operationum theatrum prosilientes. Ut enim Regem videt, qui hominem videt nulli parentem, omnibus verò jura dantem; & Sacerdotem, qui videt hominem sacris operantem; sic qui quemvis hominem offendit ab omnibus aliis sepositum, nulli fulcro innixum, & liberas actiones exercentem, personam contemplatur. *Hypostasis enim*, ex Damasceno, *est, quod per se subsistit, & sensu, hoc est, actu consideratur*; Et, ex Theoriano: *Persona est id, quod per actiones, & proprietates suas manifestum, & distinctum ab aliis ejusdem naturæ rationalis consortibus indicium sui præbet.* Addo, non solùm humanam personam in quovis homine, sed divinam in Christo per corporis velamen in editis ab ipsa operationibus translucere. *Vidimus gloriam ejus*, inquit Joannes. Et latiùs in Epistola: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris; quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ; Et vita manifestata est; & vidimus, & testamur.* Quid unquàm adeò constanter affirmatum est, quàm hoc loco à D. Joanne, divini Verbi personam ab hominibus visam, & contrectatam? Undè tam insolens, & inopinata facultas in eos defluxit? D. Augustinus: *Verbum*, inquit, *ut manibus tractaretur, cœpit esse caro ex Virgine. Manifestata est vita in carne: ut res, quæ solo corde videri potest, & oculis videretur.* Ità impletum Isaïæ vaticinium: *Videbit omnis caro pariter, quod os Domini locutum est*; ideſt, Dei Verbum; vel, ut Evangelista interpretatur: *Videbit omnis caro salutare Dei.* Et pastores non rusticè, sed plusquàm Theologicè dicunt: *Transeamus usque Bethleem, & videamus hoc Verbum. Etenim*, inquit D. Aforosius, *cùm caro Domini videtur, Verbum videtur, quod est Filius.* Sic spiritualis cujusque hominis vita, & anima in corporis actionibus perlucet.

Heumanam, Personam de piùs vidimus.

D. Joannes Damasc. in Dialect. cap. 30.

Theor. in legat. ad Armeni.

Divina persona in Christo per corpus videtur.

Joan. 1. 14.

2. *Joan.* 1. 1. 2

D. August. tract. 1. in 1. Epist. Joannis.

Isai. 40. 5.

Luc. 3. 6.

Luc. 2. 15.

D. Ambros. lib. 2. in Luc.

14. *Abass.* Si quidquid proprias habet operationes, persona est: anima, quam modò in theatrum intulisti, à corpore separata persona dicetur, quia per se subsistit, & intellectùs, voluntatis, & motricis potentiæ functionibus excurrit. *Rom.* Si personæ dignitatem sola consummaret operatio, animæ à corporis ergastulo absolutæ, & seorsim existenti non esset deneganda. Undè aliquis illam dixit semipersonam; ipsam tamen deficit integritas, & complementum, quod in ipsam ex corporis societate redundat; in quam, dum sejuncta est, semper suspirat, & ingemiscit, ut testantur illi vel in ipso cœlo sub Dei altari frementium animarum clamores: *Usquequò Domine non vindicas sanguinem nostrum?* Idest; quousque nobis protrahes corporum nostrorum redintegrationem? Sicut enim, si globum in duas partes æquales diffindas semper duo illi semicirculi divisi mutuam videntur coitionem anhelare, sic anima corporis contubernio privata, inquies est, dum ipsi non redonatur. Nam similiter desectæ multorum animantium partes cientur, & ob decurtatam debitæ plenitudinis mensuram hypostases, vel suppositæ minimè dicuntur.

Anima à corpore separata non est persona, quia incompleta.

Apoc. 6. 10.

CAPUT IV.

Ostenditur, divinas Personas compositas esse ex natura, & tribus proprietatibus immobilibus, quæ dicuntur relationes; Et de Originibus, atque Notionibus.

1. *Bass.* Superiori capite, numero 11. dixisti Personas divinas constare ex natura, & proprietate; sunt ergo compositæ. Nam ex doctrina à te constabilita libro 2. capite 2. numero 5. & capite 5. numero 4. & 5. ubi datur duarum rerum adglutinatio, necessum est, compositionem assignari. *Rom.* Compositionem in divinis Personis admittunt Patres, quorum dicta capite 2. recensuimus, dum naturam dicunt id, quod commune est; personam proprium communi aggregatum; sivè, ut loquitur D. Cyrillus ibidem citatus: *Quod est in propria subsistentia conjunctim, & discretim unitum.* Et D. Gregorius Nazianzenus maximè mirandum dicit, quòd divinitatis fulgor in Trinitate *sit conjunctim distinctus, & distinctim conjunctus.* Undè Concilium Florentinum sic Personam definiit: *Persona divina constat essentia, & proprietate.* Et Theologorum superioris, ac præsentis seculi apex, magister meus observandissimus Doctor Franciscus Soarius: *Persona est substantia constans intellectuali natura, & personalitate.*

Persona divina componitur ex natura, & proprietate.

D. Cyril. lib. 1. de Trinit.

D. Greg. Naz. Orat. 33.

Concil. Florent. sess. 29.

Soar. lib. 7. de Trinit. cap. 8. n. 3.

2. *Abass.* Tuâ vidêris memoriâ exturbasse, quod constanter libro 2. capite 5. numero 4. & 11. inculcasti: ubicumque datur compositio, dandum esse totum, & partes, ex quibus totum confletur; partes autem esse imperfectas; quo ex capite omnem à Deo compositionem eliminasti. *Rom.* Minimè abnuo, à me dictum, partibus imperfectionis labem ineſſe; id autem de iis partibus intelligendum, quæ à toto vel re, vel cogitatione ità separari possunt, ut definitæ perfectionis angustiis includantur. Sed nec natura divina re à proprietatibus, nec proprietates à natura divelli queunt. Si autem duo illa cogitatione aliquo modo secernantur, tam natura, quàm proprietates infinitam perfectionem secum involvunt; aliàs divinæ non essent; & natura proprietates eminenter continet, siquidem ab illius plenitudine exundant; & proprietates totam ad se naturam accersunt, & illius ratione in catenæ speciem fibulantur.

Imperfectio, quæ in aliis compositionibus, in hac non reperitur.

Digitized by Google

fibulantur. Quod autem naturam, & proprietates cogitationis acie dissecamus, non divinam aliquam imperfectionem, sed nostram arguit imbecillitatem, qui cùm Deum, qualis in se est, attingere non possimus, *ex parte cognoscimus*, ut docet D. Paulus, *& ex parte prophetamus. Cùm autem venerit, quod perfectum est, evacuabitur, quod ex parte est*; tunc enim *videbimus eum, sicuti est*, nullius scissionis indicio compunctum.

1. *Cor.* 13. 9. 10. 1. *Joan.* 3. 2.

Proprietas quid sit.

3. *Abass.* Cur notæ illæ, quibus Personæ invicem secernuntur, proprietates vocantur? *Rom.* Proprium illud est, quod rei cuique ità inest, ut in nullo alio esse possit. Undè D. Gregorius Nazianzenus suprà ultimis verbis secundi capitis allegatus, asseruit, *proprietatem moveri non posse; si autem moveatur, ac loco cedat, jam non esse proprietatem.* Concilium Florentinum: *proprietatem communicabilem non esse; aliàs non esse proprietatem.* Quare siquid est in Trinitate commune vel duabus Personis, ut activa spiratio; vel tribus, ut essentia, & relatio Creatoris, quas Pater, & Filius, & Spiritus sanctus ex æquo vendicant, proprietatis nomen dimittit. Quidquid autem ità uni Personæ addicitur, ut altera illius particeps esse non possit, id est verè proprietas. *Filius*, inquit D. Basilius, *in proprietate sua nihil cum Patre, & Spiritu sancto habet commune.* Germanus ipsius Nyssenus proprietates vocat *non convenientia, & incommunicabilia Personarum insignia.* Divus Cyrillus in vestro Libro: *Filius à Patre non separatur in ullo opere, præterquàm in proprietate nominis sui.* Eodem proprietatum nomine usus est à nobis alienus Basilius Antiochenus. *Tres*, inquit, *sunt in proprietatibus.* Severus illas vocat *ritum paternitatis, filiationis, & spirationis*; quem sequuntur Senuteon, Joannes Antiochenus, & Christodùlus.

D. Gregor. Naz. Orat. 39.

Concil. Florent. sess. 18.

D. Basil. Epist. 43. D. Greg. Nyss. lib. de differ. nat. & hypost. D. Greg. Naz. Orat. 44. D. Cyril. p. 51. n. 62. & lib. 2. Thes. cap. 1. Basil. Antioch. n. 4. Severus, p. 1. Senuteon. p. 2. n. 24. Joan. Antioch. p. 1. Christod. p. 1.

Proprietates naturam contrahunt, non discindunt.

4. *Abass.* Quot sunt munera divinarum proprietatum? *Rom.* Tria. Primum est, divinam naturam priùs indeterminatam ad Personas contrahere; illam tamen non discindere, neque immutare. Quod D. Gregorius Nazianzenus illis verbis significavit: *Proprietates nequaquàm substantiam secernunt, verum circa substantiam secernuntur.* Et Divus Basilius: *Hæc proprietatum natura est, ut in identitate substantiæ distinctionem ostendant, unitatem tamen substantiæ minimè distrahant.* Quæ doctrina est Aristotelis docentis, *differre illa dici, quæ in aliquo conveniunt, in aliquo distinguuntur.* Sed eorum, alia specie, alia numero differunt; quæ specie, diversam omninò naturam sortiuntur; ut homo, & equus; quæ numero, numero etiam disjunctam; ut Petrus, & Paulus; sed tres Personæ divinæ, ejusdem specie, & numero naturæ communione potiuntur. *Est enim Trinitas*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *collecta in unitatem.*

D. Gregor. Naz. Orat. 40.

D. Basil. lib 1. cont. Eunom.

Aristotel. 5. Metaph. cap. 9. & lib. 10. cap. 5.

D. Greg. Naz. Orat. 42.

Nec proprietates, nec Personæ, quibus insunt, mutari possunt.

5. *Abass.* Quod est alterum munus proprietatum? *Rom.* Sibi, & iis, quas afficiunt, Personis immobilitatem concedere, ne in alias trajiciantur. D. Gregorius Nazianzenus in vestro Libro: *Singulæ*, inquit, *Personæ non mutantur à sua substantia* (dicendum esset, hypostasi) *Pater in esse Filii, & Spiritus sancti; & Filius in esse Patris, aut Spiritus sancti; neque Spiritus sanctus in esse Patris, aut Filii.* D. Epiphanius. *Hæ Personæ non mutantur, neque convertuntur.* Theophilus Alexandrinus: *Perfecta sunt facie, & lineamentis, quin mutentur, & transeant.*

D. Gregor. Naz. p. 1. n. 19. D. Epiphan. p. 8. n. 19. Theoph. Alex. n. 11.

Proprietates Personas distinguunt, & à confusione liberant.

6. *Abass.* Quod tertium est munus? *Rom.* Personas distinguere, ne confundantur, & permisceantur; ut adimpleatur in confessione Trinitatis, quod dixit D. Athanateus in Symbolo: *Non confundentes Personas, neque substantiam separantes.* D. Gregorius Nazianzenus: *Intelligamus tres Personas in substantiis suis* (dic hypostasibus) *& ne perditi audeant divisionem divinitatis, aut confusionem Personarum in Trinitatem introducere.* Et alibi: *Persona non separantur in proprietatibus suis propter unionem divinitatis; neque confunduntur in Personis, cùm non separentur in divinitate.* Sed cùm agimus de distinctione divinarum Personarum, cautè loquendum; ut neque divisionis, neque separationis vocabulis utamur. *Nam Pater, & Filius*, inquit D. Aforosius, *distinctionem habent, separationem divinitatis non habent.* Et alibi: *Distinctionem accipimus Patris, & Filii, & Spiritus sancti, non confusionem; distinctionem, non separationem.* D. Gregorius Nazianzenus apud Joannem Alexandrinum: *Est distinctus sine divisione. Nec faciamus unionem, nec alienam Personarum divisionem.* Quare si aliquandò Patres separationis, vel divisionis nomen usurpaverint, ut D. Gregorius Nyssenus suprà cap. 2. num. 5. & Gabriël Alexandrinus refert, dixisse Divum Epiphanium, *Deum dividi in Personis, indivisum esse in divinitate*, divisionem loco distinctionis positam arbitrare, juxta illam D. Basilii locutionem: *Trinitas non conjungitur in Personis, nec dividitur in divinitate.*

D. Basil. Epist. 43. D. Greg. Nyss. lib. de differ. nat. & hypost. D. Greg. Naz. Orat. 44. D. Cyril. p. 51. n. 62. & lib. 2. Thes. cap. 1. Basil. Antioch. n. 4. Severus, p. 1. Senuteon. p. 2. n. 24. Joan. Antioch. p. 1. Christod. p. 1.

D. Ambr. lib. 2. de Fide c. 2. & lib. 4. cap. 4.

D. Gregor. Naz. Orat. 3. citatus à Joan. Alex. Hæretico, n. 5.

Gabriël Alex. hæret. p. 4. n. 7.

D. Epiph.

D. Basilii p. 4. n. 7.

Proprietates in Deo tres tantùm.

7. *Abass.* Quot sunt in Deo personales proprietates? Quid sunt? Et quibus nominibus appellantur? *Rom.* Tres tantùm sunt, à D. Gregorio Nazianzeno nominatim in vestro Libro expressæ: *Paternitas, filiatio, & processio.* Et alibi: *Tria hæc, unum: si divinitatem spectes; & unum, tria, si proprietatum rationem habeas.* Ut autem quid sint, ex integro percipias: memineris, à me dictum cap. 1. num. 1. tria hæc nomina, Patris, & Filii, & Spiritus esse relativa. *Relativa autem esse, quorum esse est ad aliud*; Et ubi datur unum relativum, aliud quoque dari oportere, qui dicitur terminus. Imò in omnibus relativis dantur duo termini, alius à quo, & alius ad quem. Terminus à quo, est res, à qua incipit relatio. Terminus, ad quem, est ille, in quem ipsa tendit. Ut Pater, Creator, Rex, & Dominus sunt termini, à quibus paternitatis, creationis, imperii, & dominii; Filius, creatura, cliens, & servus, termini ad quos. Sicut arcus est terminus à quo, sagittæ; scopus terminus ad quem.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 4. & Orat. 37.

Quid sit relatio; & cuilibet relationi duo termini assignandi.

Digitized by Google

Si autem sagitta ab scopo in sagittarium retorqueatur, tunc scopus erit terminus à quo, & sagittarius terminus ad quem. Respectus autem ille, qui instar sagittæ inter utrumque terminum sivè procurrit, sivè recurrit, dicitur relatio, quia alterum relatum ad alterum transvehit. Sic à Rege ad clientem, & à Domino ad servum transvolant relationes, quæ dicuntur Regia potestas, & dominatio; & à clientibus ad Reges, à servis ad Dominos aliæ revolant, quæ dicuntur clientelæ, & servitutes. Similes omninò sunt respectus inter Patrem, & Filium (quem D. Gregorius Nazianzenus *Patris terminum vocat*) Filium, & Patrem; Spiratorem, & Spiritum sanctum; Spiritum sanctum, & spiratorem; quæ sunt illæ, quas dixi superiùs, Relationes, quibus Personæ divinæ constituuntur, & distinguuntur. Talis verò hasce Relationes, aut earum terminos complexio adhamat, ut alter sine altero esse, & intelligi non possit (& ideò à Christo dictum putet D. Cyrillus: *Ego in Patre, & Pater in me est*) talis oppositio disjungit, ut ambo in unum conflari non possint. Neque enim quisquam simul esse potest Rex, & cliens; Dominus, & servus; neque regia dignitas in clientelam, aut servitus in dominationem transfundi.

D. Greg. Naz. Orat. 38.

D. Cyrill. lib. 3. Thes. cap. 1.

Cur relationibus, non aliis proprietatibus divinæ Personæ distinguuntur.

8. *Abass.* Emissitios illos ultrò, citróque volitantium inter oppositos terminos Relationum jactus nemo prudens negabit; sed cur iis, & non aliis notis divinæ Personæ secernendæ? *Rom.* Quia ità sentire & Fides ex Scripturæ, & Conciliorum auctoritate; & ratio compellit. Scriptura enim solis relativis Patris, Filii, & Spiritus sancti nominibus Personarum cognitionem divulgat; & Concilia tres in Deo reales Relationes credendas proponunt. Sit pro omnibus Undecimum Toletanum in Fidei confessione. *In relativis*, inquit, *Personarum nominibus Pater ad Filium, Filius ad Patrem, Spiritus sanctus ad utrumque refertur. Quæ cùm relativæ tres Personæ dicantur, una tamen naturalis substantia creditur.* Inferiùs: *In relatione Personarum numerus cernitur; in divinitatis verò substantia quid enumeratum sit, non comprehenditur. Ergo hoc solum numerum insinuat, quod ad invicem sunt.* Et iterùm: *Relatio ipsa vocabuli personalis Personas separari vetat.* Relationum quoque sæpiùs meminit Concilium Florentinum, & Sextum generale in Epistola Sophronii. Consentiunt plures ex antiquis Patribus; signatim Divus Augustinus multis locis, & D. Cyrillus, cujus verba in hujus veritatis confirmationem non possum non isthic exarare. *Pater Pater est; & Filius Verbum est; nec tamen ideò naturæ diversitas inducitur, quoniam sola Relationis diversitate, quæ diversis nominibus significatur, non alia re ulla distinguuntur.* Ità verò Relatio prævalet in hoc mysterio, ut dicat D. Anselmus, *totum illud dici posse Relationem.*

Concil. Tolet. XI.

Concil. Florent. sess. 18. 19. 25.

Concil. VI. generale act. 11.

D Augustl. lib. 5. de Trinit. c. 8. & 9. lib. 15. cap. 3.

D Cyril. lib. 2. Thes. cap. 3 & lib. 7. cap. 1.

D. Ansel. de Incarn. Verbi c. 1. Si divinæ

9. *Abass.* Rectè quidem, quod attinet ad Conciliorum, & Patrum auctoritatem: tu tamen etiam ad rationes provocasti. *Rom.* Non adhuc renuntio provocationi. Tota verò ratio huc appellit. In Deo nihil aliud visitur præter essentiam, & Relationes; sed Personæ non distinguuntur essentiâ; ergo distinguuntur Relationibus. Omnes enim res creatæ vel corporeæ sunt, vel incorporeæ; si corporeæ, suâ invicem materiâ, & formâ distinguuntur, cùm quælibet peculiarem sub determinata materiæ portione formam induat; si incorporeæ, ut Angeli; præter formam, solam personalitatem obtinent, & utrâque à rebus omnibus separantur; quia Michaëlis, & Raphaëlis diversa est forma, & personalitas. Divinæ autem Personæ materiâ non distinguuntur, cùm corporibus non coërceantur; neque formâ, cùm una sit omnium forma, quæ est essentia; ut ostensum est suprà capite 1. numero 8. & lib. 2. cap. 2. num. 9. Aut ergo dicendum est, non distingui, quod Fides non admittit; aut distingui Relationibus. Undè quodam loco dixit Divus Augustinus: *Solam substantiam, & Relationem propriè in Deo inveniri.* Et alio: *Quidquid de Deo non secundùm substantiam dicitur, dici relativè.* Et Boëtius Severinus: *Substantia præbet unitatem, Relatio multiplicat Trinitatem.* Et Concilium Florentinum: *In Deo omnia sunt unum, nisi ubi obviat oppositio relativa.*

Personæ non distinguuntur relationibus, nulla est inter illas distinctio. D Thom. 4. contra Gentes cap. 24.

D. Augustl. lib. 5. de Trinit. c. 8. & 9. & lib. 15. cap. 13.

Boët. lib. de Trinit. c. 12.

Concil. Florent. Sess. 18.

10. *Abass.* Si Relationes Trinitatem multiplicant, quod genus est illarum? *Rom.* Juxta triplex fundamentum, triplex etiam relationum genus Philosophus enumerat. Quædam enim fundantur in unitate; quædam in mensura; quædam in actione, & passione. Primi generis relationes fundantur in unitate substantiæ, vel quantitatis, vel qualitatis. In unitate substantiæ fundatur relatio identitatis in natura; ut cùm dicimus, Petrum, & Paulum esse unum, & idem in homine. Sed hæc relatio ad rem præsentem inutilis est; quærimus enim notam, quâ Personas distinguamus, non vinculum, quo uniamus; nec realis esse potest, cùm natura, quæ illius fundamentum est, sit eadem in omnibus Personis; realem autem relationem diversum fundamentum in utroque extremo, sivè termino exigere Philosophi demonstrant. In unitate quantitatis fundantur relationes æqualitatis, & inæqualitatis. Nam ex corporis magnitudine, vel contractione oritur, ut duo homines dicantur æquales, vel inæquales. Hanc verò æqualitatem, vel inæqualitatem à se Deus unà cum corpore abscindit. Metaphorica tamen Personarum in unitate naturæ æqualitas ob eamdem causam, ob quam identitas in substantia, non est relatio realis; sicut neque similitudo in eadem natura, quæ in rebus creatis ex accidentium unitate resultat, quam Deus, ut quodlibet accidens, ignorat. Relationes etiam, quæ fundantur in mensura, in Deum non cadunt; non solùm illæ, quæ familiares sunt mensuræ quantitatis, quam superiùs exclusimus; sed etiam scientiæ, in qua res cognita mensura est cognitionis. In aliis enim rebus

Triplex est apud Philosophos relationum fundamentum: Unitas, mensura, actio & passio. Aristotel. 5. Met. cap. 15. D. Thom. 4. cont. Gent. c. 24.

Unitatis relationes distinctionem non inducunt.

Mensuræ relationes in Deo locum non habent.

Digitized by Google

rebus scientia, & scibile sunt diversa, & ideò alterum potest alterum dimetiri; in Deo autem scibile (quod est ipsius substantia) non distinguitur ab ipsius scientia, & cognitione. Et si inter Patrem, & Filium, qui per actum scientiæ, & intellectûs procedit, ea mensura dari posset, processioni Spiritus sancti, qui per actum voluntatis emanat, non potest accommodari.

Quid sit actio, quid passio.

11. *Abass.* Quæ sunt relationes, quæ fundamentum habent actionem, & passionem? *Rom.* Actio, ut latiùs dicetur cap. sequenti, num. 2. est illa operatio, per quam agens esse effectui impertit. Passio est illamet actio, prout effectus, sivè patiens esse recipit ab agente. Ut illuminatio à sole, calefactio ab igne prodiens, sunt solis, & ignis actiones; eædem verò in aëre, & ligno susceptæ, sunt passiones. Cùm ergo agens aliquem effectum producit, & effectus ab ipso producitur, dantur duæ relationes; altera, quæ simul cum actione ab agente in effectum, seu patiens tendit; altera, quæ in effectu, seu patiente residens repullulat in agens. Ut autem aliæ actiones, & passiones sunt aliis ignobiliores, aliæ excellentiores, sic & relationes ipsis sustentatæ. Cùm autem præcipuum agentis molimen sit, passum sibi assimilare, perfecta actio, & passio illæ sunt, in quibus passùm agenti in omnibus simile evadit; imperfectæ, in quibus hæc adæquatio non obtinetur. Ità imperfecta est solis operatio, cùm sua calefactione herbam, vel ranam producit; esset autem perfecta, si solem alium effingeret. Sunt autem perfectæ animantium generationes, in quibus edita soboles totam agentis naturam, & perfectionem adæquat. Illas tamen, ut omnes creaturarum actiones summa fædat imperfectio, quòd in iis detur fluxus, & mutatio à privatione ad formam. Nam Abel non erat, antequàm ab Adamo gigneretur; cùm autem genitus est, à non genito in genitum processit. Ergo in simili actione, & passione, sublatâ cujuslibet mutationis vertigine, fundantur divinæ Relationes. Nam paternitas fundatur in activa, & simul immutabili Patris generatione; filiatio in passiva ejusdem paternæ generationis susceptione; spiratio item in activa, & passiva amoris impressione. Et tres illæ Personæ eâdem divinæ naturæ æqualitate, licèt diverso modo participatæ, gloriantur. Tales verò inter Patrem, & Filium Relationes, etiam in hominibus, quibus insunt plures distinctionis notæ, cæteris posthabitis, satis essent ad ipsos secernendos. Nam ex eo tantùm, quòd pater filium generet, & filius à patre generetur, nec pater in filium, nec filius in patrem posset emigrare. Nec filius, si naturæ dona spectes, ulla re patre deterior; imò non infrequenter aliis dotibus insignior evadit. Nec Relationes istæ aliam in Patre naturam, aliam in Filio statuunt, sed Personas tantummodò distinguunt: Nam teste D. Cyrillo: *Relationes consubstantialium diversa, & diversa ipsarum relationum nomina non possunt naturalem perfectionem delere.* Hanc ergo ex Relationibus distinctionem celebri ejusdem Patris Cyrilli testimonio consignemus, in quo paucis totam hujus veritatis causam complectitur: *Cùm non composita, sed simplex natura divinitatis sit, numquàm in plures Personas distingueretur, nisi quædam in ea inveniretur differentia, non secundùm essentiam, sed secundùm Relationem, per quam cujusque Persona in propria hypostasi constituitur.*

Relationes divinæ fundantur in actione, & passione, sivè Originibus.

D. Cyrill. lib. 7. Thes. cap. 1.

Ibidem, lib. 2. cap. 3.

Quatuor sunt Relationes: paternitatis, filiationis, spirationis activæ, & passivæ.

12. *Abass.* Si tua dicta non somniculosus, ut arbitror, excepi, non tres tantùm, sed quatuor in Deum invehis Relationes; primam paternitatis, secundam filiationis, tertiam spirationis activæ, quartam passivæ. Quo dato Trinitatem in eo non colet Ecclesia, sed quaternitatem. *Rom.* Quatuor ex divina ubertate Relationes reales (quas enumerasti) germinare, non ambigendum. Nam relationes non sunt solitariæ, sed ubi una pullulat, necessùm est, in alio extremo aliam ex adverso subsultare; ut semper paternitati filiatio, filiationi paternitas occurrit: Si ergo in Spiritu sancto fulget passiva spiratio, assignandum est aliud extremum, in quo activa residat, quod esse non potest Pater, ut Pater; neque Filius, ut Filius; quia spiratio passiva neque cum paternitate, neque cum filiatione habet oppositionem; sed cum Spiratore, qui est idem cum Patre, ac Filio. Aliter Spiritus sanctus à Patre, & Filio non distingueretur, cùm omnia in Trinitate unum sint, ubi non objacet relatio. Idémque sentiendum foret, si Spiritus sanctus à solo Patre procederet. Hic enim dicendus tunc esset Spirator, & in Spiritum sanctum non paternitate, sed quartâ spiraminis relatione referendus; de quo capite 12. numero 6. Dantur igitur in Deo quatuor Relationes, quæ concretis nominibus dicuntur: Pater, Filius, Spirator, & Spiritus sanctus. Neque ideò quatuor personæ astruendæ, sed tres tantùm consuetæ, quæ Relationibus personalibus, & incommunicabilibus (quæ sunt verè proprietates) constituuntur. Spiratoris autem Relatio non est incommunicabilis, sed Patri, & Filio communis. Quam etiam ob causam divina essentia, cùm una sit, personæ censum non ingreditur; neque relatio Creatoris; quia hæc, & illa in tribus Personis reperiuntur; ut jam dictum est numero 3.

Relationes divinæ reales sunt.

13. *Abass.* Cur Relationes istas reales dicis? sunt forsitan aliæ non reales? *Rom.* Relationum aliæ vocantur reales, aliæ rationis. Reales illæ sunt, quæ verè rebus adhærent, citra ullam nostri intellectûs effictionem; Rationis illæ, quæ ex sola mentis duas res invicem comparantis fabricatione consurgunt. Tres autem Relationes: paternitatis, filiationis, & spirationis, seclusâ quavis hominum cogitatione, in Deo subsistunt. Pater enim, sivè de eo cogites, sivè penitùs è memoria deponas, Pater est; & Filius in Patrem refertur. Nam *in principio* (cùm nondùm quisquam creatus esset intellectus) *erat Verbum, & Verbum erat apud Deum.* Et ut tunc erat apud Deum, sic semper erit. Ipse enim est, *qui erat, & qui est, &*

Ioan. 1. 1.

Apoc. 1. 4. & 4. 8.

Digitized by Google

& qui venturus est. Si enim homines, cùm semel tantùm genuerint, vel geniti sint, verè sunt patres, & verè filii, eò quòd in filio transfusa in ipsum patris natura persistat; cur cœlestis Pater non semper erit Pater, & Filius semper Filius; cùm in utroque non solùm perpetuò vernans divina substantia, sed ipse generationis actus vivâ semper ebulliens scaturigine perseveret? Sunt ergo in divinis Personis non nuda Relationum vocabula, sed & res ipsis significatæ. *Nihil,* inquit D. Cyrillus, *proprium uni est, quod alteri non insit, exceptâ solummodò Patris, & Filii appellatione, ac re. Pater enim semper Pater est, & Filius semper Filius. Nec Filius unquàm Pater, nec Pater unquàm Filius erit. Quare vehementer errat, qui præter Patris, & Filii nomina, & res, aliud quidpiam de iis non aqualiter dici opinatur.* Et D. Basilius: *Agnoscimus Patrem verè unum in Persona; & Filium, & Spiritum sanctum verè in suis Personis.*

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 1.

D. Basil. p. 4.

14. *Abass.* Fateor, veras istas, & reales Relationes in Deo conspici; sed ad Personas distinguendas videntur supervacaneæ; cùm, absque aliis apicibus, distingui possint illis actionibus, & passionibus, quas illis ut fundamenta subjecisti. *Rom.* Ut in Personis dantur quatuor Relationes, sic quatuor Origines, vel actus notionales, qui ipsis tamquàm bases substernuntur. Dicuntur autem Origines; quia ipsis intermediis Personæ producentes Originem productis conferunt; & productæ hauriunt à producentibus. Eæ verò sunt generatio activa, quæ in Patre; & passiva, seu nativitas, quæ considet in Filio; spiratio activa, quæ in Patre, & Filio, ut in spirantibus; & passiva, seu processio, quæ in Spiritu sancto consideratur. Quæ quidem adeò sunt propriæ Personarum, quas afficiunt, ut neque generationi activæ à Patre in Filium, & Spiritum sanctum; neque generationi passivæ, seu nativitati à Filio in Patrem, & Spiritum sanctum; neque spirationi activæ à Patre, & Filio in Spiritum sanctum; neque spirationi passivæ, sivè processioni ab Spiritu sancto in Filium, & Patrem transvectio concedatur. Sed non ideò sunt proprietates distinctivæ personarum; quia proprietas est res permanens, & se intimè adglutinans rei, cujus est proprietas; Origines autem, si sunt activæ, semper considerantur tamquàm viæ, & transfugia à Personis producentibus ad productas; si passivæ, tamquàm hospitæ, necdum fixo domicilio apud productas; siquidem ipsarum beneficio producuntur, & constituuntur. Ut autem demonstratum est lib. 2. cap. 8. num. 7. res per ultimam formam (quales sunt Relationes) non per primas perfectè constituitur, & distinguitur. Quamquàm enim homo, qui definitur animal rationale, per animalitatem distinguatur à lapide, & arbore, ab iis perfectè distinctus non intelligitur ante adventum rationalitatis, quæ illum non solùm à plantis, & lapidibus, sed à cunctis animantibus ultimò seponit. Ergo Origines ceu formæ viatoriæ, ac volaticæ Personas perfectè nec constituunt, nec distinguunt; sed Relationes, quæ sunt statariæ, atque ipsis immutabili perennitate assidentes.

Actio, & passio dicuntur etiã actus notionales, sivè Origines in Trinitate; quæ sunt quatuor.

D. Thom. 1. p. q. 40. a. 2.

15. *Abass.* Cur quatuor illæ Origines dicuntur actus notionales? *Rom.* Ex Divo Basilio: *Notio est signum cognoscibile, idest, proprium, & discretivum alicujus personæ. Quia ergo necessarium est, divinas Personas, ut distinctas cognosci, ideò etiam necesse est, ut per quasdam proprias notiones inconfusas habeatur in Trinitate comparatio.* Cùm igitur præfatæ quatuor Relationes ad inducendam mysterii sanctissimæ Trinitatis cognitionem, quasi manu ducant, Notiones etiam vocantur; Origines verò actus notionales, quia Relationes Originum interventu multiplicantur, & ipsis tamquàm fundamentis innituntur. Præterea Relationes, & Origines re idem sunt, & solùm differunt per conceptus inadæquatos; quatenùs Origines, ut viæ; Relationes, ut termini concipiuntur. Nam generatio activa est idem cum paternitate; passiva idem cum filiatione; spiratio activa idem cum paternitate, & filiatione; passiva idem cum Spiritus sancti personalitate; Et ut Personæ, seu Relationes inter se distinguuntur, sic activæ, & passivæ Origines, quæ tali conjugatione cum Personis copulantur. Ità generatio activa te differt à passiva, & spiratio à processione. Sed præter quatuor illas reales, & positivas Notiones, datur quinta negativa, quæ propria est Patris, & dicitur innascibilitas, ob quam ipse ingenitus vocatur; quæ in ipso nihil novum ponit, sed quid non sit, ex ipsius substantiæ eminentia, ostendit. D. Cyrillus: *Ingeniti vox,* inquit, *non significat, quid Deus secundùm naturam sit; sed quid non sit; factum enim non esse significat. Omnis autem substantia ex eo, quod est, non ex eo, quod non est, definitur. Nullus enim sanus dicet, hominem definiri, si dicatur implumis, vel non quadrupes; sed cùm dicitur animal rationale.* De quo iterùm cap. 6. n. 2.

Notio quid sit in Trinitate. D. Basil. Epist. 43.

Notiones sunt quinque, scilicet, quatuor Relationes, & innascibilitas in Patre.

D. Cyril. lib. 11. Th. cap. 1.

16. *Abass.* Ut modò Originum, & Relationum distinctionem enucleasti, ità expedias, obsecro, quâ ratione divinæ Personæ, & Relationes ab essentia; Relationes à Personis, quibus insunt, & ab aliarum Personarum Relationibus distinguantur. *Rom.* Ut ordiar ab hoc posteriori; Cum capite 1. ostensum sit, esse in Deo tres Personas realiter distinctas, consequens est, ut affirmetur, Relationes, quibus distinguuntur, invicem realiter opponi: Personæ autem ab essentia, cum qua unum sunt, nec realiter, nec actualiter separantur. Sed cùm capite 2. & 3. statutum sit, agnòscendam esse distinctionem inter naturam, & Personam; & Personæ non includantur in conceptu naturæ (quia si includerentur, altera esset de essentia alterius, sicut ipsa natura est de omnium essentia) statuendum etiam est, dari distinctionem inter essentiam, & Personas; quæ non est alia, quàm distinctio virtualis, & rationis; quatenùs essentiam sine Personis, & Personas aliquibus proprietatibus,

Relationes divinarum personarum inter se realiter, ut ipsæ, distinguuntur. Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 4. n. 3. & lib. 5. cap. 2. n. 3. Personæ, & essentia sunt idem re, sed virtualiter, seu ratione distinguuntur. Et similiter Relationes.

Digitized by Google

Soar. lib. 4. de Trinit. cap. 4. a. n. 5.

prietatibus, quas essentia non capit, ornatas contemplamur. Cùm verò relationes istius distinctionis sint effectrices, eamdem ipsæ ab essentia, nec non in abstracto conceptæ à Personis, quibus insunt, distinctionem sortiuntur; quia aliqua de Personis, quæ non licet de Relationibus, possumus affirmare. Hæc enim locutio admittitur, Pater generat; non illa: paternitas generat; & similes; quæ veræ non essent, nisi Relationes, ac Personas aliqua distinctio variaret.

Relationes etiam in abstracto à Personis ratione distinguuntur.

Soar. lib. 5. de Trin. c. 3. n. 3. & 4.

CAPUT V.

In Deo duas esse productiones, sivè processiones, ostenditur.

Cur in Deo sint tres Personæ; non plures, nec pauciores.

1. *Bass.* Personæ dignitatem, & appellationem: Notionum, Originum, proprietatum, & Relationum numerum in Deo admittendum nemo hinc ambigat; sed cur Personæ ternarium expleant, nec tamen superent, explorandum. *Rom.* Rei difficillimæ rationem quisque trium gravissimorum Patrum compendio proponit. D. Gregorius Nazianzenus: *Quod*, inquit, *principii expers est; & principium; & id, quod est cum principio, unus Deus est.* Divus Gregorius Nyssenus: *Causa; ex causa; & ex eo, quod ex causa est.* Sed meliùs Divus Augustinus: *Unus à se ipso; Unus ab uno; Unus à duobus.* Quas sententias sic explico: Unam Personam in Deo à se ipsa, ideſt, improductam dari oportet, quam Nazianzenus vocat *principii expertem*; Nyssenus *causam*, quia ità causa est, ut causam præcedentem ignoret, quod attingit Augustinus. Deindè opus est, ut in eo duæ productiones, sivè processiones emicent, quibus internuntiis duæ Personæ realiter à producente distinctæ promanent, quin plures esse possint, vel pauciores; quarum altera producta sit ab una tantùm, ideſt, à prima, quam Divus Nyssenus dicit: *Ex causa*; D. Nazianzenus *principium*; quia ità est à principio sine principio, ideſt, à Patre, ut sit etiam principium Spiritus sancti. *Principium*, inquit, *qui & loquor vobis*; altera producta sit à duabus; quod innuit Nazianzenus, cùm eam *cum principio* colligat; ideſt, cum Patre, & Filio, qui ambo principii nomine insigniuntur. Et clariùs D. Nyssenus, cùm ait, esse *ex eo, quod est ex causa*; ideſt; ex Filio, ac Patre. Si enim fluvius aquam excipit à rivo, qui est ex fonte, rectè ex rivo, atque ex fonte esse affirmatur. En cur Personæ ternarium attingant, nec excedant.

D. Greg. Naz. Orat. 32.

D. Greg. Nyss. Orat. Tres Deos dici non oportere.

D. August. Medit. c. 31.

Joan. 8. 25.

Productio quid sit.

2. *Abass.* Egregiam collectionem! Verùm sæpiùs productionum, & processionum nomina promulgas; quidnam est, quod ipsis significatur? *Rom.* Omni personæ aliquarum operationum editionem adesse oportere, tertio capite à num. 6. commonefeci. Quævis autem operatio (ut à creatis ordiamur) duobus terminis includitur; quorum alter dicitur terminus à quo, sivè agens, quia operatio ab ipso inchoatur; alter terminus ad quem, & non rarò effectus, sivè patiens, quia ut agentis scopus, atque incus subest illius efficacitati. Cùm ergo quodvis opus ab agente sit auspicandum, & agentia creata egenæ sint substantiæ, nec per semetipsa operari queant, ut libro 2. capite 7. num. 7. delibatum; opus est, mediam aliquam operationem, ceu fecialem ad agens cum patiente conciliandum intercedere. Quæ operatio, dum solùm ut emissa ab agente, & tamquàm in via consideratur, generalibus nominibus dicitur, actio, operatio, productio, & origo activa, quia illius interventu agens operatur, producit, & originem effectui impertit; sed cùm in patiente, & re effecta attenditur, vocatur passio, processio, & origo passiva. Illius enim ope effectus ab agente procedit, & ipsius patitur effectionem. Ità in sole calefactio est ipsius operatio, graminum, & florum activa origo, seu productio; in herbis processio, & passiva germinatio. Per illam enim sol virtutem suam in plantas transmittit; per istam plantæ solis impressionem patiuntur.

3. *Abass.* Num hæc in Deo considerandа sint, ostende. *Rom.* Idem in Deo tam erga semetipsum, quàm erga creaturas reperitur. Creatio enim actio est ad extra (ideſt, per quam Deus aliquid, quod subsistit extra ipsius substantiam, molitur) quæ dum à solo Deo emicans perpenditur, actio ipsius dicitur, & activa creaturarum origo, & productio; sed cùm jam in creaturis, ipsarum est processio, & passiva constitutio. Actiones etiam intra se erga Personas productas Deus exercet, quæ iisdem productionum, processionum, originis activæ, & passivæ vocabulis exornantur. Actionis enim, & passionis nomina Patres admonent, multo sale, ex legis præscripto, priùs condienda, quàm ad res divinas assumantur. Quia creaturarum actionem fluxus: passionem imbecillitas: utramque solet mutatio associare. Undè D. Gregorius Nazianzenus censuit, in Deo à naturæ (quæ matrix est actionum, & passionum) nomine temperandum; essentiæ verò, quod est stabilitatis index, frequentandum.

Actiones in Deo dantur remotis imperfectionibus.

Levit. 2. 13.

D. Greg. Naz. Orat. 45.

4. *Abass.* Si in Deo actionis, & passionis, cur non etiam productionis, & processionis nominibus parcendum? *Rom.* Producendi facultas, quam in perpetuæ benedictionis monumentum suis creaturis Deus est elargitus, ipsius etiam æquè in externis, atque internis operibus, remota cujuslibet mutationis, fluxus, vel imbecillitatis suspicione, excellentiam commendat. De terra enim ait: *Germinet terra herbam virentem, & lignum pomiferum faciens fructum.* De cœli luminaribus: *Luceant in firmamento cœli, & illuminent terram.* De aquis: *Producant aquæ reptile animæ viventis.* De piscibus: *Crescite, & multiplicamini, & replete aquas maris.* Idem paulò post de hominibus subjecit. Josephum pater locupletavit *benedictionibus uberum, & vulvæ.*

Producendi facultas Deum non dedecet.

Gen. 1. 11.

Gen. 1. 15.

Gen. 1. 20. 22.

Gen. 49. 25.

Digitized by Google

Exod. 23. 26 *vulva*. Totum suum populum Deus in Exodo: *Non erit infacunda, neque sterilis in terra tua*. Et apud Isaiam: *Beatus, qui habet semen in Sion, & domesticos in Jerusalem*. Quis ergo credat, producendi virtute Deum carere, quam tam abunde in universas creaturas diffudit? *Aliter*, inquit D. Cyrillus, *minoris erit dignitatis, quam creatura sua. Creatura enim consubstantialem sibi fructum ex se ipsis producunt; Deus autem secundum istos non natura Deum ex se generabit*; Et vera semper persistet radix illa querimoniæ apud Isaiam: *Numquid ego, qui alios parere facio, ipse non pariam, dicit Dominus? Si ego, qui generationem cæteris tribuo, sterilis ero? ait Dominus Deus tuus*. Numquid avibus, numquid animantibus, numquid piscibus, aquâ, & terrâ deterior Deus erit; ut cùm illa tumeant, calescant, suósque, fœtus producant, ipse sterilitatis, & frigiditatis opprobrio exarescat? Haud equidem exarescit, sed duabus illis gemmis vernat, quas Divus Deonaceos vocat *flores, & germina divinitatis*, ideſt, Filio, & Spiritu sancto. Filium signatim dicit proprium Patris germen D. Athanateus; fructum D. Cyrillus; & utrámque nomenclaturam comprehendit illud Isaiæ: *Erit germen Domini in magnificentia, & fructus terræ sublimis*; Et illud Zachariæ in Hebræo: *Ecce vir, germen nomen ejus*.

Isai. 5. 1. 9. ex lect. LXX.

D. Cyrill. lib. 12. Thes. cap. 15.

Isai. 66. 9.

D. Dionys. D. Athan. Orat. 2. & 4. contr. Arian. D. Cyrill. lib. 12. Th. c. 14. & 15. Isai. 4. 2. Zach. 6. 12.

5. *Abass.* Productiones quidem Deo non denegandæ; sunt tamen congeneres creaturarum productionibus, an diversæ? *Rom.* Duplex genus actionum, sivè productionum reperitur in creaturis. Aliæ dicuntur transeuntes, aliæ immanentes. Transeuntes sunt, quæ à potentia, à qua eliciuntur, vel in aliam potentiam, vel in aliud subjectum demigrant. Ab alio subjecto in aliud; Ut illuminatio, & calefactio, quæ à sole, vel igne in aërem, vel lignum transmoventur; ab una potentia in aliam, ut visivæ species ab oculis in phantasiam; imaginosæ à phantasia in intellectum traducuntur. Immanentes sunt illæ, quæ in eadem potentia, à qua eliciuntur, considerent, & perennant: Quod genus productionum proprium est potentiarum rationalium, quæ solæ sunt intellectus, & voluntas. Utrámque producendi rationem Deus sortitur; transeuntem quidem, in rerum conditarum creatione, & conservatione, quia ambæ hæ actiones non in ipso Deo, sed in creaturis sedem figunt: immanentem, in duarum Personarum productionibus, quæ non à nuda Dei substantia, sed ab illa, quatenus est intellectus, voluntásque, emanant. Si enim à mera Dei natura pullularent, nec ordo, nec distinctio inter illas commearent; quæ ideò intercedunt, quòd Filius ex cognitionis, quæ prior est; Spiritus sanctus ex subsequenti amoris plenitudine prorumpit.

Productiones Dei ad intra sunt immanentes.

Lib. 2. c. 17. n. 6.

Duas tantùm productiones habere Deus potest; aliâ in intellectu, aliam in voluntate.

6. *Abass.* Per quos actus intellectus, & voluntatis duæ istæ productiones erumpunt? *Rom.* Unus tantùm intelligendi actus, alter volendi in Deo: ambo essentiales in omnibus Personis æqualiter affluunt. Sed actus ille intelligendi eo solo, quòd Pater illum à se vendicet, redditur in ipso notionalis, eóque Filium producit, illius ipsum ex divinæ naturæ ubertate participem reddens. Ideóque, non ut Pater actum illum in Filium conjecit, sic & Filius eumdem potest, vel alium à se expressum in aliam Personam transmittere; quia ut illum Pater à se habuit, sic omnes cognitionis metas illo attigit, omnémque perfectionem ità exhausit, ut Filio nihil restet adjiciendum, vel communicandum. Similiter de amore essentiali, & omnibus Personis communi philosophandum. Cùm enim voluntas in solo Patre considerata nullum actum emiserit (quia Filii generatio non est à voluntate, sed à sola natura, ut intellectualis est, ut capite 8. num. 9. videndum) in Filio constituta adæquato suæ infinitati amore restagnat; qui in Patre, & Filio ideò est notionalis, quia illum Pater sibi ex vi naturæ rationalis debitum; & Filius cum eadem natura sibi à Patre per intellectum indita illius communicandi compos factus, possunt in tertiam Personam voluntatis operatione transfundere, quin illa possit ulterioris amoris fœtu gravidari, cùm illius fastigium Pater, & Filius coæquaverint. Undè perspicies, principium quod (de quo actum libro 2. cap. 8. num. 19.) primæ productionis, sivè generationis esse Patrem; activæ spirationis Patrem, & Filium; quia in has Personas ultimò operatio resolvitur; principium autem quo, esse naturam: in generatione, prout est intellectus; in spiratione, prout est voluntas, consideratam: Intellectu enim Pater Filium: voluntate Pater, & Filius Spiritum sanctum producunt. Neque præter duas istas productiones aliæ Deo affingi possunt, cùm ultra intellectum, & voluntatem nullæ aliæ potentiæ intra Deum resideant, quæ privatas habeant ebullitiones. Nec divinus intellectus, & voluntas alias, præter istas, emittere possunt, aut ab istis ullâ ratione inhiberi.

Principium quod generationis est Pater; Principium quo, natura, ut est intellectus. In spiratione Pater, & Filius Principiū quod; Principium quo, natura, ut voluntas est.

7. *Abass.* Cur divinus intellectus, & voluntas ab his duabus productionibus nullâ possunt impeditione contineri? *Romanus.* Lib. 2. capite 18. num. 3. demonstravi, Dei naturam essentialiter esse rationalem, & intellectione constitui; Et cap. 17. numero 13. nunquam posse ab intelligendo feriari; & num. 7. intellectionem esse ipsammet productionem. Ergo nullâ arte obtineri potest, ut divinus intellectûs suâ productione detruncetur. Idem de voluntatis productione affirmandum; quia voluntas in divinam substantiam clarè sibi ut summum bonum objectam non potest non summa dilectione inflammari, ut eodem cap 18. num. 7. commendatum. Nec Pater concitatum amoris sui in Filium, aut Filius sui in Patrem cursum frænare possunt; cùm Patrem, ac Filium arctior similitudo conciliet, quàm quævis alia animantia, sivè etiam homines, de quibus Ecclesiasticus: *Omne animal diligit simile sibi; sic & omnis homo proximum sibi. Omnis caro ad similem sibi conjungetur, & omnis homo simili sui sociabitur*. Cùm ergo Deus dilectionis cessatione torpescere nunquàm possit,

Duæ illæ productiones in Deo non liberæ sunt, sed necessariæ.

Cap. 8. n. 9. 10.

Eccl. 13. 19.

In divino intellectu unus tantùm est actus; alter in voluntate.

Digitized by Google

poſſit, & ipſa dilectio ſit voluntatis productio, fieri non poteſt, ut ipſius productio præpediatur.

Summæ perfectionis ſignum eſt, unam tantùm productionem in intellectu, alteram in voluntate Deum habere.

8. *Abaſſ.* Si productiones Deo perfectionem apponunt, & hominum intellectus, & voluntas pluribus actuum emiſſionibus gemmaſcunt, cur ampliſſima Dei latifundia ad unius ſpicæ in intellectu, alterius in voluntate productionem coarctas? *Rom.* Licèt in Angelis, & hominibus perfectionis ſit indicium intellectûs, & voluntatis productionibus pubeſcere, plures tamen habere, ut in veſte centones, documentum eſt infirmitatis, & egeſtatis, ex ipſarum potentiarum limitatione enaſcentis, haudquaquàm valentium plurima unius actus complexione ſubligare. Nam inter eos perfectiores cenſentur, qui multa uno ſpiritu, quàm qui particulatim inſtar claudicantium percurrunt. Sicut magiſtri, & tyronis ſapientiam indè dijudicamus, quòd ille unico oculorum jactu integram libri paginam pervolvat, quàm iſte vix multis diebus hærendo in ſingulis elementis, & balbutiendo perrepit. Et robuſtior probatur, qui ſemel ingentem lignorum faſcem è ſylva domum importat, quàm qui illa ſingulatim repetitis itionibus convectat. Sed ut homines Angeli ſolertiori intellectûs acumine præverrant, nequeunt omnia, quorum ſpeciebus abundant, ſimplici intuitu perluſtrare, ſed his perlectis ad alia procurrunt. Solus Deus ſe ipſum, & omnia unico mentis obrutu, & voluntatis dilectione comprehendit. Simplex tamen illa utriuſque potentiæ germinatio longiùs multiplices creaturarum productiones ſuperat, quàm exiguus unio coacervatos, non ſolùm æris, & orichalchi, ſed etiam argenti, & auri montes pretio antecedit.

Productionis intellectualis activæ varia nomina.

9. *Abaſſ.* Ubi Sacræ litteræ, quæ eſt per intellectum, productionis meminerunt? *Rom.* Multis in locis, & ſub diverſis verborum figuris. Nam ex parte Patris aliquandò gignendi, aliquandò dicendi, & loquendi, aliquandò dandi, aliquandò mittendi verbis declaratur. De gignendi verbo in Pſalmis: *Ego hodie genui te.* Et iterùm: *Ex utero ante luciferum genui te.* De verbis dicendi, & loquendi, ibidem: *Dixit Dominus Domino meo. Eructavit cor meum verbum bonum. Semel locutus eſt Deus.* Et apud Job: *Semel loquitur Deus, & ſecundò id ipſum non repetit.* De verbo dandi apud Matthæum: *Omnia mihi tradita ſunt à Patre meo.* Apud Joannem: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus.* Omnia, ideſt, divinitatem, cujus ratione alibi dicit: *Omnia, quæcumque habet Pater mea ſunt.* Et alibi: *Mea omnia tua ſunt, & tua mea.* Alibi: *Dedit Filio habere vitam in ſemetipſo.* Et tandem: *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus eſt.* Quod de data Filio per æternam generationem à Patre divinâ naturâ cunctis donis excellentiore D. Hilarius, Aroſius, Auguſtinus, & Quartum Conciliũ Lateranenſe interpretantur. De mittendi verbo apud Joannem: *Sicut miſit me vivens Pater.* Et iterùm: *Ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* Quæ loca, & ſimilia de eadem productione exponit. D. Cyrillus. *Miſſum*, inquit, *ſe Filius à Patre dicit, non mutatione locorũ (non enim in loco Deus eſt) ſed ſicut calorem ex igne, aut illuminationem ex lumine.* Quam productionẽ reſpexit D. Paulus, cùm Filium vocat *gloriæ ſplendorem*; Et Nicæni Concilii Patres, cùm Symbolo verba illa adjecère: *Deum de Deo, lumen de lumine.* Priùs etiam Apoſtolum dixiſſe: *Miſit Deus Filium ſuum*: tum: *factum ex muliere* addidiſſe, notat D. Athanaſius; *quia primùm ejus miſſio à Patre eſt, & tunc demùm ſuccedit ejus nativitas ex fœmina.*

Pſal. 2. 7. *Pſ.* 109. 1. 3. *Pſ.* 44. 2. *Pſ.* 61. 12. *Iob.* 33. 14. *Matt.* 11. 27. *Ioan.* 13. ... *Ioan.* 16. 15. *Ioan.* 17. 10. *Ioan.* 5. 26. *Ioan.* 10. 29. Citantur à Toleto annotat. 18. in cap. 10. Joannis. *Ioan.* 6. 57. *Ioan.* 7. 29. cap. 15. lib. 2. in Joan. cap. 71. & lib. ad Reg. *Heb* 1. 3. Symb. Nic. *Galat.* 4. 4. D. Athanaſ. in Evang. de ſanctiſſima Deipara.

10. *Abaſſ.* Eadem intellectualis productio ex parte Filii conſiderata, quibus verbis declaratur? *Rom.* Eſſendi à Patre procedendi, exeundi, manandi, veniendi, accipiendi. De verbo eſſendi in Evangelio Joannis: *Ab ipſo ſum, & ipſe me miſit.* D. Athanaſius: *Ex Patre eſſe, Filiũ eſt, eſſe.* De verbo procedendi apud Joannem: *Ego ex Deo proceſſi.* De verbo exeundi in Eccleſiaſtico: *Ego ex ore Altiſſimi prodivi.* In Michæa: *Egreſſus ejus ab initio à diebus æternitatis.* In Joanne: *Sciens, quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exivit*; ideſt, inquit Cyrillus: *Quia à ſubſtantia Dei Patris emanaverit.* Et iterùm: *Exivi à Patre & veni in mundũ.* Et Iterùm: *Ipſi cognoverunt, quia à te exivi.* De verbo emanandi in Sapientia: *Vapor eſt enim virtutis Dei, & emanatio quædã eſt claritatis Omnipotentis.* De verbo veniendi iiſdem locis, & ſæpè in aliis: *Ego ex Deo proceſſi, & veni. Exivi à Patre, & veni in mundũ. Ego veni in nomine Patris mei.* Idem Doctor: *Venit in nomine Patris, quia omnia, quæ Pater eſt, ipſe quoque eſt, uno ſolo excepto, quòd Pater non eſt.* De verbo accipiendi D. Petrus: *Accipiens à Deo Patre honorẽ, & gloriam.* D. Joannes in Apocalypſi: *Sicut & ego accepi à Patre meo.* Et iterùm: *Dignus eſt Agnus, qui occiſus eſt, accipere virtutem, & divinitatem.*

Ejuſdem productionis paſſivæ nomina.

Ioan. 7. 29. D. Athanaſ. Orat. contr. Arian. *Ioan.* 8. 42. *Eccl.* 24. 5. *Mich.* 5. 2. *Ioan.* 13. 3. D. Cyril. lib. 9. in Joan. cap. 3. *Ioan.* 16. 28. *Sap.* 7. 25. *Ioan* 8. 42. & 16. 28. *Ioan.* 1. 43. Lib. 12. Th. cap. 15. 2. *Petr.* 1. 17. *Apoc.* 2. 28. *Apoc.* 5. 12.

11. *Abaſſ.* Plenè admodùm probata eſt intellectûs productio; quid de emanatione voluntatis? *Rom.* Eiſdem penè verbis oſtenditur. De verbo dandi apud Ezechielem: *Dabo vobis Spiritum, & vivetis.* Et iterùm: *Cùm dedero Spiritum meum in vobis.* Apud D. Lucam: *Pater veſter de cœlo dabit Spiritũ bonum.* Apud Joannem: *Non enim ad menſuram dat Deus Spiritum.* Iterùm: *Nondùm erat Spiritus datus. Ego rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis.* De verbo mittendi: *Cùm autem venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre. Paraclitus autem Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et: *Si autem abiero, mittam eum ad vos.* De verbo procedendi D. Joannes: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit.* D. Athanaſius in Symbolo: *Spiritus ſanctus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, ſed procedens.* De verbo veniendi: *Cùm autem venerit Paraclitus.* Iterùm: *Cùm venerit ille, arguet mundum de peccato.* Et iterùm: *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem.* Denique de verbo accipiendi in Joanne: *De meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Sed iſtorũ nominum maximè uſitata ſunt, generationis, quo Filii productio: & ſpirationis, quotertiæ Perſonæ emanatio indicatur.

Voluntatis productio eiſdem verbis indicatur.

Ezech. 37. 6. 14. *Luc.* 11. 13. *Ioan.* 3. 34. *Ioan.* 7. 39. *Ioan.* 14. 16. *Ioan.* 14. 26. *Ioan.* 15. 26. *Ioan.* 16. 7. *Ioan.* 15. 26. D. Athanaſ. in Symbol. *Ioan.* 15. 26. *Ioan.* 16. 8. 13. *Ioan.* 16. 15.

12. *Abaſſ.* Agnoſco duas productiones; quid eſt, quod dixiſti, n. 1. duas Perſonas ipſis intermediis producendas; cur Perſonas, & non aliud? Videmus enim in rebus creatis

Harum productionum termini ſunt ſubſtantiæ completæ, ideſt, perſonæ.

Digitized by Google

productiones ad ea, quæ non sunt personæ, terminari; & Angelicum, atque humanum intellectum, & voluntatem non personarum pondere, sed levibus quibusdam rerum imaginibus, & affectibus ingravescere. *Rom.* Motus, ex Philosopho, in tribus tantùm prædicamentis: substantiæ, quantitatis, & qualitatis versatur. Divinæ tamen productiones ad quantitatem indiscretam corporum affectatricem (cùm Deus corporis sit expers) minimè feruntur. Neque ad qualitatem, quia hæc in accidentium classe militat; *cùm*, ut docent trecentum decem, & octo Patres, *in Trinitate nihil sit quod modò factum sit de novo; neque intra ipsam servitus; sed habeat esse omni tempore, quin mutetur, & transeat.* Et Theophilus Alexandrinus: *Non est in Trinitate quidquam extraneum, nec modò factum, nec servile.* Cùm ergo Deus substantia sit, ut opus est ipsius productiones à substantia inchoare, sic & in substantiam non quidem secundam, & incompletam, sed primam, & omni perfectione exaggeratâ (quæ sola est persona) terminari. Nam ex dictis lib. 2. cap. 8. n. 22. actiones à suppositis tantùm oriri possunt, & in suppositorum à se productorum terminis conquiescere.

Aristotel. 7. Phys. cap. 2. text. 10.

Concil. Nic. p. 1. n. 9. Theophil. Alex. n. 8.

Personæ productæ realiter à producente distinguuntur.

13. *Abass.* Non satis duxisti illo n. 1. affirmare, duas Personas his productionibus educendas, sed addidisti, oportere realiter à producente distingui. *Rom.* Ubi probatum est, rem productam esse personam, & verè produci, demonstratum est, realiter à producente distingui. Nam persona ex dictis suprà cap. 3. n. 5. & 6. & lib. 2. cap. 8. n. 12. est substantia separata à quacumque alia; quidquid autem ab alio segregatur, ab eo realiter distinguitur; quod eodem lib. cap. 5. num. 6. demonstratum. Quidquid etiam producitur, distinctum est à producente; quia productio ad esse rei illud non habenti conferendum ordinatur. Ergo res producta non potest esse eadem cum producente; cùm producens ante productionem existat; res producta existentiam productionis ope consequatur; de quo aliquid ibidem cap. 3. n. 3. Et, ut sistamus in Filio, & Spiritu sancto, quæ sunt Personæ duabus illis productionibus erumpentes, Filius distinctus est à Patre, non ut accidens, sed ut substantia; nempè, ut splendor à sole, lumen ab igne, fluvius à fonte; cùm ipse de se dicat. *Quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Et Apostolus dilectus: *Verbum erat apud Deum.* Et iterùm: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem.* Nam accidens non est apud substantiam, sed in substantia; ut frigus in aqua, color in iride. Nec quisquam est apud se, sed apud alium; sicut Paulus apud Petrum, ut ipse testatur: *Veni Jerosolymam videre Petrum; & mansi apud eum diebus quindecim.* Spiritus autem ità distinguitur à Patre, & Filio ipsum producentibus, sicut alius ab aliis. *Rogabo Patrem*, inquit Christus, *& alium Paraclitum dabit vobis. Alium*, idest, à me, & à Patre personali proprietate discretum.

Apud aliquem esse, personæ est, non accidentis.

Joan. 8. 38.

Joan. 1. 1.

1. *Joan.* 1. 2.

Galat. 1. 18.

Joan. 14. 16.

Quomodò Filius sit in Patre, & in Filio Pater.

Joan. 14. 10.

14. *Abass.* Illa Christi verba: *Ego in Patre, & Pater in me est:* videntur evincere, Patris producentis, & Filii producti unicam esse Personam, aut alteram in altera subsistere. *Rom.* Quin eadem verba summam distinctionem inducunt. *Manere in Filio Patrem*, inquit D. Hilarius, *non est singularis, aut unici.* Ut enim nemo propriè est apud se, sed apud alium; sic, ex Aristotele, nemo est in se, sed in alio, cùm est in illo, tamquàm loco, aut vase. Sed cùm vas audis, ne existimes cum iis, quos confutat D. Athanateus. *Patrem, & Filium tamquàm inanes cyathos in se transvasari, & alterum in alterum refundi; id enim proprium est corporum*; Sed vivam ejusdem deitatis scaturiginem è Patris sinu effluentem Filii alveo excipi, & indè Filium in parentem relativè, non imminuta plenitudine reciprocari. Sunt etiam divinæ Personæ sibi invicem locus; Pater quidem Filii, qui aurora est, de quâ Job: *Numquid ostendisti auroræ locum suum?* Et Filius Patris, de quo ipse ad Moysem: *Est locus apud me.* Ut ergo res ex eo, quòd loco contineatur, cùm in eo non sit, tamquàm pars ipsius, suam non amittit substantiam; ità neque divinæ Personæ, quòd altera alteri ubique individuo complexu connectatur. *Sunt enim*, inquiunt D. Hilarius, & Damascenus, *tamquam subsistens in subsistente; nec tamquàm corpus in corpore, sed Spiritus in Spiritu.* Nam & in miseri hominis, cujus meminit Evangelium, corpore integra dæmonum legio, & in peccatrice septem dæmones excubabant, quin se comprimerent, & suam, vel obsessorum substantiam everterent. Si ergo quemlibet justum, jucundum, & capax trium Personarum domicilium dixit Christus: *Ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus; & Deum non esse longè ab uno quoque nostrum.* D. Paulus (quod idem planè est, ac si cùm illo diceret: *Est Deus in nobis.*) Deindè adjecit: *In ipso enim vivimus, & movemur, & sumus*; Nec divinæ, humanæque personæ ex mutua illa inexistentia suæ subsistentiæ detrimentum subeunt: cur timendum, ne divinæ ex eo, quòd Pater sit in Filio, & Filius in Patre, tùm propter naturæ communionem, tum propter immensitatem, illud patiantur?

D. Hilarius lib. 2. de Trinit. ad fin.

Aristotel. 4. Phys. cap. 3. text. 23.

D. Athanas. Orat. 4. contra Arian.

Iob. 38. 12.

Exod. 33. 21.

D. Hilar. lib. 7. de Trinitate circa finem. D. Joan. Damasc. lib. 1. de Fid. cap. 9.

Marc. 5. 9. & 16. 9.

Joan. 14. 23.

Act. 17. 27. 28.

Ovid.

CAPUT VI.

De Persona Patris, & illius proprietatibus.

Aliqua persona improducta in Deo ponenda.

1. *Abass.* Productiones duarum Personarum producentium in Deo admittendas uberrimè comprobasti; sed unius Personæ improductæ tractationem, quam in carceribus superioris capitis pollicitus es, vidêris ab animo projecisse. *Rom.* Ubi lib. 2. cap. 3. & 4. probavi, unum tantùm Deum esse, eúmque improductum, illicò hac me cura exoneravi. Illum enim, quisquis sit, cùm omnibus perfectionibus oporteat esse exaggeratum, subsistentiæ firmitudo, & personæ dignitas (quæ non mediocres sunt perfectiones) deficere non possunt. Nec Sabellius, aut quisquam eorum, qui circa Trinitatis mysterium lapsárunt,

D. Thom. 1. p. q. 34. a. 4.

Soar. lib. 1. de Trinit. cap. 4.

Digitized by Google

lapsárunt, unam saltem Personam improductam in Deo suspiciendam detrectavit. Quod ità breviter ostendo. Si duæ, vel plures Personæ improductæ in divinitate subsisterent; vel essent absolutæ, ut Michaël, & Adamus; vel relativæ, ut nunc sunt Pater, & Filius; vel una absoluta, & altera relativa: Sed nihil horum sustineri potest.

Esse non possunt in Deo duæ personæ improductæ, absolutæ.

Quod ità probo: si essent duæ personæ improductæ absolutæ; vel haberent eamdem naturam, & proprietates mutuò communicabiles; vel diversas: si eamdem naturam, & proprietates, non duæ essent, sed una, & eadem; quia formâ non multiplicatâ subjecta non multiplicantur, ut capite 1. numero 8. ostensum: Si diversas, non tantùm duæ personæ, sed etiam duo dii essent, quia formæ multiplicatio subjectorum multiplicitatem importat; Nec major daretur ratio, cur divinitas duarum, & non confusa infinitarum personarum improductarum, atque deorum multitudine sylvesceret; si ambæ essent relativæ; vel altera alteri opponeretur, ut nunc Pater, & Filius; vel utraque alteri tertiæ disparatæ; si altera alteri; cùm in Deo esse non possit alia oppositio præter illam, quæ Originum cæmento fulcitur; aut non dantur tales personæ improductæ; aut si dantur, una tantùm est improducta, alia producta; & eædem omninò, quæ nunc sunt; aliter originis ratio non constaret: Si verò neutra ab altera procedit, sed utraque ad tertiam disparatam refertur, ut relatione, sic etiam naturâ distinguuntur; nec unus, ac verus Deus remanebit, sed sarmentosi inutilium deorum stolones pullulabunt; quemadmodùm si duæ personæ absolutæ concederentur. Idem omninò damnum emerget, si improductarum personarum altera fuerit absoluta, & altera relativa; quia cùm altera ab altera non procedat, necesse est, ut naturæ dissidio segregentur. Quare unus tantùm est in Deo unius personæ alienis manibus intactæ, & à se ipsa satæ truncus, qui duobus germinibus omnium speciosissimis, Filio, & Spiritu sancto exhilaratur. Ea verò Persona, Pater est, qui indè Ingenitus, sivè Innascibilis cognominatur.

Nec duæ relativæ.

Nec una absoluta, & altera relativa.

Pater est Persona improducta; cui ideò competit esse Ingenitum.

D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 2. Soar. lib. 8. de Trinit. cap. 2. n. 3.

2. *Abass.* Quid Ingeniti nomen propriè significat? *Rom.* Ingenitum aliquandò idem est, quod increatum; & tunc omnibus Personis (etiam Filio) accommodatur, quia omnes sunt increatæ. *Cùm genitum*, inquit D. Cyrillus, *creaturam significat, tunc Filius ingenitus est, quia creatura non est.* Aliquandò idem quod non editum propriâ generatione; Et tunc Patri etiam, & Spiritui sancto applicatur; solus enim Filius verè est genitus. Aliquandò affert negationem cujuscumque productionis; *Qui enim non exivit ab alio*, ait D. Athanateus, *verè est Ingenitus.* Quo sensu innascentia propria est Patris Notio, nulli alii Personæ competens; cujus ratione ipse dicitur Principium sine principio, sivè principii expers. Nec realis est proprietas, sed negatio paternitatem supponens, & quamcumque passivam productionem à Patre dispellens. *Qui Patrem nominavit*, inquit D. Cyrillus, *Deum ab ipso significavit, quod est; qui verò Ingenitum dixit, ab eo, quod non est.* Vide quæ diximus cap. 4 n. 15. Divinitas autem modis omnibus est ingenita, quia nec creata fuit, nec genita, nec quavis alia ratione producta; si enim ipsa genita esset, Pater Ingenitus non esset.

D. Athan. P. 4. n. 6.

D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 2.

3. *Abass.* Quod ergo nomen in Deo dignius: Ingeniti, an Patris? *Rom.* Negatione semper præstantior est affirmatio. Patris ergo nomen, quod primæ Personæ generationem attribuit, non solùm Ingeniti appellatione, quæ omnem passivam ab eo tollit originem, sed ipsa Dei nomenclatura, ex auctoritate D. Cyrilli, multò est excellentius. *Pater*, inquit, *ad Filium; Deus dicitur ad creaturas. Ergo Pater à majore, atque digniore; hoc est, Filio, intelligitur; Deus verò à creaturis, quæ tantùm distant à Filio, quantùm servus à Domino, & Creator à creatura. Si ergo creaturæ secundo loco sunt post generationem Filii, per prius Pater est, quàm Deus.* Undè Christus Dominus Patris honorandi causâ illius nomen sic ore præferebat, ut ab illo primum eorum, quæ Evangelistæ referunt, verbum sit exorsus, cùm dixit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Et in eo loquendi finem fecerit, cùm clamavit: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Et ideò ipsius *nomen mundo* se manifestasse in extremæ Cœnæ sermone sit contestatus; tum quia Patrem identidem appellitabat; tum quia Filium se crebrò professus, illius cognitionem audientibus ingerebat.

Patris nomen in Deo prius, & dignius quovis alio.

D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 6. D. Thom. 1. p. q. 33. a. 3.

Cajet. in cap. 23. 46. Lucæ.

Luc. 2. 49.

Luc. 23. 46. Ioan. 17. 6. D. Athanas. Orat. 2. contr. Arian.

4. *Abass.* Quandò Patri assidet paternitas? an sicut hominibus ab eo puncto, quo generare intelligitur? an priusquàm generare intelligatur? *Rom.* Nunquàm potest intelligi Patrem non generare; *cum generare*, inquit D. Cyrillus, *inseparabile sit ab hypostasi Patris. Cum igitur semper paterna hypostasis sit, erit etiam semper ex ipsa naturæ suæ fructus.* D. Basilius: *Non est Pater uno momento, vel ictu oculi absque Filio* Nec dicendum est, Patrem esse, quia generat: sed quia Pater est, generare. Homines autem, & res aliæ creatæ patrum nomen à generationis tempore emendicant, quia ante illud remotam tantùm ad generandum potentiam, non actum, à quo solùm dimanat patris titulus, nanciscuntur. *Hæc enim*, inquit Cyrillus, *non generant, cum imperfecta fuerint per ætatem. Quare cùm Pater perfectus sit, quid prohibet eum æternaliter ex se ipso coæternum sibi Filium generare? Pater enim semper perfectus, semper generat.* Prætereà generatio est actio; actiones autem ex dictis lib. 2. cap. 8. num. 18. à suppositis tantùm, & personis exire possunt. Ergo cùm Pater generare intelligitur, jam in sua personalitate subsistit, sicut homines in sua, cùm generant. Hi tamen absolutam habent personalitatem, & cùm postea generant, adventitiam patrum relationem adipiscuntur. Semper enim adventitia innatis sunt posteriora. Persona autem Patris tota est relativa, & ipsa Relatio subsistens, ac proindè anterior generatione.

Paternitas Patri adest, etiam antequam generare intelligatur.

D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 6. D. Basil. p. 3 n. 4.

5. *Abass.* Ut mente contueor, Patris

D. Cyril. ibid.

Digitized by Google

Impropriè Patrem percipit, qui eum solùm, ut ingenitũ, non ut Patrem cogitat.

Personam actuali generatione vernantem, sic aliquandò tamquàm ingenitam, aliquandò ut tumentem, & fœcundam, sed nondùm sobole ditatam. Datur ergo saltem aliquis cogitationis articulus, antequàm Pater generare intelligatur. *Rom.* Numero 3. ostendi, nihil in Deo prius esse paternitate, eámque Notionis Ingeniti esse fundamentum. Non ergo priùs est Patrem esse Ingenitum, quàm Patrem; sed quia Pater est; ideò Ingenitus est. Affirmatio enim prior est negatione. Ergo, qui personam aliquam considerat, nec paternitate donatam, quantùmvis Ingenitam, nullam Trinitatis Personam (ut nunc sunt) cogitatione, sed quidvis aliud excudit; sicut & ille, qui fœcundum, aut parturientem Patrem finxerit, nec emisso adhuc fœtu exultantem. Divinus autem Pater, ut ait Isaïas, *antequàm parturiret, peperit: antequàm veniret partus ejus, peperit masculum. Quis audivit unquam tale? Et quis vidit huic simile?* Peperit autem antequàm parturiret, & fœturæ ejus tempus matureſceret, quia Filium semper à se emisit, nec unquàm gignendi opportunitatem est præstolatus; sicut animantes, de quibus ipse ad Jobum: *Numquid nosti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas observasti? Dinumerasti menses conceptus earum, & scisti tempus partus earum?* D. Cyrillus ubi suprà: *Simul esse Deum, & generare ipsum credimus, quamvis mente generatio post intelligatur. Erat ergo in ipso genitus Filius; nec præcedit generatio ejus esse ipsius, sed semper simul est, & generatur.* Et infrà. *Perfectus est Deus, non solùm quia Deus, sed etiam quia Pater. Quare qui Deum negat Patrem esse, is fœcunditatem aufert à divina natura, ut jam perfecta non sit. Natura igitur inest Patri fœcunditas; & idcò perfectus est, quia genuit.* Ergo qui Deum tantùm ut fœcundum perpendit, nec eum in filium dirigit, non Patrem agnoscit, sed aliùd quidpiam commentatur.

Idem dicendum, si quis fœcundam solummodò Personam in Deo consideret. *Isai.* 66. 7. 8. *Iob.* 39. 1. D. Cyril. ubi suprà.

Si in Deo aliqua Persona Filii fœcunda consideretur, quia illum genuerit, non est plenè Pater. D. Cyril. ubi suprà.

6. *Abass.* Consideremus ergo Patrem non præcisè ut fœcundum, sed jam Filii feracem, quem tamen possit edere, sed nondùm ediderit. *Rom.* Magnus ille Alexandrinorum, & orbis totius magister, eodem loco: *Quòd*, inquit, *generare potest, nondùm actu generat; posse igitur Patrem generare, non est esse Filii; sed quia Deus Pater est, ideò ex ipso Filius esse intelligitur, per quem Deus Pater est. Simul ergo Pater, & Deus, & cum ipso Filius, ut servetur in Deo, quòd Pater sit. Nec ideò Filius erat, quia Pater poterat generare, sed quia generatur ex ipso secundùm naturam, ideò semper cum ipso est, & coæternus ipsi, sicut calor igni, & flori odor.* Posse igitur aliquam divinam Personam considerari, nunc ut ingenitam, nunc ut fœcundam generatim, nunc singillatim, ut Filio non emisso fœtam, non inficior; sed impropria, & confusa illa est Patris cognitio, & ad illum constituendum, ac distinguendum inepta. Personæ enim non flaccidis, & evanidis mentium nostrarum fabricis, sed solidis proprietatibus, quales reverà ipsis insunt, constituuntur, & secernuntur. *Hoc enim erat Deus*, inquit ibidem D. Cyrillus, *antequàm nos creati essemus, quod nunc etiam est. Nihil enim ei attulimus à nihilo ad esse producti.* Nec ante nostram creationem Pater solùm erat potens Filii generandi, sed consummatus illius genitor. Nam *in principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum; & omnia per ipsum facta sunt.* Ergo non constituitur fœcunditate quoquo modo consideratâ, neque innascibilitate, sed solâ paternitate. D. Cyril. Ibidem. *Joan.* 1. 1.

Cur in Deo paternitas sit prima proprietas, quæ primã Personam constituat, non alia.

7. *Abass.* Cur paternitate prima hæc Persona constituitur, & non quavis aliâ proprietate? *Rom.* Cùm Deus substantia sit omnium perfectionum cumulo exaggerata, quælibet autem res sit propter suam operationem, ut lib. 2. cap. 8. n. 18. demonstratum; & operatio cujusque substantiæ perfectio sit, oportebat aliquam habere operationem, ut habet, Christo attestante. *Pater meus usque modò operatur.* Cuique autem rei insitum est juxta naturam suam operari. Hinc ignis surſùm, terra deorsùm, & aër ad locum medium innatâ proclivitate impellitur. Cùm igitur Dei natura sit purè rationalis; & prima rationalis substantiæ operatio sit per intellectum, ut ibidem cap. 18. n. 3. ostensum; & nulla substantia operari possit, nisi subsistentiæ complemento fastigiata, ut ibidem cap. 8. n. 18. necessariò debuit res aliqua subsistens non aliundè, sed ab ipso Deo & ab ejusdem intellectu, cui prima debetur operatio, subsultare; quæ proindè Persona dici debet; cùm ex dictis cap. 3. persona sit, quidquid in natura rationali incommunicabiliter subsistit. Quæ planè Persona Pater est; quia illa operatione nihil aliud agit, quàm ut Filium producat, cujus ipsamet est generatio, ut sequenti capite videndum. Cùm ergo nunquam dormitantem, aut incogitantem Deum, neque non summâ libratum firmitate animo fingere possimus, ità neque à Filii prospectu, à quo Patris nomen capit, feriantem. Neque opus est, generationis quasi adhuc venturæ (ut in creaturis) accessum expectare, cùm semper præcesserit, comitetur, & subsequatur; & ideò Filius dicatur *qui erat, & qui est, & qui venturus est.* Nam cujusque rei subsistentia existentiæ (cujus ipsa postremus est terminus ob dicta lib. 2. cap. 8. n. 6.) sequax est. Et ut rerum creatarum existentia, & subsistentia à Creatore: genitarum, à parentibus producitur, ipsis etiam rebus ad sui subsistentiam pro virili parte concurrentibus, ut ibidem n. 9. declaratum; ità illius substantiæ, quæ à semetipsa habet existentiam, prima subsistentia (quæ est paternitas) ab ipsa sola debuit pullulare; cùm referri non possit ad Creatorem, vel genitorem, vel aliquem anteriorem effectorem; ad quem si referretur, non esset improducta, neque Principium sine principio, neque Principium Deitatis. *Apoc.* 1. 4. & 4. 8.

Pater non est principium deitatis, quòd eam producat, sed quòd sit origo productionum. D. Augustin. lib. 4. De Trinit. D. Dionys. cap. 3. de Divin. nom. D. Bonav. in 1. d. 28. q. 1. D. Athanas. lib. contr. greg. Sabel. D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 5. Concil. Tolet. VI. & XI.

8. *Abass.* Si Pater est Principium Deitatis, ab ipso Deitas sumet exordium; non ergo erit ingenita, neque improducta, ut num. 1. dixisti. *Rom.* Appellat quidem D. Augustinus Patrem Principium totius deitatis; fontem D. Deonaceos, Athanateus, & Cyrillus; *Fontalem plenitudinem*, Divus Bonaventura; *originem*, Concilia Toletana; *radicem*,

Divus

Digitized by Google

D. Chrys. orat. 9. t. 5. D. Augusl. lib. 3. contr. Maximin. cap. 14. Phæbad. lib. cont. Arian. D. Gregor. Nyss. supra cap. 5. n. 1. D. Gregor. Naz. Orat. 35. Aristotel. 5. Met. cap. 1. *Ioan. 7. 29.*

D. Chrysostomus; *auctorem* D. Augustinus, & Phæbadius; *causam* D. Gregorius Nyssenus, Nazianzenus, & alii Græci; non quòd divinitas ab ipso sit exorta, sed quòd Pater caput sit divinarum productionum ad intra. Ad ipsum enim Filii generatio in totum, & Spiritus sancti processio tamquàm in primum principium refertur. Nam Filius jam est principium à principio. Causæ nomine Latini Patres abstinuerunt, quia in re causata, divinis scilicet Personis productis indecoram dependentiam involvit. Si tamen idem significet, quod Principium, sustinendum. *Principium* verò, ex Philosopho, *id est, unde aliquid fit, aut est, aut cognoscitur.* Undè liquet Patrem Filii, & Spiritus sancti principium dicendum; nam licèt Filius à Patre non fiat, ut cap. sequenti numero 11. dicendum, tamen ab illo est, ipso attestante: *Ab ipso sum, & ipse me misit*; Et ab eo cognoscitur: *Quia sine Patre*, inquit Concilium Toletanum undecimum, *Filius non invenitur. Relatio quippe ipsa vocabuli personalis Personas separari vetat.*

Concil. Tolet. XI. in confess. Fidei.

Prioritas temporis, non originis inter Personas denegan da. D. Athanas. in Symbol. D. Thaum. p. 1. n. 6. 7. 9. D. Gregor. Naz. p. 1. n. 17. 21.

9. *Adass.* Si Pater Principium est Deitatis, sivè divinarum processionum, erit in Deo prius, & posterius; majus, & minus; contra D. Athanatei in Symbolo sanctionem. *In hac Trinitate nihil prius, aut posterius; nihil majus, aut minus; sed totæ tres Personæ coæternæ sibi sunt, & coæquales.* Et D. Thaumaturgus: *Non est*, inquit, *in eis posterior.* Et Nazianzenus: *Nulla illarum altior, nulla inferior. Rom.* Ibidem tamen subjicit Theologus: *Primæ, & posteriores sunt sine mutatione.* Est autem hæc prioritas sine mutatione, quia non est temporis, sed originis, quam ipse vocat principii; dum Pater, ut Filii origo, & principium cogitatur.

D. Greg. Naz Orat. 29. D. Basil. lib. 1. contr. Eunom.

Filius, inquit, *ex ipso est; caterùm non post ipsum; aut saltem sola principii cogitatione.* D. Basilius: *In his priorem esse causam dicimus; posterius, quod ab ipsa est; non intervallo hæc invicem dissejungentes, sed cogitatione, causam prius quàm causatum intelligentes.*

D. Augusl. lib. de Triplici habitac. cap. 6.

D. Augustinus: *Pater non præcessit Filium tempore, sed origine.* Prioritas verò originis nihil aliud est, quàm quod absque ullo temporis interjectu una Persona procedat ex alia, quæ ex ipsa procedere non potest; ut lux est à sole, non sol à luce; calor ex igne, non ignis ex calore.

D. Ambros. lib. 1. de Fide, cap. 4.

Fons, inquit Aforosius, *fluvium generat; & fluvius fontem ex se ipso non generat. Lux splendorem generat, non splendor lucem; & una est natura splendoris, & lucis.* Sic Pater prior est Filio, quia Filius sic ab ipso procedit, ut nunquàm cum illo, tamquàm cum auctore, componatur. Sanctus etiam Spiritus à Patre, & Filio effluit, nec illi in eos influere permissum. *In quo*, inquit D. Augustinus, *non est inæqualitas substantiæ, sed ordo naturæ; non quò alter essit prior altero, sed quò alter esset ab alio.*

D. Augusl. lib. 3. adv. Maxim. cap. 14. D. Cyril. lib. 12. Th. cap. 15.

Et D. Cyrillus: *A Patre*, inquit, *Filius effulget, sicut lumen à sole. Principium igitur Filii Pater est; non temporis, aut aliud hujusmodi; sed ex quo Filius, & in quo simul est; sicut calor ex igne. Caloris enim principium ignis est, & tamen ex ipso, & in ipso inseparabiliter calor est. Et quamvis omnes hujuscemodi similitudines in infinitum à divinis distare non ignoremus, hinc tamen intelligere possumus, Filium ex Patre, & in Patre æternaliter esse, nullo tempore intellecto.* Non est autem hæc prioritas conficta, sed in ipsis fundata Originibus, quarum ordinem Christus in Baptismi ritu secutus, priùs Patrem, deindè Filium, tertiò Spiritum sanctum nominavit. Undè D. Basilius: *Quonam pacto rationem habet, ordinem in iis negare, in quibus est prius, & posterius; non positione nostra, sed naturali quadam consecutione.* D. Basil. ubi suprà.

CAPUT VII.

De Persona Filii, & vera illius generatione.

Filii generatio est ineffabilis. D. Dionys. p. 1. n. 5. 6. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 10. 13. 16. 17. 23. D. Athanas. p. 4. n. 49. *Isai. 53. 8.* D. Gregor. Naz. Orat. 36. D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 6. Theodot. Ancyran. Orat. 2 de Nativit.

1. *Abass.* Ipse nos tractationis ordo à paternitate ad oppositum terminum deducit, & admonet, ut aliquid de Filii generatione delibes. *Rom. Nativitatem Filii*, inquit D. Deonaceos, *& processionem Spiritus sancti verbis non explicamus, sed admiramur.* D. Thaumaturgus: *Nativitas Filii à Patre est investigabilis, & ineffabilis.* D. Athanateus: *Filii nativitatem effari non possumus, sicut Isaïas dixit: Generationem ejus quis enarrabit?* D. Gregorius Nazianzenus: *Dei generatio silentii honore decoretur. Abundè tibi est scire, eum genitum esse; quomodò autem genitus sit, ne ipsis quidem Angelis, nedùm tibi intelligere concesserim.* D. Cyrillus. *Divinæ generationis modus humanum intellectum excedit, nec legibus hominum subjacet; sed tantùm humilis naturæ leges superat, quantùm natura humana à divina superatur.* Theodotus Ancyranus: *Quòd Deus Verbum natus est, nosse te volo: quomodò autem natus sit, id nativitatis architecto relinque.*

Generatio cur in Deo concedenda.

2. *Abass.* Quid nos cogit, ut generationis, Patris, & Filii nomina in Deum invehamus? *Rom.* Divini codices, qui eisdem sæpè utuntur. Si verò eorum testimonia desiderarentur, plures nobis hujusce veritatis scintillas ratio naturalis excuteret. Quarum prima est, quam jam superiùs capite 5. num. 4. perstrinximus; sumpta ex nobilitate, quam potestas producendi congerit; & quâ si Deus careret, creaturis esset inferior. Secunda ex genio naturæ rationalis (cujus apicem Deus tenet) quæ ità amica, & sequax est contubernii, ut teste Boëtio Severino, *nullius boni sine consortio jucunda sit possessio.* Adeò, ut cùm Deus Adamum, quamvis bonis omnibus, & deliciis refertum, & cunctis animantibus stipatum in terreno paradiso collocasset, eò solùm, quòd nullum haberet ejusdem naturæ participem, infortunatum judicaverit, & dixerit: *Non est bonum esse hominem solum.* Quasi cuncta paradisi emolumenta unum solitudinis incommodum vitiaret. Ergo Deus, ne æternæ solitudinis tædio contabesceret, ipse sibi, ut

Boët. lib. de Cons. apud D. Thom. 1. 2. q. 4. a. 8. in 2. arg. *Gen. 2. 18.*

Digitized by Google

Tertul. lib. cont. Prax. D. Athanas. lib. de Decret. Nyc. Synodi.

ait Tertullianus, *ante mundum, & locus, & mundus. Nec solus erat, nam secum habebat Verbum, & rationem suam.* Et D. Athanateus: *Ubi est Pater, ibi & ratio ejus.* Si enim Filius, eò quòd semper cohærentem sibi Patrem haberet, dicebat: *Non sum solus, quia Pater mecum est*; quomodò Pater solus putandus, qui semper apud se convictorem Filium habebat? *Verbum*, inquit, *erat apud Deum.* Et Sapientia in Proverbiis: *Cum eo eram cuncta componens.* Et alibi: *Et tecum Sapientia tua, quæ novit opera tua, quæ & affecit tunc, cùm orbem terrarum faceres.* Cum isto planè Verbo, & Sapientia sermonem Deus conferebat, cùm diceret: *Faciamus hominem*; Et: *Faciamus ei adjutorium simile sibi. Cum quo Deus*, inquit D. Athanateus, *videri possit colloquium habere, nisi cum sua ipsius ratione, & Verbo, quod præsens erat, sicut Sapientia, & ratio?* Tertia ex peculiari divinæ substantiæ & summi boni ratione. *Hoc* enim, teste D. Deonaceo, sponte, *sui diffusivum est.* Et sicut Deus magnam, sed non omninò summam bonitatem in rerum creatione patefecit, cùm illam, ut ait Sapiens, *effudit super omnia opera sua, & super omnem carnem secundum datum suum*; ità opus erat, ut summæ bonitatis diffusionem in sua natura aliquibus Personis sibi consubstantialibus communicanda manifestam exhiberet. Quem sensum afferunt illa Joannis verba: *Pater diligit Filium, & omnia demonstrat ei, quæ ipse facit.* Quænam hæc est demonstratio, nisi ejusdem naturæ exhibitio? *Demonstrat*, inquit D. Cyrillus, *non quasi depicta in tabella; sed totum se ipsum in natura Filii sic pingens, ut quacumque in se habeat, in Filio demonstret.*

Joan. 16. 32. Joan. 1. 1. Prov. 8. 30. Sap. 9. 9. Gen. 1. 26. Gen. 2. 18. D. Athanas. Orat. contra Idol. D. Dionys. lib. de Div. nomin. Eccl. 1. 10. Joan. 5. 20. D. Cyril. lib. 2. in Joan. c. 137.

Nihil fœmineum in Dei generatione cogitandum.

3. *Abass.* Fœminæ consortium Deus Adamo excogitavit, ut ipsi esset in communi generationis opere, cui solus satis non erat, adjumento. At in divina generatione unius Patris, nullam matris audio mentionem. *Rom. Est sine matre in Cœlo*, ait in vestro Libro Nyssenus. Et D. Heraclis. *Est sine matre in eo, quod amplius nobis habet.* Et D. Gregorius Nazianzenus citatus à Senuteon: *Est matris expers, quoad naturam illam nostrâ excelsiorem.* Te igitur seriò admonitum velim, ut quoties in divinæ generationis, Patris, & Filii nomina incurreris, à tuo diffles animo quamcumque corporeæ corruptelæ, vel titillationis nubeculam. *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam claritatis Omnipotentis Dei syncera; Et ideò nihil inquinatum in eam incurrit. Candor est enim lucis æternæ, & speculum sine macula.* Nam juxta naturæ suæ conditionem res quæque generat; & ideò, *quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est ex spiritu, spiritus est*; Spiritualis ergo est Dei generatio, *quia spiritus est Deus.* Primam quidem inter omnes parentem, & prima generatione fœcundam, sanctam Trinitatem fuisse, nulli tergiversandum; eamdem tamen primam omnium Virginem nuncupat D. Nazianzenus, quia Filium ità eduxit, ut vulvam nullâ corruptione convulserit. D. Gregorius Thaumaturgus: *Non est*, inquit, *nativitas Filii, sicut nativitas hominis, sed spiritualis est; ideò non corrumpitur, nec mutatur.* Propterea, auctoribus D. Athanateo, & Basilio, Joannes in sui Evangelii initio non Filii, sed Verbi nomine usus est, ut ab illa generatione quamcumque communis voluptatis cogitationem dimoveret. *Nequis humanitùs*, inquit D. Athanateus, *aliquid editum, genitúmve intelligeret, Verbum illud, & sapientiam, & splendorem nominavit. Ex illis enim vocabulis impatibilitatem in gignendo, æternitatem item, & decorum illud, quod in Deum conveniat, cogitatione comprehendimus.* Divus Basilius: *Si dixisset: In principio erat Filius, Filii appellatione cogitatio de passione generationis subjisset.*

Joan. 3. 6. Joan. 4. 24. D. Greg. Naz. in Car. de Virgin. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 13. D. Athan. Orat. 2. contra Arian. D. Basil. homil. in illa verba, In principio erat Verbum.

4. *Abass.* Undè intellectualis istius in Deo generationis aliquod petetur exemplum? *Rom.* Non aliundè meliùs, quàm ab ipso humano intellectu, D. Cyrillo monitore: *Oportet*, inquit, *si quis generationem illam, quantùm homini licet, investigare velit, quæ ex mente, atque intellectu prodeunt, considerare; atque ex hujusmodi similitudine ad generationem Verbi, quantùm in hac vita possumus intelligere, manuduci. Purit enim mens hominis bonus cogitationes, ut Salvator ait: De corde exeunt cogitationes.* Et alibi. *Ab intùs de corde hominum mala cogitationes procedunt.* Si ergo stultum est, arbitrari, nihil ab humano intellectu prodire, quia & Dominus hoc asserit, & res ipsa clamat; quomodò non erit absurdum, supremum intellectum, qui Deus est, quique omnem intellectum excedit, infæcundum opinari; aut fæcunditatem ipsius corporum legibus subjicere: præsertim cùm ipse noster intellectus corporis more non generet? Filium autem Patris cogitationem dixêre Termite habuata, D. Irenæus, & Heraclis cap. 9. num. 8. allegandi. Licèt autem intellectualis generatio indiscretis corporeæ vestigiis non insistat, quidquid in corporea visitur, in intellectuali, purgatis imperfectionibus, apparet. Corpoream enim inchoat maris, & fœminæ: intellectualem mentis, & objecti congressus. In illa seminis receptum sequitur conceptio, in ista semen sunt rerum species, conceptus verò cogitationes nondùm expolitæ, sed embryonis modo informes; cùm autem percoluntur, verba sunt, & proles mentis; illam tamen, ut alii fœtus matrum vulvas, non scindunt, sed incruenta oris dilatatione manifestantur. Hanc tamen intellectualem generationem aliquæ imperfectiones obliniunt, quæ sunt à divina excernendæ.

A cogitationibus humani intellectus, qui sunt illius partus, Dei generatio colligenda. D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 7. Matt. 15. 19. Marc. 7. 21. Termite habuata. D. Irenæus D. Procl.

5. *Abass.* Quænam verò illæ? *Rom.* In illa viri, & fœminæ allocutionem supplet mentis, objectique extra ipsum positi congressio; & in corporea aliquæ patris, aliæ matris, eæque laboriosiores sunt partes. At in divina totum id, quod maternum est munus, concipere, parere, & sinu fovere, sibi Pater ascisci. De conceptu: *Dominus possedit me in initio viarum suarum.* Et mox: *Nondum erant abyssi, & ego jam concepta eram.* De partu: *Ex utero ante luciferum genui te.*

Differentiæ inter generationem carnalem, & mentalem nostri intellectus. Prov. 8. 22. 24. Psal. 109. 3.

De

De fotu, atque nutricatu: *Unigenitus, qui est in sinu Patris.* Alii fœtus imperfecti sunt, dum maternorum viscerum gurgustiis clauduntur; & ubi justam magnitudinem attingunt, moræ impatientes foras erumpunt. Divinum autem Verbum intra Patrem in id totum, ad quod Pater, se ab æterno porrigebat; Deus enim, *à principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum. Et cum eo* erat *cuncta componens.* Et quia semper intra Patrem, semper conceptum; Et quia semper perfectum, semper gigni dicitur. *Ego*, inquit, *hodie genui te*; Hodie, ideſt, semper, Et: *per singulos dies*, secundùm Paulum, *donec hodie cognominatur.* Et ne longiùs excurram, quidquid de vera viventium generatione Philosophi senserunt, totum id in divini Verbi generatione reperitur. Illam enim sic definivit Aristoteles: *Generatio est processio à principio vitæ conjuncto ad similitudinem in eadem natura.*

Joan. 1. 18. D. Thom. lib. 4. contr. Gent. c. 11. *Ioan.* 1. 1. *Prov.* 8. 30. *Psal.* 2. 7. *Hebr.* 3. 13. Generationis definitio ex Aristot. 7. Metaph. c. 8. tex. 18. D. Thom. 1. p. q. 27. a. 2.

6. *Abass.* Cur dixit Philosophus, generationem esse *processionem à principio? Rom.* Quia quidquid generatur, non est à se ipso; & quidquid non est à se ipso, oportet, ut ait Philosophus, ut principium sui habeat aliquam causam efficientem, ad quam vel tempore, vel saltem naturâ priorem, suam referat originem. Talis est Filius, qui de se ipso ingenuè fatetur: *Ab ipso sum.* Et iterùm: *Ego ex Deo processi, & veni. Neque enim à me ipso veni.* Illud autem, à quo aliquid est, aut prodit, dicitur illius principium; ut vidimus cap. superiori num. 8. Sic sol principium est lucis, ignis caloris, fons aquæ ab ipso dimanantis. Ità verò Filius est à Patre tamquàm à Principio, ut simul sit ab ipso, & in ipso. *In principio*, inquit Joannes, ideſt in Patre, qui est Filii principium, erat Verbum; *tamquam aqua*, ut interpretatur. D. Cyrillus, *in fonte, & ex fonte. Tecum principium*, David ait, *in die virtutis tuæ*; quia æternum principium illi Pater est; & ideò veluti causam reddens, adjungit: *Ex utero ante luciferum genui te.* Undè D. Gregorius Nazianzenus de Filio sermonem faciens, ait: *Illud ex principio principium; illud ex lumine lumen.* Et alibi: *Ad Patrem, velut ad principium, originémque refertur.* Et in vestro Libro: *Qui est à principio, sine principio.* Et tercentum decem, & octo Patres, D. Gregorius Thaumaturgus, & Athanateus Filium dicunt *primum à primo.* Cùm autem duplex sit principium: principium quod, & principium quo, de quibus lib. 2. cap. 8. num. 19. 20. & superiori capite; Pater est principium quod Filii, in quo ultimò sistit illius generatio. *Numquam enim*, ait ibidem D. Cyrillus, *principii principium poterit excogitari. Nam si aliud quidpiam ante principium intelligitur, verè principium non erit, sed nobis in infinitum procedendum.*

Pater est principium quod Filii. *Joan.* 1. 1. *Psal.* 109. 3. D. Cyril. lib. 1. in Joan. cap. 1. D. Greg. Naz. Orat. 38. Or. 35. Idem p. 5. n. 10. Concil. Nicæn. p. 1. n. 7. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 11. 14. D. Athan. p. 1. n. 13. D. Cyril. ubi suprà.

7. *Abass.* Cur additum: Esse processionem *à principio vitæ? Rom.* Vitæ principium dupliciter quidquam dici potest; vel respectu sui, quia ipsum in se vitam habet; vel quia vitam rei alicui impertit. Utroque autem modo generans est vitæ principium. Nam cùm generatio vitalis sit actio, non potest à non vivente exerceri; & cùm sit vitæ in rem genitam invectio, necesse est, generantem dono, quod elargiri contendit, non carere. Vitæ ergo principium est Pater æternus, quia apud ipsum *est fons vitæ*; fons autem aquam & in se continet, & in prata effundit. *Sicut Pater*, inquit idem Filius, *habet vitam in semetipso* per essentiam, non per participationem, interprete D. Cyrillo, *sic & Filio dedit habere vitam in semetipso* per essentiam, & non per participationem. Et iterùm: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* Idem Divus Cyrillus: *Vivere*, inquit, *propter Patrem dicitur, quia omnia paterna substantiæ propria naturaliter in eum transeunt, sicut in filium. Proprium autem Patris est vivere; imò essentialiter vita est. Hoc igitur est Filius propter Patrem, quoniam ex eo nascitur.* Ideò rectissimè in vestro Libro D. Gregorius Armenius, Athanateus, Basilius, & Nazianzenus Filium dicunt *vitam à vita*; Et tanti fecit Deus novam illam Divi Petri confessionem: *Tu es Christus Filius Dei vivi*, ut eum cœli ac mundi clavibus donaret. *Non enim potest ex vivo Patre* (ait idem D. Cyrillus) *non vivus Filius nasci.*

Joan. 7. 29. *Joan.* 8. 42. Generans vitam & habere, & dare debet. *Psal.* 35. 10. *Joan.* 5. 26. D. Cyril. lib. 12. Thes. cap. 15. D. Cyrill. Ibidem. D. Greg. Armen. p. 1. n. 2. D. Athan. p. 14. n. 1. D. Basil. p. 4. n. 8. D. Nazian. p. 5. n. 4. *Matt.* 16. 16.

6. *Abass.* Quænam illa est conjunctio, de qua subjicitur: *à principio vitæ conjuncto? Rom.* In omni viventium generatione, sivè plantæ sint, sivè animantia, datur aliquid, quod priùs est intra generantem, deindè in genitum transmittitur; & in eo generans, & genitum copulantur; ut arbor conceptum medullâ succum in semen traducit; & ex jacto in terram semine nova arbor adolescit; atque eo in semine tam matrix, quàm sativa planta conjunguntur. In animantibus etiam à masculo semen ex alimentis intùs concoctum, & à fœmina conflatus sanguis in generatione deciditur, & tamquàm cæmentum formandi corporis ædificationi submittitur, ut in eo parentes, & filii ad unitatem redigantur. Undè, ex Aristotele, tantus parentum amor in liberos, tamquàm in sui partes individuâ sibi conjunctione colligatas, exardescit. Inde ortum, ut dicat D. Paulus, *Levi fuisse in lumbis Abrahæ*, cùm iste Melchisedech decimas persolvit; Et David, *Absalonem ex utero suo egressum.* Imò Deus ad eundem: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam.* Ad quam similitudinem de æterna Filii sui generatione ait: *Ex utero ante luciferum genui te. Ex utero*, ideſt, ex se ipso, ut D. Cyrillus interpretatur. Et multò arctior inter æternum Patrem, ipsiusque Filium conjunctio; ac proindè verior, quàm inter cætera viventia generatio intercedit. Arbores enim, & animantes exigua seminis particula: Patrem, atque Filium plena divinæ naturæ communitas conjungit. Illæ, quidquid habent, Dei largitione acceperunt, seménque extrinsecùs ab alimentis haustum, & modico tempore intùs detentum in sobolem confectione trajiciunt. Solus Deus (qui nihil mutuum poscit, & quidquid à se habet, absque ullo retractu in Filium confert) verè dicendus est generare. *Homines*, inquit D. Cyrillus, *non ità ex sua substantia generare*

In omni generatione aliquid esse debet in genito, quod priùs fuerit in generante. D. Thom. 4. cont. Gentes c. 11. *Hebr.* 7. 10. 2. *Reg.* 16. 11. *Psal.* 131. 11. *Psal.* 109. 3. D. Cyrill. 12. Thes. cap. 5. D. Cyril. lib. 4. Thes. cap. 3.

Digitized by Google

videntur, sed à divina voluntate ad hoc vocati. Quod igitur propriè generat ex se ipso, Deus est, cætera ad illius imitationem. Ratione summæ istius conjunctionis tres habet singulares prærogativas Verbi generatio, quas Nicæni Patres Symbolo Apostolico adjecerunt. Prima, ut verè sit genitus. Secunda, ut non sit factus, nec creatus. Tertia, ut sit Patri consubstantialis.

Filius est verus Deus de Deo vero ex vi generationis.

9. *Abass.* Quo pacto verè genitus est Filius ob illam cum Patre conjunctionem? *Rom.* Verus cujusque rei fœtus est, qui illius naturæ respondet, & ex ipsius substantia emittitur. Sic veræ sunt uvæ, quæ ex vite; veræ ficus, quæ ex ficu oriuntur. *Numquid colligunt,* inquit Dominus, *de spinis uvas, aut de tribulis ficus? Inter homines etiam,* inquit D. Athanateus, *quod secundum naturam ex aliquo gignitur, id vera ejus progenies censendum est; qualis Isaacus Abrahamo, Josephus Jacobo, & splendor soli. Deum igitur verum,* infert D. Cyrillus, *de Deo vero nasci, necesse est: aliter verior in creaturis generatio, quam in Deo inveniretur, quod absurdum est.* Illi autem veri sunt filii, qui ex Patrum semine ab ipsorum substantia defecto progenerantur. Theodotus Ancyranus: *Et tuus tibi factus est filius ex una substantia tua; & hæc res declarat unam substantiam Patris, & Filii.* Quæ verba in proprio textu sic habent: *Unam, eamdémque Patris, & Filii substantiam esse, volens ostendere, Patris Filium dixit.* Similiter D. Athanateus: *Filium,* inquit, *appellavit, ut naturalem, & verum Patris substantiæ fœtum declararet.* Ut ergo Pater verus est Deus (sic enim ad eum Filius: *Ut cognoscant te Deum verum*) sic & ipse Filius verus est Deus. De eodem enim Joannes ait: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Est ergo juxta Symbolum Nicænum: *Filius Dei unigenitus, Deus de Deo, Deus verus de Deo vero.*

Matt. 7. 16.

D. Athan. Orat. 2. contr. Arian.

D. Cyril. cap. 12. Th. cap. 12.

Theodot. Ancyr. p. 1. num. 4. ex Orat. 2. in Conc. Ephes.

D. Athanas. ubi suprà.

Joan. 17. 3. *1. Joan.* 5. 20.

Symb. Nic.

Filius non est creatura, quia non factus è nihilo, sed è substantia Patris.

10. *Abass.* Quo jure, ratione illius conjunctionis, Filius non est creatus? *Rom.* Recole creaturæ definitionem ex D. Augustino à nobis propositam lib. 2. cap. 6. num. 2. ex qua patet, creatum illud esse, quod aliquandò non fuit, & Dei voluntate ex nihilo productum. Illam enim Arii propositionem: *Erat, quandò non erat; & non erat, antequàm fieret,* Nicæna Synodus anathemate percussit. Nam in principio suâ jussione *creavit Deus cælum, & terram*; & jàm in illo principio citra Dei voluntatem, aut imperium *Verbum erat apud Deum,* quod non de nihilo, sed ex Patris utero, sivè substantia prodiit. Quam rationem, ne creatura dicatur, Patres reddunt. D. Athanateus: *Dicimus, Filium non esse ex substantia sua, sed ex substantia Patris.* Et iterùm: *Anathematizamus immundam Arii prævaricatoris fidem, qui dicit, Filium esse creaturam. Nos verò credimus, ipsum esse verè ex divinitate Patris; & non fuisse tempus, in quo non fuerit cum Patre.* D. Basilius: *Non est creatura, nec creatus imperio, sed exiit à divinitate Patris.* Joannes Burlæus: *Si quis dicit, aut existimat, Dei Filium esse creaturam, & non credit, ipsum fuisse ortum ex substantia divinitatis; anathema sit.*

Concil. Nic. p. 1. n. 2.

Gen. 1. 1.

Joan. 1. 1.

D. Athanas. p. 4. n. 7. & p. 14. n. 4.

D. Basil. p. 4. n. 18.

Joan. Burl. n. 4.

11. *Abass.* Claret, cur Filius non sit creatus; cur non factus? *Rom.* Audi Divum Basilium: *Quod fit, non est ex substantia ejus, qui facit. Quod autem generatur, ex substantia est ejus, qui generat.* Et D. Cyrillum: *Operamur, quæ extra sunt, generamus autem ex nobis.* Quod sic explico. Ex auro coronam aurifex, scabellum ex ligno faber, urceum ex luto figulus (quæ omnia sunt extra ipsorum substantiam) faciunt; filios tamen non nisi ex propriæ naturæ promptuariis emittunt. Cùm ergo Filium Deus non ex materia externa conflaverit, sed ab arcano pectore eructaverit, non fecisse, sed genuisse censendum. *Si enim creatura esset,* ait D. Athanateus: *nunquàm dixisset: Dominus genuit me. Nam creaturæ nihil de essentia Creatoris habent, utpote quæ duntaxat sunt opera; Verùm genitum esse, non extrarium quiddam, quale opus est, denotat, sed quiddam proprium, quod è substantia Patris emersit.* En cur Filius nec factus dici potest, nec creatus.

Facere, denotat materiam externam; gignere intimam substantiã. D. Basilius lib. 4. contr. Eunom. D. Cyril. lib. 1. Thes. cap. 1. lib. 6. cap. 3. lib. 9. cap. 1.

D. Athanas. Orat. 4. contra Arian.

Prov. 8. 25.

12. *Abass.* Quid ergo Scripturæ Filium, nunc factum dicunt, nunc creatum? *Dominus,* inquit Sapientia, *creavit me.* D. Petrus: *Dominum eum, & Christum fecit.* D. Paulus: *Qui fidelis est ei, qui fecit eum: Rom.* Fateor, discordabilem istam verborum pugnam aliquandò in Scripturis ocurrere, & filiis servorum, & servis filiorum nomina imponi; filios aliquandò dici fieri; servos, & extraneos gigni. Nam de Salomone ad David ipsius Patrem Bethsabee priùs, & postèà Nathan Propheta aiunt: *Salomonem servum tuum non vocavit.* Timotheum, Titum, & Philemonem D. Paulus; Marcum D. Petrus, filios nuncupant. In Genesi: *Filii, qui facti sunt tibi.* In Job: *Facti sunt ei septem filii.* In Psalmis: *Fecerunt fructum nativitatis.* E contrario *Deum,* inquit Moyses, *qui te genuit,* idest, fecit, *dereliquisti.* Et Isaïas ex ore Dei: *Filios enutrivi* (in Hebræo: peperi) *& exaltavi.* Numquid, quia Scriptura sæpè vocabulis abutitur, & non ad aurificis stateram, sed vulgari trutina verba expendit, rerum naturæ immutantur, & servi in filios, filii in servos tranformantur? Ergo ad pugnaces similium verborum lites tranquillandas triumgravissimorum Patrum sententiæ in præsenti causa latæ, tibi sint pro clypeo, pro gladio, pro thorace. Primus est D. Athanateus: *Dictiones,* inquit, *naturam non perimunt, sed potiùs naturæ dictiones ad se trahit, & commutat. Siquidem verba non sunt priora substantiis, sed substantiæ priùs existunt, deindè dictiones supervenium.* Secundus Divus Gregorius Nazianzenus: *Opes nostræ non in nominibus, sed in rebus sitæ sunt.* Tertius D. Cyrillus: *Nihil possunt verba rebus derogare, quandò Scriptura ipsis abutitur. Nam hominum filii, parentum suorum servi, & facti filii, non nati plerumque dicuntur. Neque propter hoc tamen naturaliter filios esse quisquam negaverit. Naturæ enim rerum verba, non verbis naturas accommodamus.* Et libro ad Reginas: *Oportet locutionum formulas non adeò anxiè excutere, sed ipsas potiùs rerum naturas contemplari, earúmque ductu ad ipsam veritatem contendere.*

Quomodò intelligenda verba creare, & facere, cum de Filio est sermo.

Prov. 8. 22. *Act.* 2. 36. *Heb.* 3. 2.

3. *Reg.* 1. 19. 26. *1. Tim.* 1. 2. *1. Tit.* 1. 4. *Phil.* 10. *1. Petr.* 5. 13. *Gen.* 28. 5. *ex* LXX. *Iob.* 42. 13. *ex* LXX. *Ps.* 106. 37. *Deut.* 32. 18. *Isai.* 1. 2.

Rerum veritas, non nudus verborum cortex in Scriptura considerandus.

D. Athanas. Orat. 3. contra Arian. D. Greg. Naz. Orat. 42. D. Cyril. lib. 9. Thes. cap. 1. Idem lib. de rect. Fid. ad Reginas.

Digitized by Google

tendere. Cùm igitur constet, Filium ex Dei substantia genitum esse, nihil efficit, si aliquandò Scriptura ad vulgi sensum, sermonémque se demittens, factum, vel creatum enuntiet. Debent enim verba ad veritatis nubem deflecti, non veritas ad verborum licentiam torqueri; præcipuè cùm factum, & creatum, & quotquot similes sunt voculæ, possint in Verbum hominem factum compingi, ut iidem Patres notant; & lib. 5. cap. 6. n. 14. ostendendum.

Filius Patri consubstantialis.

13. *Abass.* Non factum, neque creatum Dei Filium optimè ex naturæ cum Patre colligatione probatum; quid de consubstantialitate sentiendum? *Romanus.* Cùm naturæ communionem concessisti, consubstantialitatem sigillo obfirmasti; quod enim cum aliquo in natura concurrit, illi est consubstantiale. Quam vocem Nicæni Patres à se ipsis ad Sacrorum librorum Canones excogitatam *in tractatu Fidei posuerunt* (ait D. Ambrosius) *quòd viderent, adversariis esse formidini, ut tamquàm evaginato ab ipsis gladio nefandæ caput hæresis amputarent.* Eam verò, tamquàm inexpugnabilem inviolabilis fidei arietem, omnes Arianorum substructiones conquassantem, & labefactantem ipsi, ut commolirentur, nullis non copiis, & fraudibus sunt adnixi; Patribus infracto semper animo, præsertim Athanateo, & Hilario, obsistentibus. Indicat enim vox ista veram Filii cum Patre in substantia unitatem, & in personali proprietate distinctionem. Unitatem, quia *una natura identitas*, inquit D. Cyrillus, *ubi & consubstantialitas sicut enim si natura differentia inter Patrem, & Filium daretur, is non esset consubstantialis, sic cùm nulla hujusmodi differentia inveniatur, consubstantialis necessariò est.* Si verò inter creaturas, quæ ejusdem speciei sunt, invicem sunt consubstantialia; ut Paulus Petro; hic equus alii; leo leoni (cùm tamen, ut advertit Aristoteles, unum tantùm sint formâ, non numero) major ratio urget, ut Filium Patri consubstantialem agnoscamus, cùm utrumque eadem numero substantia conjungat. Distinctionem quoque idem nomen infert, quia ut nemo ipse sibi est commilito, vel contubernalis, vel commensalis; sed alteri, cum quo militat, commoratur, & convivatur; sic sibi non est consubstantialis, sed aliis, quibus ejusdem naturæ symbolo, sive tesserâ consociatur. D. Athanateus: *Filius*, inquit, *consubstantialis Patri non est ipse Pater, sed Filius ad Patrem dicitur consubstantialis.* Et D. Aforosius: *Aliud alii Homousion est, idest, consubstantiale, non ipsum sibi.*

D. Ambros. 3. de fide cap. 7.

D. Cyril. lib. 2. thes. cap. 1.

Nomen consubstantialis & unitatem, & distinctionem in Filio denotat.

Aristotel. 7. Metaph. cap. 8. text. 28.

D. Athanas. epist. ad Epictetum.

D. Ambros. lib. 3. de Fide cap. 5.

14. *Abass.* Regressum facito ad ultima definitionis verba. *Ad similitudinem in eadem natura.* *Rom.* Quamquàm propriè similia sunt, quæ in aliqua qualitate consentiunt, ut Æthiops Arabi, Italo similis est colore Lusitanus; generatim tamen similia vocantut, quæ habent eamdem formam; quidquid autem generatur, generantem formâ adæquat. Totus enim istius scopus est formam suam in genitum traducere: Sed quia omne agens creatum virtutis est circumscriptæ, & si propriam formam in effectum transponeret, illa se ipsum ad supremam usque defectionem exhauriret; ipsi datum, ut aliam numero tantùm similem in eo excudat. Ità dicitur, Adamum Seth ad similitudinem suam genuisse; bonúmque parentem, *quasi non esset mortuus*, obiisse. *Similem enim post se Filium reliquit.* Cùm igitur Filius consubstantialis sit æterno Patri, non potest non ei similis esse in eadem natura. Ità verò indiscreta inter utrumque similitudo decurrit, ut Filius ipse testetur. *Qui videt me, videt & Patrem meum. Numquàm certè hominis formam*, inquit D. Cyrillus, *in equo speculabimur, nec equi formam in homine. Simile enim in simili videtur. Quæ verò natura differunt, nunquàm in alterutris videbuntur.* Sed Filius non solùm Patri similis est, sed naturalis, & perfectissima illius imago.

Gen. 5. 3.

Eccl. 30. 4.

Joan. 14. 9.

Summa est similitudo inter Patrem Filium in eadem natura.

D. Cyril. lib. 2. thes. cap. 1.

CAPUT VIII.

Aliæ Filii proprietates ex vi suæ generationis ostenduntur.

Duplex genus imaginum: artificialium, & naturalium.

1. *Abass.* Cur Filius naturalis est imago Patris? *Rom.* Duplex est genus imaginum, ut jam tetigi lib. 2. cap. 13. num. 5. alterum arte fabrefactarum sive scalpri incisione, sive colorum lenocinio: alterum naturalium, quæ ab ipsa natura excuduntur: Dei quidem imagines sunt omnes creaturæ rationales; de Angelo enim ait Ezechiel: *Tu signaculum similitudinis*; de homine Moyses: *faciamus hominem ad imaginem, & similitudinem nostram.* Hæ autem imagines Deum non ex toto referentes, solâ sunt illius sapientiæ arte delineatæ. *Quis horum, quæ sunt*, inquit Sapiens, *magis, quàm illa est artifex?* Una est naturalis, & plena Dei imago, de qua D. Gregorius Nazianzenus: *Illa* inquit, *archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago*; nempe Filius, *in quo totus Pater in integrum videtur*, teste D. Basilio; quem D. Paulus vocat *imaginem Dei invisibilis; splendorem gloriæ, & figuram substantiæ ejus.* Tres sunt veræ, & naturalis imaginis conditiones, quæ in Filio erga Patrem relucent.

Ezec. 28. 12.

Gen. 1. 26.

Sap. 8. 6.

Filius est naturalis imago Patris.

D. Greg. Naz. Orat. 38.

D. Basil. p. 4. n. 20.

Col. 1. 15.

Heb. 1. 3.

Filius est imago naturalis Patris, quia similis in natura.

2. *Abass.* Quænam prima est naturalis imaginis conditio? *Rom.* Ut suo archetypo similis sit in natura. Ita Seth Adami, & omnes universim Filii suorum parentum sunt imagines, ob tenuiscula illam, quam ab ipsis accipiunt, substantiæ portionem: sed multò magis ille Filius, qui totam ad se æterni Patris naturam advocavit. *Filius*, inquit D. Basilius, *imago est non inanimata, nec manu fabricata, nec artis, & cogitationis opus, sed imago vivens; imò ipsa vita, non in figura similitudine, sed in ipsa substantia identitatem retinens.* D. Gregorius Nazianzenus: *Imago*, inquit, *ut ejusdem cum Patre*

D. Basil. lib. 1. contra Eunom.

D. Greg. Naz. Orat. 36.

Digitized by Google

Patre substantiæ. Et quia ex illo est, non item ex hoc Pater.

2. Est Filius imago Patris, quia ab eo procedit.

3. *Abass.* Quænam secunda est naturalis imaginis conditio? *Rom.* Illa, quam ultima D. Nazianzeni verba commendant; ut à re, cujus est imago, procedat. Cujus defectu nec ovum ovi, nec pomum pomi, nec quivis homo indiscriminatim alterius; neque Pater & Filii, aut Filius Spiritus Sancti; & multò minùs creaturarum est imago. D. Cyrillus: *Patris*, inquit, *imago est; alias autem rebus non assimilatur, quia tantùm à Patre natus est*; notátque eum dictum

D. Cyril. p. 36. n. 3.

Coloss. 1. 15.

à D. Paulo *imaginem Dei invisibilis*, omnis autem creaturæ non imaginem, sed *primogenitum*; quia sicut à creaturis, quibus prior fuit, procedere non potuit, sic neque ipsarum imago appellari. Hanc sui à Patre instar imaginis processionem Filius ipse manifestavit, cùm dixit: *Hunc enim Pater signavit Deus. Nemo est*, inquit D. Cyrillus, *qui non concedat, characterem sigillum signare, & absque charactere signare non posse. Quoniam igitur divina Scriptura testatur, characterem hypostaseos Dei Patris Filium esse, qui in ipsa, & ex ipsa est naturaliter; quo alio charactere Pater Filium signavit.*

Joan. 6. 28.

D. Cyril. 3. in Joan. cap. 29.

Hebr. 1. 3.

3. Est imago Patris, quia ab eo distinctus.

4. *Abass.* Quæ tertia est conditio naturalis imaginis? *Rom.* Ut distincta sit à re, cujus est imago; nihil enim sui ipsius imago esse potest. Ideò Filius non est imago divinitatis, cum qua idem est. Et corrigenda sunt illa Concilii Nicæni verba in vestro Libro, in quæ mendum irrepsit: *Unus est Deus Verbum à Deo Patre tantùm, facies, & imago divinitatis*: Legendum enim est: *imago illius in divinitate*, sicut ad Theologiæ perpendiculum loquitur D. Cyrillus. *Dicere imaginem Dei invisibilis, est declarare, quòd sit Patris similitudo in divinitate.* Loquendum igitur, & sapiendum cum D. Paulo, qui Filium dixit, *figuram paternæ hypostaseos*, sive Personæ. Sic enim locum illum interpretantur in vestro Libro D. Basilius, Heraclis, Nazianzenus, Theophilus, & Cyrillus. Imò ex eodem colligit Basilius, Filium hypostasi à Patre, cujus est imago, differre. Ut jam supra cap. 1. n. 3. notatum.

Concil. Nicæn. p. 1. n. 6.

D. Cyril. p. 36. n. 1.

Hebr. 1. 3.

D. Basil. p. 1. n. 4. p. 4. n. 20.

D. Procl. p. 5. n. 17.

D. Greg. Naz. p. 5. n. 5.

Theoph. Alex. p. 1. n. 2.

D. Cyril. p. 1. n. 15. 16. p. 2. n. 6. p. 3. n. 4. p. 36. n. 1. p. 38. n. 10. p. 51. n. 16.

5. *Abass.* Si Filius Patris est imago, & in imagine splendet repræsentatæ rei similitudo, quorsùm Patres, ne Filius Patri similis diceretur, tam obfirmatè restiterunt? *Rom.* Cùm Ecclesia ad firmandam Christi divinitatem in Concilio Nicæno Homousii, id est, consubstantialis vocem divulgasset, in nullam rem acriùs Ariani nervos omnes intenderunt, quàm ad illam unius litterulæ inversione labefactandam, Homiusion (quod est similis) pro Homousio supponentes. Patres tamen illi perversitati constantissimè sunt obnixi; non quòd Filius Patri similis non sit, sed quia Hæretici aliud verbis, aliud animo profitentes, vero similitudinis vocabulo ad errorem suum obnubendum abutebantur: Filium non naturâ Patri similem, sed sicut est Cæsari statua lapidea orichalcum auro, creatura creatori, & homo Deo, sentientes. *Nam in die, qua creavit Deus hominem, ad similitudinem Dei fecit illum.* Et Tyri principem Ezechiel *signaculum similitudinis* appellavit. Similitudinem enim affert in qualibet qualitate comparatio; *consubstantialitatem*, ex D. Cyrillo, *sola natura identitas. Nihil ergo periculosius*, ait ex Nazianzeno D. Aforosius, *his Hereticis esse potest, qui cùm integrè per omnia decurrant, uno tamen verbo, ac si veneni gutta, meram illam, & simplicem Fidem Dominicæ, & exindè Apostolicæ traditionis inficiunt. Unde vehementer nobis cavendum est, ne se vel sensibus, vel auribus nostris hujusmodi aliquid latenter insinuet; quia nil tam cogit in mortem, quàm sub obtentu Fidei Fidem violare. Ut enim gypsum aquâ permixtum lac colore mentitur, ità hîc per verisimilem confessionem traditio inimica suggeritur. Qua de re non similitudo confessionis, sed sensus mentis est ponderandus, quo confessio ipsa firmatur.* Nomen ergo Homousii, quod omnes Hæreticorum fraudationes evertit, præferendum; Homiusii autem, sive similis, inter eos qui sano sunt Fidei palato, non spernendum; & solùm inter gregariam Arianorum turbam detestandum.

Gen. 5. 1.

Ezech. 28. 12.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 1.

D. Ambros. lib. de Filii divinitate cap. 1.

D. Greg. Naz. Orat. 49.

6. *Abass.* Ut Filius Patri est consubstantialis, & similis, sic etiam æqualis? *Rom.* Ut similitudo cernitur in qualitate, ità æqualitas in quantitate; sed cùm in Deo non sit quantitas, sic neque illa, quæ ex quantitate prosilit, æqualitas; sed ea tantùm, quæ ex infinitatis magnitudine resultat; ob quam ex D. Paulo Filius ipse, *cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Radix ergo, & fundamentum æqualitatis est Dei forma, seu divinitas; quod Joannes ampliùs insinuat, *Patrem*, inquiens, *suum dicebat Deum, æqualem se faciens Deo. Nam quæ ejusdem penitùs substantiæ sunt*, ait D. Cyrillus, *naturaliter æqualia sunt*: D. Athanasius in vestro Libro: *Natus est ab uno Patre suo, & æqualis est ei in divinitate sine differentia.* D. Basilius: *Æqualis illi in virtute, & gloria, & magnitudine.* D. Heraclis, & Cyrillus: *Est vera imago Patris, Filius æqualis Patri, qui natus est ab ipso.* Adverte tamen, æqualis nomen esse relativum, & ut formæ unitatem, sic extremorum differentiam indicare. *Non enim*, inquit D. Aforosius, *est diversa, nec singularis æqualitas; quia nemo æqualis ipse sibi solus est.* Undè si Filius Patri est æqualis, alia Filii Persona est. D. Athanasius. *Filius*, inquit, *æqualis est Patri in divinitate sua; & non est Pater, sed est Filius æqualis Patri.* Filius tamen æqualitatem suam non in solum Patrem, sed etiam in Spiritum Sanctum extendit. D. Attifos. *Natus est à Patre, Verbum Dei, qui æqualis est Patri, & Spiritui Sancto.* D. Cyrillus. *Quidquid est in Patre, vel Spiritu sancto, est in Filio*: Sextum Concilium Toletanum: *Tres Personæ coæquales sunt, quia ejusdem naturæ sunt. Hæc verò natura non recipit magis, & minùs.*

Filius Patri æqualis.

Philip. 2. 6.

Joan. 5. 18.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 3.

D. Athanas. p. 4. n. 10. 31.

D. Basil. p. 4. n. 19.

D. Procius, p. 5. n. 25. 26.

D. Ambros. lib. 2. de Fide, cap. 4.

D. Athanas. p. 15. ex Epistola ad Epictetum.

D. Atticus. n. 2.

D. Cyril. p. 51. ex explicat. 12. anathem. Concil. Tolet. VI.

7. *Abass.*

Digitized by Google

Filius Patri coæternus. D. Athanaſ. in Symb. & p. 4. n. 8. p. 10. n. 1. p. 14. n. 16.

7. *Abaſſ.* Itáne coæternus Patri Filius, ſicut æqualis? *Rom. Tres Perſonæ*, inquit D. Athanaſius in Symbolo, *coæternæ ſibi ſunt, & coæquales.* Et in veſtro Libro: *Filius habet antiquitatem temporis, cùm non ſit poſterior Patre ſuo.* Alibi: *Genitus eſt ante omnem creaturam, & non ſeparatur à Patre omni tempore.* Alibi: *Non fuit tempus, in quo Filius non fuerit cum Patre.* D. Baſilius: *Non eſt Pater uno momento, vel ictu oculi ſine Filio.* Alibi: *Verbum vivum, Deus ex Deo, qui eſt in ipſo, & non fuit poſt ipſum.* D. Gregorius Nyſſenus: *Non poteſt unquàm dici principium exiſtentiæ ejus.* Theodotus Ancyranus: *Filius Dei unigenitus prior eſt omni tempore; & ſubſtantia divinitatis ejus non habet principium.* D. Gregorius Nazianzenus. *Venit Verbum Dei, quod non habet principium.* De quo autem principio loquatur, alibi declarat: *Qui eſt ante omne temporis principium.* Temporis enim principium, non originis, quod in Filio non agnoſcimus, officit æternitati, ejuſdem Theologi teſtimonio: *Quod*, inquit, *principio caret, ſempiternum eſt; quod autem ſempiternum eſt, non protinùs quoque principio vacat, quamdiu ad Patrem, velut ad originem, principiúmque refertur. Ergo illi* (loquitur de Filio, & Spiritu ſancto) *quantum ad cauſam, principio minimè carent* (*perſpicuum eſt autem cauſam non omninò antiquiorem eſſe iis, quorum cauſa eſt; neque enim ſol lucem tempore antecedit*) *quantùm autem ad tempus, principii ſunt expertes.* Eodem lucis exemplo utitur Theodotus Ancyranus: *Filius Patris lumen dicitur, quia lux, quæ orta eſt ex lumine, non dicitur orta poſt ipſum, ſed ſimul ac ortum eſt lumen, lux orta ex ipſo invenitur, & ſemper cum ipſo exiſtit.* Eadem lucis ſimilitudo frequens eſt apud Athanaſium, Cyrillum, & Auguſtinum.

D. Baſil. p. 4. n. 10. p. 5. n. 4. D. Greg. Nyſſ. p. 1. n. 10. Theodot. p. 1. n. 6. D. Greg. Naz. p. 1. n. 12. p. 5. n. 1. Temporis, non originis principium officit æternitati. D. Greg. Naz. Orat. 35. Theodotus Ancyr. p. 1.

Rationes, ob quas creaturarum cauſarum effectus non ſint ipſis coævi, in Deo non dantur. *Sap.* 12. 18.

8. *Abaſſ.* Undè provenit, ut Filius Patri ſit coæternus? *Rom.* Tribus ex capitibus oritur, ut effectus ſuæ cauſæ non ſit coævus. Primum, ſi cauſa impotentiæ temporis lapſu auferendæ obice præpediatur; quâ homines præligati, generandi compotes ante pubertatem non evadunt. Deus autem nec temporis legibus, nec debilitatis vitio detinetur. Semper enim illi *poſſe ſubeſt*, ut Sapiens edocet; & nihil eſt, quod ejus potentiæ reſiſtat, ut lib. 2. cap. 19. n. 4. demonſtratum: Secundum eſt, ſi effectus ipſe talis ſit conditionis, ut à cauſa in actu primò conſtituta illicò produci non poſſit, ſed paulatim, ac per intervalla ſit fingendus, & perficiendus. Ut homo primùm ſemen eſt, quod intra ſeptem dies in matris alvo coagulatur; deinde caro informis altricis animulæ; poſteà ſentientis, ac tandem die quadrageſimo rationalis ſpiritu vegetata; tandem poſt longa decem menſium faſtidia parturitionem, cunabula, crepundia, prætextam, & crebras adoleſcentiæ vacillationes virilem tandem perfectionem adipiſcitur. Obſtetricum tamen, nutricum, & gerulorum manus, & cæteras cunctationes Dei Filii natura non patitur, ſed *candor eſt lucis æterna, & ſplendor gloriæ*; quia ut eodem inſtanti, in quo ſol apparet, totum orbem luce circumfundit, ſic in Patrem cogitationis aciem dirigere non poteris, quin illum coæterni ſibi Filii radium vibrantem contempleris. Ex illo enim ſolis, ac lucis exemplo hoc ſolùm mutuatur Dei Filius, notante D. Cyrillo, *quòd ex Patre indiviſibiliter, & ſine ullo ſpatio dimanat; ſicut ſol lucem ex ſe ipſo emittit, quamvis lux propriam non habeat hypoſtaſim, ſed in ſole ſubſiſtat; propriam verò hypoſtaſim habet Filius, quamvis à Patre non ſeparatam.* Tertium eſt, ſi cauſa liberæ voluntatis electione ad agendum applicetur. Ideò enim Noë, *cùm quingentorum eſſet annorum*, & non antè, *genuit Sem, Cham, & Japhet*; quia voluntariè ad illud uſque temporis rei uxoriæ curam protraxit, ut docet D. Joannes Chryſoſtomus. *At Pater*, inquit D. Athanaſius, *non deliberat de Filio, ne de ſe ipſo deliberare videatur.* Cùm enim Pater ob Filium dicatur, ſi de Filio gignendo conſultaret, ſuam etiam conſtitutionem in dubium vocaret. *Nec voluntas*, inquit D. Auguſtinus, *ſapientiam prævenit; nec Filius*, ait D. Cyrillus, *voluntatis, ſed Patris imago eſt.*

Sap. 7. 26. *Hebr.* 1. 3. D. Cyril. l. Theſ. cap. 7. *Geneſ.* 5. 32. D. Joan. Chryſoſt. hom. 24. in Geneſ. D. Athanaſ. Orat. 4. contra Arian. D. Aug. in lib. quæſt. 65. ad Oroſ. q. 7. & lib. 15. de Trinit. cap. 2. D. Cyril. lib. 1 Theſ. cap. 9. Filium Pater naturaliter, non liberè gignit. *Coloſſ.* 1. 13. *Geneſ.* 35. 18.

9. *Abaſſ.* Quantam cavillatoribus ad arguendum feneſtram aperuiſti! Si enim Pater de Filio non deliberat, nec ipſe paternæ fœtus eſt voluntatis, illum Pater non volens generat, ſed invitus, & coactus; nec dici poteſt *dilectionis Filius*, ut à Paulo vocatur, *ſed Filius doloris. Rom.* Filium Pater non liberè genuit, ſed naturaliter, & felici neceſſitate compulſus; nec tamen invitus, aut coactus, ſed voluntariè; non antecedente, ſed concomitante, & ſubſequente voluntate. Non genitum liberè, ſed naturaliter, probo; quia quæ liberè fiunt, poſſunt eſſe, & non eſſe; Filii autem generatio non poteſt non eſſe. Si enim poſſet non eſſe, ipſe etiam Pater poſſet non eſſe. *Pater enim*, inquit D. Cyrillus, *ad Filium & eſt, & dicitur; & converſim Filius ad Patrem. Si ergo præcedente natus eſt voluntate, quoniam eſt neceſſe, non diſſimilem ſecundùm eſſentiam eſſe Patrem imagini, & ſplendori ſuo; erit etiam ipſe Pater præcedente voluntate; quod eſt omninò abſurdiſſimum.* Idque ſignificant illa verba D. Athanaſii: *Pater non deliberat de Filio, ne de ſe ipſo deliberare videatur.* Deindè Filius ex prima, & comprehenſiva Patris cognitione procedit; prima autem intellectûs cognitio non poteſt eſſe libera, cùm illam nulla voluntatis operatio (quam formaliter inſidet libertas) prævenire poſſit; voluntatem enim ſemper præcurrit intellectus. D. Cyrillus: *Si Pater*, inquit, *ſcit ſemper, ſe Patrem eſſe, ſemper in ſe cognitionem de Filio habet. Cognoſcendo enim, quid ipſe ſit, Filium quoque cognoſcit. Erat autem Deus ſemper Pater, erat igitur ſemper etiam Filius.* Et D. Aforoſius: *Generatio eſt in paterna proprietate, non in jure poteſtatis*; quia ut Pater in ſua proprietate conſtitutus, non habet ſuæ perſonalitatis,

D. Cyril. lib. 1. Theſ. cap. 8. D. Athanaſ. ſuprà. D. Cyril. ibidem. D. Ambroſ. lib. 4. de Fide, cap. 4.

Digitized by Google

tatis, ità neque Filii emanationis cohibendæ potestatem. Tandem generatio opus est naturæ, non voluntatis; naturaliter enim omnes res sui ex se species diffundunt; arbores ex semine, vel stirpe pullulant; lumen ex igne, & splendor à sole effulget. *In naturalibus enim*, inquit D. Cyrillus, *nulla præcedit deliberatio, nulla electio; & ideò voluntas nulla.* Quarum rerum productionibus Filii generatio confertur; *Quòd*, inquit, *Pater est natura, id ipsum Verbum suum est; ideò Pater in Filio est, sicut sol in suo splendore, sicut mens, sive intellectus in suo verbo, & sicut in fluvio fons.* Etiam in hominibus, quibus arbitrarium est, cælibes esse, vel uxorios, generatio naturalis est. Nam post inditum in fœminæ vulvam semen, non est in viri, vel fœminæ voluntate situm, ut abortio, vel animæ in corpusculum invectio (quæ vera est generatio) sequatur, neque ut venustus infans, vel monstrosus oriatur. *Multi etiam*, addit Cyrillus, *generare volunt, & non possunt. Nihil ergo voluntas ad naturalia confert.*

D. Cyril. lib. 1. thes. cap. 8. & lib. 3. cap. 1.

D. Cyril. Ibidem.

Non est coacta Filii generatio ex eo, quòd libera non sit.

10. *Abass.* Si Pater Filium naturaliter genuit, quomodò non invitus, & coactus? *Rom.* Nemo quidquam invitus facit, aut coactus, ad quod naturæ proclivitate raptatur; sed illud tantùm, ad cujus violentam impressionem ipse resilit, & obluctatur. Quis dicet, invitum lapidem è cælo in terram præcipitari? Flumina non sponte in mare devolvi? Aërem coactum ex terræ visceribus in suum locum, & ignem in cœlum evolare? Qui hasce nugas excogitant, *nobis*, inquit D. Cyrillus *respondeant; si quis fingeret, voluntatem esse in igne: Utrum voluntate ipsius calor ex eo flueret, an contrà? Sed nihil poterunt respondere. Nam quæ naturâ prodeunt, nihil istorum suscipiunt; quæ verò extra producuntur, utrumque.* Ut ergo ignem voluntarium diceremus in calore suo spargendo, si voluntatem haberet: sic etiam Pater dicendus est voluntarius in Filio gignendo; non quidem voluntate generationem prævertente: *nunquàm enim cum, ut esset*, ait D. Hieronymus, *paterna voluntas præcessit*; sed illam associante, & insequente; ut cùm de bono nobis præter spem oblato complacemus. De qua ipse: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi complacui.* Et iterùm: *Dilectus meus, in quo benè complacuit anima mea.* Ideò dictus est à D. Paulo *filius dilectionis*; & ipse de se testatur: *Pater diligit Filium.* Quis enim somniabit, Moab, & Amon, quos Loth cùm genuit, sopitam temulentiæ veterno mentem, voluntatémque habebat, ab eo, discussâ jam ebrietate, non dilectos? An tu dicereris invitus, & coactus, si tuus tibi Imperator inopinanti armillam auream, & chlamydem phrygiatam (ut iis, quos vult honorare) suo more contulisset? Ità semper tibi invito, & renuenti omnium bonorum montes coacerventur.

D. Hieron. in cap. 1. Epist. ad Ephes.

Matt. 3. 17. & 17. 5.

Matt. 12. 18 *Coloss.* 1. 13. *Joan.* 5. 10. *Gen.* 19. 33.

Verbum aumquàm dici potest

11. *Abass.* Ut Verbum dicitur Filius paternæ dilectionis, dicíne potest filius gratiæ, & adoptionis? *Rom.* Nequaquàm; *quod enim naturaliter ex aliquo nascitur*, ait D. Athanateus, *neque aliundè adoptatur, id pro filio agnoscit natura.* Dilectio quippè naturalem filiationem non perimit, sed assectatur; gratia, & adoptio demoliuntur. Primùm, quia adoptio externam personam arrogat, ut Ægyptia Pharaonis filia Moysem Hebræum; naturalis filiatio agnascentem, cohærentémque complectitur; qualis est Filius, *cui Deus*, inquit D. Aforosius, *pater est proprietate naturæ, aliis non naturæ jure, sed gratia.* Secundò, quia adoptionis gratia temporaria & multò post generationem, nativitatémque adveniens. D. Cyrillus: *Præintelligitur*, inquit, *necessariò hypostasis, cui conceditur gratia; sicut & nos homines priùs esse intelligimur, quàm simus per gratiam deificati.* At Filius semper fuit in *sinu Patris*, & *apud Deum*; & si gratiâ filius esset, intelligeretur aliquod spatium, in quo Dei Filius non esset. Tertiò, quia, ut docet D. Aforosius, *adoptio potestatis est, generatio proprietatis.* Qui enim per gratiam Dei sunt filii, liberè ab eo gignuntur: *voluntariè*, inquit D. Jacobus, *genuit nos verbo veritatis*; ipsíque liberè possunt filiationis beneficio annuere, vel renuntiare. *Dedit eis*, ait D. Joannes, *potestatem filios Dei fieri*; quam potestatem illi acceptam habere noluerunt. Nam *sui eum non receperunt*; & Moyses, teste Paulo, *negavit, se esse filium filiæ Pharaonis.* At Filii generatio non est antecedenter voluntaria, sed naturalis, ut probatum est; quam ipse nequit detrectare; ut neque cera, vel numus impressam notam. Illum enim, ex D. Joanne, *Pater signavit Deus.* Undè est, teste D. Gregorio Nazianzeno, *immotum Patris sigillum, & illius per omnia similis imago.* Quartò, qui gratiæ filiationem consequuntur, illius jacturam facere possunt; nam ad Israëlitas David dixit: *Dii estis, & filii Excelsi omnes.* Christus autem ad eosdem: *Vos ex Patre diabolo estis. Quod enim acquisitum est*, ait D. Cyrillus, *priùs non habebatur, sed posteà contigit, atque accessit; quare amitti etiam facilè potest. Omne nàmque quod datur, auferri etiam potest; & quod accessit, non est inconveniens, si abiit. Necesse est ergo, ut vel concedant, Filium Dei Deum, atque Dominum posse amittere, quòd Filius Dei, & Deus, & Dominus sit; vel necesse est, confiteantur, non participatione aliqua ipsum ad Patrem conformari, sed naturalem, atque essentialem similitudinem habere.* Dei autem Filium suæ filiationis proprietatem amittere non posse, D. Paulus significavit, dicens: *Non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo.* Ideò. Certus erat nullâ sibi rapinâ posse hanc divinæ æqualitatis gloriam extorqueri. Et ipse: *Quod dedit mihi Pater, majus omnibus est; & nemo potest rapere de manu Patris mei. Pater*, ait quidam, *Filium gignendo dedit, ut ipsius sit unigenitus; & nemo hoc ipsum potest rapere de manu Patris; imò neque de manu Filii. Est enim ipse Patris manus, & brachium*; ideò addit: *Ego, & Pater, unum sumus.*

Filius adoptionis, & gratiæ. D. Athanas. de Symbol. Nicæn. decret. contr. Arian. hæres. *Exod.* 2. 10.

D. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 6.

D. Cyril. lib. 12. thes. cap. 15.

Joan. 1. 1. 18.

D. Ambros. lib. 4. de fide cap. 4.

Iacob. 1. 18.

Joan. 1. 11. 12.

Heb. 11. 24.

Joan. 6. 28.

D. Greg. Naz. Orat. 38. De Nativ.

Ps. 81. 6.

Joan. 8. 4. D. Cyril. lib. 4. Thes. cap. 1.

Philip. 2. 6.

Joan. 10. 29.

Clitovæ. in addit. ad D. Cyril. lib. 7. in Joan. cap. 10.

Joan. 10. 32.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT IX.

De generatione Filii, ut Verbum est, & Sapientia Patris.

Verbum Dei vocale non est.

1. *Abass.* Gratis se stultitiæ filium adoptat, qui Dei Verbum gratiæ filium, aut Patris adoptivum effutit; cur autem Verbum dicatur jam tempus effari. *Rom.* In primis cave arbitreris, Dei Filium aliquod esse verbum sonorum, labiis emissum, & in aërem effusum. *Non enim est parva impietas*, ait D. Cyrillus, *si quis credit modo humano per labia, & guttur, & linguam Verbum divinum emitti, & aures audientium verberare. Non convenit certè hujusmodi fictio ulli incorporeæ naturæ.* Et in vestro Temirte habuata, cujus inflexione nihil apud vos frequentiùs, ità quotidie ex persona ipsius Verbi Patrem alloquentis cantitatis: *Gratias tibi ago Pater, non labiis carnalibus, neque linguâ, neque isto verbo, quod prodit ex carnali, & naturali creatione; sed gratias tibi ago, ô Rex, in hoc Verbo, quod à te est, & ab omnibus agnoscitur; & non est simile organo corporali; & non intrat per aures carnales. Neque gratias tibi ago voce, quæ in mundo est, & cujus usus in terra est; sed voce, quâ condita sunt à te omnes creaturæ.*

D. Cyril. lib. 7. Thes. cap. 1.

Temirte habuata.

Ex vocis definitione divinum Verbum non esse vocale ostenditur. Aristotel. lib. 2. de Anim. cap. 8. text. 90.

2. *Abass.* Quid obstat; quo minùs Verbum divinum simile sit vocibus, quibus humanæ tunduntur aures? *Rom.* Vox est ex aëris respiratione ab anima in pulmonibus existente attracti, per fistulam gutturalem ad laryngem, & palatum allisio; & prævia linguæ, ac dentium modulatione per labia emissio. Ergo qui Deum vocalem expetunt, dent illi grande aliquid, quo pulmo animæ prælargus anhelet: gurgulionem, & palatum; ipsúmque æquè imprudenter, atque impudenter pectorosum, linguacem, dentatum, labeonémque confingant. Nostro igitur verbo dissimile est divinum. Primùm, quia nostrum mortuum est, & flaccidum; divinum autem *vivum, & efficax* ut docet D. Paulus. D. Basilius: *Verbum vivum Deus ex Deo.* D. Cyrillus: *Verbum Dei vivum est, immutabile, & inconvertibile à sua substantia, quia Deus est.* Secundò, quia nostrum verbum est aëreum, & volaticum; divinum subsistens, & ut ibidem addit D. Cyrillus, *habet personam perfectam, sicut Pater ejus.* D. Gregorius Thaumaturgus: *Verbū nostrum, quod in aërem diffunditur, non existens in persona, sed Verbum Dei existit in Persona ex substantia sublimi, & firma.* Et infrà. *Ne comparetis istud Verbum verbis illis, quæ sunt extra substantiam personæ, sed est perfecta facies, & Persona.* Theodotus Ancyranus: *Quando comparamus Dei Verbum nostro, ne tibi videatur non habere faciem, neque substantiam: Verbum autem Domini Dei nostri*, ex Isaia, *manet in æternum.* Tertiò, quia nostrum verbum fluxum est, atque transitorium; Divinum autem immobile, & in æternum perdurans. D. Gregorius Thaumaturgus: *Non separatur à Patre, & non finitur nativitas ejus ab illo.* Theophilus Alexandrinus: *Est non transitorium ab eo, qui non est transitorius.*

Tres differentiæ inter Verbum divinum, & vocale, *Heb. 4. 12.* D. Basil. p. 4. n. 9. Theoph. Alex. p. 1. n. 1. D. Cyril. p. 55. n. 1. ex lib. cont. Apollinarem. n. 2. D. Greg. Thaum p. 1. n. 24.

Theodot. Ancyr. p. 1. n. 18. 19.

Isai 40. 8.

D. Greg. Thaum. p. 1. n. 24.

Theoph. Alex p. 1. n. 5.

15. *Abass.* Si Dei Verbum sonorum non est, neque aures percellit; cur sæpiùs dicitur, factum esse Verbum Domini super Moysem, & alios Prophetas: Deum locutum, & vocem ejus in Jordane & monte auditam? *Rom.* Vox illa non ipsius Deus erat, sed Angelorum. Nam tres illi viri; qui post convivium Abrahamo generis multiplicationem promisêre, capite sequenti Angeli vocantur. Vir etiam, qui in Genesi cum Jacob colluctatus referrur, de quo ipse: *Vidi Dominum facie ad faciem*, ab Osea *Angelus* nuncupatur. In Exodo legimus, Deum Moysi è rubo sermocinantem apparuisse; Divus autem Stephanus in Actis: *Apparuit*, inquit, *illi in deserto montis Sina Angelus in igne flammæ rubi.* Et cùm frequenter inculcetur, legem Moysi Deum suggessisse, idem D. Stephanus, & orationum ipsius alumus D. Paulus ab Angelis dictatam confirmant. D. Stephanus. *Hic est* (loquitur de Moyse) *qui fuit in Ecclesia in solitudine cum Angelo, qui loquebatur ei in monte Sina; & cum patribus nostris; qui accepit verba vitæ dare nobis.* Et iterùm: *Quia accepistis legem in dispositione Angelorum.* D. Paulus: *Ordinata per Angelos in manu mediatoris.* Et iterùm: *si enim, qui per Angelos dictus est sermo.*

Olim Deus non per se, sed per Angelos loquebatur.

Genes. 32. 4. 30. *Gen. 18. 2.* *Gen. 19. 1.*

Exod. 3. 2. *Act. 7. 30.*

Exod. 20. 1.

Act. 7. 38.

Act. 7. 53. *Galat. 3. 19.* *Heb 2. 2.*

4. *Abass.* Tantùm videtur obstrepere veritati, si dicatur, Angelos, quàm Deum, locutos. Si enim Angeli sunt incorporei, ut Deus, fibras non habent pulmonarias, neque pectoralem fistulam, nec laryngis tintinnabulum, nec palati testudinem, nec linguæ plectrum, nec dentium vallos, nec labiorū postes, ut vocem possint efformare. *Rom.* Vocem illam Angelicam haudquaquàm nomino, quòd, ut ab hominum, sic ab Angelorum thorace emittatur; non enim me latet, illos corporis exortes esse; sed quia ipsi corpore ex nubibus, vel aëre crassiori compacto personati spiritum ad guttur, & palatum à se figuratū impingentes, humanæ vocis argutationes imitantur. Sic tonitruorum sonitus vox dicitur. In Psalmis: *Vox tonitrui tui in rota.* Iterùm: *A voce tonitrui tui formidabunt.* In Ecclesiastico: *Vox tonitrui ejus verberavit terram.* In Apocalypsi: *Audivi tanquàm vocem tonitrui.* Et iterùm: *Locuta sunt tonitrua voces suas.* Tonitruū autem non est quid vivens, sed exhalatio intra nubiū vapores inclusa, quæ illarū cōpressione agitata, & calore rarefacta, ampliorem locum requirens, & aërem scindens hortendo illo boatu è nubibus erumpit. Ut ergo informem illum fragorē nubes vi constrictæ reddunt, sic mitiores aliæ in humanis corporis effigiem Angelorum opificio concinnatæ vocem molliorem. Hic ritus est Angelicæ locutionis sive ad Moysem, sive ad quemvis alium Prophetam, & in Christi Baptismo, & Transfiguratione. Nam in Baptismo nusquàm vox illa Patris, sed ab omnibus Evangelistis de cœlo dicitur, & in Transfiguratione *de nube.* Et D. Petrus: *Hanc vocem nos audivimus de cœlo allatam*; ut ex corpore ex nubibus addensato, & ex

Vox Angelorum non est naturalis, sed artificialis.

Ps. 76. 19. *Psal. 10. 5. 7.* *Eccl. 43. 18.* *Apoc. 6. 1.* *Apoc. 10. 3.*

Aristotel. 2. Meteor. cap. 9.

Matt. 3. 17.

2. Petr. 1. 18.

Digitized by Google

cæleſti, ſive aëreâ materiâ figurato voces illas exiiſſe demonſtretur. *Nec vox illa Patris* (ait D. Cyrillus) *propriè, ac naturaliter fuerat, ſed ſonus quidam factus, quo ſignificabatur, quanta dignitatis Filius ſit apud Patrem. Non enim ſolus Dominus audivit, ſed Diſcipuli quoque omnes.* Similes autem voces ex corporum colliſione factas non ſolùm inde magnus ille Doctor educit, quòd Diſcipulorum aures percuſſerint, ſed quòd Chriſtus quadam, quam vulgus tonitruum autumavit, ſemel audita, dixerit: *Non propter me hæc vox venit, ſed propter vos.* D. Cyrillus: *Non dicit certè non propter me locutus eſt Pater, ſed hæc vox non eſt facta propter me, ſed propter vos. Quia Diſcipuli non poterant paternam voluntatem in glorificando Filio diſcere, niſi voce humana.* Concludit itaque D. Cyrillus: *Erubeſcant iſti, quæ propter nos miracula, ac per diſpenſationem facta ſunt, ipſi naturæ Deitatis indecenter attribuere.* Aliqui Patres animadvertunt, Dei Verbum ſuper Prophetas factum; ut de Joanne Baptiſta ait D. Lucas: *Factum eſt Verbum Domini ſuper Joannem Zachariæ filium*; quia cùm fit locutio Deo non inhærens, verè facta eſt; ſed ipſum Dei Verbum factum non dicitur, ſed miſſum, vel eructatum.

D. Cyril. lib. 7. Theſ. cap. 1.

Joan. 12. 30.

C. Cyril. ibidem.

Luc. 3. 2.

5. *Abaſſ.* Si voces illæ ab Angelis formabantur, cur ait Scriptura: *Dixit Dominus ad Moyſen*: Et non potiùs: Dixit Angelus ad Moyſen? *Rom.* Si quidem in percontando ipſiſſimis verbis uteris, quibus D. Auguſtinus eamdem quæſtionem propoſuit, illam non meis, ſed ipſius verbis diſſolvam. *Quia*, inquit, *cùm verba judicis præco pronuntiat, non ſcribitur in geſtis: Ille præco dixit: ſed ille Index. Sic etiam loquente Propheta Sancto; & ſi dicamus: Propheta dixit, nihil aliud, quàm Dominum dixiſſe, intelligi volumus. Et ſi dicamus: Dominus dixit: Prophetam non ſubtrahimus, ſed quis per eum dixerit, admonemur.* Et ſub finem. *Ante Incarnationem Salvatoris, cùm Deus apparere dicebatur, voces illæ, ac ſpecies corporales per Angelos factæ ſunt, ſive ipſis loquentibus, vel agentibus aliquid ex perſona Dei; ſive aſſumentibus ex creatura, quod ipſi non eſſent, ubi Deus figuratè demonſtraretur hominibus.*

Si Angeli loquebantur, cur non ſcriptum: dicit Angelus, ſed dicit Dominus? D Aug. lib. 3. de Trinit. cap. 11.

6 *Abaſſ.* Satis mihi factum arbitrarer, ſi Prophetæ ſolùm, tamquàm Dei præcones aliquod ipſius conſultum promulgarent, ſed Deus ipſe non infrequenter proprio ex nomine interfatur, ut cùm dicit: *Ego ſum Deus Abraham, & Deus Iſaac, & Deus Iacob. Ego ſum Dominus Deus tuus, qui eduxi te de terra Ægypti, de domo ſervitutis. Non habebis deos alienos coram me*; & ſimilia ſexcenta, quæ nequeunt ullis præconibus, vel Angelis adaptari. *Rom.* Prophetæ non ſolùm præcones ſunt, ſed legati, & interpretes, quorum ore Deus ſicut inſtrumento utitur ad loquendum. *Multifariàm, multiſque modis*, ait D. Paulus, *Deus olim loquens Patribus in Prophetis.* Et Zacharias, *Sicut locutus eſt per os Sanctorum, qui à ſeculo ſunt, Prophetarum ejus.* David: *Spiritus Domini locutus eſt per me, & ſermo ejus per linguam meam.* Iterùm: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* D. Petrus: *Oportet impleri Scripturam, quam prædixit Spiritus Sanctus per os David.* Chriſtus Dominus: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* Non paucis, ut reor, diebus Patriarcham per interpretem concionantem, & excommunicationis gladium hiſce, vel ſimilibus verbis in pervicaces diſtringentem audiſti. Ego Patriarcha Æthiopiæ omnes circumciſionis ſtigmaticos, polygamiæ deditios, & Romanæ Fidei deſertores anathemati ſubmitto. Quis ergo ità deſipiat, ut audiens interpretem eadem omninò verba: Ego Patriarcha Æthiopiæ, & conſequentia fideliter repetentem, credat, illummet eſſe Patriarcham, non verborum Patriarchæ enuntiatorem? Si ergo Propheta ait: *Ego Dominus Deus tuus*, illius agit interpretem, & animatum inſtrumentum; ac ſi Deus illius gutture, *quaſi tubâ*, ut apud Iſaiam, & linguâ, ceu *calamo ſcribæ velociter ſcribentis*, ut apud Pſaltem, uteretur. Nemo verò prudens dixerit, à ſe ipſa tubam clangere, & calamum, ſcribere; ſed illam ab æneatore, iſtum à libellione cieri. Et quia Dei verba erant, & ſententiæ, non Prophetarum, ad Samuëlem ipſe ait: *Non te abjecerunt, ſed me.* Et Chriſtus Dominus: *Qui vos audit, me audit; & qui vos ſpernit, me ſpernit.*

Quid, cùm ſcribitur: Ego Dominus Deus tuus, & ſimilia? *Exod.* 3. 6.

Exod. 20. 2. 3.

Iſai. 58. 1.

Pſal. 44. 2.

1. *Reg.* 8. 7.

Luc. 10. 16.

Hebr. 1. 1.

Luc. 1. 70.

2. *R.* 23. 2.

Pſ. 84. 9.

Act. 1. 16.

Matth. 10. 20.

7. *Abaſſ.* Verbum externum, & vocale à Dei generatione penitùs conſileſcat; tu quale ſit, oſtende. *Rom.* Quod cap. 7. n. 4. admonui, divini Verbi à Patre emanationis exemplum à noſtrarum cogitationum paritura ſumendum, nunc iterùm confirmo. Dari enim in corde locutionem illa teſtimonia evincunt. Ex Pſalmis: *Dixit enim in corde ſuo: non movebor à generatione in generationem. In corde, & corde locuti ſunt. Dixit inſipiens in corde ſuo.* Ex Eccleſiaſte. *Locutus ſum in corde meo.* Cordis autem verbum, & locutionem eſſe cogitationes, oſtendit Salomon, cùm infrà addit: *Cogitavi in corde meo.* Et in libro Sapientiæ: *Dixerunt cogitantes apud ſe.* Cúmque paralyticum Chriſtus ſanitati reddidiſſet, ipſique remiſſa eſſe peccata manifeſtaſſet, adjungit Evangeliſta: *Ecce quidam de ſcribis dixerunt intra ſe: Hic blaſphemat.* Ut autem meliùs explicetur, quænam illa eſſent verba, quæ cavillatores illi intra pectus volvebant, adjicitur: *Cùm autem vidiſſet IESUS cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Undè patet, cogitationes totam eſſe cordis locutionem. Imò ipſum oris verbum à verbo cordis, & nomen deſumit, & originem. *Verbum*, inquit Eccleſiaſticus, *ex cogitatu cordis hominis:* Et iterùm: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te.* Et in Evangelio: *Ex abundantia cordis os loquitur.* Cùm enim aliquid corde volvimus, mox illud ore expromimus, verbúmque exteriùs (quod & ipſum eſt expers corporis) prodromus, & ſignum eſt interioris. *Verbum noſtrum humanum*, inquit Theodotus Ancyranus, *quod egreditur de ore noſtro, & quo ad invicem loquimur, nemo videre poteſt; quia verbum corpus non habet, nec quiſquam illud poteſt manibus contrectare.*

Hominum cogitationes internæ ſunt ipſorum verba.

Pſal. 10. 6. *Pſal.* 11. 3. *Pſ.* 13. 1.

Eccl. 1. 16. *Eccl.* 2. 1. 3. *Sap.* 2. 1.

Matt. 9. 3. 4.

Eccleſ. 27. 7. *Eccl.* 37. 20. *Matt.* 12. 34.

Theodot. Ancyr. p. 1. n. 12. Cogitationem unicam Deus habet, quæ eſt ipſius verbum.

8. *Abaſſ.* Quis audeat inficiari, cor humanum

Digitized by Google

humanum amplam cogitationem, & verborum familiam ductare? *Rom.* Multò minùs credendum, divinum intellectum illarum cogitationum calvitio, & inanitate deformari, quas Isaias vocat *cogitationes antiquas fideles*. Fideles, quia nullo possunt errore fœdari; nec mendacio, aut vi illata perverti. *Nemo*, ait Job, *avertere potest cogitationem ejus*. Antiquas, quia à tota æternitate Deum sunt comitatæ, & comitabuntur. *Cogitationes cordis ejus*, inquit David, *in generatione in generationem*. Dei autem cogitatio merum est ipsius Verbum, ut quotidie contestamini in Termite habuata: *Ipse est cogitatio Patris investigabilis*. D. Irenæus: *Ipse est cogitatio perfecta Patris; Verbum Dei, quod genitum est ab illo ante luciferum*. D. Heraclis: *Vocamus eum Deum Verbum, quia Deus est in substantia sua, & cogitatio, quæ non dividitur A PATRE*. Immota hæc, & inviolabilis Dei cogitatio verum ipsius verbum est, quod in aliquibus compar est humano, dispar in multis.

Isai. 25. 1. *Iob.* 23. 13. *Ps.* 32. 11. Termite habuata. n. 13. D. Irenæus p. 1. n. 1. D. Procl. p. 5. n. 16.

9. *Abass.* In quibus divinum Verbum simile est humano? *Rom.* Ut humanum verbum à mente, sic divinum effluit ab intellectu: *Verbum enim dicitur*, ait D. Basilius, *ut quod ex mente procedat, ostendatur*. Et D. Athanateus: *Verbum promanationem mentis nominari convenit*. Deindè, ut humanum verbum ob productionem ab intellectu enitente distinguitur, sic divinum Verbum à Patre; & ideò hoc nomen non est minùs notionale, & relativum, quàm nomen Filii. *Sicut enim Filius*, ait D. Augustinus, *ad Patrem refertur, non ad se ipsum dicitur; ita & Verbum ad eum, cujus est Verbum, refertur. Quia Verbum non ad se dicitur, sed tantùm relativè ad eum, cujus est Verbum*. Tertiò, quia divinum Verbum imago est Patris, sicut humanum rei intellectæ. *Habet mens rationalis, cùm se cogitando intelligit* (inquit D. Anselmus) *secum imaginem suam ex se natam, ideſt, cogitationem sui, ad suam similitudinem quasi sua impressione formatam; quæ imago ejus, verbum ejus est*. Quartò, quia, ut cogitatio mentem, à qua exit, non violat, sic impolluta est, & intemerata Filii ex Patris vulva generatio; quem ideò Verbum dictum notat D. Athanateus, ut *hac voce impatibilitatem in gignendo intelligeremus*. Theodotus Ancyranus: *Quoniam*, inquit, *Filius, ejusve, qui nascitur, ortus passionem apud nos denotant, hunc Dei Filium Joannes Verbum nominat, nativitatis impassibilitatem hoc nomine exprimens*. Quintò, sicut humanæ mentis verbum exemplar est rerum omnium à nobis agendarum, sic Dei Verbum omnium creaturarum. *Qui fecisti omnia verbo tuo*, ait Sapiens; & Joannes: *Omnia per ipsum facta sunt*. D. Paulus: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt*. Et iterùm: *Per quem fecit & sæcula*. Sextò, sicut cordis verbum oris verbo manifestatur, & scripturæ commendatum fit visibile, ità Deus *locutus est nobis in Filio*, ait D. Paulus, homine facto. *Et omnis caro pariter*, ut ait Isaias, *vidit, quòd os Domini locutum est*; Ideſt; Verbum Domini, *& salutare Dei*, ut ait D. Lucas; &, *gloriam unigeniti*, ut Joannes. Quam scri-

Verbum divinum cum humano in quibus conveniat. D. Basil. hom. in illud: In principio erat Verbum. D. Athanas. lib. de Sentent. Dionys. D. August. lib. 7. de Trinit. cap. 1. D. Anselm. in Monolog. cap. 31. D. Athanas. Orat. 4. contra Arian. Theodotus Ancyr. Orat. 2. in Concil. Ephes. *Sap.* 9. 1. *Ioan.* 1. 3. *Coloss.* 1. 16. *Heb.* 1. 2. *Heb.* 1. 2. *Isai.* 40. 5. *Luc.* 3. 6. *Ioan.* 1. 14.

ti verbi similitudinem latè prosequitur Theodotus Ancyranus. Theodot. Ancyr. p. 1.

10. *Abass.* Quæ dissimilitudines divinum ab humani intellectus verbo secernunt? *Rom.* *Non est quærendum*, ait D. Athanateus, *cur non tale sit Dei Verbũ, quale nostrũ ejus, quia Deus nequaquàm talis est, qualcs nos sumus*. Sed multæ sunt dissimilitudines præter illas, quibus suprà n. 2. idem Verbum à vocali discriminavimus. Prima, humani cordis Verbum, neque cor ipsum est, sed cordis germen; neque res ipsa, quæ intelligitur; sed intentionalis illius repræsentatio. Hoc tamen Verbum verus est Deus. *Et Deus*, inquit, *erat Verbum*. Et alibi; *Hic est verus Deus & vita æterna*. Secunda, humanum verbum per se nec subsistit, neque vivit; sed affixum intellectui; Verbum autem Dei non ità se habet, ait D. Cyrillus, *sed vivum est ex vivo, subsistens ex subsistente*. Imò (quod rebus à se intellectis præstare nequit humanæ mentis verbum) omnia in ipso vivunt, & subsistunt. Nam, *quod factum est, in ipso vita erat*, ait Joannes. Et D. Paulus: *Omnia in ipso constant*. Tertia, humani cordis verbum infirmum est; *cogitationes enim mortalium timidæ*, ait Sapiens; at divinum summè validum. *Omnipotens sermo tuus*, ait idem, *de cœlo à regalibus sedibus durus debellator in mediam exterminii terram prosilivit*. Quarta, humanum verbum vix exortum statim flaccescit; *cogitationes meæ*, ait Job, *dissipatæ sunt; Verbum autem Domini Dei nostri*, ait Isaias, *manet in æternum*. Et ideò Scripturæ, quæ diù permanet, comparatur. Cùm enim David dixisset: *Eructavit cor meum verbum bonum*; illicò adjecit: *Lingua mea calamus scribæ*. Lingua Dei cor ipsius est; nam corde loquitur, & ità, firmè, ut non locutus esse, sed scripsisse videatur. Quinta, humani cordis verbũ ex ipsius indigentia consurgit, ut res absentes illius interventu præsentes fiant; at divinum oritur ex cordis abundantia, sicut ructus ex ciborum acervatione. Ideò ait: *Eructavit cor meum verbum bonum*. Sexta, humanus intellectus multarum cogitationum sarmentis sylvescit; *multæ cogitationes in corde viri*, ait Salomon; divinus unius tantùm Verbi propagine, sed fructuosâ præ aliis, grandescit. Ideò Apostoli in Symbolo dicunt: *Et in JESUM Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum*. Et D. Athanateus in suo: *Unus Filius: non tres filii*. Dissimilitudines inter Dei Verbum, & humanæ mentis verba. D. Athanas. serm. 3. contr. Arian. *Ioan.* 1. 1. 1. *Ioan.* 5. 20. D. Cyril. lib. 7. Thes. cap. 3. *Ioan.* 1. 3. 4. *Col.* 1. 17. *Sap.* 9. 14. *Sap.* 18. 15. *Iob.* 17. 11. *Isai.* 40. 8. *Ps.* 44. 1. *Prov.* 19. 21. Symb. Apostolorum. D. Athanas. in Symb.

11. *Abass.* Tam Filii, quàm Verbi nomina cogere videntur, ut Patrem neque ad unius Filii, neque ad unius Verbi solitudinem compellamus; nam inter homines felicior judicatur, qui non (ut falce putatoriâ fit in vitibus) ad unius filii palmitem redigitur, sed amplo liberorum, ac nepotum globo, velut pampinis, & racemis coronatur. *Filii tui*, David comprecatur, *sicut novellæ olivarũ in circuitu mensæ tuæ*. Filii, non filius; multi, non unus; *Rom.* Scin' quid mihi veniat in memoriã? Celebris leænæ, ac simiæ apologus. Aliquandò enim licet externam sapientiam, rejectis *unguibus, & caſarie* attonsâ, in Ecclesiæ scararia introducere. Suis aliquandò simia catulis blandiens, & alludẽs, se porrò inclytã, se. tã numerosâ sobole fortunatã jactitabat; & leænæ, quòd singulis nixibus unicũ tãtùm catulũ ederet, insultans exprobrabat. Cui leænæ

Unicus Filius Deo est pro multis, nec alium habere potest. *Psal.* 127. 3. *Deut.* 21. 12. D. Hieron. Epist. 26.

Digitized by Google

leæna: Tu quidē multis fœticas, sed simiis. Ego unū pario, sed Leonem. Quid tu omnes hominum filios unico Dei filio, qui *electus est ex millibus*, componis? Memor esto, Annam gloriari, se in uno Samuële, juxta Hebræum, *septem filios*, (*plurimos*, juxta vulgatam editionem) *peperisse*. Cur non multò plures, imò planè infinitos in uno verbo Pater ascisçat? Fœtuum inter homines multitudo frequenter non felicitatum, sed dolorum est auspicium; Benjamin enim matri suæ *Benoni*, id est, non dexteræ, sed *doloris filius*: Ruben patri *principium doloris* evasit. Et semper filiorum abundantia testis est egestatis tam ipsorum, quàm parentum. Parentum, quia cùm simplices non sint, materiam, ex qua formanda sunt natorum corpora, non semper in promptu habent, sed illam paulatim, frustillatimque acquirunt; eáque decisâ aliam subindè ab alimentis emendicant. Deus autem & simplex est, & plenum semper habet suæ substantiæ promptuarium, ob cujus ubertatem semper generat, & semper expromptus est ad generandum. D. Athanateus: *Deus, quia simplex est, unius dumtaxat Filii Pater est*; Liberorum, quia licèt parentes omnem materiam, quam longo vitæ tempore sunt paraturi, congestam haberent in cujusvis generationis punctō, unus filius satis non esset colligendæ. Undè fit, ut sæpè ex eodem coïtu gemelli nascantur; quod de Jacob, & Esau D. Paulus advertit, quia paterni seminis alluvionem non potuit unius corpusculi parvitas continere. Unius tamen istius Filii magnitudo (*in quo habitat plenitudo divinitatis corporaliter*, ideſt, verè, ac realiter, ex D. Cyrillo) totam in se æterni Patris amplitudinem (quin ipse effluat, vel Patrem exhauriat) absque angustiis, & æstuatione traducit; & ideò ait: *Qui videt me, videt Patrem meum. Ego in Patre, & Pater in me est.* Quod D. Aforosius ità exponit, ut sit *in Patre totus Filius, & totus in Verbo Pater.*

Cant. 5. 10. — 2. *Reg.* 2. 5. — *Gen.* 35. 18. — *Gen.* 49. 3. — D. Athanas. Epistol. de decret. Nicæn. Synod. — *Rom.* 9. 10. — *Col.* 2. 9. — D. Cyril. P. 52. ex lib. ad Reginas. — *Joan.* 14. 9. 10. — D. Ambros. in Hymno.

12. *Abass.* Quidquid sit de filiis, in quibus unus fortis, & cordatus plures stultos, ignavósque antecedit; quid opus est Patrem uni tantum Verbo alligare, cùm apud homines sapientior ille credatur, qui non unius, sed plurium rerum cognitione exundat, vel ipso Sapiente teste: *Cor*, inquit, *Sapientis quærit doctrinam*; & iterùm: *Sapientiam omnium antiquorum exquirit sapiens*? Id quæritur, quod non habetur. Ergo si sapiens doctrinam, & Sapientiam quærit, plurium verborum, & sententiarum, quas adhuc ignorat, cognitionem venatur. *Rom.* Docui aliquandò, humanum intellectum in nativitate rudem esse tabulam, & variis deinceps speciebus, atque habitibus tamquàm coloribus exarandum; sed multò perfectior fuit Adami, Salomonisque scientia, quibus Deus semel multarum rerum notitiam impressit, quàm cæterorum mortaliū, qui laboriosè illam sudantes, algentesque exquirunt; sicut divitum est uni colorem vestem gerere, mendicorum pluribus centonibus consarcinatam. Ut tamen homines, atque Angeli perspicassimo sint ingenio, non possunt omnia unius speciei adminiculo perlegere, sed abunaad aliam transiliunt, & priora verba posterioribus commutant. Ità, *si Deus multa verba loquitur*, ait D. Athanateus, *hoc ipsum indicio est, in omnibus verbis ejus esse quamdam imbecillitatem; ac proindè singula quæque ab eo repudiari, & aliud semper novum requiri. Contrà autem, si uno verbo utatur, ut verè utitur, id & ejus potentiam, & Verbi ex eo nati perfectitudinem declarat. Non enim multa verba sunt, ne unumquodque eorum insufficiens habeatur; sed unum Verbum, id illud solum perfectum intelligatur.* Omnium dictorum ratio est, quia Deus à primo æternitatis momento, se & omnia in se ipso percipiens, perfectissimum sui Verbum produxit, nec quidquam novum potest occurrere, quod alio verbo sit exprimendum. Hinc David ait: *semel locutus est Deus.* Et Job: *Semel loquutus est Deus, & secundò id ipsum non repetit.* Tandem, Filius est imago Patris; & *quandoquidem unus est Deus*, ait D. Athanateus, *necessarium est quoque unam esse Dei imaginem.*

D. Athanas. in Epist. de decret. Nic. Synod. — *Ps.* 61. 12. — *Iob.* 33. 14. — D. Athanas. ibidem.

13. *Abass.* Filius, & Verbum res diversæ sunt; si ergo Pater genuit Verbum, atque Filium; non unum habet, sed duos filios? *Rom.* Capite 1. n. 4. ostendi, res ad nominum multitudinem non multiplicari, sed ad summum aliquam ejusdem rei proprietatem, quæ aliquo nomine non exprimatur, alio denotari. Eadem igitur Persona est Filius, & Verbum. Sic D. Athanateus: *Non aliud Verbum est, & aliud Filius; sed Verbum unigenitus Dei Filius habendum est.* Et D. Augustinus: *Eò Filius, quo Verbum; & eò Verbum, quo Filius.* Sed cùm Dei Filius duas habeat proprietates; alteram, ut Patris vera, & naturalis sit proles; alteram, ut intellectuali, non corporeâ generatione processerit, primam Filii, secundam Verbi nomen prætendit. Ità D. Athanateus: *Utrumque*, inquit, *Scriptura in unum coaptans, & Filium, & Verbum appellavit; Filium, ut verum Patris fœtum declararet; sed tamen ne quis humanitùs aliquid editum, genitúmve intelligeret, denuò etiam substantiam definiens, Verbum illum, & Sapientiam, & splendorem nominavit.* Et D. Aforosius: *Verbum dicitur, quia immaculatum; Filius, quia genitus.*

Filius, & Verbum diversa sunt nomina, sed eadem res illis significatur. — D. Athanas. Orat. contr. Arian. — D. August. lib. 7. de Trinit. cap. 1. — Filii nomen veram ex Patre generationem Verbi, intellectualem ostendit. — D. Athanas. Orat. 2. contr. Arian. — D. Ambros. lib. 1. de Fide cap. 2.

14. *Abass.* Quod ergo aptius est nomen ad divinæ generationis explanationem: Filii, an Verbi? *Rom.* Si Filii nomen proprium esset, illo invento aliud Sapiens non investigaret, cùm dicebat: *Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus?* Verum ergo illius nomen Verbum est; cùm enim Filium audimus, solam ipsius à Patre processionem intelligimus; cùm autem Verbi nomen: & processionem, & modum processionis, quæ est per intellectum. *Verbum dicitur*, inquit D. Basilius, *ut quod ex mente procedat, ostendatur.* Ideò aquilinâ plumâ in Apocalypsi D. Joannes scripsit: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Quod etiam, teste Cyrillo, *quasi proprium, & ipsius esse Filii maximè significativum idem Apostolus elegit, cùm dixit: In principio erat Verbum.* Eóque censuit D. Athanateus, *Filii substantiam definiri.* Illa autem exacta est definitio, quæ primam cujusque rei rationem, ipsam perfectè ab omnibus aliis distinguentem proponit. Qui ergo duos Patri

Verbi nomen magis proprium est secundæ Personæ, quàm Filii. *Prov.* 30. 4. — D. Basil. hom. in illud: In principio erat Verbum. — *Apoc.* 19. 13. — D. Cyril. lib. 7. Thes. cap. 1. — *Joan.* 1. 1. — D. Athanas. suprà.

filios

Unam tantùm cogitationem, & Verbum Deus habere potest. — *Prov.* 15. 14. — *Eccl.* 39. 2. — Lib. 2. cap. 57. n. 4. — Suprà cap. 5. n. 8. Si Deus plura verba haberet, mutabilis esset.

Digitized by Google

filios ob duo Filii, & Verbi nomina affinxerit, æquo jure, vel injuria ex duplicatis Spiritûs, & Paracleti vocabulis duos quoque Sanctos Spiritus in Trinitatem inducet. *Si autem*, inquit D. Athanateus, *Spiritus à Paracleto divisus non potest, indivisibile quoque sit Verbum à Filio.*

D. Athanas. Orat. 4. contra Arian.

15. *Abass.* Esto Pater unico Verbo efflorescat, cur ipsum Verbum, & Filius exanguis, & exuccus remanebit, nec aliud Verbum, & alium Filium ad sui similitudinem producet; cùm vel in equis, vel in juvencis sit patrum virtus, & candida candidam columba progeneret columbam? Quòd si Filius hac virtute privetur, non integram, sed mutilam Patris naturam vendicabit; at nequaquàm vendicare, Paulus ostendit, cùm dicit, ipsum *portare omnia verbo virtutis suæ.* Verbo igitur adest aliud Verbum. *Rom.* Da Filio alium alterius *Patris sinum*; Verbo alios scientiæ, & *Sapientiæ thesauros*; alium intellectum; res aliquas, quæ vel ob incuriam, vel ob mentis angustias intelligendæ superfuerint; tunc tibi concedam, ut alio Filio ditetur, alio Verbo glorietur. Sed cùm Filius non alius sit Deus extra Patrem, nec diversam ab ipso penum habeat, non habeat undè alium Filium, & aliud Verbum possit expromere; si autem expromeret, jam secundus ille Filius tertium, ac deindè alii alios in infinitum disseminarent. Nec ideò dicendum est, Filium carere aliquâ potentiâ, quâ Pater abundat, quia eadem est in utroque facultas, quæ est intellectus; sed in Patre cum relatione producentis, in Filio cum relatione producti. Secùs autem se res habet in creaturis, in quibus generatio fit per actionem transeuntem, quæ in genito diversum agendi principium ab eo, quod est in genitore, constituit. Unde oritur, ut equus equũ numericâ naturâ diversum, bos juvencum, & columba columbam educat. Idem autem numero in Patre, & Filio intellectus novi Filii partum, & alterius Verbi appositionem excludit. Nec D. Paulus Verbum Verbo accumulat, cùm ait: *Portansque omnia verbo virtutis suæ*, sed significat ipsum, cùm verè sit Verbum, propria virtute omnia continere; sicut apud Joannem ait: *Sermo, quem locutus sum, ille judicabit eum.* Ideſt, ego ipse, qui Patris sum sermo, illum judicabo. Et D. Petrus in Actis: *Verbum misit Deus filius Israel, annuntians pacem per JESUM Christum.* Ubi ex D. Athanatei interpretatione non est aliud Verbum, & aliud Christus JESUS, sed idem Christus JESUS est Verbum, quod ad pacem annuntiandam Deus destinavit. Verbum etiam illo Pauli loco imperium significat, sicut illis Psalmorum: *Angeli ejus, facientes verbum illius. Ignis grando, nix, glacies, spiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Et in Evangelio: *In verbo tuo laxabo rete.*

Filius aliud Verbum habere non potest.

Hebr. 1. 3.

Joan. 1. 18.

Coloss. 2. 3.

D. Thom. 4. contr. Gent. cap. 13. & de potent. q. 9. a 9. ad 4.

Hebr. 1. 3.

Joan. 12. 48.

Act. 10. 36. D. Athanas. Orat. 2. contr. Arian. D. Thom. in cap. 1. Epist. ad Heb. lect. 2. Soar. 9. de de Trinit. cap. 2. n. 12. *Ps.* 102. 20. *Ps.* 148. 8. *Luc.* 5. 5.

16. *Abass.* Unigenam quidem Filium, & Verbum Pater habet. At sicut illum gignere dicitur, numquid ità dicendus est illius divinitatem generare? *Rom.* Orthodoxis tali locutione Conçilia interdicunt. Primum Toletanum: *Si quis dixerit, vel crediderit, Deitatem nascibilem esse; anathema sit.* Concilium Lateranense Quartum: *Substantia, essentia, sive natura divina non est generans, neque genita, nec procedens; sed Pater est, qui generat; Filius, qui gignitur; & Spiritus Sanctus, qui procedit; ut distinctiones sint in Personis, & unitas in natura.* Cùm autem in natura detur unitas, dici non potest, divinitatem à Patre genitam; si enim genita, etiam producta esset; si autem producta à Patre, realiter distingueretur; quia producens, & productum realis distinctio sejungit. Essent ergo quatuor personæ realiter sepositæ: Pater, Filius, Spiritus Sanctus, & genita divinitas; imò quinque, cùm eadem ratione asserendum esset, divinitatem procedentem Spiritui sancto à Patre, & Filio inhalari. Cùm ergo, ut dictum est lib. 2. cap. 8. num. 18. & 21. actiones propriæ sint suppositorum, à personis exeunt, & in personas terminantur; & Filii hypostasim, non illius divinitatem, quæ veluti pars ipsius est, Pater producit; quia in omni productione id, quod per se est, per se fit; non id, quod illi adjacet. Prætereà, quidquid de natura dicitur, de omnibus Personis æqualiter affirmatur; si ergo Filii natura genita est, ipséque ideò gigni perhibetur; Pater, etiam, & Spiritus, qui consortes sunt, Filii nuncuparentur; nec jam filiatio esset characteristica secundæ Personæ proprietas. Qua de re latiùs lib. 6. cap. 4. n. 11. & 14.

Divinitas à Patre non gignitur. Concil. Toler. I. Concil. Lateranens. IV.

Lib. 2. cap. 6. n. 5.

17. *Abass.* Cur Filius Verbum dicatur, assequor; nunc, an appellandus sit Patris sapientia, exquiro? *Rom.* Ità locutus est D. Paulus, Christum vocans *Dei virtutem, & sapientiam.* At Pater non est sapiens Verbo suo, tamquàm forma, à qua sciendi facultatem nanciscatur, sicut homines ob mentis indigentiam à suo; sed ipsum Verbum dicitur Sapientia, quòd à sapiente Patre ex Sapientiæ effluentia producatur. De quo Salomon: *Torrens redundans, fons Sapientiæ.* Ut enim torrens à fonte, sic Verbum à Patris plenitudine fons alius erumpit. Ait enim Ecclesiasticus: *Fons sapientiæ Verbum Dei in excelsis.* Fons autem sapientiæ à fonte sapientiæ, sicut D. Gregorius Nazianzenus dicit *fontem vitæ à vita.* Ut ergo primus fons perennis non dicitur ab aqua, quæ est in fonte à se derivato, sed ab illa, quæ scatebris non interruptis ab ipso ebullit, sic Pater sapiens propriè non dicitur sapientia genita, quod est Verbum, sed ingenita, quæ est essentia. Quod aliquo modo declaravit D. Paulus, docens in Verbo *omnes sapientiæ, & scientiæ Dei thesauros absconditos.* Ut enim pecuniâ thesauro creditâ dives non utitur, sed illâ, quæ in promptu est, ut in usus quotidianos expendatur, sic Pater magis ab essentiali, quàm à notionali sapientia (quam apud Verbum tamquàm apud sequestrem deposuit) sapiens cognominatur. *Sapientia Patris*, inquit D. Athanateus, *est Filius; non ut in homine, ubi per sapientiam est sapiens; sed ex sapiente sapientia illa ortum habet.*

Pater propriè non est sapiens sapientiâ à se genitâ, sed illius auctor.

1. *Cor.* 1. 24.

Prov. 18. 4.

Eccl. 1. 5.

D. Greg. Naz. p. 5. n. 4.

Col. 2. 3.

Soar. lib. 3. de Trinit. cap. 10.

D. Athanas. contr. gent. Sabell.

Digitized by Google

CAPUT X.

De Persona Spiritus sancti, & vera illius Divinitate.

Octavus Symboli articulus Spiritu sancto huc accersitur. D. Bernard. de Pentecoste.

1. *Abass.* Ne bifida claudicet, sed trisulca, & perfecta de Trinitate tractatio incedat, Sancti Spiritus, Personam ne praetervehatis? *Rom.* Octavi articuli mansio illam sibi provinciam deposcebat, sed cùm ex D. Bernardi locutione, *Spiritus sanctus fortissimũ, & indissolubile sit vinculum Sãctissima Trinitatis*, operæ pretium est illum à Patre, & Filio, quos invicem confibulat, non dissociare.

Cur nomen Spiritus Personis omnibus commune, tertiæ potissimum tribuatur.

2. *Abass.* Si Deus spiritus est, ut lib. 2. cap. 12. docuisti; & quidquid de Deo, seu de natura dicitur, in omnes Personas æqualiter refunditur, cur sola tertia, non duæ aliæ Spiritus sancti nuncupatione condecorantur? *Rom.* Spiritus propriè significat ventum tenuem, subtilem, ac penetrabilem, de quo aliqui à Christo dictũ autumant: *Spiritus, ubi vult, spirat, & vocem ejus audis; sed nescis, unde veniat, aut quò vadat.* Ad cujus similitudinem omnes substantiæ immateriales spiritus dicuntur. Sunt enim adeò subtiles, ut neque oculis videri, nec manibus tangi, nec auribus percipi, aut alio sensu possint explorari. Cùm autem Deus inter omnes substantias defæcatissimæ sit naturæ, purus etiam spiritus appellatur: *Spiritus est Deus*, inquit Christus. Idque nomen, ut dixisti, ad tres Personas extenditur; soli tamen tertiæ peculiaris notæ merito applicatur. Spiritui enim, seu vento insitum est, ea, in quæ impingit, corpora agitare, & concitare. Isaias: *Spiritus enim robustorum, quasi turbo impellens parietem.* Jonas: *Dominus autem misit ventum magnum in mare, & facta est tempestas magna.* Venti etiam instar amor est, nec illum, cujus pectus occupat, quietum esse patitur: *In desiderio animæ suæ*, inquit Jeremias, *attraxit ventum amoris sui.* Cùm ergo tertia Persona amoris actu procedat, spiritus dicitur; & ideò die Pentecostes cum magna commotione in discipulos descendit. *Factus est*, inquit Lucas, *repentè de cælo sonus tamquàm advenientis spiritus vehementis; & replevit totam domum, ubi erant sedentes.* Sed non tantùm dicitur spiritus, sed sanctus: ad terreni amoris, qui plerumque sordidus est, & pollutus, discretionem. *Facti sunt*, ait Oseas, *abominales sicut ea quæ dilexerunt.* Dei autem spiritus omninò sincerus est, & qualem Sapientia describit: *subtilis, mobilis, incoinquinatus, amans bonum, acutus, intelligibilis, mundus.*

Joan. 3. 8.

Joan. 4. 24.

Isai. 25. 4.

Jon. 1. 4.

Jerem. 2. 24.

Act. 2. 2.

D. Athanas. Epistola ad Serap. in princip.

Os. 9. 10.

Sap. 7. 22. 23.

3. *Abass.* Nominis rationem sat calleo; at cur in octavo articulo non dicitur: *Credo Spiritum sanctum*: sed: *In Spiritum sanctum*? *Rom.* Sic breviter, & dilucidè Nazianzenus: *Non idem est credere in aliquid, & credere de aliquo. Illud enim divinitati convenit, hoc cuilibet rei.* Cùm ergo dicimus: *Credo in Spiritum sanctum*, Spiritûs divinitatem profitemur; ut Patris, & Filii, cùm dicimus: *Credo in Deum Patrem: & in JESUM Christum, unicum Filium ejus.* De quo lib. 2. cap. 1. n. 1. Nec cum rarò sacræ litteræ Deum appellant.

Spiritus sancti divinitas indicatur, cùm dicitur, *Credo in Spiritum sanctum.*

D. Greg. Naz. Orat. 37.

4. *Abass.* Ubi Sancto Spiritui Dei nomen insculpitur? *Rom.* Pluribus in locis. Apud Joannem: *Spiritus est Deus*, in Paulo *Dominus autem spiritus est.* Alibi: *Nescitis, quia templum Dei estis, & spiritus Dei habitat in nobis. Templum propriè non dicitur* (ait D. Cyrillus) *si Deus in ipso non habitat.* Apud Lucam, ait Zacharias: *Benedictus Dominus Deus Israel; & infrà: sicut locutus est per os Sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum ejus.* At Spiritus sanctus ille est Deus, *qui locutus est per Prophetas.* Hanc enim sententiam Ephesini Concilii Patres Apostolico Symbolo immiscuerunt. Et D. Petrus: *Spiritu sancto inspirati locuti sunt sancti Dei homines.* Isaias etiam ait: *Audivi vocem Domini dicentis: Vade, & dic populo huic: Audite audientes, & nolite intelligere.* At D. Paulus verba eadem referens, dicit: *Quia benè Spiritus sanctus locutus est per Isaiam Prophetam ad patres nostros, dicens: Vade ad populum istum, & dic ad eos: Aure audietis, & non intelligetis.* David quoque in Psalmis: *Audiam quid loquatur in me Dominus Deus.* Et in libro 2. Regum: *Spiritus Domini locutus est per me.* Et, ut cætera prætermittamus, cùm Princeps Apostolorum Ananiæ dixisset: *Cur tentavit Satanas cor tuum, mentiri te Spiritui sancto?* adjecit. *Non es mentitus hominibus, sed Deo.* Quæ omnia testimonia probant Spiritum sanctum esse verum Dominum, verúmque Deum; cui etiam divina opera in Scriptura tribuuntur.

Deus, sæpè dicitur Spiritus sanctus.

Joan. 4. 24.

2. *Cor.* 3. 17.

1. *Cor.* 3. 16.

D. Cyril. lib. 12. Thes. cap. 15.

Luc. 1. 68. 70.

2. *Petr.* 1. 21

Isai. 6. 8. 9.

Act. 28. 25. 26.

Psal. 84. 9.

2. *Reg.* 23. 2.

Act. 5. 3. 4.

5. *Abass.* Quænam sunt divina illa opera, quæ Sancto Spiritui in Scriptura tribuuntur? *Rom.* Creare, vivificare, sanctificare. Creare enim divinæ tantùm reservatum potentiæ. *Unus est*, inquit Sapiens, *Altissimus, creator, omnipotens.* Item vivificare. In primo Regum: *Dominus mortificat, & vivificat.* Et in D. Paulo. *Præcipio tibi coram Deo, qui vivificat omnia.* Item gratiam, & gloriam conferre. Sic David: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus.* At Spiritus sanctus, creator fuit. Job.: *Spiritus ejus ornavit cælos.* David: *Emittes Spiritum tuum, & creabuntur.* Est etiam vivificator Christi, apud Joannem, testimonio: *Spiritus est, qui vivificat.* Tandem, est sanctificator, & glorificator: *Divisiones gratiarum sunt*, inquit D. Paulus; *idem autem Spiritus, dividens singulis prout vult.* Et iterùm: *Ministratio Spiritus erit in gloria.*

Divinæ operationes Spiritui sancto tribuuntur.

D. Thom. 1. p. q. 45. a. 5.

Eccl. 1. 8.

1. *Reg.* 2, 6.

1. *Tim.* 6. 13.

Ps 83. 12.

Job. 26. 13.

Ps 103. 30.

Joan. 6. 63.

1. *Cor.* 12. 4. 11.

6. *Abass.* Quod attinet ad Personam Spiritus sancti, magnum in Ecclesiæ Symbolis discrimen intueor. Nam Apostolicum, & Nicænum simpliciter dicunt: *Credimus in Spiritũ sanctum.* Constantinopolitani verò amplum est auctuarium. *Rom.* Tempore Concilii Nicæni, nullus contra Spiritum sanctum error bacchabatur, ideò tercentum decem, & octo Patres nihil Apostolico Symbolo adjiciendum censuerunt, ut testantur D. Basilius, & Hieronymus, sed in illud unum gnaviter incubuerunt, ut Filii divinitas à canina Arianorum feritate, & morsibus illæsa servaretur. Sed cùm posteà Eunomius, & Macedonius idem in Spiritus sancti divinitatem, quod in Filium priùs Ariani, venenum evomissent, centum

Cur articulo de Spiritu sancto facta additio in Concilio Constantinopolitano, non in Nicæno.

D. Basil. Epist. 60.

D. Hieron. Epist. 65.

Digitized by Google

centum, & quinquaginta Patres Symbolum opportunis instar antidoti verbis munierunt, dicentes: *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum & vivificantem, qui à Patre procedit; qui cum Patre, & Filio simul adoratur, & conglorificatur; qui locutus est per Prophetas.* Cùm enim Dominum dicunt, Deum fatentur; sicut & de Filio Apostoli: *Et in JESUM Christum Filium eius unicum, Dominum nostrum.* Et Seraphini in trisagio: *Sanctus, sanctus, sanctus, Dominus Deus exercituum.* Si enim creatura esset, non dominationem exerceret, sed servituti subjaceret. *Vanitati enim creatura subjecta est*, ait Paulus, *quia & ipsa creatura liberabitur à servitute.* Vivificare etiam divinam naturam probat, ut num. 5. probatum; sed multò magis illa additio: *Qui à Patre procedit.* Indè enim Christus suam divinitatem constabilivit, dicens: *Ego ex Deo processi, & venio.* Si ergo à Patre egressio Christi divinitatem astruit, eamdem quoque in Spiritu sancto similis processio confirmat. Adoratio etiam vectigal est, quod soli Deo dependitur. *Dominum Deum tuum*, inquit Christus, *adorabis, & illi soli servies.* Adorantur autem Pater, & Filius; nam de Patre apud Joannem: *Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate*; de Filio D. Paulus: *Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Ergo si Spiritus sanctus cum Patre, & Filio adoratur, verus Deus est. Quin etiam diversa ab ipsis Persona. Notante enim D. Cyrillo præpositio: *Cum*: duorum, vel plurium conjunctionem importat, quia ut nemo secum coambulat, concœnat, & convivatur, sic non secum, sed cum alio coadoratur. Undè colligit, admittendam non esse subdolam Nestorii assertionem, Christum cum Verbo coadorandum; *quia duo cogit intelligi.* Glorificatio etiam index est divinæ in Spiritu sancto majestatis. *Nam soli Deo*, inquit Paulus, *honor, & gloria.* Et, ipsi Judæi: *Da gloriam Deo.* Tandem, ex eo, quòd *per Prophetas locutus sit*, verus Deus ex dictis numero 4. comprobatur.

Concil. Constant. — Isai. 6. 3. — Rom. 8. 20. — Ioan. 8. 42. — Matt. 4. 10. — Ioan. 4. 23. — Hebr. 1. 6. — D. Cyril. l. 6. de Incar. cap. 26. & Epist. 10. in Can. 8. Concil. Ephes. — 1. Tim. 1. 17. — Ioan. 9. 24. — Luc. 1. 68. 70.

Spiritus sanctus est vita à Patre, & Filio manans; non vita formalis ipsorum.

7. *Abass.* Cæteris assentior, in vivificatoris verbo mihi subest religio, num Spiritus sanctus creaturarum, an Patris, & Filii dicendus sit vivificator? Illum enim Patris, atque Filii vitam esse Libri nostri contestantur. *Rom.* Pater quidem *fons est vitæ*; *& vitam habet in semetipso.* Filius autem teste Joanne, *Verbum est vitæ*; de quo in Evangelio: *In ipso vita erat.* Et iterùm: *Ego sum vita.* Et in Epistola: *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Hanc autem vitam Filius à se non habet, sed à Patre, ut ipse affirmat: *Sicut Pater habet vitam in semetipso, sic dedit & Filio habere vitam in semetipso.* Et iterùm: *Sicut misit me vivens Pater, & ego vivo propter Patrem.* Et D. Joannes: *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem.* Si ergo Libri vestri Spiritum sanctum vitam essentialem intelligunt, quâ Pater, & Filius tamquàm formâ vivunt, sicut homines animâ, toto ostio aberrant. Nam ante Spiritus sancti productionem Pater Filium

Psal. 35. 10. — Ioan. 5. 26. — 1. Ioan. 1. 1. — Ioan. 1. 4. & 14. 6. — 1. Ioan. 5. 20. — Ioan. 5. 26. & 6. 57. — Ioan. 1. 2.

generat; generare autem non posset, nisi viveret; nam generatio est processio à principio vitæ, & vitæ communicatio; ut dictum est cap. 7. num. 7. Si autem innuant, Spiritum sanctum esse vitam à Patre, & Filio confluentem (sicut Filius est vita à solo Patre scaturiens; & illius sapientia genita; & fontis illa aqua dicitur, quæ à fonte dimanat) punctum attingunt; quia Spiritus sanctus, ut divinam naturam à Patre, & Filio, sic vitam haurit. Nam si Spiritus à Patre procedit, à Patre essentiam, & vitam; nec non à Filio desumit. Is siquidem de se ipso ait: *Tu petisses ab eo, & dedisset tibi aquam vivam.* Aqua autem viva est Spiritus sanctus, juxta illud: *Qui credit in me, flumina de ventre ejus fluent aquæ vivæ. Hoc autem dixit de Spiritu, quem acceptari erant credentes in eum.* Non ergo respectu divinarum Personarum, sed creaturarum, seu *viventium*, ut loquitur Theophilus, vivificator dicitur Spiritus sanctus, quemadmodùm Pater, & Filius, ipso teste: *Sicut Pater suscitat mortuos, & vivificat, sic & Filius, quos vult, vivificat.* Vivificatur enim, quod vitâ caret; creaturæ autem ante sui productionem minimè vivunt. Indè Deus asseritur, omnia vivificare, & dare *vitam*, atque *inspirationem*. Filius autem à Patre non vivificatur, nec Spiritus sanctus à Patre, & Filio, sed vitam ab ipsis mutuatur. Cùm autem vivificari proprium sit creaturarum, ipsarúmque vita ex Dei amore oriatur; & Spiritus sanctus amor sit; ipsi tamquàm schema peculiare tribuitur vivificare. Optimè igitur D. Augustinus: *Pater*, inquit, *est vita vivens; Filius est vita à vivente; Spiritus sanctus viventium vivificator.*

Superiori cap. n. ult. — Ioan. 4. 10. — Ioan. 7. 38. 39. — Theoph. Alex. p. 1. n. 6. — Ioan. 5. 21. — Act. 17. 25. — D. August. lib. Medit. cap. 31.

Columba in Christi Baptismo vera fuit, non tamen Spiritui sancto hypostaticè unita.

8. *Abass.* Vivebátne illa columba, in cujus specie Spiritus sanctus in Jordane descendit, unitámque sibi habebat illius Personam, sicut Christi corpus Verbi hypostasim, an solùm fuit spectrum, & nudum columbæ imitamentum? *Resp. Veritas Christus est*, & ab omni mendacii fuco, tam in verbis, quàm in factis alienus. Ideò vera illa columba fuit, non columbæ simulachrum. Nec tamen illam sibi Spiritus sanctus, sicut humanam in Christo carnem Verbi Personæ copulavit; dedecebat enim Spiritum summè intelligibilem sibi irrationalem columbæ naturam desponsare. Quod Evangelistæ significant, cùm dicunt, descendisse Spiritum *corporali specie sicut columbam.* Nam Verbum non in specie, sed in veritate humanæ carni unitum fuit; nec erat sicut homo, sed verus homo. Ergo non aliud animal, sed vera columba figura fuit Spiritus sancti ob singulares proprietates, quæ eminent in columba. Est enim simplex, pura, sociabilis, agilis, fœcunda, odoris, domuum, & humani consortii amatrix. Quæ omnia sanctus sibi vendicat Spiritus, qui etiam in Apostolos, quin ignis esset, in linguis verè igneis defluxit; quòd ut ignis obvia inflammat, & noxias herbarum radices absumit, ità sanctus Spiritus vitiorum fibras exedit, & cœlestem amorem humanis cordibus inspirans linguas reddit ad

Matt. 3. 16. — 1. Ioan. 5. 6. — Luc. 3. 22. — D. Thom. 3. p. q. 39. a. 7.

Digitized by Google

divinæ legis, ac laudum prædicationem exacutas.

Spiritus sanctus non est propriè verbum, vel imago. D. Basil de Spiritu sanct. c. 11. & 5. contr. Eunom. cap. 12. D. Athan. ad Serap. D. Gregor. Nyss. in vita Thaum. D. Gregor. Thaum. in exposit. fidei in S. Synod. act. 1. D. Damasc. 1. de Fid. cap. 18. Theophil. Alex. p. 1. n. 6. D. Cyril. 1. Th. cap. 9. D. Abolid. p. 2. n. 3.

9. *Abass.* Estne Spiritus sanctus Patris, aut Filii, sicut Filius Patris Verbum, & imago? *Rom.* Filii Verbum Spiritum sanctum dicit D. Basilius; necnon alibi imaginem. Quem sequuntur D. Athanateus, Nyssenus, Thaumaturgus, Damascenus, & in vestro Libro Theophilus Alexandrinus. Non est tamen propria locutio; quia vera ratio Verbi, & imaginis, ut docet D. Cyrillus, extra intellectum non reperitur; sanctus autem Spiritus fœtura non est divini intellectûs, sed voluntatis. Sùstineri tamen potest, quatenùs indicat Spiritus sancti à Patre, & Filio processionem, & cum iisdem æqualitatem; sicut ratione dimanationis Filii à Patre, ipsius esse imaginem suprà designavimus. Filium autem non solùm Patris, sed & Spiritus sancti Verbum impropriè, & omninò falsè vocat Abolidis.

Spiritus sanctus Filius dici non potest. D. Athanas. in Symbol. & p. 4. n. 9.

10. *Abass.* Verbum divinum idcircò Filium dicendum cap. 7. statuisti, quòd Patris naturam plenè participet; ergo cùm æqualiter ejusdem compos sit Spiritus sanctus, Filius etiam dicendus. *Rom.* Vetat D. Athanateus in Symbolo: *Spiritus sanctus*, inquit, *à Patre, & Filio non creatus, nec genitus.* Et in vestro Libro: *Spiritus sanctus missus est nobis à Patre; & nunquàm de illo, qui non est natus, dici potest, esse Filium, qui natus est à Patre; quia non est unum opus geniti, & non geniti; & unus differt ab alio in opere generationis.* Verum quidem est, Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, & illis in natura adæquari; sed nec ideò ipse vocandus est Filius, aut ipsius processio generatio. Eva enim ab Adamo compar natura prodiit, nec tamen ejus filia censenda. Illa quippe actio propriè est generatio, per quam natura primò, & directè; non secundariò, & consequenter communicatur. Verbo autem natura divina, quæ essentialiter intellectualis est, à Patre directè, & ex vi suæ processionis per intellectum imprimitur; at sancto Spiritui indirectè, voluntatis, & amoris interventu, non ex vi processionis. Generatio enim rem semper in actu ponit, dilectio frequenter supponit. Nam Adamus Abelem generans, ipsum in orbe constituit; constitutum, & ad sui effigiem conformatum posteà dilexit. Quæ dilectio non jam ad naturam, sed ad alia dona generatione posteriora conferenda ordinatur. Ideò dixit D. Augustinus, *Verbum esse Filium, quia procedit, ut natus: Spiritum sanctum non esse Filium, quia procedit, ut datus.*

D. August. lib. 5. de Trinit. cap. 14.

Exponitur, cur natura divina sit in Filio ex vi suæ processionis, non in Spiritu sancto.

11. *Abass.* Id perfectiùs expone; quo pacto Filius procedat, ut natus; Spiritus sanctus, ut datus. *Rom.* Verbum est prima, & directa Patris cogitatio, & expressa illius similitudo, immotúmque sigillum. Ergo est verè genitus ex vi suæ processionis; quia generatio est processio ad similitudinem in eadem natura. Tum Pater, & Filius naturæ suæ omnibus jam numeris absolutæ perfectionem, & individuam complexionem comprehendentes, debitum mutui amoris donum sibi invicem reponunt. *Pater enim diligit Filium*, ait ipse Filius. Et alibi: *Quia diligo Patrem.* Quæ planè dilectio est Spiritus sanctus; quem ideò D. Bernardus vocat *Patris, & Filii osculum*; Et D. Augustinus: *Tres sunt*, inquit, *unus diligens eum, qui de ipso est; alius diligens eum, à quo est; & ipsa dilectio.* Planum est autem Filium, cùm Patrem diligit, ipsi divinam naturam, quam ab ipso expressit, non commodare; nec Patrem Filio; cùm jam priùs illam per generationem impenderit. Cùm tamen amor ille divinus sit, non potest non secum implexam involvere divinam naturam, quam à se non directè, & ex vi suæ processionis, sed quasi ex transcursu, & appositione accersit. Nam in Angelis, & hominibus amor naturam ad se non advocat; quam tamen generatio semper devolvit.

Ioan. 3. 35. & 5. 20. *Ioan.* 14. 31. D. Bernard. Serm. 8. in Cant. D. August. 6. de Trinit. cap. 5.

Similitudinibus ostenditur, quomodò amor primariò communicetur, non natura.

12. *Abass.* Aliquâ mihi similitudine perspicuum reddito, quo pacto divina natura Filio ex vi suæ processionis, non item Spiritui sancto imprimatur. *Rom.* Non ingratis tuæ lubentiæ morigerabor. Si Rex aureum habeat annulum salutaris margaritæ incisione coruscantem; ipsíque nuntietur, clientem aliquem sibi gratissimum comitialis morbi oppressione conflictatum auri ramentis indigere; & is confestim annulum digito detrahat, & elimandum, atque in scobem redigendum objiciat; nemo non dicet, aurum clienti, non gemmam in potum tradidisse. Licèt enim gemma ob incrustaturam auro cohæreret, non in illam, sed in aurum Regis voluntas collimabat. E contra, si alius atrâ bile corripiatur, & opus illi sit margaritæ sorbitione, eumdémque annulum Rex offerat, ut ipsi colligata margarita vino macerata ab ægroto uno haustu glutiatur; margaritam illi dedisse, non aurum decantabitur; quamvis ipsa sine auro non sit oblata; ad illam enim primò, non ad aurum Regis destinatio ferebatur. Ità planè Pater, cùm Filio, & Spiritui sancto naturam divinam, & amorem communicavit. Nam Filio naturæ aurum directè, & ex primaria intentione; amoris autem gemmam secundò, & ex naturæ consequentia impendit; Spiritui autem primitùs pretiosum dilectionis margaritum; naturam autem quasi necessariam appendicem. Nequit enim divinus amor extra divinam naturam secubare.

CAP. XI.

Digitized by Google

CAPUT XI.

Ostenditur, Spiritus sancti à Filio processionem non everti ex eo, quòd in Evangelio, & Symbolo Constantinopolitano solùm dicatur, Qui à Patre procedit.

Cùm in Evangelio dicitur, Spiritum sanctum à Patre procedere, processio à Filio non negatur. *Joan. 15. 26.*

1. *Abass.* Inter verba Symboli Constantinopolitani, quæ superiori capite num. 6. recitasti, & Romani articulos, qui singulis diebus Dominicis in Ecclesia concinuntur, magnum intercst dissidium. Nam Constantinopolitanum cum Evangelio consentiens, in quo Christus ait: *Spiritus veritatis, qui à Patre procedit*, solùm habet: *Credimus in Spiritum sanctum ex Patre procedentem.* Romanum verò præliarem illam continet appendicem: *Qui ex Patre, Filioque procedit.* At quo jure excogitatum illud contra Scripturæ, & Sacrosancti Concilii sanctionem additamentum? *Rom.* Nihil Scripturæ, neque augusto illi Concilio eâ fuit additione incommodatum. Quia fateri, Spiritum sanctum à Patre procedere, non est illius à Filio processionem inficiari. Numquid, quia Divus Matthæus in exordio sui Evangelii Noë, & Adamo prætermissis, Christum David, & Abrahæ filium vocavit, Noë, & Adami filium denegavit? An quia D. Lucas narrat, verbum Domini factum super Joannem Zachariæ filium in deserto, Elisabetham non esse illius matrem, suspicandum? An quia Christus dixit: *Pater suscitat mortuos*: Et iterùm: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor*; neque ullam Spiritus sancti mentionem fecit, ideò illum mortuorum suscitatorem, aut operosum non esse, sentiendum? Et quia dictum est à Jobo: *Spiritus ejus ornavit cœlos*, Patrem, & Filium ab illorum cultu feriatos, opinandum? Absit à tua mente monstrorum adeò deformium conceptio, & parturitio. Non enim aperta veritatis alicujus assertio alterius est silentio involutæ dissipatio.

Unius veritatis assertio non est alterius omissæ negatio.

Matth. 1. 1.

Luc. 3. 2.

Joan. 5. 17. 21.

Job. 26. 13.

Quod in uno Scripturæ loco plenè non continetur, ab aliis supplendum.

2. *Abass.* Nodum adhuc minimè extricasti; quia etsi illa, quæ ex adverso protulisti, testimonia plenam rerum probationem non continent, alia ex aliis Scripturæ locis petita illam resarciunt. Lucas enim diserte supplevit, quod Matthæus omisit: docens, Christum originem à Noë, Adamóque traxisse; & Joannis matrem dictam Elisabetham. *Rom.* Tuo te gladio, non dicam, jugulasti, sed sanitati reddidisti. Quod enim Christus illis verbis de Spiritus sancti à se ipso processione suppressit, ab aliis Scripturæ locis est fœnerandum. Nec opus est per diversas Sacrarum litterarum paginas divagari, sed satis in verborum, quæ citasti, finibus consistere. *Cùm,* inquit Christus, *venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis, qui à Patre procedit.* Si Spiritum Filius mittit, à Filio Spiritus procedit; Si Spiritus est veritatis, Filii est Spiritus, qui de se ait: *Ego sum veritas.* Quod testimonium, & alia sequenti capite latiùs expendemus.

Joan. 15. 26.

Joan. 14. 6.

3. *Abass.* Si Spiritus veritatis, idest, Christi, à Patre simul, & Filio mittitur, cur is dicit: *Quem ego mittam à Patre*; non autem: à me ipso? *Rom.* Ex doctrina D. Cyrilli, solemne Christo est, quidquid in se præcellens, glorioso úmque refulget, in Patrem, à quo illud accepit, ceu gratum, urbanúmque decet filium, referre. Regnum in cœlo ipse habet: *Ut edatis*, inquit, *& bibatis super mensam meam in regno meo.* Et tamen illud Patri ascribit, dicens: *Tunc justi fulgebunt sicut sol, in regno Patris eorum.* Cùm, ex ipsius testimonio, *Pater non judicet quemquam, sed omne judicium Filio* delegaverit, electos tamen asserit Patris benedictione ditatos: *Venite benedicti Patris mei.* Cùm ipse *via* sit, & *ostium*, per quod homines ad Patrem introducuntur: *Nemo*, inquit, *venit ad Patrem, nisi per me*; tamen alibi vocationem, & ductum Patri defert: *Nemo potest venire ad me, nisi Pater, qui misit me, traxerit eum.* Cùm discipulis in ipsius nomine dæmonia subjicerentur, ipse tamen profitetur: *Ego veni in nomine Patris mei.* Si omnia percurrere tentarem, annus esset. Sed ut hic Filius Spiritum à Patre mittit, sic alibi Pater à Filio, qui ait: *Paraclitus autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et Divus Paulus: *Misit Deus in corda nostra Spiritum Filii sui.* En Pater spiritum Filii, & in nomine Filii mittit, quod perindè est, ac si dicatur: à Filio. Nam & ipse Filius ait: *Ego veni in nomine Patris mei.* Quid autem sit, in nomine Patris venisse, alibi declarat: *Ego ex Deo processi, & veni.* Cùm igitur Filius à Patre procedat, & ex hac processione virtutem ad Spiritum sanctum producendum acceperit, meritò in textu allegato solius facit Patris mentionem, dicens: *Mittam à Patre*; Et: *A Patre procedit.* Divus Augustinus: *Spiritus*, inquit, *est utriusque, quoniam de utroque procedit*; *sed ideò, cùm de eo Filius loqueretur*, ait: *De Patre procedit: quoniam Pater processionis ejus est auctor, qui talem genuit Filium*; *& gignendo ei dedit, ut etiam de ipso procederet Spiritus sanctus.* Illud addo. Dum Christus ait, Spiritum à Patre procedere, à se ipso procedere demonstrat.

Quidquid honorificũ Christus habet, in Patrem refert.

Joan. 15. 26. D. Cyril. 10. Th. c. 6.

Luc. 22. 30.

Matt. 25. 34.

Joan. 14. 6.

Joan. 6. 44.

Luc. 10. 17. *Ioan. 5. 43.*

Ut Filius Spiritum à Patre, sic Pater à Filio mittit.

Ioan. 14. 26. *Galat. 4. 6.*

Ioan. 5. 43.

Ioan. 8. 42.

Ioan. 15. 26 D. August. lib. 3. contr. Max. c. 14.

Vide n. 5. in fine.

Joan. 15. 26.

4. *Abass.* Elegantì planè repercussu amentata Scripturæ tela, & verba in ipsam retorques; cùm doceas, isthuc ipsum, quod est à Patre procedere, esse à Filio procedere. *Rom.* Cui mea displicuerit, D. Hilarii doctrina displicebit, ità scribentis: *Nihil differre creditur inter accipere à Filio, & à Patre procedere*; *Et ipsum, atque unum esse existimabitur, à Filio accipere, quod sit accipere à Patre. Ipse enim Dominus ait: Quoniam de meo accipiet. Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt. Propterea dixit: De meo accipiet.* Ità Divus Athanaseus, & Basilius num. 7.

A Patre procedere, est à Filio quoque procedere.

D. Hilar. lib. 8. de Trinit.

D. Thom. 1. p. q. 36. a. 2. ad 2.

Joan 16. 14. 15.

Digitized by Google

num. 7. citandi dicunt, Patris cognitionem esse Filii cognitionem. Quod ut meliùs intelligas, indubitatum illum D. Augustini, Cyrilli, Anselmi, & Thomæ Canonem altiùs animo infige. Quidquid de aliqua Trinitatis Persona dicitur, de aliis ob naturæ unitatem est dicendum, nisi id pertineat ad eam proprietatem, per quam eadem Persona ab aliis distinguitur. Undè quidquid de Patre affirmatur, præter generandi prærogativam, de Filio etiam affirmandum. *Nihil enim*, inquit Divus Cyrillus, *habet alter, quod alteri non insit, nisi quod hic Pater, ille Filius est.* Hinc eamdem locutionem, quam Patri defert Isaïas, Filio D. Joannes, & Spiritui sancto D. Paulus assignant. Et universim Filio omnia Patris, & Patri omnia Filii opera tribuuntur. Sibi enim Filius Patris opera ascribens, ait: *Pater meus usque modò operatur, & ego operor. Me oportet operari opera ejus, qui misit me. Opera, quæ ego facio in nomine Patris.* Sua autem opera Patri imputat, dicens: *Pater in me manens, ipse facit opera.* *Nam cùm nulla differentia deitatis*, addit Cyrillus, *& naturæ inter eos sit, nihil prohibet, opera unius esse opera alterius.* Cùm igitur Spiritum sanctum producere opus sit Patris, nec ad personalem ejus proprietatem pertineat, nec Filii proprietati repugnet; Filio etiam deferendum; ad quod, ut ad reliqua opera virtutem ei unà cum natura communicavit. *Opera*, inquit, *quæ dedit mihi Pater, ut perficiam ea.* Quandò ei dedit opera, nisi cùm ipsi largitus est divinitatem? Tunc etiam planè facultatem dedit Spiritus inhalandi. Et expresè in vestro Libro Divus Cyrillus: *Opus Filii est opus Patris, quandò dedit Spiritum suum.*

D. Augusti. 5. de Trinit. cap. 14. D. Anselm. De process. Spiri. sanct. D. Thom. 4. cont. Gent. c. 25. Quidquid de una Trinitatis Persona dicitur, de quavis alia dicendum, si non repugnet ejus propri. tati. D. Cyril. 3. Thes. cap. 1. *Isai.* 6. 1. *Joan.* 12. 41. *Act.* 28. 25. *Joan.* 5. 17. & 9. 4. & 10. 25. & 14. 10. D. Cyril. Ibidem. *Joan.* 5. 36. D. Cyril. p. 52. n. 139. ex lib. ad Regin.

5. *Abass.* Alicubi audivi, Patres Concilii Constantinopolitani suo Symbolo exclusivam particulam inseruisse, & scripsisse, Spiritum à solo Patre procedentem. *Rom.* Provoco ad vestrum Haymanot Abbau, in quo Symbolum Constantinopolitanum absque illa exclusione circumfertur; quæ si adesset, in nullas nos angustias intruderet. Si enim eam particulam in Patre extimesceremus, nec Filium, nec Spiritum sanctum Deum verum, bonum, immortalem, & cœli conditorem crederemus. Nam de Patre Christus ait: *Ut cognoscant te solum Deum verum. Nemo bonus, nisi solus Deus.* Divus Paulus: *Qui solus habet immortalitatem.* Et Job: *Qui extendit cœlos solus.* Voces tamen illas, & consilimes non perhorrescimus, qui instar clypei septemplicis paratam habemus illam D. Cyrilli defensionem: *Si solum Patrem naturaliter aliquid habere dixeris, non privabitur Filius eadem re naturaliter. Solus enim Pater habere dicitur, in quantum à nullo habet; Filius autem ab eo exiens, ab eo consequitur naturaliter. Non enim mentitur Veritas de se dicens: Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt.* Ut ergo solus Pater bonus, verus, immortalis, & Creator dicitur, quia illarum perfectionum ipse sibi caput est; nec tamen iis aliæ Personæ privantur; ità si diceretur, Spiritum sanctum à solo Patre procedere, significaretur, solum Patrem virtutem illum producendi à se habere; nec ideò Filius à producendo per potentiam sibi à Patre inditam semoveretur. Divus Eucherius Lugdunensis: *Quia Pater à nullo; Filius à Patre; Spiritus sanctus à Patre, & Filio; ideò Dominus ait: Qui à Patre procedit.*

Patres Constantinopolitani non dixêre: Qui ex solo Patre procedit. Hierem. Constantinopol. in Censur. Orientat. Eccl. cap. 1. Si diceretur, Spiritum à solo Patre procedere, nihil obesset. D. Thom. 1. p. q. 3. a. 2. ad 1. *Luc.* 18. 19. 1. *Tim.* 6. 16. *Iob.* 9. 8. Cùm dicitur, solum Patrem aliquid habere, sensus est, solum à se habere. D. Cyril. 4 Thes. c. 2. *Joan.* 16. 15. D. Eucher. Dominic. 1. post Ascensionem.

6. *Abass.* Illam particulam exclusivam non solùm Patris Personæ, sed aliis adjectam frequenter conspicor, ut illic: *Patrem quis novit, nisi Filius?* Et illic: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei.* Quid in similibus decernendum? *Rom.* Duplex tibi supererat asylum, & utrumque inviolabile; alterum, quod jam est num. 4. constitutum; quidquid de una Persona dicitur, cum aliis participandum; alterum à Divo Cypriano, Athanateo, Basilio, Nazianzeno, & Cyrillo dedicatum; Similibus vocubis illius rei, quæ excipitur, participatione creaturas tantùm interdici, non divinas Personas ejusdem naturæ, Sapientiæ, ac potentiæ consortes, nisi juxta Superiorem Canonem personali earum proprietati bellum indicat. Cùm ergo divina cognoscere Patris, ac Filii notionibus non adversetur, non eos Divus Paulus, sed homines tantùm, atque Angelos exturbat, cùm ait: *Quæ Dei sunt, nemo cognovit, nisi Spiritus Dei*; Et sic de cæteris. Imò licèt Evangelium, vel quodlibet Concilium expresè traderet, Spiritum à solo Patre, non autem à Filio procedere, adhuc Filius non esset habendus ab Spiritus sancti productione alienus.

Exclusivæ alicui divinæ Personæ adjectæ, non alias, sed creaturas excludunt. *Matt.* 11. 27. 1. *Cor.* 2. 11. D. Cyprian. in exhort. ad Mart. D. Athanas. disp. cum Ario. D. Basil. 4. contr. Eunom. D. Naz. Or. 4. de Theol. D. Cyril. 10. Thes. cap. 6.

7. *Abass.* Miræ quædam mihi offunduntur tenebræ, cùm audio, nec Evangelio, nec Concilio neganti Spiritum à Filio procedere, credendum. *Rom.* Quarumvis tenebrarum intercursum intellectæ veritatis lumen dissipabit. Judicii diem Filium ignorare, nemo in animum inducet suum. Si enim novit omnia, quæ illam sunt præcessura; ut Antichristi grassationem, mundi combustionem, novissimæ tubæ clangorem, & mortuorum suscitationem; necnon quæ illam sunt consecutura; nempè omnium gentium ad tribunal condensationem, sententiæ prolationem, electorum in cœlum translationem, & damnatorum ad erebum depulsionem; quî fieri potest, ut ipsius diei ignoratione præligetur? Et tamen legimus in Evangelio: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo; neque Filius, nisi Pater.* Curules judiciales omnibus se discipulis daturum pollicetur: *Ego*, inquit, *dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, ut edatis, & bibatis super mensam meam in regno meo; & sedeatis super thronos judicantes duodecim tribus Israël.* Quid ergo ait discipulis sanguine, & amore conjunctissimis: *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram non est meum dare vobis?* Omnibus dare potuit, duobus non potuit? Quomodò, ô Domine, non est tuum dare, si tibi *data est omnis potestas in cœlo, & in terra; & omnia* tibi *tradita sunt à Patre tuo?* Ideò sanè ait: *Non est meum*; quia quòd regnum disponere, & thronos elargiri posset,

Nihil etiam obesset, si diceretur, Spiritum à Filio non procedere. D. Athanas. Orat. 4. contra Arian. D. Cyril. 9. Thes. c. 4. *Marc.* 13. 32. *Luc.* 22. 29. 30. *Matth.* 20. 23. *Matt.* 28. 18. *Matt.* 11. 27.

Digitized by Google

posset, non à se ipso, sed à Patre habebat, *tanquàm solus naturaliter Patris heres*, inquit D. Cyrillus, *in quem omnia, quæ Patris sunt, naturaliter defluunt.* Quemadmodmùm igitur legitimus regni hæres, cui vivens pater illius administrationem commisisset, rectè diceret: Regnum meum non est meum, sed patris: & si quem beneficio afficeret: Non ego, sed meus pater hoc te dono auctat; sic Christus ait: *Non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo.* Nec se extremæ diei scientiâ spoliat, cùm dicit: *Neque Filius*; sed illam sibi à se inesse inficiatur. *Nec enim Filius sciret*, ait D. Basilius, *nisi ei à Patre data esset cognitio.* Ergo non cognoscit, quia cognitionem à se ipso non habet, sed à Patre; & tamen cognoscit, quia Pater cognoscit, & illamet Patris cognitio ipsius est cognitio. Ideò, cùm priùs dixisset: *Neque Filius*, addidit: *Nisi Pater*; Et apud Matthæum: *Solus Pater*; *sciens namque*, ait, D. Athanateus, *se nihil distare secundùm substantiam à Patre, sed illi unitum esse, suam præcognitionem sub Patris præcognitione indicavit: Quemadmodùm ipse ait: Ego, & Pater unum sumus. Ac rursùm: Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* D. Basilius: *Cùm dixit, scire Patrem solum, Patris cognitionem etiam suam esse dicit.* Vides igitur, non obesse Spiritus sancti à Filio productioni etsi diceretur, à solo Patre procedere, vel etiam ab eo non procedere. Hoc enim ità explicandum esset, sicut & illa verba: *Non potest Filius à se facere quidquam. Mea doctrina non est mea; sed ejus, qui misit me. Ex me ipso non sum locutus; sed qui misit me Pater, ipse mihi mandatum dedit, quid dicam, & quid loquar. Verba, quæ ego loquor, à me ipso non loquor. Qui non diligit me, sermones meos non servat, & sermonem, quem audistis, non est meus; sed ejus, qui misit me, Patris.* Quomodò sermones tui, & non tui? Doctrina tua, & non tua? *Si tua*, rogat Augustinus, *quomodò non tua? Etsi non tua, quomodò tua? Tu enim dicis utrumque: & mea doctrina, & non mea; & sermo meus, & sermo non est meus?* Quam quæstionem ità dissolvit. *Quid est doctrina Patris, nisi Verbum Patris? Ipse ergo Christus doctrina Patris, si Verbum Patris. Sed quia Verbum non potest esse nullius, sed alicujus; & suam doctrinam dixit se ipsum; & non suam, quia Patris est verbum. Quid enim tam tuum, quàm tu? & quid tam non tuum, quàm tu, si alicujus es, quod es?* Quamvis ergo Christus diceret expeditè, Spiritum sanctum à Patre, non à se ipso procedere, adhuc tenendum esset, ab ipso dimanare, quia verè, ac realiter ab ipso effluit; & in tantùm non procedere, quatenùs ipse non à se, sed à Patre, qui Principium est sine principio, & caput suæ productionis, virtutem accepit ad Spiritum sanctum emittendum.

D. Cyrill. 10. Th. c. 1.

Matt. 20. 23

D. Basil. Epist. ad Amphilochium.

Matt. 24. 36

D. Athanas. disp. contra Arium, in Concil. Nic.

Ioan. 10. 30.

D. Basil. ibid.

Ioan. 5. 19. 30. *Ioan.* 7. 16. *Ioan.* 12. 49. *Ioan.* 14. 10. 24.

D. August. tract. 44. in Joannem.

Cur Concilium Constantinopolitanũ processionis tantùm à Patre mentionem fecerit.

8. *Abass.* Agnosco, Spiritus sancti à Filio processioni nihil officere, quòd ipsemet nullâ sui factâ mentione, dicat, illum à Patre procedere; nec quidquam obfuturum, si adderet: à se ipso non procedere; sed cur Concilium Constantinopolitanum, cùm tam exactè de Spiritu sancto dissertaret, intra Evangelii metas se continens illam non fecit additionem? *Rom.* Spectati est Medici, nec sopitum morbum excitare (*multa* enim, inquit Medicorum Princeps, *mota nocent, quæ si non irritarentur, non nocerent*) nec parti incolumni, sed ulceroſæ fomentum adhibere. Quis enim sanum judicet Chirurgum, qui manibus ad fugandam podagram; vel pedibus ad sedandam chiragram applicet unctionem? Cùm tempore Concilii Nicæni doctrinam de Spiritu sancto nulla ægritudo inficeret, intactam tercentum decem, & octo Patres prætervolârunt. Cùm verò illius divinitatem Eunomius, & Macedonius discerperent, id tantùm Symbolo centum, & quinquaginta Patres apposuêre, quod glisscentem tunc pervicaciam retunderet; id verò fuit illud additamentum: *Qui à Patre procedit.* Nam à Patre procedere est, illi esse consubstantialem, sicut de Filio probatum. Sed cùm tempore insequenti pestiferum lethalis erroris, instar basiliſci, caput eruperit, Spiritum sanctum divinitatis gloriâ spoliantis, & à Filio alienum asserentis, opus fuit, ut Ecclesia maturato medicamento pluribus in Conciliis subveniret.

Patre mentionem fecit.

Hipocrat. in Aphorism.

Vide cap. 10 n. 6.

Suprà c. 7. n. 9.

9. *Abass.* Quibus in Conciliis id affectum? *Rom.* Primùm in Romano sub Damaso, sub ipsa tempora Constantinopolitani. Deindè in Ephesino, quod Constantinopolitanum proximè subsecutum est; mox in Chalcedonensi, in Quinta, & Sexta Synodo, in quibus confirmata est Epistola Synodica D. Cyrilli ad Nestorium, in qua sunt ea verba, quæ capite sequenti numero 2. referemus. In Sexto etiam Concilio generali, quod fuit Quartum Constantinopolitanum, lecta, & recepta fuit Epistola D. Agathonis Pontificis Romani, in qua hæc verba reperiuntur: *Credimus in Spiritum sanctum, Dominum, & vivificantem, qui ex Patre, Filióque procedit.* Eámque Fidem probavit Septimum Concilium generale, quod fuit secundum Nicænum; & communi consensu amplexata est utraque Ecclesia Græca, & Latina in tribus Conciliis in Occidente celebratis: Lugdunensi Secundo, Lateranensi Quarto, & Florentino; quod præ cæteris eam veritatem verbis amplissimis, & gravissimis definivit; ut jam priùs plura Toletana: Primum, Quartum, Sextum, Octavum, & Undecimum.

Quibus in Conciliis facta additio: Qui ex Patre, Filióque procedit.

D. Agatho in Epist. ad Sext Synod. act. 4. 7. Synod.

10. *Abass.* Quænam est generalis illius Concilii Florentini, quam magnificis adeò verbis extollis, definitio? *Rom.* Sic habet: *Approbante hac Sanctâ Synodo Florentinâ definimus, ut hæc Fidei veritas ab omnibus Christianis credatur, & suscipiatur. Quia Spiritus sanctus à Patre, & Filio æternaliter est, & essentiam suam, suúmque esse subsistens habet ex Patre simul, & Filio; & ex utroque æternaliter, tamquàm ab uno principio, & unica spiratione procedit; declarantes, quòd id, quod sancti Doctores, & Patres dicunt, ex Patre per Filium procedere Spiritum sanctum,*

Decretum Concilii Florentini de processione Spiritus sancti à Patre, & Filio.

Digitized by Google

tum, ad hanc intelligentiam tendit; ut per hoc significetur, Filium quoque esse, secundùm Græcos, quidem causam; secundùm Latinos verò principium subsistentia, sicut & Patrem. Et quoniam omnia, quæ Patris sunt, ipse Pater Unigenito Filio suo gignendo dedit, præter esse Patrem; hoc ipsum, quod Spiritus sanctus procedit ex Filio, ipse Filius à Patre æternaliter habet, à quo æternaliter etiam genitus est. Quæ ferè ad verbum desumpta sunt ex D. Cyrillo lib. 10. Thesauri cap. 1. & lib. 13. cap. 1.

D. Cyril.

Si ob excommunicationem latâ à Concilio Ephesino fieri non posset additio in Symbolo, ipsi Patres Ephesini essent excommunicati.

11 *Abass.* Prolatæ definitioni, & additioni obluctatur propositum à centum, & quinquaginta Patribus anathema, ne quisquam novam Fidem produceret, aut Symbolo insertaret. *Rom.* Omnia Ecclesiæ anathemata non tumultuosè, ac turbulenter objecta, sed solerter inspecta demissè veneramur. Si enim illa clausis oculis suscipiamus, nec maturè excutiamus, ipsos centum, & quinquaginta Patres Sardicenses Concilii (quod idem recensitum est cum Nicæno, ut ostendimus libro 1. cap. 15. numero 4.) gladio transverberatos effutiemus. Tradit enim Divus Athanasius, cùm protervi quidam homines nonnulla Concilio Nicæno, quasi ipsi deessent, adjicere vellent, idque acriter contenderent, Sanctam Synodum Sardicæ congregatam indignè tulisse, communique decreto sanxisse, ne quidquam ulteriùs de Fide scriberetur, sed Nicæna inconcussa perduraret: *Ne illis*, inquit, *quibus libido est, semper nova statuere, occasio suppeditaretur, ut iterùm, atque iterùm de Fide definiant.* Si ergo Constantinopolitani Concilii Patribus licuit absque excommunicationis intentatæ à Sardicensibus incursu tam amplum auctuarium Symbolo apponere, cur non id frequentioribus Conciliis, quamvis posterioribus, & toti Ecclesiæ licebit? Aufertur enim illa potestas licentiosis hominibus, qui Fidem volunt quibusdam, ut significat D. Athanasius, procacitatis suæ calamistris intorquere; non Ecclesiasticis cœtibus, qui seriò de illius incolumitate consultant, & singulorum verborum veritatem, & proprietatem trutinantur. Nec Concilium generale præcedens consequentia, si legitimè congregentur, potest anathemati subjicere.

D. Athanas. Epist. ad Antiochen.

Concilium recentius par est antiquiori potestate, ideò non potest ab illo inhiberi.

12. *Abass.* Cur non potest antiquius Concilium recentioribus anathematis multam irrogare? *Rom.* Quia anathematis interpositio actus est jurisdictionis, quæ juxta legum sanctiones, non in superiorem, vel æqualem, sed in minorem exercetur. Omne autem Concilium, licèt universale sit, supremo Ecclesiæ capite inferius est; & cuilibet alii ritè convocato æquale. *Ubi enim duo, vel tres congregati fuerint in nomine* Christi, ipse residet in medio eorum. Christo autem nemo potest anathematis pœnam Interminari. Nec aliundè constat, illam antérioribus Conciliis erga posteriora potestatem concessam esse; si verò concederetur, talis permissio, contra dictum D. Pauli, esset in Ecclesiæ *destructionem*, non *ædificationem*.

Matth. 18. 20.

2. Cor. 13. 10

Sicut enim roboratæ prioribus temporibus hæreses justam Nicæno Concilio, & Constantinopolitano augendi Symboli causam dedere, ità errores non minùs capitales, posteà sævientes similem additionem poposcerunt; cujus facultate si Ecclesia privaretur, injustè illi gladius ad jugulandas hæreses esset de manibus extortus. Quo multò magis nunc indiget, cùm errores impudentiùs debacchantur, quàm initio, cùm nondùm se se longiùs è carceribus effundere audebant. *Spiritus enim manifestè dicit*, ait D. Paulus, *quia in nuvissimis temporibus discedent quidam à Fide, attendentes spiritibus erroris, & doctrinis dæmoniorum.* Si in novissimis diebus errores isti, & doctrinæ dæmoniacæ grassabuntur, opus est, ut in Ecclesia illa Christi Domini promissio, & illius effectus impleatur: *Rogabo Patrem, & alium Paraclitum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum, Spiritum veritatis.* Quorsùm veritatis Spiritus in Ecclesia in æternum diversatur, nisi ut insurgentes errores amputet, & doctrinas omnes dæmoniacas opportunis definitionibus, & adjectionibus obtruncet? Quam illi auctoritatem si priora Concilia prævertissent, sine dubio, adversus Apostoli monitiones, Spiritum *contristarent, & extinguerent; illius gratiæ contumeliam facerent; blasphemiámque*, & irremissibile peccatum contra ipsum admitterent; si quidem hominibus ad hæreses devitandas omnem viam obsepirent.

1. Tim. 4. 1.

Ioan. 14. 16. 17.

Eph. 4. 30. 1. Thes. 5. 19. Heb. 10. 19. Matt. 12. 31

CAPUT XII.

Scripturæ auctoritatibus, & rationibus Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedere, ostenditur.

Spiritum Filius mittit, quia ab ipso procedit.

1. *Abass.* Agnosco, Spiritus sancti à Filio productionem non infirmari illâ dictione: *Qui à Patre procedit*; sed si quæ sunt testimonia, quæ illam firmiùs roborent, proferto. *Rom.* Quatuor sunt testimonia validissima; tria ex Divi Joannis Evangelio, ultimum ex Apostolorum Principibus, Actísque peritum. Ab eo, quod hactenus præ manibus habuimus, ordiamur: *Cum venerit Paraclitus, quem ego mittam vobis à Patre, Spiritum veritatis.* In quo sunt duo verba perpendenda; Primum? *Quem ego mittam vobis.* Et alibi: *Mittam eum ad vos.* Mittendi enim verbo sæpiùs Filii à Patre processio indicatur; præcipuè cùm ait: *Ab ipso sum, & ipse misit me.* Et iterùm? *Qui me misit, verax est; & ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo.* Quod testimonium ad dispiciendam Christi à Patre processionem adeò insuperabile Joannes habuit, ut Judæos, cùm, illo audito, eam non sint assecuti, tanquàm incogitantes, & imprudentes, sugillaverit, addens: *Et non cognoverunt, quia Patrem ejus dicebat Deum.* Quod illos opprobrium asperget, qui

Ioan. 15. 26.

Ioan. 15. 26.

Ioan. 16. 7.

Ioan. 8. 26.

Ioan. 8. 27.

Digitized by Google

qui dicente Chriſto de ſpiritu : *Quem ego mittam vobis*, adhuc illius eſſe auctorem hæſitaverint. Mittere enim aliquam perſonam mittentis in miſſam auctoritatem importat. Auctoritas autem vel eſt ætatis, vel dominii, vel principii. Auctoritate ætatis, vel dominii nulla Perſona divina aliam præcedit, cùm omnes ſint æternitate, & poteſtate coæquales. Sola ſupereſt auctoritas principii, ex quâ hæc illam, non illa iſtam producit. Spiritus ergo *miſſio*, inquit D. Gregorius Magnus, *ipſa proceſſio eſt, qua de Patre procedit, & Filio.* Et ideò ait : *Quem ego mittam vobis à Patre.* D. Cyrillus : *Quoniam Spiritus ita à proprius eſt Filii, ſicut Dei Patris, idcircò ad ſanctificationem diſcipulorum ab eo mittitur.* Eucherius Lugdunenſis : *Quid eſt, quem ego mittam vobis a Patre, niſi quem Pater, & ego mittam vobis? Ab utroque enim mittitur, qui ab utroque procedit.* Igitur ut Pater Spiritum mittit, quia ab ipſo procedit : *Paraclitus*, inquit, *Spiritus ſanctus, quem mittet Pater in nomine meo.* Et D. Paulus : *Miſit Deus Spiritum Filii ſui* ; Sic & Filius. Et ut Joël de Patre ait : *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem* ; Sic Divus Petrus de Filio : *Promiſſione Spiritus ſancti accepta à Patre, effudit hunc, quem vos videtis.* Effudit autem, ut Divus Cyrillus, *non ut miniſter*, qui aquam digito ducit, ſed ut lacus, qui collectam à fonte in agros emittit.

D. Thom. 4. contr. Gent. cap. 24.
D. Greg. Magn. hom. 26 in Evang.
D. Cyril. lib. 10. in Joan. c. 33.
D. Eucher. Dom. n. 1. poſt Aſcen.
Joan. 14. 26.
Galat. 4. 6.
Joël. 2. 28.
Act. 2. 33.
D. Cyril. ubi ſuprà.

Spiritus veritatis dicitur, quia à Filio procedit.

2. *Abaſſ.* Quod ſecundum eſt illius teſtimonii verbum ? *Rom.* Illud : *Spiritum veritatis*, ideſt, *Filii.* D. Athanaſius : *Credendum eſt*, inquit, *Spiritui ſancto, quòd ſit veritas Patris, & Filii.* D. Baſilius : *Quoniam ipſe veritas eſt, Spiritum veritatis dicit à Patre quoque procedere.* D. Epiphanius : *Spiritus ſanctus, Spiritus veritatis, tux tertia à Patre, & Filio.* D. Cyrillus in Synodo Alexandrina : *Spiritus veritatis nominatur ; Chriſtus autem veritas eſt, à quo perindè, atque à Deo Patre procedit.* Quam Epiſtolam Concilium Epheſinum, Chalcedonenſe, Quinta, Sexta, & Septima Synodus approbârunt ; Et aliqua illius fragmenta Liber veſter continet inter teſtimonia Divi Cyrilli à p. 17. ad 24. qui frequens eſt in eâdem interpretatione. Alicubi enim ait : *Pater veritatis*, ideſt, *Filii, Spiritum largitur.* Alibi : *Cùm Spiritum veritatis, ideſt ſuum (ipſe enim veritas eſt) Paracletum appellaverit, ipſum ex Patre procedere, ait.* Alibi : *Spiritum veritatis ipſum nominavit. Non autem alia ab ipſo eſt veritas.*

D. Athanaſ. Orat. in Conc. Nic.
D. Baſil. 2. contr. Eunom.
D. Epiphan. in Anchor.
D. Cyril. Epiſt. 10.
Lib. 9. in Joan. c. 44.
Lib. 10. cap. 33.
Lib. 6. de Trinit.

Perſona procedens audit producentem, & ab ea, non à ſe loquitur.

3. *Abaſſ.* Ede alterum D. Joannis teſtimonium. *Rom.* Illud eſt planè fontale : *Cùm autem venerit ille Spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à ſemetipſo, ſed quæcumque audiet, loquetur ; & quæ ventura ſunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia, quæcumque habet Pater, mea ſunt ; propterea dixi, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* Spiritus ſancti proceſſionem indefinitè, quin explicet, an à ſe, an à Patre, duabus ſententiis commendat. Prima eſt : *Non loquetur à ſemetipſo.* Secunda ; *Quæcumque audiet, loquetur.* Sic enim ſuam ipſe à Patre dimanationem indicat : *Ego, quæ audivi ab eo, hæc loquor in mundo. Veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo. Quia ego ex me ipſo non ſum locutus ; ſed qui miſit me, ipſe mandatum dedit mihi, quid dicam, & quid loquar. Quæ ego loquor, ſicut dixit mihi Pater, ſic loquor. Verba, quæ ego loquor, à me ipſo non loquor ; Pater autem in me manens, ipſe facit opera. Quia omnia, quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Sicut enim, qui rem ex auditu novit, non in ſe ipſum, ſed in narrantem ſuam notitiam refundit, ſic qui procedit, ſuam originem in producentem. A ſe autem Spiritum audire, loqui, ac procedere ſequenti additione declarat : *Ille de meo accipiet.* Quid eſt accipere, niſi procedere ? ut de Filio ſuprà capite 5. numero 10. demonſtravi. *Spiritus Filii*, inquit Divus Gregorius Nyſſenus, *dicitur, quia ab eo accipit, ab eóque procedit ; & eſt ex eo, quemadmodùm ex Patre.* Divus Epiphanius : *Quemadmodum nemo novit Patrem, niſi Filius, neque Filium, niſi Pater ; ſic auſim dicere, quòd neque Spiritum niſi Pater, & Filius, ex quo procedit, & ex quo accipit.* Divus Athanaſius : *Si admittas, Spiritum ſcire, multò magis Verbum, quatenus eſt Verbum, à quo etiam Spiritus accipit, id non incognitum habere admittas.* Divus Cyrillus : *Quoniam Spiritus conſubſtantialis Filio eſt, proceditque per eum, omnem ejus habens virtutem ; ideò ait : Quia de meo accipiet.* Deinceps verò Chriſtus non legiſlatorem agens, ſed interpretem, adnectit : *Omnia, quæ habet Pater, mea ſunt ; propterea dixi, quia de meo accipiet.* Quod ibidem ſic explicat Cyrillus : *Quid ſit ex ipſo accipere, declarat ; quia cum ſit fructus ſubſtantiæ Patris, omnia, quæ ejus ſunt ſecundùm naturam, attrahit ; ità ut ipſius propria meritò ſint, & appellentur. Cùm enim nihil à Patre penitùs Filius differat, præterquàm quòd Pater non eſt ; cumque in utroque eadem ſubſtantia eodem modo perfulgeat, quomodo non erunt communia ; imò verò eadem in utriſque ; Ut quæcumque in Patre ſunt, eadem etiam in Filio ſint ; & quæcumque in Filio, in Patre quoque ſimiliter ?* Undè colliges, quàm rectè dixerit ſuperiori capite numero 4. Divus Hilarius, nihil differre inter accipere à Filio, & procedere à Patre ; & Concilium Florentinum numero 10. hoc ipſum, quòd Spiritus procedit ex Filio, ipſum filium æternaliter ex Patre, à quo æternaliter eſt genitus, habere.

Joan. 16. 14. 15.
Joan. 8. 26. 40.
Joan. 12. 49. 50.
Joan. 14. 10.
Joan. 15. 15.

Accipere Spiritum à Filio, eſt ab eo procedere.

D. Gregor. Nyſſ. hom. 3. in Pater noſter.
D. Epiph. in Anchor.
D. Athanaſ. Orat. 4. contr. Arian.
D. Cyril. lib. 11. in Joan. cap. 1.
Ibid. cap. 2.

Quia Spiritus à Filio procedit, eum Filius inſufflando dedit.

4. *Abaſſ.* Non ſolùm Spiritus gratiâ, ſed etiam intelligentiâ vas omninò vacuum erit, quiſquis teſtimonio ità adamantino reluctetur. Ne tamen idcircò à tertio conferendo ſuperſedeas. *Romanus.* Inſufflans in diſcipulos Chriſtus, *dixit eis : Accipite Spiritum ſanctum.* Quod non eſt, cur meis verbis deteram, ſed trium graviſſimorum Patrum ſententiis exornem.

Joan. 20. 22.

Digitized by Google

D. Athanaſ. Epiſt. ad Serap. de Spiritu ſancto. D. Athanateus: *Cum*, inquit *inſufflaſſet in eos, dedit ex ſe Spiritum diſcipulis; ità & Pater effudit illum ſuper omnem carnem.* D. Cyrillus: *Eodem modo Spiritum Filius habet, quo habere Pater intelligitur; & quemadmodum unuſquiſque noſtrùm proprium in ſe Spiritum continet, & ab internis viſceribus ad exteriora profundit. Propterea Chriſtus corporaliter ſufflavit, oſtendens hoc ſigno, quia quemadmodùm ab ore humano corporaliter humanus Spiritus procedit, ſic ex divina ſubſtantia congruenter Spiritus, qui ab ea eſt, profunditur.*

D. Cyril. 9. in Ioan. cap. 44.

D. Auguſt. lib. 5. contr. Maximin. Arian. cap. 14. & lib. 4. de Trinit. cap. 20. Spiritus Filii dicitur, quia à Filio procedit. 1. Petr. 1. 11. Rom. 8. 9. Galat. 4. 6. Act. 16. 6. 7.

D. Auguſtinus: *Niſi Spiritus ſanctus à Filio procederet, non diceret diſcipulis: Accipite Spiritum ſanctum; eúmque inſufflando daret, ut à ſe quoque procedere ſignificans, apertè oſtenderet flando, quòd ſpirando dabat occultè.*

5. *Abaſſ.* Quænam ſunt teſtimonia ex Apoſtolicis Epiſtolis, & Actibus mutuata? *Rom.* In iis Spiritus ſanctus apertè dicitur Filii, & Chriſti Spiritus. D. Petrus: *Scrutantes in quod, vel quále tempus ſignificare in eis Spiritus Chriſti.* D. Paulus: *Si quis Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt ejus.* Et iterùm: *Miſit Deus Spiritum Filii ſui in corda veſtra.* Et in Actis: *Vetati ſunt ab Spiritu ſancto loqui verbum Dei in Aſia.* Et mox: *Tentabant ire in Bithyniam, & non permiſit eos Spiritus JESU.* Ubi perpende, Spiritum ſanctum, & Spiritum JESU eumdem eſſe. Cur autem JESU, & Filii Spiritus dicitur, niſi quia ab ipſo procedit? ſicut aliis in locis ob exitum à Patre, illius Spiritus vocatur. In Evangelio: *Non enim vos eſtis, qui loquimini, ſed Spiritus Patris veſtri, qui loquitur in vobis.* D. Paulus. *Si tamen Spiritus Dei habitat in vobis.* Et ſæpè alibi. Didymus Alexandrinus: *Idem*, inquit, *Spiritus Dei, & Spiritus Chriſti eſt.* D. Gregorius Nyſſenus: *Sanctus Spiritus ex Patre dicitur; & ex Filio preterea eſſe oſtenditur; ſi quis, inquit, Spiritum Chriſti non habet, hic non eſt quis.* D. Auguſtinus: *Hìc aliquis forſan quærat, utrum & à Filio procedat Spiritus ſanctus? Cur non credamus, quòd & de Filio procedat, cùm & Filii ſit Spiritus?* D. Fulgentius: *Firmiſſimè tene, & nullatenus dubites, eumdem Spiritum ſanctum, qui Patris, & Filii unus eſt Spiritus, de Patre & Filio procedere.*

Matt. 10. 20. Rom. 8. 9. 11. Didym. lib. 2. de Spiritu ſancto. D. Greg. Nyſſen. hom. in Pater noſter. D. Auguſt. tract. 90. in Ioannem. D. Fulgent. de Fide ad Petr. cap. 11.

6. *Abaſſ.* Abundè teſtimoniorum; nunc ad rationes. *Rom.* Quatuor ſuprà tactis, quas nunc etiam breviſſimè delibato, Spiritum à Filio procedere, evincitur. Prima. Quidquid habet una Perſona, exceptâ illâ proprietate, per quam ab aliis dignoſcitur, illis commune eſt; ſed Pater habet facultatem ſpirandi, per quam non ſecernitur à Filio, ſed ſolùm à Spiritu ſancto; ergo illa facultas ſimul in Patre, & Filio reperitur. Quia Pater cum Filio ſola Paternitate; Filius cum Patre ſola filiatione compugnat. In hac ratione ſtabilienda ampliùs non immoror, cùm id præſtiterim cap. 4. numer. 7. & ſuperiori num. 4. Altera, quam Concilium Florentinum proponit. Si Filius non habet Spiritûs ſancti producendi facultatem, non totam, neque perfectam Patris naturam, ſed (quod impium eſt effatu) aliquod illius fruſtulum, fragmentúmque nanciſcitur. At cum Pater, & Filius unum ſint; & Filii omnia, quæ Patris; in Filio divina natura cum proprietate Spiritum educendi, ſicut in Patre recumbit. Licèt enim eadem natura in Filio impotens ſit alterius filii edendi, non ità Spiritus emittendi. Quia cùm Filio per intellectum communicatur, adæquatum ſuæ infinitati eâdem generatione actum profundit; nec alia habet cognitionis ſpatia, in quæ ampliùs excurrat. At voluntas ſuum adhuc actum in Patre non protulit, ſed poſtquàm conſideratur in Filio conſtituta; in quo ſi ad Spiritus ſancti miſſionem hebeſceret, in Patre etiam hebes, & infœcunda cenſeretur. Tertia. Si Spiritus ſanctus à Filio non procederet, ab eo non diſtingueretur; quia tota radix diſtinctionis in divinis Perſonis, ut dictum fuit cap. 4. num. 8. & 12. eſt oppoſitio originis; quæ omninò tolleretur, niſi Spiritus Filium agnoſceret auctorem. Neque enim proceſſio, ſeu ſpiratio paſſiva cum nativitate, ſed ſolùm cum activa ſpiratione certat. Quarta. Verbum procedit per intellectum; Spiritus ſanctus per voluntatem, & amorem; ſed notitia intellectiva in Angelis, & hominibus peculiarem habet influxum in voluntatem, eámque in dilectionem impellit. Ergo & Verbum, ſeu Filius nativam habet virtutem ad Spiritum ſanctum producendum.

Quatuor rationibus oſtenditur, Spiritum ſanctum à Filio procedere. 1. Ratio. 2. Concil. Florent. ſeſſ. ultim.

7. *Abaſſ.* Ex dictis hactenus illa prodit dubitatio; ſi Spiritus ſanctus à Patre, & Filio procedit; vel procedit ab illis, tamquàm à duobus principiis; vel tamquàm ab uno. Si tamquàm à duobus, ipſe etiam duplex erit; ſi tamquàm ab uno; vel illud unum ſunt ipſæ Perſonæ in ſe invicem mutuâ tranſitione migrantes; vel aliquid tertium. Si ſunt ipſæ Perſonæ invicem tranſmigrantes, Deum mutatio, & Trinitatem confeſſio pervadet: Si ſunt aliquid tertium, cùm id non ſit ſolus Pater, neque ſolus Filius; quidquid ſit, Trinitas in quaternitatem provehetur. *Rom.* Omnes haſce anxietudines illa Concilii Florentini verba ſuſtulerunt: *Ex utroque eternaliter, tamquàm ab uno principio, & unica ſpiratione procedit.* Cùm enim Pater, & Filius unam, & eamdē habeant virtutem ſpirandi, & ſpirationem (quæ eſt forma, à qua hic ſumitur denominatio) dici nō poſsūt duo principia. Nō enim ſatis eſt ſubjectorū multitudo, niſi forma in iis multiplicetur, ut c. 1. n. 8. dictum. Illud autem principiū dicitur adæquatè Spirator. Nec eſt ſolus Pater, aut ſolus Filius (quamquàm ſingulatim quilibet eorū dici poſſit Spirator) ſed in communi, & cōfusè ſubſiſtens in unica virtute ſpirandi. Quod non eſt quarta perſona (quia perſona conſtitui non poteſt virtute, aut proprietate pluribus, vel ſaltem duobus communicabili) ſed Pater, & Filius abſque ulla mutatione vel tranſitu, cum ſuperaddita tantùm Relatione ſpirationis activæ, quæ idem eſt cum Relationibus paternitatis, & filiationis, cum quibus nullam habet oppoſitionem; ſed cum ſola ſpiratione paſſiva. Nec

Pater, & Filius unum ſunt principium Spiritus ſancti.

Unum illud principium Spiritus ſancti, dicitur ſpirator; & non eſt quarta perſona Trinitatis.

Soar. 10. de Trinit. cap. 7. n. 6.

Spiritus

Spiritus sanctus duplex persona esset, quamvis duo illius principia darentur; quia effectus non multiplicatur, quamvis agentia multiplicentur, si ad agendum uniantur. Sicut nec plura ligna fiunt, neque plures transvectiones, cùm multi ad trahendum lignum conglobantur. Nec tu duplex es, si instar cæterorum hominum, à duobus es parentibus egressus.

CAPUT XIII.

Probatur auctoritate Patrum Haymanot Abbau, Spiritum sanctum à Patre, Filioque procedere.

Idem est dicere, Spiritum à Patre per Filium procedere, atque à Filio procedere.

1. *Abass.* Quamvis me à veritatis istius assectatione divellere nemo poterit, non esset inutile, ad majorem gentis nostræ firmitudinem, aliqua Patrum testimonia Spiritus sancti à Filio processionem, sufficientia suppeditari. *Rom.* Omnes ferè Græci, Romaníque Patres concordibus in eam mentibus, & calamis conspirárunt, in eo solùm dissentientes, quòd aliqui absolutè dixerint, Spiritum à Filio; alii à Patre per Filium procedere. Utrorumque tamen idem est sensus Scripturæque conformis. Dixit enim D. Paulus: *Salvos nos fecit per lavacrum regenerationis, & renovationis Spiritus sancti, quem effundit in nos abundè per JESUM Christum Salvatorem nostrum.* Ut autem Paulus ait, Patrem Spiritum per Christum effudisse, sic Petrus à se ipso: *Promissione Spiritus sancti accepta effudit hunc, quem vos videtis.* Illa enim locutio: *Quem effudit per JESUM Christum*, non clientelam aliquam, vel servitutem Spiritus sancti innuit, sed tantam cum Patre æqualitatem, quanta in Filio sæpiùs est repetita. *Omnia*, inquit Joannes, *per ipsum facta sunt.* D. Paulus: *Omnia per ipsum, & in ipso creata sunt.* Et iterùm: *Per quem, fecit & secula.* Ut ergo sic omnia per Filium facta sunt, ut ab ipso etiam facta sint; *nam cum eo*, inquit, *eram cuncta componens*; sic & Pater ità Spiritum per Filium effudit, ut & ipse Filius ejusdem fuerit & auctor, & largitor. Ad quem ritum intellige ea testimonia, quibus docetur, Spiritum per Filium à Patre impertitum. Nam particula, *per*, interprete D. Cyrillo, & Basilio, non significat ministerium, sed consortium. Ne tamen pluribus te onerem, illorum tantùm Patrum sententias producam, quos vester Liber includit; tam quæ in eo continentur, quàm quæ ex propriis ipsorum codicibus selegi.

Tit. 3. v. 6.

Act. 2. 33.

Joan. 1. 3. Col. 1. 16. Heb. 1. 2. Prov. 8. 30.

D. Cyril. lib. 10. in Joan. c. 33. D. Basil. infrà, n. 3.

2. *Abass.* Qui sunt Patres, qui in Haymanot Abbau disertè testificantur, Spiritum à Patre, & Filio proficisci? *Rom.* Divus Athanasius, Basilius Nazianzenus, Epiphanius, Abolidîs, Theophilus, D. Cyrillus, Joannes Burlæus, & ex damnatis Zacharias Alexandrinus, & Joannes Antiochenus. Vexillum præferat D. Athanasius:

D. Athanas. testimonia.

[Nenasâ hàvina naamen Kema vëtu ahadu amlac manifesa Ab, và olde.] Ideſt: *Nos quidem, ô fratres, credimus, unum esse Deum, Spiritum Patris, & Filii.* Alibi: [Và nefah baculû enza jiastarij. Và vëtu manisfeâ Ab, và olde.] Ideſt: *Insufflat in omnia, quin videatur, & est Spiritus Patris, & Filii.* Hæc adjice ex Symbolo: *Spiritus à Patre, & Filio non factus, nec creatus, nec genitus, sed procedens.* Alibi: *Qualem proprietatem Filium cognovimus habere cum Patre; eamdem comperiemus & Spiritum sanctum habere cum Filio. Et quemadmodùm Filius dicit: Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt; Sic hæc omnia comperiemus, esse per Filium in Spiritu sancto.* Alibi: *Non tria principia, aut tres Patres introducimus, sicut Marcionista; cùm non tres soles ad comparationem adducamus; sed unum solem, & unicum ejus splendorem, unicámque ex ambobus lucem.* Alibi ex persona Christi: *Mitto Apostolos in mundum, non in virtute hominis, sed in virtute Spiritus sancti ex mea essentia profluentis.* Alibi: *Ipse Spiritum cœlitus, ut Deus, dimisit.* Et infrà: *David ait: Apud te est fons vitæ. Noverat enim apud Patrem Filium esse fontem Spiritus sancti.* Relege plura superiori capite adpucta.

« P. 4. n. 11 «

« P. 14. n. 31 «

In Symbol. Epist. ad Serapionem.

Joan. 16. 15. Orat. 4. contra Arian.

Orat. in Concil. Nic.

Lib. de natur. hum. contr. Apol. *Ps. 35. 10.*

3. *Abass.* Pergè ad Basilium. *Rom.* Sic in vestro Libro: [Và vëtu culentahû eleu be Egziabeher Ab, và ba Egziabeher olde, esmà manifasomu vëtu.] Ideſt: *Spiritus totus est in Deo Patre, & in Deo Filio, quia est Spiritus ipsorum.* Alibi: [Và mahifas Kedushi inesse em cleomu, bacama lalihû semà cona vàld, và ibê em Ziaja inese, va inagaraqhemu.] Ideſt: *Spiritus sanctus sumit ab ambobus, sicut ipse Filius testatus est dicens: Ille de meo accipiet, & annuntiabit vobis.* In suo auctographo: *Quo pacto Spiritum à Deo dividere* (quod tentabat Eunomius) *non habet manifestum periculum? partim Apostolo conjunctim in nobis tradente, & modò Christi Spiritum dicente, & modò Dei; ubi scribit: Si quis Spiritum Christi non habet, hic non est ejus.* Alibi: *Spiritum dignitate secundum à Filio; cùm ab ipso esse habeat, & omninò ab illâ causa pendeat, pietatis ratio tradit; naturæ verò tertiæ esse* (ut dicebat Eunomius) *ex sanctis Scripturis non didicimus.* Et infrà: *Quemadmodùm ordine Filius à Patre secundus est, & dignitate* (quoniam origo, & causa essendi Pater ipsi est) *naturâ verò nullo modo secundus; quia in utroque una est Deitas; ità Spiritus sanctus etsi dignitate, & ordine secundus est à Filio, non tamen alienæ naturæ ipsum esse indè consequitur.*

D. Basil. « testimonia, p. 4. « n. 27.

« P. 5. n. 6. « « « «

Joan. 16. 13.

Lib. 2. contra 8. Eun.

Rom. 8. 9.

Lib. 3. contra 8. Eun.

4. *Abass.* Adde Theologiæ medullam Nazianzenum. *Rom.* In vestro Codice: [Và manfas Kedus hy enzajiahaſes Kemahu em cleomu, và bahetu ijsamai Aba và ivalda üal botû tenta, alaüetu cùma Ab, và old hemalacot esma manfasomu üetu.] Ideſt: *Spiritus sanctus non minuitur à duobus; sed nec vocatur Pater, nec Filius, nec habet principium; sed est in divinitate sicut Pater, & Filius; quia est Spiritus ipsorum.* In Tractatu de Fide:

D. Greg. Nazianzeni « testimonia. « P. 1. n. 6. « «

Digitized by Google

In tractatu de Fid. Orat. 49. *Ioël.* 2. 28. *Isai.* 57. 16. *Ioan.* 16. 15.

Misit nobis Christus Spiritum sanctum de propria sua, & ex una, eâdémque substantia, protectorem, signatorem, & ductorem in vitam aternam. Sicut scriptum est ex voce Dei: Effundam de spiritu meo; Et iterùm: *Spiritus ex me prodiet*; *& ipse Dominus, Salvatórque noster. De meo*, inquit, *accipiet.*

Testimonia D. Epiphanii ex Anchorato. P. 11. n. 12.

5. *Abass.* Quid D. Epiphanius? *Rom.* Apertè in undecima sectione: [Vä neamen botû camâ vëtu halauï manfâs Kedus fesûm paraclitos, Zaitafatra, Zasaraça em Ab, väneſa em old.] Ideſt: *Et credimus, ipsum esse subsistentem, Spiritum sanctum, perfectum, Paraclitum*; *qui non est creatus, qui procedit à Patre, & accepit à Filio.* Idem Epiphanius in libro ad Palladium: [Vabamateta Zeibê: Manfes Kedus vëtu manfesâ Egziabeher Zalfâ halô mesla Ab, üa old, va icona naquira em Egziabeher; alâ em Egziabeher üetu; vä em Abyastanafes, vä em old mese.] Ideſt: *Spiritus sanctus est spiritus Dei*; *& semper est in Patre & in Filio*; *neque est alienus à Deo, sed est ex Deo*; *& à Patre inspiratur, & sumit à Filio.* Infrà: [Menfesa Ab, vä em ab yastanafes, vä em Ziaya inâsâ. Kama inaquir itavaoe em ab, vä old. Alâ Zayaeti helaue, vä iyate melacot. Menfes Kedus Zalfâ halô, ita oldahî, vä itafatrahî? Vä âquô chûhû, vä aquô ehahuä abûhû, vä aquo Kedma em Ab, vä aquo em heu. Ala em iyate helauë Zeab nä old.] Ideſt: *Spiritus Patris, qui à Patre inspiratur, & ex me ipso sumit. Notum est, non esse alienum à Patre, & Filio, sed ex eadem substantia, & divinitate. Spiritus sanctus semper existens, non est genitus, neque creatus, sed est ex substantia Patris, & Filii.* Idem in eodem libro: *Spiritus sanctus non est genitus, non creatus, non Filius*; *sed ex eadem essentia Patris, & Filii*; *Spiritus Filii*; *in medio Patris, & Filii*; *ex Patre, & Filio. Tertius nomenclatura.* Infrà: *Spiritus sanctus ex utrisque.* Infrà: *Qui ex Patre, & Filio solus est dux veritatis.*

Idem lib. ad Pall. qui est idem Anchoratus.

Ibidem.

Testimonia D Abolidis. P. 2. n. 4.

6. *Abass.* Quid Divus Abolidis, quid Theophilus, quid Joannes Burlæus? *Rom.* Divus Abolidis ait: [Ibe Kedus Abolidis: Manfes Kedus menfesomu vëtu laab, vä olde.] Ideſt: *Spiritus sanctus est spiritus Patris, & Filii.* Theophilus Alexandrinus. [Ibe Theophilos: Manfas Kedus em Egziabeher, vä arayahu laold.] Ideſt: *Spiritus sanctus est ex Deo, & imago Filii.* Dicit autem imaginem, non quòd Filii sit similitudo ex vi suæ processionis, ut monuimus capite 10. numero 10. Sed quòd ab illo sit quasi imago ab exemplari. Quâ ratione de Filio dixit Divus Gregorius Nazianzenus: *Imago Patris dicitur, quia ex illo est, non item ex hoc Pater.* Similiter Divus Gregorius Thaumaturgus in sua Confessione: *Unus Spiritus sanctus ex Deo ortum, & existentiam habens, qui per Filium apparuit, imago perfecta Filii perfecti.* Joannes Burlæus eximiè in suis Anathematismis: [Adiibê. Väzasayamen Zata oldhî em ab väld vëtu. Vä manfas Kedus nî em ab, vä old vëtu. Zaamna Kemasâ fetuh vëtu.] Ideſt: *Qui credit unigenitum Filium natum esse à Patre; & Spiritum sanctum esse à Patre, & Filio; qui ità credit, ille solutus est.*

Theoph. P. 1. n. 6.

D. Greg. Naz. Orat. 36.

D. Gregor. Thaum. in Conf. Fid.

Joan Burl. anath. 4. & 5.

7. *Abass.* In Divi Cyrilli musæum me introducito. *Rom.* Parte 2. [Va old Zahalû em câdimû meslâ âb, Zâtâoldâ emên éhû émbelâ feltet. Vä manfesû Kedusâ baahadû crinâ mâlâcot.] Ideſt: *Filius habet esse à principio cum Patre, à quo est genitus sine divisione*; *& Spiritus ejus sanctus in una æqualitate divinitatis.* In nono anathematismo loquens de Christo: [Emâbô Zaybl câma Ziahâhû üëtu mânfâlâ. Vä lalihû igabr hâilâ Zamelacot, vë gusa laicun.] Ideſt: *Si quis non dicit, illum Spiritum esse ipsius, & ipsum operari virtute divinitatis*; *anathema sit.* Alibi: [Tabehla bentâ mânfâs Kedûs, Kema iahatat culô guibrâ, vä bentâ habuatihû le Egziabeër, vä Zentû manfes, vëtû manfesû lâ Chriſtôs encâ.] Ideſt: *De Spiritu sancto dictum est, quod scrutatur omnia opera, & profunda Dei*; *Et Spiritus semper est Spiritus Christi.* Infrà: [Vä Zentû alinâ teuaï vëtü iahalüo aü inhabëo guemurâ; esmâ manfes Kedus Ziahû vëtu bacama üetu Zaab.] Ideſt; *Hæc cogitatio valdè obliqua est, ut vel in os, vel in mentem veniat*; *quia Spiritus sanctus ipsius est, sicut & Patris.* Infrà: [Esmâ manfesû vëtû laiesus Chriſtôs egziana. Vä adima manfesû vëtu laabuhû.] Ideſt: *Spiritus est JESU Christi Domini nostri, & præterea Spiritus est Patris.* Infrà: [Ahadû vëtu Egziana JESUS Chriſtôs, inesa manfesâ Kedusâ, üâadima vëtu ihub que ahû.] Ideſt: *Unus est Dominus JESUS Christus, qui Spiritum sanctum recipit, & præterea illum dat.* Infrà: [Vä fadfâdâsâ vëtu em abehû vä vëtu ostetû omos lehu. Lalehû egzina JESUS Chriſtôs, vä tana lana bastadalvotû, ulalehû ihub, quiahu Zacama malacotû Em helahuehu.] Ideſt: *Spiritus ex ipso est, & in ipso, & cum ipso. Idem Dominus JESUS Christus illum nobis præparare cœpit, & ipsum tribuit secundùm divinitatem ex substantia sua.* Infrà: [Va vëtû fanava manfesa Kedusa haba sabela amnû botû; vä aquo calé Zarasseomu fesumana, ala manfesazi ahu; uzaabuhu vëtu, encasâ guebra old guibrâ abuhu, ama ohaba manfasó.] Ideſt: *Ipse misit Spiritum sanctum ad homines, qui in ipsum crediderunt*; *Et non fecit eos perfectos alius, sed Spiritus ipsius, & Patris ejus. Siquidem opus Filii, opus est Patris, quandò dedit Spiritum suum.* Ingentem testimoniorum cumulum possem ex solo Divo Cyrillo coacervare; Sed ne ipsa noceat abundantia, satis sit ista, & quæ tribus capitibus proximis sunt digesta, in unum manipulum colligare.

Testimonia D. Cyrill. P. 2. n. 40. P. 20. n. 17. Ex Epist. 10. ad Nestorium. Et P. 51. n. 58. P. 52. n. 58. ex lib. ad Reginas. 1. Cor. 2. 10. Infrà n. 101. Ibidem, n. 107. Ibid. n. 108. Ibid. n. 111. Ibid. n. 139.

8. *Abass.* Quid tibi negotii cum Zacharia Alexandrino, & Joanne Antiocheno? *Rom.* Hæresum dumetis totus illorum ager horrescit; Sed urticæ proximæ sæpè rosa est. Tale illud dictum Zachariæ: [Vä manfasahi satasa em ab, vä old be cadmenâ, väl melcnâ.] Ideſt: *Spiritus sanctus procedit à Patre, & Filio in principitate & dominatione.* Et illud Joannis Antiocheni: [Ahadû

Testimonia duorum Hæreticorum. Zachar. Alex. Epist. ad Joan. Antioch.

Digitized by Google

„ [Ahadû vĕtu old Zatolda em ab. Va adima
„ ahadû vĕtu manfas Kedus , Zafarafa em
„ ab mefla old.] Ideſt : *Unus eſt Filius , qui genitus eſt a Patre ; præterea unus eſt Spiritus ſanctus , qui procedit a Patre, ſimul cum Filio.*

Joan. Antioch. in Epiſtola ad Chriſtodul. Alex.

9. *Baſſ.* Qui Patres ſunt , qui licèt in Haymanot Abbau de Spiritus ſancti à Filio proceſſione nihil loquantur , ejuſdem ſuis in libris meminerunt ? *Rom.* Deonaceos Areosfagos , Nataliſan , Divus Gregorius Nyſſenus , Divus Aforoſius , Divus Joannes Chryſoſtomus. Nam Simeon Metaphraſtes in vita Divi Deonacei Areosfagos illa verba ab eo dicta refert : *In cœlum aſcendit meus Chriſtus , & ad ſedem paternam revertitur ; & qui ex ipſo procedit , Spiritum dimittit diſcipulis.* Nataliſan (quem libro 1. capite 11. numero 4. diximus , eſſe Divum Damaſum , in Confeſſione Fidei ad Paulinum Antiochenum , cujus etiam eſt illud fragmentum , quod ſub illo nomine habetur in Haymanot Abbau) *Credimus* , inquit , *Spiritum Paraclitum , neque Patrem , neque Filium , ſed ex Patre procedentem , & Filio. Eſt igitur ingenitus Pater , genitus Filius , non genitus Paracletus ; ſed ex Patre procedens , & Filio.* D. Joannes Chryſoſtomus : *Iſte eſt Spiritus procedens de Patre, & Filio, qui dividit ſingulis propria dona, ſicut vult.* Alibi : *Iſtum Spiritum ſanctum dicimus Patri , & Filio eſſe coæqualem , & procedentem de Patre , & Filio.* Et infrà : *Et in Spiritum ſanctum credimus , qui procedens de Patre , & Filio, charitate conjungitur.*

Simeon Metaphraſt. in ejus vita cap. 1.

Nataliſan , ſivè D. Damaſus.

Theodoret. lib. 5. Hiſt. Eccl. c. 10. 11.

D. Joan. Chry. hom. 1. in Symb Hom. 2. in Symbol.

CAPUT XIV.

Oſtenditur , aliquam Myſterii Sanctiſſimæ Trinitatis notitiam fuiſſe in veteri Teſtamento.

In veteri Teſtamento aliqua ſunt de Trinitatis Myſterio teſtimonia.

1. *Baſſ.* Neminem arbitror ità deinceps fore in veritatis ſtimulum calcitronem , ut mutire audeat , Spiritum ſanctum à Filio non procedere. Verùm ; ut tractationi de auguſtiſſimo Trinitatis Myſterio coronidem imponas , vellem noſſe , an illius notitia peculiaris fuerit Evangelicæ legis prærogativa , an antiquis etiam affulſerit ? Nam pauca te toto hoc libro veteris Inſtrumenti teſtimonia , novi plurima demetere ſum aucupatus. *Rom. Una deitas* , inquit Divus Epiphanius , *à Moyſe præcipuè annuntiata eſt ; Perſonarum dualitas à Prophetis vehementer prædicata ; Trinitas verò Perſonarum in Evangeliis manifeſta eſt.* Nam tempore Evangelicæ prædicationis , ut Iſaias prædixerat , *repleta eſt terra ſcientia Domini, quæſi aquæ maris operientes* ; quia omnia divinitatis arcana , & hoc quod omnium eſt maximum , *Unigenitus , qui erat in ſinu Patris* , palam enarravit ; ſicut ipſe teſtatur : *Quod vidi apud Patrem meum , loquor.* Et iterùm : *Pater , manifeſtavi nomen tuum hominibus.* Sed tamen in Moſaica Lege , & Propheris non pauca teſtimonia hanc veritatem firmantia , & facta illam adumbrantia reperiuntur ; generatim , quoties Patris , Filii , ſeu Verbi , & Spiritus ſancti nomina ponuntur ; Si verum eſt , quod capite 1. numero 2. ex Patribus probavi , cujuſlibet Perſonæ vocabulum reliquas , ceu quemvis aurei monilis hamum cœteros uncinos ſecum implicitos , convolvere.

D. Dionyſ. Areopagita.

2. *Baſſ.* Quibus in locis vetus Teſtamentum ſalutarem hujuſce myſterii odorem exhalat ? *Rom.* Hoc felix eſt Sacrarum literarum auſpicium : *In principio creavit Deus cœlum , & terram.* Ubi Dei nomen , æternum Patrem ; principii, Filium demonſtrat ; qui Judæis rogantibus , quiſnam eſſet , reſpondit : *Principium , qui & loquor vobis.* Et mox de tertia Perſona ſubjicitur : *Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Plures etiam Doctores animadvertunt , verba illa ſic vertenda ex Hebræo : *In principio creavit Dii* , ſivè Elohim. Ubi *Deos* dicit , non ob naturæ , ſed ob Perſonarum pluralitatem ; *Creavit* , ob divinitatis ſingularitatem. Et infrà : *Dixit Deus.* Hebraicè : *dixit Dii : Faciamus hominem ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram.* Ubi , *faciamus* , non aliter , quàm illud ex Evangelio : *Veniemus , & manſionem apud eum faciemus* , multorum eſt ; *ad imaginem , & ſimilitudinem noſtram* , non autem imagines , & ſimilitudines , Unius ; ut & quod additur : *Ad imaginem Dei creavit illum.* Nec , ut aliqui opinantur , poteſt eſſe Dei ſermo cum Angelis , qui & ipſi facti ſunt ; *Sed cum al. qui ſibi proximo* , ait Divus Athanateus ; & peculiariter cum Filio , *per quem omnia facta ſunt.* Et tunc Patri *aſſuit* , ut ipſius Sapientia ; *Et cum eo omnia componebat* , ut Sapiens teſtatur. Similiter illud : *Faciamus ei adjutorium ſimile ſibi.* Et illud : *Ecce Adam quaſi unus ex nobis factus eſt :* ducit ad Trinitatis agnitionem, ut advertit Senuteon Alexandrinus. Necnón illud Dei, cùm inſanam turris ſubſtructionem contemplaretur, dicentis : *Venite , deſcendamus, & confundamus ibi linguam eorum* ; Sed ſtatim fit regreſſus ad unitatem : *Diviſit eos Dominus ex loco ille.* In celebri illo Abrahæ, Angelorúmque occurſu priùs dicitur : *Apparuit Deus Abraham.* Mox : *Apparuerunt ei tres viri.* In quibus ille & Dei unitatem , & Perſonarum Trinitatem reveritus, nunc ad unum, nunc ad plures ſermonem dirigebat , ut oſtendunt illa verba : *Domine, ſi invent gratiam in oculis tuis , ne tranſeas ſervum tuum ; Sed afferam paux illum aquæ, & lavate pedes veſtros , & requieſcite ſub arbore.* Et ut gratum ſe huic Trinitatis ſpectaculo exhiberet , Saræ indicit : *Accelera , tria ſata ſimilæ commiſce* ; Sicut Evangelica mulier *fermentum abſcondit in farinæ ſatis tribus*, ideſt, ſanam Fidem in trium veneratione Perſonarum. Et capite 20. non Ethnicorum ſuperſtitione imbutus , ſed verâ ſcientiâ inſtructus , ubi nos legimus : *Eduxit me Deus de domo Patris mei :* Hebræo idiomate profatur : *Eduxit me Elohim* , ſivè [illegible] , ob cauſam ſuperiùs aſſignatam ; Et cum Jacob altare Deo erigere deſtinaſſet, cauſæ loco redditur :

Genesis ab hoc Myſterio inchoat. Origen. D. Auguſt. Rupert.

Gen. 1. 1.

Ioan. 8. 25.

Gen. 1. 2.

Cajetan. in Genes. c.

Gen. 1. 26. 27.

Ioan. 14. 23.

Gen. 1. 27.

D. Athanaſ. Orat. contr. Idola. & de Aſſumpt. hominis lib. 3.

Io. n. 1. 3.

Sap. 9. 9.

Prov. 8. 30.

Gen. 2. 18. & 3. 22.

Senuteon p. 2.

Gen. 11. 7. 8.

Gen. 18. 1. 2.

Gen. 18. 3. 4.

Gen. 18. 6.

Matt 13. 33.

Gen. 20. 13.

Digitized by Google

Genes.35.7. *Ibi enim apparuit ei Deus.* Hebræi codices: *Apparuerunt ei Dii:* Et capite 19. dicitur:
Gen.19.24. *Igitur Dominus pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo.*
D. Ignat. Epist. ad Antiochen. D. Irenæus D. Cyprian. D. Athanas. Orat. contra greg. Sabel. D. Hilarius 5. de Trinit. D. Ambros. D. Chrys. Docent verò D. Agnateus, Irenæus, Cyprianus, Athanateus, Hilarius, Aforosius, & Chrysostomus, dici non potuisse, Dominum à Domino pluisse, nisi Personæ in Deo numerarentur.

Libri Exodi testimonia.

3. *Abass.* Aliquódne liber Exodi in hanc veritatem symbolum conducit? *Rom.* Non est liber ille asymbolus. Rogatus enim Deus nomen suum à Moyse, respondit: *Ego sum Deus Patris tui, Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Jacob.* Dum dicit: *Deus Patris tui*, tres illos Patres unius Sanguinis communione connectens, Dei unitatem significat; Trinitatem verò Personarum in trisulca ejusdem nominis divisione; Abraham, quo tamquàm primo sui generis auctore Hebræi gloriabantur (quibus illud erat in ore frequens, *Patrem habemus Abraham*) Patrem significat: Isaac ab Abrahamo exiens Filium à solo Patre; Jacob ab Isaaco, Abrahamóque consurgens Spiritum sanctum à Patre, & Filio procedentem. Quibus verbis auditis, *abscondit Moyses faciem suam; non enim audebat aspicere contra Deum.* Quia tanta est istius mysterii, obscurè licèt propositi majestas, ut menti, vel summè perspicaci, velum densissimæ ignorationis obtendat; & ad illud aliquatenus indagandum necesse sit, trium dierum itinere in solitudinem secedere. Ideò illa verba primò omnium jussit Deus statim à Moyse, & Senioribus Pharaoni nuntiari: *Ibimus viam trium dierum in solitudinem, ut immolemus Domino Deo nostro*, ut barbarum Regem objectæ Trinitatis majestas conterreret. Et similiter in diem tertium jubetur populus ad suscipiendam legem paratus esse, ut innueretur, Deo verum cultum sub illius tantùm professione exhibendum. Tandem, in Exodo Ægyptiorum Magi, cùm ad priora duo Moysis, Aaronísque signa aquam in sanguinem vertentes, & vivacem, loquacémque spiritum ranis immittentes, se audacter projecissent, in tertio minutulorum sciniphum, eò solùm, quòd Sanctissimæ Trinitatis numerum attingeret, stupefacti, illúmque *Dei digitum esse professi*, substiterunt. Non enim mundana sapientia, sed sola Spiritus sancti (*qui Dei est digitus*) doctrina, & unctio Trinitatis agnitionem potest creatis mentibus instillare. In secundo Legis mandato, in quo inanium deorum multitudo damnatur, causa subjicitur: *Ego sum Dominus, Deus tuus, fortis.* In Hebræo: *Ego Deus, Deus tuus, Deus Zelator*; quia non trium Personarum ejusdem divinitatis compotum, sed diversarum naturarum multiplicitas deorum turbam inducit. Moyses ipse inferiùs. *Dominator, Domine, Deus.* Textus originalis: *Deus, Deus, Deus.*

Exod.3.6. *Luc.3.8.* *Exod.3.6.* *Exod.3.18.* *Exod.19.11.* *Exod.7.19. & 8.6.* *Exod.8.19.* *Luc.11.20.* *Exod.20.5.* *Exod.34.6.*

Testimonia ex Numeris, & Deuteronomio.

4. *Abass.* Súntne alia in Moysis libris documenta? *Rom.* In Numeris Aaronem, & illius liberos sic Deus jubebat benedictionem (quam illi tribus digitis exporrectis delineabant) in filios Israël effundere: *Sic benedicetis filiis Israël, & dicetis eis: Benedicat tibi Dominus, & custodiat te; ostendat Dominus faciem suam tibi, & misereatur tui; convertat Dominus vultum suum ad te, & det tibi pacem.* Triplicatur in hac benedictione nomen Domini, ut unum Deum, qui simul est Pater, Filius, & Spiritus sanctus, illius esse largitorem intelligatur. Ter quoque *per annum* omnem masculum in tabernaculo, sivè templo apparere in Deuteronomio ad profitendum Trinitatis mysterium, ut docet D. Basilius, præscribebatur; in festo Tabernaculorum mense Septembri, qui vulgaris anni principium erat, ut videbimus lib. 4. capite 5. numero 11. & lib. 6. cap. 12. num. 3. cùm plena fit omnium fructuum vindemia, in Dei Patris honorem, à quo bona omnia dimanant; in solemnitate Azymorum, cùm agnus in Filii Dei typum in cruce amoris igne torrendi immolabatur; & in Pentecoste, in præconium Spiritus sancti illa die in Apostolicum senatum, orbémque universum in linguis igneis demittendi. Imò cùm in eodem libro Moyses Dei unitatem summè commendare vellet, summè Trinitatem manifestavit, dicens: *Audi Israël, Dominus, Deus noster, Deus unus est.* Ubi *Dominus:* Est Pater; *Deus noster:* Filius, pro nobis homo factus; *Deus unus:* Spiritus sanctus. Ibidem in magno Cantico suo Moyses: *Videte, quòd ego sum solus, & non est alius Deus præter me.* In Hebræo: *Videte, quia ego, ego, ipse; Et non sunt dii mecum. Tria hæc nomina*, inquit, *Galatinus, apud Hebræos divina sunt; per quæ divinarum Personarum pluralitas designatur. Per illud autem: Non sunt dii mecum, quòd tres illæ hypostases, non sunt tres dii, sed unus.*

Num 6. 23. 24. 25. *Deut.16.16.* D. Basil. in c.1. Isai. *Exod.23.16.* *Exod.12.9.* *Act.2.1.* *Deut.6.4.* Rabbi ità apud Galatinum lib.1. cap. 1. & Rabbi Menahem. *Deut.32.39* Galatin. l.2.c.2.

5. *Abass.* In libris Historialibus aliquisne hujus mysterii radius enitescit? *Rom.* Ubi Moyses extremum diem obiit, Josue illius successor toti populo edixit: *Præparate vobis cibaria, quoniam post diem tertium transibitis Jordanem, & intrabitis ad terram, quam Dominus Deus vester daturus est vobis.* Quibus verbis tacitè innuebat, neminem in cœleste regnum, quod vera est promissionis regio, aditum habere posse absque Fide sanctissimæ Trinitatis, in dierum ternario designatæ; & absque Baptismo primùm à Domino in Jordane initiato, in quo ampliſſimum latum est de illa testimonium Patris voce intonante: *Hic est filius meus dilectus*, & Spiritu in columbæ specie super ipsum descendente. In eodem libro filii Ruben, & Gad Deum in testem advocantes, aiunt: *Fortissimus, Deus, Dominus, ipse novit*; tria Dei nomina, El (quod est *fortis*) Elohim (quod est *Deus*) & Jehova (quod est *Dominus*) in trium Personarum testificationem adducentes. Et Josue ipse ante mortem ad populum: *Non poteritis servire Domino; Deus enim sanctus est.* In Hebræo: *Quia Dii sancti ipse.* Anna Samuëlem in primo Regum volumine *in vitulis tribus, & tribus modiis farinæ ablactavit.* Mundus enim solido

Testimonia ex libris Historialibus. *Josue 1. 11.* *Matth.3.17.* *Ios.22.22.* *Ios.24.19.* *1.Reg.1.24.*

Digitized by Google

solido tantùm doctrinæ cibo, & expressiori Sanctissimæ Trinitatis notitiâ ab ignorantiæ balbutie, & infantilibus inutilium observantiarum ineptiis erat avellendus. In secundo David orans ait: *Quæ autem, ut populus tuus Israel, gens in terra, propter quam ivit Deus, ut redimeret eam?* Textus primitivus: *Propter quam iverunt Dii, ut redimerent eam?* Aquam de cisterna Bethlem eidem sitienti per confertos hostium cuneos tres fortissimi attulerunt, inter quos cùm alii plurimi censeantur, de quolibet eorum subjicitur, *Verumtamen ad tres primos non pervenit.* Qui sunt tres illi fortes, nisi tres Personæ, de quibus David ipse in Psalmis: *Quoniam Dii fortes terræ vehementer elevati sunt*; & in sua oratione: *Nunc ergo Domine Deus, tu es Deus.* Ubi ter singulare Dei nomen apponit, ad ipsius unitatem, & Trinitatem simul indicandam.

2. Reg. 7 23.
2. Reg. 23. 16. 19.
Ps. 46. 10.
2. Reg. 7. 28.

Testimonia ex Psalmis.

6. *Abass.* Ulláne alia in Davidicis Psalmis Trinitatis elogia continentur? *Rom.* Propemodùm innumera. Sed in aliquibus testimoniis duarum Personarum, in aliis trium fit mentio. Duarum illic: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu. Ipse invocabit me: Pater meus es tu. Dixt Dominus Domino meo: sede à dextris meis.* Trium, ter repetito Dei nomine, Psalmo 17. *Vivit Dominus, & benedictus Deus meus, & exaltetur Deus salutis meæ.* Psalmo 28. *Afferte Domino Filii Dei. Afferte Domino filios arietum. Afferte Domino gloriam nomini ejus.* Psalmo 44. *Propterea unxit te, Deus* (in vocativo: ô fili) *Deus tuus*, qui est Pater, *oleo lætitiæ*, quod est Spiritus sanctus, ut dictum est lib. 1. cap. 1. & 2. Psalmo 49. *Deus deorum Dominus locutus est.* Hebraïcè: *Deus, Deus, Deus locutus est.* Infrà: *Immola Deo*, ideſt Patri, *Sacrificium laudis*; *& redde Altissimo*, id est Filio, *vota tua*; *& invoca me*, id est Spiritum sanctum, *in die tribulationis.* Psalmo 57. *Utique est Deus judicans eos in terra.* In originali: *Est Deus judices terræ.* Psalmo 66. *Deus misereatur nostri*, ideſt Pater; *& benedicat nobis*; ideſt Filius; *illuminet* (Spiritus sanctus) *vultum suum super nos.* Et infrà benedictionem subjicit Aaronicæ consimilem: *Benedicat nos Deus, Deus noster, benedicat nos Deus.* Psalmo 95. *Cantate Domino* (Patri scilicet) *canticum novum. Cantate Domino omnis terra*; nempè Filio, qui in *terra visus est*; *Cantate Domino, & benedicite nomini ejus*; hoc est Spiritui sancto. Psalmo 117. *Dextera Domini fecit virtutem*; *dextera Domini exaltavit me*; *dextera Domini fecit virtutem.* Psalmi 135. primus versus incipit: *Confitemini Domino*; secundus: *Confitemini Deo deorum.* Tertius: *Confitemini Domino dominorum.* Psalmo 146. *Magnus Dominus*; ideſt Pater; *& magna virtus ejus*; ideſt Filii, de quo D. Paulus: *Christum Dei virtutem*; *& sapientiam ejus*, ideſt Spiritus sancti *non est finis*, de quo Isaias: *Replebit eum Spiritus sapientiæ, & intellectus.* Quod testimonium citat Cosmos Alexandrinus ex D. Gregorio Nysseno. Psalmo 149. ubi nos legimus: *Lætetur Israel in eo, qui fecit eum*, legendum ex Hebræo: *Lætetur Israël in factoribus suis.* Et in Psalmo 10. ubi inter textus: *Justus Dominus, & justitias dilexit*; *æquitatem vidit vultus ejus*; ex Hebræo: *æquitatem vidit vultus eorum.* Quam in Deo Personarum pluralitatem non solùm pii, sed omni improbitate recocti agnovère, cùm dixerunt: *Dirumpamus vincula eorum, & projiciamus à nobis jugum ipsorum.*

Ps. 2. 7.
Ps. 88. 27.
Ps. 109. 1.
Ps. 17. 47.
D. Athanas. de Unit. divin.
Ps. 28. 1.
D. Athanas. ibidem.
Ps. 44. 8.
Ps. 49. 1. 14.
D. Athanas. ibidem.
Ps. 57. 12.
Ps. 66. 1. 7.
Ps. 95. 1.
Baruch. 3. 38.
Ps. 117. 16.
Ps. 135. 1. 2. 3.
Ps. 146. 5.
1. Cor. 1. 24.
Isai. 11. 3.
D. Gregor. Nyss. Quando constitutus est Episcopus.
Cosmos in Synodica ad Basil.
Ps. 149. 2.
Ps. 10. 8.
Ps. 2. 3.

7. *Abass.* Consentítne cum Patre suo Salomon in Trinitatis manifestatione? *Rom.* Consentit. Rogat enim in Proverbiis: *Quod nomen est ejus, & quod nomen Filii ejus?* Et in Ecclesiaste. *Qui est homo, ut sequi possit Regem factorem suum?* In Hebræo: *Ut sequi possit Regem qui fecerunt eum.* Et posteà, *Funiculus triplex difficilè rumpitur.* In quem locum D. Gregorius Magnus: *Quia Fides*, inquit, *quæ de cognitione Trinitatis ab ore prædicantium texitur, fortis in electis permanens, in solo reproborum corde dissipatur.* Canticum Canticorum ab hoc mysterio exorditur. *Osculetur me osculo oris sui.* Nam ex D. Bernardo: *Osculetur*, pertinet ad Patrem, cujus *os* est Filius; utriusque *osculum* Spiritus sanctus. In libro Sapientiæ de Patre, ac Filio: *Vapor est enim virtutis Dei, & emanatio quædam est claritatis Omnipotentis:* Tum de Spiritu: *Est enim in illa Spiritus intelligentiæ Sanctus.* Tandem in Ecclesiastico: *Invocavi Dominum Patrem Domini mei.*

Testimonia ex libris Sapientialibus.
Prov. 30. 4.
Eccl. 2. 12.
Galatin. lib. 2. de Arcanis cap. 9.
Eccl. 4. 12.
D. Greg. Magn. l. 33. Mo. al. cap. 9.
Cant. 1. 1.
D. Bernard. serm. 3. in Cant.
Sap. 7. 22. 25
Eccl. 51. 14.

8. *Abass.* Quid majores Prophetæ? *Rom.* Apud Isaiam illorum antesignanum clamant Seraphini: *Sanctus, Sanctus, Sanctus, Dominus Deus exercituum.* D. Epiphanius apud Gabrielem Alexandrinum: *Non dicunt Sancti, Sancti, Sancti; sed cùm dicunt Sanctus, declarant nobis tres Personas in unione divinitatis, propter quam etiam dixerunt: Dominus Deus Sabaoth.* Et posteà Deus ait: *Quem mittam, & quis ibit nobis?* Quem mittam? ut unus in natura; *quis ibit nobis?* ut multiplex in Personis. Ob quam rationem etiam alibi: *Misereamur impio.* In celebri Prophetia de Christo: *Requievit super eum Spiritus Domini*: tres Personæ proponuntur; *Dominus*, Pater: is, super quem *Spiritus* proprio nomine signatus requievit, *Filius* est humano corpore vestitus, quem alibi sic apertissimè loquentem, & tres Personas nominantem inducit. *Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Et alibi: *Spiritus Domini super me, eò quod unxerit Dominus me* Et ut in 2. Regum libro in oratione David, ter Dei nomen repetitur, ut visum num. 5. in fine; ità apud Isaiam in oratione Ezechiæ: *Domine*, inquit, *exercituum, Deus Israel; tu es Deus solus omnium.* De quo alibi: *Appendit tribus digitis molem terræ.* Sicut enim tres digiti invicem diffissi ejusdem manus communitate, sic tres Personæ distinctionem servantes unius naturæ colligatione vinciuntur.

Testimonia ex Isaia.
Isai. 6. 3.
D. Simeon & B. Jonathas apud Galatin. ubi supra.
D. Epiph. in Anch. Gabr. Alexand. Epist. ad Ioannem Antioch.
Isai. 6. 8.
Isai. 26. 10.
Isai. 11. 2.
Isai. 48. 16.
Isai. 61. 1.
2. Reg. 7. 28.
Isai. 37. 16.
Isai. 40. 12.

9. *Abass.* Quid tres alii suppares Isaiæ? *Rom.* Jeremias ter occlamat. *A. A. A. Domine Deus, & nescio loqui, quia puer ego sum.* Quibus verbis profitetur, humanum quemlibet intellectum, ut loquatur de ineffabili hoc mysterio, esse infantissimum. Similiter

Tres alii Prophetæ Majores.
Jerem. 1. 6.

Digitized by Google

dum Hebræi apud eumdem jactabundi ter insonabant: *Templum Domini, templum Domini, templum Domini*, nescientes quid dicerent, veram Deo adorationem in sola Trinitatis confessione solvendam nuntiabant. Quibus alibi exprobrans ait: *Pervertistis verba Dei viventis.* In Hebræo. *Pervertistis verba Deorum viventium.* Ezechiel primo capite tres Personas exhibet: Patrem, cùm ait: *Facta est super eum ibi manus Domini*; Filium, cùm addit: *Similitudo, quasi aspectus hominis desuper*; Spiritum sæpiùs, ut cùm ait: *Ubi erat impetus Spiritus.* Et iterùm: *Spiritus vitæ erat in rotis.* Et cap. 37. *Facta est super me manus Domini, & eduxit me in Spiritu Domini.* Ubi *manus* Filium significat, qui manus, & brachium est Patris. Daniel cap. 3. easdem Personas non obscurè describit; duas priores, cùm Nabuchodonosor ait: *Et species quarti similis Filio Dei*; tertiam, cùm adjungitur: *Fecit medium fornacis, quasi ventum roris flantem*; quo in vento, ac rore Spiritus sanctus adumbrabatur. Tres quoque digiti contra Regem in pariete scribentes, & ipsum in tremorem redigentes delineationi fuêre mysterii, cujus objectus corda Regum dissolvit, & fortissimos quosque ità perterret, ut totis artubus contremiscant.

Jer.7.4.
Ier.23.36.
Ezech.1.3.
Ezech.1.26.
Ezec.1.11. 21.
Ezech.37.1.
Dan.3.50. 92.
Dan.5.5.

Prophetæ Minores.

10. *Abass.* Ne Minores Prophetas, si non despicatui, tradas oblivioni. *Rom.* Minimè tradam; Minores enim sunt mole, sed non auctoritate. Per Oseam Deus ait: *Domui Juda miserebor, & salvabo eos in Domino Deo suo?* Estne alius Deus præter eum, ut ipse dicat: *Salvabo eos in Domino Deo suo?* Hæc de Filio Pater loquitur, qui homo factus de stirpe Juda egressus, ad illam peculiari jure spectabat. Alibi habet: *Die tertia suscitabit nos*; quia in Baptismo ab originalis peccati morte, salutari in nomine Trinitatis immersione liberamur. Joël capite secundo tres Personas exprimit: Patrem, cùm scribit: *Ego Dominus Deus vester*; Filium, cùm præmittit: *& scietis, quia in medio Israël ego sum*; de quo etiam Joannes Baptista: *Medius autem vestrum stetit*, Spiritum sanctum, cùm celebrem illam pollicitationem concipit: *Effundam Spiritum meum super omnem carnem.* Non dissimiliter Aggæus: *Dicit Dominus*; en Patrem. *Verbum, quod pepegi vobiscum*; en Filium; *Et Spiritus meus erit in medio vestri*; en Paracletum. Eodem tenore Zacharias: *Hoc est Verbum Domini ad Zorobabel, dicens: Non in exercitu, neque in robore, sed in Spiritu meo, dicit Dominus exercituum.* Et iterùm de Patre, & Filio: *Post gloriam misit me ad Gentes*; & mox: *Ecce venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus. Et scies, quia Dominus exercituum misit me ad te.* Nam mittere, & mitti duas Personas necessariò vendicat, quo suprà cap. 5. num. 9. & 10. Hæc tibi satis sint illud ex Salomonis Proverbiis reputanti: *Mel invenisti; comede, quod sufficit tibi, ne forte satiatus evomas illud.* Et illud Sapientiæ: *Difficilè æstimamus, quæ in terra sunt, & quæ in prospectu sunt, invenimus cum labore; quæ autem in cœlis sunt, quis investigabit?* Quod in nulla re magis, quàm in Trinitatis mysterio locum habet; *quod*, ut ait D. Bernardus, *decet humiliter venerari, non inquirere sine mensura; quia inquirere audacia est; credere pietas; nosse vita; & vita æterna.*

Os.1.7.
Hebr.7.14.
Os.6.3.
Ioël.2.27.
Joan.1.26.
Ioël.2.28.
Act.2.17.
Aggei.2.5. 6.
Zach.4.6.
Zach.2.8. 10.11.
Prov.25.16.
Sap.9.16.
D. Bernard. lib. 1. de Consider. ad Eugen.

Digitized by Google

LUX FIDEI
IN NUPTIAS VERBI,
ET ECCLESIÆ.

LIBER QUARTUS.
DE MUNDO NUPTIALI Æthiopissæ; sivè de Mundi creatione.

IN SECUNDUM SYMBOLI ARTICULUM:
Omnipotentem, Creatorem cœli, & terræ.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit in Deo omnipotentia; & in quas res se extendere possit, vel non possit.

Cant. 1.5. ABBAS. Laudatos præ cunctis testes nactum est conjugium Æthiopissæ; sed cùm ipsa, sole paululùm decolorata, montivaga, & sylvicultrix, hirsuto ex caprinis pilis segmento, & interdùm pelle vix tegatur; post conciliatum ab auspice, & testibus cum Verbo matrimonium, præ indignitatis suæ pudore, se coràm ipso sistere non audebit. Undè igitur muliebrem sibi mundum comparabit? *Rom.* Ne ista te discruciet sollicitudo. Mundum ab ipso mundi exordio suæ Æthiopissæ Sponsus ipse præparavit, & totam in ipsius ornatum suam solertiam, & omnipotentiam oppigneravit. Illam enim Universi cyclade, quatuor elementorum coloribus picturata exornavit; vultui pro flammeo ignis flammam; humeris byssinum aëris aniculum, crystallinis aquæ guttis, tamquàm unionibus, & vernantibus terræ floribus insperſum; pedibus non lunatos calceos, sed ipsam lunam; & capiti coronam stellarum duodecim imponens; tantámque ipsi gratiam adjiciens, *ut stellas ipsa potiùs coronet, quàm ab illis* coronetur. Nec in illius curationem, & expolitionem, *Eunuchorum* ab ipsa natura factorum, & pedisequarum; Angelorum, scilicet, & animarum rationalium excubias, & comitatum prætermisit. Mundi ergo fabricæ, tàm cælesti quàm sublunari, in Æthiopissæ ornatum à Deo delineatæ, & destinatæ quartus hic liber dicabitur, in illa verba Symboli: *Omnipotentem, Creatorem cæli, & terræ.*

Apoc. 12.1. D. Bernard. super verba: Signum magnum.

Matt. 19.12.

1. *Abass.* Cur Apostoli, cùm Deum priùs Patrem dixissent, illicò Omnipotentem appellavêre? *Rom.* Quia Patrem professi, potentiam in eo ad duas productiones ad intra insinuârunt (ultra quas, cùm intra Deum nullæ sint aliæ) illis fuit ad productiones ad extra, quæ opera sunt omnipotentiæ, progrediendum. Habet enim Deus & potentiam, & omnipotentiam. De potentia in Psalmis: *Potentiam tuam, & justitiam tuam Deus usque in altissima, quæ fecisti magnalia. Tuum brachium cum potentia. Accinctus potentia.* In libro Sapientiæ: *Subest tibi, cùm volueris, posse.* In Evangelio: *Fecit potentiam in brachio suo.* In D. Paulo: *Volens Deus notam facere potentiam suam.* De omnipotentia in Genesi: *Ego Deus Omnipotens.* Et in Exodo: *Dominus quasi vir pugnator: Omnipotens nomen ejus.*

In Deo est potentia, & omnipotentia.

Psal. 70.19. & 88.14. & 64.7. Sap. 12.18. Luc. 1.51. Rom. 9.22. Gen. 17.1. Exod. 15.3.

2. *Abass.* Quid interest inter potentiam, & omnipotentiam? *Rom.* Aliquandò hæc nomina

Potentia in Deo datur ad intra: omnipotentia ad extra.

Digitized by Google

nomina confunduntur; sed si exactè loquamur, Dei potentiam constituunt intellectus, & voluntas, naturaliter operantes, & divinam essentiam cum duabus Personis productis communicantes; Omnipotentiam voluntas, prævia libera creaturarum scientia, illarum effectionem intendens, eámque efficacis imperii actu executioni mandans. Quod enim primæ partes omnipotentiæ, voluntati divinæ sint deferendæ, illa testimonia convincunt: *Omnia, quæcumque voluit, fecit. Subest enim tibi, cùm volueris, posse.* Quòd verò intellectus etiam concurrat, illud D. Pauli: *Qui operatur omnia secundum consilium voluntatis suæ.* Consilium verò sedem habet in intellectu, ut dictum est lib. 2. cap. 19. num. 2. Imperium autem succedit, cùm jam res in actum est educenda; quod in Genesi exprimitur illis verbis: *Fiat lux; Fiat firmamentum; Fiant luminaria; Producat terra herbam virentem; Producant aquæ reptile animæ viventis; Producat terra animam viventem.* Et aliquandò dicitur imperium, ut in Evangelio: *Imperavit ventis, & mari.* Baruch: *Nubes perficiunt, quod imperatum est eis*; aliquandò præceptum, ut apud Job: *Qui præcipit soli, & non oritur*; aliquandò verbum, ut in Psalmo: *Verbo Domini cœli firmati sunt*; aliquandò vocatio, ut apud Baruch: *Stellæ vocatæ dixerunt: adsumus*; apud D. Paulum: *Qui vocat ea, quæ non sunt: tamquàm ea, quæ sunt.* Omnia quidem ad hominum similitudinem, qui cùm quidlibet agere decreverunt, ad illius executionem verbis, vocatu, & imperio utuntur.

Omnipotentia divina scientiæ, & voluntati subest.

Ps. 134. 6.

Sap. 12. 18.

Ephes. 1. 11.

Dei omnipotentiam imperium commutatur.

Gen. 1. 3. 6. 14. 20 24.

Matth. 8. 26.

Baruch. 6. 61.

Job. 9. 7.

Psal. 32. 6.

Baruch. 3. 35.

Rom. 4. 17.

3. *Abass.* Quænam sunt illa, ad quæ se potest divina omnipotentia extendere? *Rom.* Ad illa, quæ nomen ipsum prætendit; idest, ad omnia, quæ fieri non repugnat. *Scio*, inquit Job, *quia omnia potes.* In Genesi: *Numquid Deo quidquam est difficile?* In Evangelio: *Apud Deum omnia possibilia sunt*; Et iterùm: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Potest ergo Deus efficere, quidquid omnes causæ secundæ operantur; sive ipsis in operis societatem adscitis, sive omninò exclusis: Plura etiam moliri potest, quorum effectionem nullæ causæ secundæ anhelare possunt; ut alterius mundi substructionem; unius, vel omnium mortuorum suscitationem; & universim, quidquid non est absolutè impossibile, nec secum infert contradictionem.

Quidquid fieri non repugnat, facere potest Dei omnipotentia.

Job 42. 2. *Gen.* 18. 14. *Matth.* 19. 26. *Luc.* 1. 37.

4. *Abass.* Quidnam est illud, quod est absolutè impossibile, & secum involvit contradictionem? *Rom.* Impossibile aliquandò dicitur, quod non ità facilè fieri potest, neque citò, aut benè; ut mihi impossibile est lignum ponderosum in humeros efferre, quod alius valentior duobus digitis attollet. Aliquandò id, quod humanas vires superat, divinis tamen præstari potest; ut montem sede natali nequeunt omnes homines in unum collecti dimovere, quod D. Gregorio Thaumaturgo divina virtute freto fuit in proclivi. Aliquandò id, cujus oppositum est omninò necessarium; ut impossibile est, hominem esse lapidem, quia homo necessariò non est lapis. Tandem illud, quod licèt secundùm se sit possibile, factâ aliquâ suppositione, redditur innacessum; ut possibile erat Christum non nasci; posito tamen divino decreto, & promissione de illius Nativitate, redditum est impossibile; quia *impossibile est mentiri Deum*, ut ait D. Paulus. Id quod impossibile est duobus modis posterioribus, est absolutè impossibile. *Impossibile* enim ex Philosopho, *est, quod esse unquàm non potest*; seu, *id, cujus termini in eadem re nec per divinam potentiam conjungi possunt*; ut homo est lapis, vel lapis est homo. Hæc enim duo: lapis, & homo nunquàm convenire possunt, nec ipso Deo jubente in eadem sede commorari.

Impossibile quot modis dicatur.

Aristotel. lib. 1. de cœlo text. 111.

Aristotel. 5. Metaph. cap. 12. D. Thom. 3. p. q. 46. a. 2.

Heb. 6. 18.

Aristotel. 1. de cœlo text. 118.

5. *Abass.* Si Dei jussione effici non potest, ut homo sit lapis, & lapis homo, verum non videtur illud Angeli effatum: *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum. Rom.* Omne quidem verbum Deo non est impossibile; sed quod non est verbum, non est possibile; hominem autem esse lapidem, vel lapidem esse hominem, non est verbum, sed verbi negatio, & destructio. Verba enim Dei dicuntur externa, ipsius opera. In Deuteronomio, & Evangelio: *Non in solo pane vivit homo, sed in omni verbo, quod procedit de ore Dei.* Ideſt, in omni re, quamcumque Deus ad hominum victum creavit. In primo Regum: *Ecce ego facio verbum in Israel, quod quicumque audierit, tinnient ambæ aures ejus.* In tertio: *Juxta præceptum tuum feci omnia verba hæc.* Non quòd ipsa verè sint verba, sed quòd internum Dei verbum, *sine quo factum est nihil*, hominibus ostendant. Nam in se ipso Deus servat, quod homini præcepit: *Ante omnia opera verbum verax præcedat te*; & nihil ad extra operatur, cujus veram non habeat in sua mente conceptionem; quod ipsius est verbum *veritatis* nomine ideò nobilitatum; quia res, ut verè sunt, repræsentat, ut tradit D. Augustinus. Et ut ait D. Paulus: *Non est in illo, Est, & Non; sed Est, fuit semper.* Ideſt, nihil unquàm simul esse, & non esse intellexit; sed quidquid intellexit, id verè est, & fuit. Quidquid ergo tamquàm solidæ veritatis, & substantiæ succo plenum Deus mente concipit, ipsius est verbum, nec illi impossibile. Quidquid autem animo versare non potest; quale est, hominem esse lapidem, vel lapidem hominem; ipsius etiam est potentiæ inaccessum.

Omne verbum apud Deum non est impossibile; sed quod non est verbum, est impossibile.

Luc. 1. 37.

Deut. 8. 3.

Matth. 4. 4.

1. *Reg.* 3. 11.

3. *Reg.* 18. 36.

Ioan. 1. 3.

Eccl. 37. 20.

Ioan. 14. 6.

D. August. Trinit. tract. 39. in Ioan.

2. *Cor.* 1. 18.

6. *Abass.* Ergo, si quid est inabruptum divinæ potentiæ, Deum non Omnipotentem, sed impotentem licebit appellare. *Rom. Quædam*, inquit D. Augustinus, *non potest Deus, quæ si posset, non esset Omnipotens.* Qualia sunt omnia, quæ ipsius vel essentiam, vel bonitatem evertunt. *Ita impossibile est*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *Deum malum esse, aut omninò non esse. Hoc enim Dei impotentiam potiùs, atque imbecillitatem*

Multa Deus non potest, quæ si posset, non esset Omnipotens.

D. August. lib. 10. de Trinit. cap. 1.

D. Greg. Naz. Orat. 36.

Digitized by Google

becillitatem magis quàm potentiam argueret.

*Ps.*15.4. *Rom.*5.6. Nam peccata David *infirmitates* appellavit; & D. Paulus: *Christus, cùm adhuc infirmi essemus, pro impiis mortuus est.* Quod ut medullitùs intelligas, noris, duo esse principia omnium prima, & notissima in Philosophia, quibus duo alia multò certiora in Theologia respondent. Primum principium Philosophicum est illud: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Undè impossibile est, idem simul esse hominem, & non esse hominem, esse lapidem, & non esse lapidem. Quod inde sequitur, si dicatur: hominem esse lapidem, vel lapidem esse hominem. Principium Theologicum illi consonum est illud Apostoli: *Fidelis Deus, negare se ipsum non potest.* Negaret autem Deus suam essentiam, séque ipsum digladiantibus voluntatibus laniaret, si vellet, ut Petrus simul esset homo, & lapis; ut viveret, & non viveret.

Duo principia, omnium prima; aliud Philosophicum, aliud Theologicum.

2.*Thi.*2.13.

*Ps.*29.6. Nam vivere non potest citra ipsius voluntatem; *vita in voluntate ejus*, inquit Psaltes; nec mori, nisi suum concursum vitæ conservatorem, propagatorémque suspendat; *Ps.*103.29. *Avertente te faciem*, inquit idem, *turbabuntur; auferes spiritum eorum, & deficient, & in pulverem suum revertentur.* Si ergo Petrus simul viveret & non viveret, duæ in Deo voluntates: dandi, & non dandi vitam, velut in arena dimicarent. Si idem Petrus simul esset homo, & lapis, duæ aliæ voluntates Deum in diversa distraherent, quarum altera animam, & rationem Petro largiretur: nam, *Act.*17.28. teste Paulo, *ipse dat omnibus vitam, inspirationem, & omnia: in ipso enim vivimus & movemur, & sumus*; altera illam subrueret; lapis enim casus est animâ, ratione, & spontali motione.

Duo alia principia posteriora.

7. *Abass.* Quæ sunt duo altera principia? *Rom.* secundum Philosophicum est illud: *Impossibile est idem de eodem, & secundùm idem simul affirmari, & negari.* Quod primi est consectarium; si enim dicatur, Petrum simul esse candidum, & non esse candidum, affirmatio candorem in eo ponit, negatio destruit; undè sequitur, simul esse candidum, & non esse. Nisi fortè candidus, & non candidus secundùm diversas partes dicatur; quod rei compositæ non repugnat; ut candidus corpore, non candidus oculis, & capillis. Affirmatio autem, & negatio in totum, & secundùm idem, in omnibus rebus creatis, & multò magis in Deo, qui est omninò simplex, locum non habent. Quia contradictoriæ utraque pars simul vera esse non potest; sed alteram tantùm veram, alteram falsam esse oportet; cùm veritas sit conformitas cognitionis cum re intellecta, & enuntiata, falsitas autem ab ea difformitas. Eadem autem cognitio non potest simul esse conformis, & difformis; aliter nunquam locus esset mendacio, quod tunc admittitur, cùm dicta, & facta à mentis cognitione dissentiunt. Si ergo Deus contradictoria simul efficere, & affirmare posset; ut hominem esse lapidem, & non esse lapidem: Petrum esse candidum, & non esse candidum; hæc eidem homini, atque Petro simul inesse cognosceret; & cùm illorum alterum necessariò falsum esset, divinam mentem falsitas, & mendacium insiderent, contra illud Theologicum D. Pauli axioma: *Impossibile est mentiri Deum.* *Heb.*6.18. Ex quibus sequitur, falsum esse, quod vestrates imperitè effutiunt; Christo esse unam naturam, & duas naturas; unam personam, & duas personas; vel ex duabus unam factam; quæ omnia sunt impossibilia. Nam qui ait: una persona, vel natura sunt duæ, & duæ una; implicitè fatetur, unam personam, vel naturam, esse unam, & non esse unam; esse duas, & non esse duas; ut qui juxta exemplum propositum à D. Nazianzeno, diceret: *bis duo esse quatuor, & simul esse decem.* D. Gregor. Naz. Orat. 36. Idem enim esset, ac si diceretur, esse quatuor, & non esse quatuor: esse decem, & non esse decem; quia nec quatuor decem, nec decem quatuor esse possunt. Et si Deus id efficere, vel dicere tentaret, mendax esset, suámque naturam tamquàm prævaricator abrogaret; cùm simul vellet, unam personam, vel naturam esse unam, & non esse unam; esse duas, & non esse duas; quia unius inductio, duarum; & duarum inductio, unius esset eversio. Si enim de se ait Paulus: *Si quæ destruxi, hæc iterùm ædifico, prævaricatorem me constituo*, *Galat.*2.18. à fortiori prævaricatorem se Deus reputaret, si eodem tempore altera manu unius personæ, vel naturæ parietem erigeret, alterâ eumdem duabus personis, vel naturis subrogatis dissiparet. Qui ergo dicunt, unam personam, & naturam esse duas, & duas unam; adeò perditè insaniunt, ut illi, contra quos Isaias: *Isai.*5.20. *Væ, qui dicitis malum bonum, & bonum malum; ponentes tenebras lucem, & lucem tenebras; ponentes amarum in dulce, & dulce in amarum.* Sed de duabus personis lib.5.cap.13. à num.16. de duabus naturis ibidem cap.17. num.12. agendum.

Christus est Deus, & homo, secundum diversa, & secundùm unionem, non consubstantialitatem naturarum.

8. *Abass.* Dicimus, eumdem Christum esse unum, & esse duplicem; esse Deũ & esse hominem; Deúmque esse hominẽ, & hominem esse Deũ. Ergo dicere poterimus, unam naturã, & personam esse duas, & duas unam; hominem esse lapidem; & lapidem hominem. *Rom.* Si homo ità sibi unire posset lapidis naturam, sicut Deus humanam sibi adjunxit, tam verum esset dicere: homo est lapis, & lapis homo; quàm nunc est: Deus est homo, & homo Deus; & Christus est Deus, & homo; non secundùm eamdem, sed secundùm diversas naturas; neque per mutuam alterius in altera inclusionem, aut conversionem, sed secundùm unionem. Quæ cùm naturaliter inter duas naturas non detur, neque supponatur; cùm dicimus: homo est lapis, & lapis homo, intelligimus, hominem esse lapidem, & lapidem hominem essentialiter, & secundùm naturæ consubstantialitatem; quod ex suprà dictis contradictoriè repugnat. Item, cùm dicimus, Christum esse unum, & esse duplicem; non secundùm idem unum, & duplicem: sed secundùm diversa enuntiamus; unum quidem in Persona, geminum in naturarum conduplicatione. Qui autem dicit unam, & duas naturas: unam, &

duas

Digitized by Google

duas personas, ineptè circa eamdem rem nugatorias omninò contradictiones obvolvit.

Quomodò Deus sit Omnipotens erga res ipsas, quæ repugnantiam involvunt.

9. *Abass.* Jam mente complector, esse aliqua, quæ Deus moliri non potest; ut hominem esse lapidem, vel Angelum; si tamen illa obire non potest, quo pacto illorum respectu est Omnipotens? *Rom.* Quamvis Deus circa res omnes id aggredi nequit, à quo naturæ, atque veritatis suæ, & contradictionis objectu retardatur, ad omnia quæ illis non sunt opposita, quamvis naturales causæ illa tentare non audeant, se extendit. Etsi enim efficere non possit, ut homo simul sit lapis, & homo; potest tamen hominem in lapidem convertere, sicut Loth uxorem in salarium simulachrum; & ex lapidibus filios Abrahæ; & Adamum ex limo suscitare. Et licèt efficere non possit, ut Adámus olim à se formatus non fuerit, & præterita tempora non transcurrerint (quod si accideret, dici simul posset: fuerunt, & non fuerunt) potest tamen Adamum eodem loco, statúque reponere, & omnium transactorum vicissitudines innovare.

Gen. 19. 26. *Luc.* 3. 8. *Gen.* 2. 7.

CAPUT II.

Quid sit Creatio; & quas res Deus proprie creaverit.

Creatio actus est omnipotentiæ. Aristotel. 5. Metaph. cap. 12. & lib. 9. text. 2.

1. *Abass.* Cur Apostoli à Dei omnipotentia digressi, illicò addidêre: *Creatorem cœli, & terræ?* *Rom.* Omnis potentia ad aliquem actum ordinatur; ut intellectiva ad intelligendum; visiva ad videndum; generativa ad generandum. Cùm ergo in Deo omnipotentia sit facultas operandi ad extra, aliquos actus sibi adscribere debuit, quorum primus, & nobis ex Scripturis maximè notus est creatio. Hoc enim illarum est exordium: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.*

Creatio est è nihilo productio. D. Dionys. p. 1. n. 1. 1. D. Gregor. Nyss. p. 4. n. 1. 2. *Mach.* 7. 28.

2. *Abass.* Quid est creatio? *Rom.* Creatio est è nihilo productio; seu productio è non præsuppositi subjecto; ut vos docent D. Deonaceos, & Nyssenus. Cùm ergo Deus cœlum, & terram, nullo subjecto præjacente, in lucem vocaverit, meritò creasse prædicatur. Hinc Machabæorum mater: *Peto te, nate, ut aspicias ad cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt; & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus; & hominum genus.* D. Paulus in Epistola ad Romanos: *Vocat ea, quæ non sunt, tamquàm ea, quæ sunt.* Et ad Hebræos: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei, ut ex invisibilibus visibilia fierent.* Et in libro Sapientiæ: *Omnipotens manus tua creavit orbem terrarum ex materia invisa.* Ubi nihilum vocatur materia invisa, & invisibilis; quia sicut nullius in se substantiæ medullam includit, ità neque oculis valet sui inspectandi copiam exhibere.

Rom. 4. 17. *Heb.* 11. 3. *Sap.* 11. 18.

Creare solus Deus potest.

10. *Abass.* Soliúsne Dei proprium est creare, an alios in hujus muneris consortium admittit? *Rom.* Angelis creandi potestatem impiè Simon Magus adscribebat; contra quê D. Paulus in Epistola ad Colossenses cautionem præstruxit: *Nemo vos seducat in humilitate, & religione Angelorum.* Et in Epistola ad Hebræos: *Non enim Angelis subjecit Deus orbem terræ futurum.* Si verò à creandi facultate Angeli eliminantur, multò magis creaturæ aliæ ignobiliores, hac soli Deo servatâ prærogativâ, exterminabuntur. Nam Sapientis testimonio: *Unus est Altissimus, Creator omnipotens.* Quin ipsius Dei auctoritate: *Ego sum Dominus, faciens omnia extendens cœlos solus, & stabiliens terram, & nullus mecum.* Esse enim, & non esse infinita distantia sejungit, cùm hæc duo nulla in re consentiant, sed alterius invectio in totum sit alterius exclusio. Ergo solus Deus, cui infinita virtus adest, valet infinitam illam intercapedinem, non verò creatura quælibet, quæ definitam habet pro suo modulo potentiam, transilire. Præterea, nullum agens creatum quidquam móliri potest, quod non à subjecto extrahat, & in subjecto expoliat, ut libro 2. cap. 3. num. 7. ostendimus. Ergo cùm creatio nullum subjectum supponat, in solum Deum, cujus actiones summam vendicant à subjectorum ergastulis immunitatem, est referenda.

Coloss. 2. 18. *Hebr.* 2. 5. *Eccl.* 1. 8. *Isai.* 44. 24.

Quæ propriè Deus creaverit.

4. *Abass.* Quænam sunt illa, quæ Deus propriè creavit? *Rom.* Illa tantùm, quæ in mundi exordio ante sex dierum opera est architectatus. Nempè Angelos, supremum cœlum, quatuor elementa, quodque in suo situ separatim; materiam primam cum ipsis confusam; nec non tempus, sive rerum creatarum durationem, ab ipsis etiam minimè divulsam. Nec quidquam ultrà, exceptis primorum parentum animabus, atque aliis, quas fluxu temporis opportunè perpolitis in matrum vulva infantium corpusculis inducit.

Creandi verbum Genesis 1. in sua proprietate accipiendũ. *Eccl.* 18. 1. *Genes.* 1. 1.

5. *Abass.* Undè patet, illa quæ enumerasti, à Deo in mundi primordiis creata? *Rom.* Ex Ecclesiastico docente: *Qui vivit in æternum, creavit omnia simul*; ex hoc Symboli articulo, & illo Genesis vestibulo: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Ubi creandi verbum est in sua proprietate accipiendum. Cùm enim nihil cœli, aut terræ sui effectionem antecesserit, opus est, ut à creatione principium sumpsisse dicantur, juxta illum Canonem D. Cyrilli: *Quando nondum producta creari dicuntur, necessariò de nihilo ad esse procedere intelliguntur.* D. Athanateus: *Ex nihilo, ac prorsùs nunquàm extantibus Deum Patrem per verbum suum fecisse agnoscit, cùm ad istum modum loquatur per Moysem: In principio fecit Deus cœlum, & terram:* Et infrà: *Ex non entibus universa creavit.* Et illa verba ex libro Pastoris citat. *Primò crede, unum esse Deum, qui condidit omnia, & absolvit; fecitque ea, quæ non erant, ut essent.* Et alibi: *Deus creat, cùm evocat ea, quæ non sunt, in essentiam sine nullius rei aut ope, aut opera.* Tandem, Concilium Lateranense: *Deus ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam: corporalem, & spiritualem, Angelicam, scilicet, & mundanam.*

D. Cyril. 5. Thes. cap. 4. D. Athanas. lib. de Incarnat. Verbi Dei.

Lib. de Decret. Synod. Nicæn.

Concil. Lateran. IV. cap. Firmiter. De sum. Trinit. & Fide Cath.

6. *Abass.*

Digitized by Google

Cœlũ Empyreum in Geneſis aditu demonſtratum.

6. *Abaſſ.* Cùm dicitur: *In principio, creavit Deus cœlum:* Quid ſupremi illius cœli nomine intelligendum? *Rom.* Non equidem ſphæræ mobiles, quas ſecundâ die Deus ſub firmamenti nomine produxit, ſed cœlum illud, quod Theologi à lucis diffuſione Empyreum vocant; & cœlum cœli Scripturæ. *Domini Dei tui cœlum eſt*, inquit Moyſes; *& cœlum cœli* David: *Cœlum cœli Domino.* In quo ſcilicet, ipſe *paravit ſedem ſuam.* Hæc eſt enim *civitas Dei viventis*; curia *Regis magni*; *Jeruſalem cœleſtis*; *regnum*; quod Pater tam electis, quàm Filio, ut ſibi aſſideret *ad dexteram majeſtatis in excelſis, à mundi conſtitutione præparavit.* Et ideò dicitur à D. Paulo illius *artifex, & conditor.* Ut enim decebat, damnatos in infimo totius univerſitatis ergaſtulo (quod eſt terræ centrum) ad illorum tantùm carnificinam deſtinato volutari, ſic Beatos in eminentiſſima omnium rerum creatarum arce, quam nulla cieret vertigo, conſidère. Præcipuè cùm Patri probroſum, & Filio injurium eſſet, poſt hujus à ſummo cœlo digreſſum & laborioſam terrarum peragrationem ab illo in tali ſolio collocari (idémque de Beatiſſimæ Virginis corpore ad peccatum ſemper immobili ſentiendum) quod ullius volubilitatis afflatu turbaretur, aut agitatione contorqueretur.

Deut. 10. 14. Pſ. 113. 16. Heb. 12. 22. Pſ. 47. 3. Matt. 25. 34 Heb. 1. 3. Heb. 11. 10.

Soar. 1. tom. 1. in 3. p. D. Thom. diſp. 51. ſect. 1. §. 3. dicendum in fin.

7. *Abaſſ.* Ab oſtio Scripturarum funditùs aberrabit, quiſquis hæſitaverit, verbis illis Geneſis cœlum Empyreum ſignificari; ſed præter terram, quæ creata etiam deſcribitur, nulla ibi fit cæterorum elementorum commemoratio. *Rom.* Expreſſam etiam cæterorum elementorum mentionem Moyſes inferiùs ſubjecit; ſed cùm dixit: *In principio creavit Deus cœlum, & terram*, illa non obſcurè indicavit. Nam cœli, & terræ nomine mundum elementarem expreſſit, quem Ariſtoteles definivit compagem è cœlo, & terra, atque ex iis, quæ intra eam continentur, naturis coagmentatam. Hanc verò compagem, & quidquid ipſius complexu includitur, à Deo creatum Athenis ſolertior alius Philoſophus Areopagitarum Senatui nuntiavit. *Deus*, inquiens, *qui fecit mundum, & omnia, quæ in eo ſunt.* Quibus verbis omnis vacillatio præciditur; ſi enim elementa partes ſunt mundi, & intra mundum, Dei creantis effectionem effugere non potuerũt. Eſt autem ſolemnis Scripturarum mos à D. Epiphanio in veſtro Libro conſignatus: ſolis extremis prolatis media; & toto propoſito, omnes illius partes conſiderandas exhibere. Quod duobus confirmat exemplis. Primo ex Geneſi, cùm dicitur: *Formavit Deus hominem de limo terræ. Non enim dixit: Formavit ipſi jecur, pulmonem, cor, venas, nervos, & cætera, quæ ſunt in corpore; ſed hæc omnia ſub hominis appellatione collegit:* Altero ex Joannis Evangelio: *Verbum caro factum eſt.* Ubi non exprimitur, Chriſto ineſſe divinitatem, & omnia ipſius attributa; imò neque animam rationalem, & corporis affectiones; ſed ſolam Verbi Perſonam, & carnis naturam. At illa omnia verbi, & carnis (quæ duo ſunt extrema) nominibus ità plenè deſignantur, in Hæreticorum catervam ſit ablegandus, qui Chriſtum perfectum Deum, vel perfectum hominem ſit inficiatus. Cùm igitur elementa potiſſimæ ſint partes mundi integritatem, & perfectionem abſolventes, eorum creationem D. Paulus uno verbo inſinuavit, cùm dixit: *Deus, qui fecit mundum.* Et Moyſes duobus, cùm eſt exorſus: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Quis enim audiens, domui alicui ſapientem architectum fundamenta jeciſſe; & faſtigium impoſuiſſe, non ſtatim intelligit (quamvis nihil aliud adjiciatur) pavimentum, fores, feneſtras, contignationem, contabulationem, laquearia, & tectum in ea minimè deſiderandum? Similiter nihil magnifico hujus univerſitatis palatio à Deo ſtatim à principio in hominis domicilium evecto, ut Philo Hebræus tradit, deeſſe penſandum eſt, ex eo tantùm, quòd à Moyſe terrenum illius in imo fulcimentum, & arcuatus in ſummitate cœli fornix deſcribatur.

Extremis poſitis omnia media intelliguntur.

D. Epiphan. p. 3. n. 24.

Gen. 2. 7.

Joan. 1. 14.

Act. 17. 24. Gen. 1. 1.

Philo lib. de Mundo opifi.

8. *Abaſſ.* Quid te impulit, ut diceres, præter terram expreſsè à Moyſe inferiùs ſubjectam aliorum elementorum mentionem? *Rom.* Inferiùs ſcripſit: *Tenebræ erant ſuper faciem abyſſi, & Spiritus Domini ferebatur ſuper aquas.* Ubi aqua proprio, & abyſſi: aër Spiritus, & tenebrarum nomine connotatur. Quid eſt enim abyſſus niſi aquarum in mari amplitudo, & vorago? *Tu*, ait Iſaias: *ſiccaſti mare, aquam abyſſi vehementis.* Aër verò Spiritus dicitur, ut apud Davidem: *Os meum aperui, & attraxi Spiritum*; quia reſpiratio eſt aëris pulmonum diductione evocati attractio, & reciprocatio. Ut autem *Domini eſt terra, & plenitudo ejus*, quia à Deo condita, & in vaſtam magnitudinem projecta (quæ enim magna ſunt, Deo adſcribuntur, ut ab eodem Pſalte, *Montes Dei, & cedri Dei*) ità aër latiſſimè diffuſus hic, & alibi Domini ſpiritus aplatur. In Pſalmo: *Flabit ſpiritus ejus, & fluent aquæ.* In Iſaia: *Exſiccatum eſt fœnum, & cecidit flos, quia Spiritus Domini ſuflavit in eo.* Et iterùm: *Cùm venerit quaſi fluvius violentus, quem Spiritus Domini cogit.*

Aqua, & proprio, & abyſſi nomine ſignificatur. Gen. 1. 2.

Iſai. 51. 10.

Spiritus, & cœli nomine aër ſignificatur. Pſ. 118. 131.

Pſ. 23. 1.

Pſ. 35. 7. & 79. 11.

Pſ. 147. 18.

Iſai. 40. 7. & 59. 19.

9. *Abaſſ.* Perbellè hæc de Domini ſpiritu; ſed quid tenebris, atque aëri commune? *Rom.* Tenebræ dicuntur fuiſſe *ſuper faciem abyſſi*, ideſt, in aëre, qui aquarum ſuperficiem ſuo ambitu coërcebat, & nunc etiam vehiculum eſt tenebrarum. Tenebræ enim, ſecundùm Philoſophum, aliquandò lucis abſentiam, aliquandò ipſarum conceptaculum (quod aër eſt) ſignificant. Et ut cæcitas nõ datur, niſi adſit oculus; nec ſurditas, ſi auris deficiat; ſic neque tenebræ ſuper aquas eſſe poſſent, niſi aëri luce carens ſuo illas gremio foveret. Cùm igitur aër, & aqua eſſent, antequàm natura ſe in ullius rei generabilis productionem effudiſſet, nec duo illa elementa à ſe ipſis eſſe potuerint, tenaciter aſſerendum, illa, & quidquid in Geneſi ante primam diem

Cùm tenebræ nominantur, aër ipſarum ſubjectum indicatur. Ariſtotel. l. 2. de Anima, cap. 7. text. 70.

Digitized by Google

factum refertur, simul cum cœlo, & terra à Deo creationis largitatem participasse. Licèt absurdum non sit affirmare, eo loco aërem cœli etiam nomine designatum. Undè David ait: *Volucres cœli, & pisces maris.* Dominus in Evangelio: *Respicite volatilia cœli*: Jacobus Apostolus: *Cœlum dedit pluviam.* Exploratum enim est, volucres aërem pervolare, & imbres ab aëre in terram diffundi.

Ps.8.9. *Matth.6.26.* *Jacob.5.18.*

Cœli nomine ignis etiam intelligi potest.

1. *Abass.* Meus equidem ad cognoscendam aquæ,& aëris creationem calescit assensus; sed friget adhuc circa ignem. Nullibi enim toto illo capite illius scintillat origo. *Rom.* Cœli vocabulo igneam sphæram indicatam non contemnendi Auctores arbitrantur. In quorum patrocinium illud potest adduci testimonium ex quarto Regum: *Descendit ignis de cœlo, & devoravit eum.* Ex secundo Paralipomenon: *Ignis descendit de cœlo, & devoravit holocaustа.* Ex Lucæ Evangelio: *Pluit ignem, & sulphur de cœlo.* Ubi memoria illum Geneſis locum reficare mouetur: *Pluit super Sodomam, & Gomorrham sulphur, & ignem à Domino de cœlo.* Cùm verò apud Jobum scribitur: *Ignis Dei cecidit è cœlo*, non minùs ignem, quàm aërem (cum Spiritus Dei dicitur) à Deo creatum insinuatur. Quæ explicatio si tibi longè petita videatur, recolas, si quid Geneſi deest, aliis Scripturæ locis supplendum. Psaltes enim testatur: *Qui fecit cœlum, & terram, mare, & omnia, quæ in eis sunt.* Mardochæus: *Tu fecisti cœlum, & terram, & quidquid cœli ambitu continetur.* Machabæorum mater in cohortatione ad filium: *Peto te, nate, ut aspicias cœlum, & terram, & ad omnia, quæ in eis sunt, & intelligas, quia ex nihilo fecit illa Deus.* Cùm igitur reliqua elementa, (& inter ea ignis) sint intra cœlum, & terram, nihil de illius creatione titubandum.

4.Reg.1.10. *2.Paralip.7.1.* *Luc.17.29.* *Gen.19.24.* *Job.1.16.* *Ps.145.6.* *Esther 13.10.* *2.Mach.7.28.*

Materia à Deo creata sub formis elementorum.

11. *Abass.* Elementorum creationem admitto; circa materiam in dubio est animus. *Rom.* Omnem dubitationem exuisses, si memoriâ retineres, quæ dixi lib. 2. cap. 3. num. 7. materiam, scilicet, esse primum omnium rerum generatarum, & ultimum corruptarum subjectum; à quo generatæ primùm auspicantur, & in quod corruptæ ultimò resolvuntur. Esse autem non posset ultimum rerum corruptarum,& primum generatarum subjectum; si ipsa generationis fluxu existentiam accepisset. Nulla enim physica generatio datur, nisi antè subjectum ad substantialis formæ introductionem præparetur. Si ergo materia generata principio fuisset, aliud subjectum assignandum esset, in quo ipsa fingeretur; & ità cursu retrogrado in infinitum. Quare sistendum in aliquo primo subjecto; id verò non est aliud, quàm prima illa materia, quam Deus condidit; non sejugatam, se quatuor elementorum formis intricatam. Cujus potiorem partem terræ applicuit, ut esset sublunarium mutationum pulvinus, & palæstra: & rebus factitiis instar massæ, cujus appositione fermentescerent. Argumento est, quòd ex superiùs dictis, omnia, quæ sunt in mundo, creata dicuntur, cùm tamen pleraque videamus generatione produci. Eatenùs ergo verum est, creata fuisse, quatenùs aliquam creatæ à Deo in illo mundi exordio materiæ portiunculam in generatione vendicârunt.

12. *Abass.* Ubi temporis creatio innuitur? *Rom.* Primo Geneſis aditu: *In principio.* Illa enim fuêre temporis primordia; quod à Deo creatum duobus locis tradit Apostolus: *Fide*, inquit, *intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* Et iterùm: *Per quem fecit & sæcula.* Seculorum autem nomine tempus agnoscendum, idem alibi expressit. *Vocavit nos*, inquit, *ante tempora sæcularia.* Et alibi: *In spem vitæ æternæ, quam promisit, qui non mentitur Deus, ante tempora sæcularia.* Cùm verò tempus sit intima cujuslibet rei duratio, ab ipsius existentia non distinguitur, sed definitur: *Perseverantia rei in illa existentia, quam principiò accepit.* Ideò suprà dixi, tempus non fuisse creatum separatim, sicut cœlum, & terram, ac cæteras res permanentes; sed simul cum ipsis, quia intimum cœli, ac terræ tempus, ipsis persistentibus, tam non potest ab ipsis, quàm ipsorum existentia avelli. Sed quia cujuslibet rei existentiam cælestium sphærarum (quæ dies, menses, annosque describunt) volutationes metiuntur, illa cœlestis cursûs duratio, quæ rerum in sua existentia perseverantiam coæquat, externum tempus, & interni mensura nuncupatur. Undè scribitur, Adamum vixisse annis nongentis,& triginta; Mathusala nongentis sexaginta novem; quia uterque eorum tamdiù in accepta primò existentia perduravit, quamdiù sol cursûs sui perennitate totidem annuas vicissitudines absolvit.

Verbum illud: In principio: tempus innuit. *Gen.1.1.* *Heb.11.3.* *Hebr.1.2.* *2.Tim.1.9.* *Tit.1.2.* *Genes.5.5.* *27.*

CAPUT III.

Tenebras à Deo non esse creatas in principio, ostenditur.

1. *Abass.* Semel, & iterùm (nî mea memoria mihi labascit) superiùs dixisti, omnia, quæ à Moyse nominantur ante lucis prima die formationem, à Deo in principio cum cœlo, ac terra creata fuisse; & indè aquarum, atque aëris creationem confirmasti, quòd Moyses aquas tunc fuisse, & spiritum Domini ipsis invectum attestetur. At similiter ait: *Et tenebræ erant super faciem abyssi.* Ergo etiam tenebræ sunt creatæ, & Dei opificium. De quo magna est inter nostros disceptatores concertatio. *Rom.* Non solùm conspicor, ità sentientes Manichæorum astruentium, tenebras esse Dei opificium, errore sopòrari; sed auguror, vestrorum pugnam eamdem fore, quam Andabatarum, qui in tenebris, & clausis oculis digladiabantur. Fateor, omnia quæ à Moyse recensita sûnt, si verâ habent

Tenebræ non sunt creaturæ, quamvis cum creaturis nominentur. *Gen.1.2.*

Digitized by Google

habent essentiam, & entitatem; Dei esse creationem; sed addo, tenebras essentiâ carere. Ne autem ullum glaucôma tuæ mentis oculis tenebras offundat, adverte, triplex esse tenebrarum genus.

Triplex tenebrarum genus.

2. *Abass.* Quod primum genus est tenebrarum? *Rom.* Aliquandò tenebræ dicuntur densa aliqua caligo, vel nebula, aut nubes crassa, quæ lucem opacitate suâ intercipiens aëri obscurationem inducit. Has tenebras creaturas esse non ambigo; cùm sint exhalationes, vaporésque concreti, qui creatam, & veram terræ, & aquæ naturam præ se ferunt. Tales fuêre tenebræ in terra Ægypti, quæ in Exodo dicuntur tam densæ, ut palpari possent. Aëri enim incubabant nubes cavernosæ, fuliginosæ, & in tantam crassitiem constipatæ, ut ex Sapientis contestatione, *nec syderum limpidæ flammæ illuminare possent illam noctem horrendam*; & fungosa ipsorum frusta palpantium manibus contrectarentur. Nec absimiles tenebræ prope mare Rubrum Israëlitas ab Ægyptiis separârunt. *Erat enim nubes tenebrosa*, versus Ægyptios: *& illuminans noctem* versus Israëlitas, *ità ut ad se invicem accedere non valerent.* Si tales fuêre tenebræ super faciem abyssi; nempe terreæ, vel aqueæ exhalationes informi opacitate addensatæ, ut innuit D. Augustinus; vel caliginosa nubes totam aquarum superficiem complectens, de qua Deus ad Jobum: *Quis conclusit ostiis mare, quando erumpebat quasi de vulva procedens: Cùm ponerem nubem vestimentum ejus, & caligine illud quasi pannis infantiæ obvolverem?* creaturæ Dei appellentur.

Exod. 10. 21.

Sap. 17. 5.

Exod. 14. 20.

Iob. 38. 8. 9.

Aër, qui Dei creatura est, aliquandò tenebræ dicitur. Aristotel. 2. de Anim. cap. 7. text. 71.

3. *Abass.* Quæ duo sunt reliqua tenebrarum genera? *Rom.* Secundum tenebrarum genus est, ipsarum subjectum, (nempè aër) luce cassum; quo sensu tenebræ non secùs creaturæ sunt, quàm aër ipse. Undè dixit Aristoteles: *Eadem natura est modò tenebræ, modò lumen.* Non equidem tenebrarum in lumen, vel luminis in tenebras transmutatione, sed successione; quia lumen tenebras, tenebræ lumen excipiunt. Tertium tenebrarum genus est mera lucis absentia; *quia ubi lux non est*, inquit D. Augustinus *tenebræ sunt.* Hoc verò est maximè proprium tenebrarum genus; quas creaturam non esse, indè patet, quod ex sententia D. Thomæ: *Creatio est vera Dei operatio, & illius terminus ens in actu*; tenebræ autem neque ens sunt (cùm solidam non habeant entitatem, vel essentiam) neque entis actus, sicut *lumen* (quod Philosophus *actum perspicui definivit*) sed actus, entitatis, & essentiæ privatio, quæ veræ actionis terminus esse nequit.

Veræ tenebræ sunt lucis absentia, sed non creaturæ. D. August. de Genes. contra Manich. cap. 4. D. Thom. de Potent. q. 3. a. 3. ad 16. & 1. p. q. 66. a. 1. in corp. Aristotel. ubi suprà text. 70.

4. *Abass.* Quid vocas actus, entitatis, & essentiæ privationem? *Rom.* In omnibus rebus denominationes sumi ab aliquo actu, & forma sive intrinseca, sive extrinseca lib. 2. cap. 2. n. 2. indicavi. Si autem subjectum, de quo sermo est, aliqua forma ipsius naturæ indebita deficiat, illius in eo datur negatio; si autem ipsi sit debita, inest privatio. Cùm igitur lux aëris naturæ debita sit; si ipsum deficiat, privatio subsultat.

Privatio datur in re qualiber, cùm ei deest forma naturæ suæ debita.

5. *Abass.* Novi, cur tenebræ dicendæ sint privatio; sed adhuc mihi est inexploratum, cur veræ actionis terminus esse non possint. Nam (ut iisdem utar exemplis) si quis alteri oculum extundat, vel aures obtundat, vel gladio cor transverberet; mortem, surditatem, & cæcitatem (quæ privationes sunt, in quas tendit oculi evulsio, auris obstructio, & gladii immissio) inducet. Has autem veras actiones non esse, nulli Philosopho obtrudendum. *Rom.* Annuo, veras illas esse actiones; sed abnuo intrinsecè ad prædictas privationes terminari. Terminantur enim ad alicujus veræ formæ destructionem, quam dictæ privationes (quin ulla dirigatur in ipsas actio) consequuntur. Nam oculi effossio, auris convulsio, & cordis transfixio ad veram oculorum, aurium, & cordis substantiam evertendam feruntur; sed quia memoratæ privationes ex hujusmodi substantiæ dissipatione subsultant, qui damnum ipsi intulit, cæcitatem, surditatem, & mortem invexisse vulgò prædicatur. Hoc pacto quis tenebras fecisse dicetur, si nocte lucernam domo extrahat, vel extinguat; sed illa extractio, & extinctio (quæ actiones sunt) non tenebras, sed lucernæ corpus, fomitem, vel ignem attingunt. Sic tenebræ aliquandò importantur, Amos dicente: *Occidet sol in meridie, & tenebrescere faciam terram in die luminis.* En tenebrarum factor Deus vocatur, sed modus illas obtendendi indicatur, cùm præmittitur: *Occidet sol in meridie.* Cùm enim Deus solem aliquâ nube crassâ obducit, vel lumen ipsi subtrahit, actionibus à sole, & ipsius lumine exceptis, tenebras absque alia operatione in orbem diffundit.

Ad privationes nulla actio terminatur, sed ad formas, quarum eversionem ipsæ consequuntur.

Amos 8. 9.

6. *Abass.* Credo, non hunc feciisse tenebrarum in principio exortum; non enim Deus lucem tunc mundo subduxit. *Rom.* Tenebræ fuêre ante primam diem, & post illam; sed diverso modo. Primò enim totam mundi compagem operiebant; eæque sunt, de quibus Moyses: *Tenebræ erant super faciem abyssi*; nempè, in aquæ superficie, & in aëre quæ mox consecutæ sunt ipsam aquæ, & aëris creationem. Nam eo ipso, quòd Deus duo illa elementa perspicua produxit, nec luce statim exornavit, tenebræ in iis privationis jure consederunt. *Deus*, inquit D. Augustinus, *certa tempora, & loca non illuminando, tenebras fecit.* Ideò tenebrosa tunc fuerunt, quòd luce non essent illustrata. A prima verò creationis die potestas tenebrarum contracta fuit, ut non deinceps simul totum orbem, sed mutuâ vicissitudine cum luce partem aliquam occuparent. Tunc enim Deus lucem protulit, eámque à tenebris divisit, & vocavit *lucem diem, & tenebras noctem.* Quâ in divisione sic æquis momentis librata fuit statera, ut simul alteri hemisphærio tenebræ, lux alteri dominaretur; sola tamen lux Dei creatura fuit, quia de sola dixit: *Fiat lux, & facta est lux.* Nam teste David: *Ipse dixit, & facta sunt.* Ideò; quæcumque Deus dixit, ut fierent, ipsius factura, & creatura sunt, notante D. Augustino. *Non dixit: Fiant tenebræ, & factæ sunt tenebræ;*

Tenebræ, quæ fuêre ante lucem conditam, & quæ post illam, privationes, sed diverso modo, fuêre. *Gen.* 1. 2. D. August. de Nat. bon. contr. Manich. cap. 15. & 16.

Post lucem conditam alia fuit ratio tenebrarum. *Gen.* 1. 5. *Genes.* 1. 3. *Ps.* 148. 5. D. August. lib. de Genes. ad liter. imperf.

Digitized by Google

quia nihil aliud sunt, quàm lucis facta privationes quæ ad nihilum pertinent. Horum ergo unum, ideſt, lucem, *fecit*; *alterum*, ideſt, tenebras, *non fecit*; *utrumque tamen ordinavit, cùm diviſit inter lucem, & tenebras*; *ne vel ipſæ privationes non haberent ordinem ſuum, ipſo cuncta regente, & miniſtrante*; *ſicut in cantando interpoſitiones ſilentiorum certis, moderatiſque intervallis, quamvis vocum privationes ſint*; *benè tamen ordinantur ab iis, qui cantare ſciunt*; *& ſuavitatis cantilena aliquid conferunt.* Et alibi: *Ubi lux non eſt, tenebræ ſunt, ſed ipſa lucis abſentia tenebræ dicuntur. Sicut ſilentium non aliqua res eſt, ſed ubi ſonus non eſt, ſilentium dicitur.*

Lib. de Geneſ. contr. Manich. cap. 4.

Lucem tantùm, non tenebras Deus vidit.

7. *Abaſſ.* Súntne alia verba, primo illo Geneſis capite, quæ tenebras non eſſe creatas convincant? *Rom.* Immediatè ſequentia: *Et vidit Deus lucem, quod eſſet bona*; quod de tenebris non dixit. Ut enim manifeſtum eſt apud Methaphyſicos, ſola illa, quæ veram habent eſſentiam, & entitatem, bonitatem, quæ eſt prima entis proprietas, id eſt, ſummam ſecum convenientiam, convenientiam, & congruentiam ſortiuntur. *Omnis enim creatura Dei,* 1. *Thi.* 4. 4. inquit D. Paulus, *bona eſt.* Undè poſt cujuſque diei opificium Moyſes ſubjicit: *Vidit Deus, quod eſſet bonum:* Et ad extremum: *Vidit Deus cuncta, quæ fecerat, & erant valde bona.* Quibus ex verbis eruitur, veræ entitatis ſoliditatem illa habere, quæ Deus, ut bona approbavit, & illa vacare tenebras, cùm de ſola luce, non autem de iis dicatur: *Vidit Deus lucem, quod eſſet bona.*

Gen. 1. 4. Gen. 1. 31.

Nomen tenebrarum, & ipſarum à luce ſeparatio eas non facit creaturas.

8. *Abaſſ.* Quamvis ſcriptum non ſit, dixiſſe Deum: Fiant tenebræ: aut: Vidit Deus tenebras, quòd eſſent bonæ; ſcriptum tamen eſt: *Diviſit Deus lucem à tenebris; appellavitque lucem diem; & tenebras noctem.* Si tenebræ æqualiter à Deo nomenclaturam, & diviſionem, (quæ vera eſt actio) cum luce vendicant, cur non æqualem entitatem? *Rom.* Si ex nominis impoſitione tenebras creaturam eſſe contendis, famem, ſitim, nuditatem, calvitiem, peccatum, & omnes negationes, & privationes; imò ipſum nihil (quod nomine non caret) creaturas eſſe blaterabis. Nec diviſionis nomen actionem aliquam luci, ac tenebris communem importat. Etſi enim diviſio continui ad utramque partem divulſam terminetur, ubi res diſcretæ ſunt, unà divulsâ, aliam nulla actio percellit. *Veni*, inquit Chriſtus, *ſeparare hominem adverſus patrem ſuum, & filiam adverſus matrem ſuam.* Alibi: *ſeparabit eos ab invicem, ſicut paſtor ſegregat oves ab hædis.* Ubi filiâ, hædiſque ſejunctis, nulla parentes, atque oves mutatio exercet. Lucem igitur à tenebris Deum diviſiſſe, nihil aliud fuit, quàm lucem uni tantùm hemiſphærio affudiſſe; nam eo ipſo inter lucem, atque tenebras diremptus intervênit.

Gen. 1. 4. 5. Matt. 10. 35. Matt. 25. 32.

Aërem, quod eſt ſubjectum

9. *Abaſſ.* Ut in Geneſis exordio dictum non ſit, tenebras à Deo creatas, id poſteà ſuppletur ab Iſaia, dicente ſub ipſius nomine: *Ego formans lucem, & creans tenebras.* Ubi formatio, quæ eſt Dei actio, non ſeciùs ad tenebras, quàm ad lucem terminatur. *Rom.* Si contendas, Iſaiam propriè locutum, formationem non ad tenebras, quatenus ſunt lucis abſentia, ſed ad tenebrarum ſubjectum, ſive etiam tempus extende. Aërem, qui nunc luci ſubjacet, tempuſque diurnum, & nocturnum Deus formavit. Quo pacto illa intelligenda: *Vocavit lucem* (id eſt lucis tempus) *diem, & tenebras noctem*; Et: *Ut præeſſent diei, ac nocti, & dividerent lucem, ac tenebras.* Ideſt, ut diei noctiſque ſpatia curſu æquabili dimetirentur. Quod credendum, agnoviſſe Jobum, cùm de Deo dixit: *Tempus poſuit tenebris.* Hoc ergo tempus propriè formatum docet Iſaias. Si autem ad meras tenebras locutionem referas, non minùs impropriè effatum credas, quàm ipſe, & alii Scriptores ſacri alias negationes, & privationes à Deo factas produnt; & quam ſolutionem illorum teſtimoniis, eamdem huic Iſaiæ auctoritati adaptabis.

tenebrarum & ipſarum tempus, non ipſas, Deus fecit. *Iſai.* 45. 7. *Job.* 28. 3.

10. *Abaſſ.* Quænam illa ſunt teſtimonia? *Rom.* Ex multis pauca ſeligam. Fames, & ſiccitas creaturæ non ſunt, quatenùs cibi, & aquæ defectus; David tamen ait: *Vocavit famem ſuper terram.* Et Aggæus: *Vocavi ſiccitatem ſuper terram, & ſuper montes.* Mors creatura, & opificium Dei non eſt, cùm Sapiens dicat: *Deus mortem non fecit.* Amos tamen aſſerit: *Miſi in vos mortem in via Ægypti.* Similiter ſurditas, & cæcitas naturæ oberrantis, non Dei ſunt opera; & tamen Sodomæ admiſſarii feruntur percuſſi cæcitate; & in Exodo ſcribitur: *Quis fabricatus eſt ſurdum, & mutum: videntem, & cæcum? Nonne ego?* Tandem, quid majori abſurditate confertum, quàm ſi dicatur, Deum (*cujus oculi mundi ſunt, ne videant malum*) peccati eſſe impulſorem? Id tamen aſſerendum eſſet, ſi Scripturæ teſtimonia ad meram verborum trutinam appendenda forent. Ait enim Iſaias eodem loco: *Ego faciens pacem, & creans malum.* Amos: *Si erit malum in civitate, quod Dominus non fecerit.* D. Paulus: *Cujus vult, miſeretur; & quem vult indurat.* Alibi: *Ideò mittet Deus illis operationem erroris, ut credant mendacio.* Alibi: *Tradidit illos Deus in reprobum ſenſum, ut faciant ea, quæ non conveniunt.* Numquid in cerebrum tuum obtruditur, Deum reprobi ſenſus, mendacii, erroris, indurationis, & peccati eſſe architectum?

Privationes aliæ, creaturæ non ſunt; ſed à Deo factæ dicuntur. *Pſ.* 104. 16. *Agge.* 1. 11. *Sap.* 1. 13. *Amos* 4. 10. *Gen.* 19. 11. *Exod.* 4. 11. *Habac.* 1. 13. *Iſai.* 45. 7. *Amos* 3. 6. *Rom.* 9. 18. 2. *Theſ.* 2. 11. *Rom.* 1. 28.

11. *Abaſſ.* Procul ô, procul eſto profanæ, imò tam impiæ cogitationis peſtilens afflatus! quem à me, quæſo, longiùs commoda aliqua explicatione propellas. *Rom.* Ad arcendum à Deo erroris, mendacii, & peccati nidorem duas ſolutiones excogitavit D. Auguſtinus; Primam: in tantùm verè dici poſſe, ipſum peccatum facere, vel creare, inquantum efficacem gratiam ad illud vitandum non confert: ſecundam; in quantum gratiam animæ inſidentem ob præcedens peccatum aufert. *Indurare ergo dicitur* (& ſic de aliis) *non quaſi Deus in homine*, inquit D. Auguſtinus, *ipſam, quæ non eſſet, duritiam cordis*

Privationes Deus facere dicitur, cùm formam illis oppoſitam non dat, vel auſert.

D. Auguſt. de Prædeſt. & Grat. cap. 4.

Boar. 1. de Concurs. Dei cap. 5. & 8.

dis operetur. Indurare ergo dicitur eum quem mollire noluerit ; & excæcare eum, quem illuminare noluerit. Duas hasce explicationes transfer ad tenebras. Creare Deus tenebras dicitur, cùm aërem luce non aspergit, vel cùm aspersam colligit ; tunc enim opus est, ut tenebræ diffundantur. Ità idem Augustinus. *Deus certa tempora, & loca non illuminando, tenebras fecit tam decenter, quàm dies ; sic enim nos, continendo vocem, decenter interponimus in loquendo silentium.*

D. August. de nat. bon. contra Manich. cap. 16.

Tenebras mittere quomodò Deus dicatur.

12. *Abass.* Isaiæ de tenebrarum creatione testimonio plenam lucem attulisti ; nescio an ità facturus sis Davidico de illarum missione. Sicut enim Psaltes ait : *Misit sagittas suas, & dissipavit eos. Cibaria misit eis in abundantia. Misit in eos cynomyam, & comedit eos, & ranam, & disperdidit eos* ; quia tam sagittæ, quàm commeatus, quàm minutulorum animantium colluvies, quàm ranæ, Dei sunt creaturæ, & capaces missionis ; sic alibi : *Misit tenebras, & obscuravit. Rom.* Tenebræ, de quibus eo loco David agit, palpabiles fuêre, à sensibilium nubium incubatu provenientes, quas Deus non minùs mittere poterat, quàm illam, de qua in eodem Psalmo : *Expandit nubem in protectionem eorum.* Et alio : *Nubes, & caligo in circuitu ejus.* Et Josuë : *Qui posuit tenebras*, ideſt, nubem tenebrosam ; *inter vos, & Ægyptios.* Tenebras autem, quæ consistunt in lucis privatione, uno tantùm ex duobus modis numero superiori tactis mittere Deus potest ; vel lucem non apponendo ; vel illam supprimendo. Sic cùm David dixisset : *Vocavit famem super terram*, addidit : *& omne firmamentum panis contrivit.* Isaias : *Auferet Dominus ab Jerusalem omne robur panis, & omne robur aquæ.* Et iterùm : *Nubibus mandabo, ne pluant super eam imbrem.* Et Aggæus : *Propter hoc super vos prohibiti sunt cœli, ne darent rorem ; & terra prohibita est, ne daret germen suum. Et vocavi siccitatem super terram, & super montes, & super triticum, & super vinum, & super oleum.* Nam pluviæ parcitatem ; & annonæ subversionem siccitas, fames, & mors ; lucis autem extinctionem tenebræ excipiunt.

Ps. 17. 15.

Ps. 77. 25. 45.

Ps. 104. 28.

Ps. 96. 2.

Jos. 24. 7.

Ps. 104. 16.

Isai. 3. 1.

Isai. 5. 6.

Aggai. 1. 10. 11.

Tenebræ Deum laudare dicuntur, quia ipsius laudandi occasionem hominibus præbent.

13. *Abass.* Nostros illud ultimò angit. Tres pueri in camino Babylonico omnes creaturas ad Deum laudandum provocantes, tenebrarum non oblivisc untur ; sed aiunt : *Benedicite noctes, & dies Domino ; Benedicite lux, & tenebræ Domino. Rom.* Si quidquid inter creaturas recensetur, eo ipso creaturarum civitate, & veræ essentiæ privilegiis donandum esset, mors, & fames, quas proximè à creaturarum centuriis ablegavimus, iis essent adnumerandæ ; cùm dicat Sapiens : *Ignis, grando, fames, & mors : omnia hæc ad vindictam creata sunt.* Ut ergo mors, & fames creaturæ non sunt, quamvis creata dicantur, & inter ignem, & grandinem ; quæ veræ sunt creaturæ, censeantur ; ità neque tenebræ, quamvis à tribus pueris ad Deum magnificandum cum creaturis invitentur. Nec verò ad divinas laudes concinendas pleræque ex nominatis ab eisdem creaturæ propriè ; sed per prosopopæiam cientur. Nam solæ rationales, nempè Angeli, atque homines, in eum chorum cantrices admittuntur ; irrationales verò eo tantùm, quòd Angelis, & hominibus ipsas inspectantibus Dei collaudandi occasionem præbent. Eadem ergo causa tres pueros extimulavit, ut tenebras in hanc restim convocarent. *In hymno trium puerorum*, inquit D. Augustinus, *& lux, & tenebræ laudant Deum ; ideſt, ejus laudem in benè considerantium cordibus pariunt.* Ut enim, (quod sæpè notat idem Pater) non solùm laudamus cantorem, qui adstantùm aures argutis vocum inflexionibus demulcet, sed & illum, qui easdem scitè inopinato silentio suspendit ; & pausam fecisse dicitur, cùm hæc propriè non fiat ; nec silentium cantio sit, sed abolitio cantilenæ ; nec pictorem tantùm demiramur, cùm imaginem mollioribus coloribus animat, sed etiam cùm umbras circumfundit, quarum opacitate vivorum colorum flosculus gratiùs assurgit ; ità tenebræ luci ex adverso objectæ Dei solertiam ampliùs commendant ; qui, ut ait Apostolus, *illuminaverit abscondita tenebrarum, & lucem jusserit ex ipsis splendescere.* Et sicut diem hominibus ad laborem, sic tenebras ad quietem, & pacatiorem rerum cælestium mediationem sit largitus. Si autem obstinatè contendas, solas veras creaturas à tribus pueris advocatas repero, quod superiùs inculcavi ; ipsos tenebrarum nomine aërem, ipsarum quadrigam, vel nocturnum tempus tamquàm aurigam, & dimensorem intellexisse.

D. August. lib. de Natura boni contra Manich. cap. 16.

1. Cor. 4. 5. 2. Cor. 4. 6.

Dan. 3. 71. 72. Eccl 39. 35.

CAPUT IV.

De Angelorum creatione, & natura.

Angeli priùs intentione, sed simul tempore cum mundo creati.

1. *Abass.* Toto orbe peregrinati, & ipsis tenebrarum cubilibus pervestigatis, Angelorum creationem rebus sublunaribus posteriorem fecimus ; sed undè illam ex verbis Geneseos rimatis ? *Rom.* Ubi concedis, cœlum empyreum suo, & Beatorum domicilio à Deo in principio destinatum, in eas te incitas redegisti, ut Angelos ab eo tunc creatos, tibi sit necessariò affirmandum. Non enim Deus illud condidit, ut vacua se jactaret in aula, sed ut multis redderet civibus frequentem. Civitatis enim nomen, & decus non mœnibus, & ædificiis, sed populi conglobatione constat ; quâ siqua destituitur, non est civitas, sed solitudo. At quod Moyses hic implicitè de Angelorum creatione tetigit (ne si pa-

làm eorum excellentiam divulgaret, Hebræos in superstitiosum illorum cultum propelleret) planiùs alibi Scripturæ tradiderunt. Nam de Lucifero, Angelorum primate, sub nomine Leviathan Job ait: *Ipse est principium viarum Dei*; quia cùm primam ad creaturas viam Deus muniit, id ante omnia præstitit, ut Angeli tamquàm sydera antelucana, quæ cæterarum rerum creationem præcurrerunt, ex primi vestigii impressione subsilirent. Undè Deus eumdem percontatur: *Ubi eras, quando ponebam fundamenta terræ? Cum me laudarent simul astra matutina, & jubilarent omnes Filii Dei?* Ubi perpende, Angelos terræ cæmentis simul tempore, sed priùs intentione ob ipsorum dignitatem à Deo creatos fecisse, & Conditoris potentiam, atque bonitatem miris Canticorum encomiis concelebrasse. Eosdem idcircò secundum lumen vocat D. Gregorius Nazianzenus, quia primi post primum (quod est Filius, utpote *splendor Patris, & figura substantiæ ejus*) prodierunt. Explanatiùs D. Paulus: *In ipso condita sunt universa in cœlis, & in terra; visibilia, & invisibilia*; ubi nomine invisibilium Angelos intelligens, addit: *sive Throni, sive Dominationes, sive Principatus, sive Potestates.* Quem locum exponens in vestro Libro D. Gregorius Nyssenus: *Creaturæ*, inquit, *visibiles sunt illæ, quæ palpantur; invisibiles verò, spirituales.* Et D. Cyrillus: *Dixit invisibilia; propter spiritus rationales, qui carnem non habent; & visibilia, propter res corporales, quæ apparent.* Et Concilium Lateranense in Fidei confessione: *Deus unum est universorum principium; Creator omnium visibilium & invisibilium; spiritualium, & temporalium; qui ab initio temporis utramque de nihilo condidit creaturam: spiritualem & corporalem; Angelicam videlicet, & mundanam; ac deindè humanam, quasi communem ex corpore, & Spiritu constitutam.*

Job. 40. 14.

Job. 38. 4. 7.

D. Greg. Naz. Orat. 36. & 40.

Heb. 1. 3.

Coloss. 1. 16.

Invisibiliũ nomine Angeli intelliguntur.

D. Greg. Nyss. p. 4. n. 4.

D. Cyril. p. 36. n. 8.

Concil. Lateranen. IV. in cap. Firmiter.

2. *Abass.* Ubi Angeli creati? In cœlo Empyreo, an extra illud? *Rom.* Sicut Adamus intra paradisum non est conditus, ne tam claris natalibus superbiret; sed extra illum, ut cùm se intrò illatum videret, ne extruderetur, diligentiùs caveret; ità Angeli non intra cœlum empyreum, quod ipsorum obedientiæ præmium erat futurum, sed extrà creati fuêre. Si quidem Lucifer illius violenter obtinendi affectatione temulentus, dicebat: *In cœlum conscendam, super astra Dei exaltabo solium meum*; quam vesaniam non evomeret, si intra illud tunc constitutus esset. Sed tamen propè illud, in ea regione, ubi posteà situm fuit cœlum crystallinum, vel stellatum, positæ sunt illis à Deo cunæ. Undè forsan apud Jobum *astra matutina*; & apud Ezechielem *lapides igniti* appellantur; & orta fuit illa Isaiæ exprobratio: *Quomodò cecidisti de cœlo Lucifer, qui manè oriebaris?* Et illa Ezechielis: *Ejeci te de monte Dei, & perdidi te ô Cherub protegens de medio lapidum ignitorum.* Nisi enim in cœlo aliquo esset, quod totius universitatis comparatione mons est omnium celsissimus, ruinam fecisse non diceretur. Ipsum quoque de cœlo præcipitem, tertiam partem stellarum caudâ traxisse, testatur in Apocalypsi D. Joannes.

Angeli conditi extra cœlum Empyreum.

Gen. 2. 7. 8.

Isai. 14. 13.

Job. 38. 7.

Ezech. 28. 14.

Isai. 14. 12.

Ezec. 28. 16.

Apoc. 12. 4.

3. *Abass.* Angelorum natalia agnosco, illos tamen invisibilium nomine intelligendos, spiritualésque statuisti; spirituales ne sunt in totum, an ex parte? *Rom.* Concilium Lateranense superiùs allegatum humanam naturam ex æquo dissecans ait: *Quasi communem ex corpore, & Spiritu constitutam*; à qua partitione in Angelica abstinens, cum Scriptura simpliciter spiritualem nuncupavit. David enim asserit: *Qui facis Angelos tuos Spiritus.* D. Paulus: *Omnes sunt administratorii Spiritus.* Evangelia de dæmonibus, qui naturæ jactum non fecêre: *Ejiciebat spiritus verbo.* Iterùm: *Dabat eis potestatem spirituum immundorum.* Et miserum quemdam hominem tradunt à legione (quæ milites numerat sexies mille sexcentos sexaginta sex) obsessum; quod illi, si corporei essent, præstare neutiquam valerent. Cujus rei ratio est, quòd res omnes creatæ invicem, & cum Deo seriatim mutuæ similitudinis catenatione vinciuntur. Nempè inanimæ sola corporeæ gravitatis crassitie obtunduntur; quibus animatæ mole compares vitæ auctuario separantur. Homines cum belluis adhuc corporis sarcinam communicant ex semisse tantùm spirituales. Oportebat ergo dari aliquas substantias, quæ penitùs corporis vinculorum immunes in Dei vestibulo sitæ essent, eúmque ex toto referrent; quales sunt Angeli, ad quorum unum Deus ait: *Tu signaculum similitudinis, perfectus decore.* Cùm enim homines semiplenam Dei imaginem ferant, Angeli prætendunt numeris omnibus absolutam; hoc tantùm dispares, quòd ipsi spiritus sint creati; ille purus, & increatus. In Haymanot Abbau Patres accinunt.

Angeli spirituales.

Concil. Lateran. cit.

Psal. 103. 4.

Hebr. 1. 14.

Matth. 8. 16.

Marc. 6. 7. & 5. 9.

Luc. 8. 30.

Ezec. 28. 12.

4. *Abass.* Quinam sunt ii Patres? *Rom.* D. Athanateus disputans contra eos, qui duas in Christo personas fingunt: *Addunt*, inquit, *in Trinitate aliam personam increatam post omnes Spiritus rationales.* Et iterùm: *Cum eo venturi sunt omnes Angeli, qui sunt fortes, spiritus ignei.* D. Gregorius Nyssenus: *Angeli non habent voluntatem comedendi quidquam corporale, quia non sunt corporales.* Et infrà: *Habitabimus in habitatione Angelorum, & laudabimus eum cum spiritualibus, & comedemus panem Angelorum.* Divus Cyrillus præter testimonium suprà numero 1. adductum: *Nec soli homines*, inquit, *ipsum aspicere possent; sed nec creaturæ superiores, quæ sunt formæ ipsius intellectuales, & spirituales.* Alibi: *Homines minorantur ab altitudine, honore, & gloria, quæ est in Angelis; quia sunt incorporei, & immortales.* In authographo: *Angelorum eminentia in hoc propriè posita est, quòd à carne sunt immunes, & morte superiores.* Adde D. Deonaceon Areosfagon: *Cælestes,*

Angelos spirituales esse, Patres Haymanot Abbau tentantur.

D. Athanas. p. 2. n. 10. & p. 14. n. 40.

D. Greg. Nyssen. p. 4. n. 35. 39.

D. Cyril. p. 36. n. 9. p. 39. n. 2.

P. 52. n. 20. ad Regin.

D. Dionys. cap. 1. de Eccles. Hierarch.

Digitized by Google

D. Ignat. Epist. 5. ad Trallianos.

Cœlestes, inquit, *naturâ, & ordines incorporei sunt.* D. Agnateus: *Virè, non hominum opinione crucifixus est, & mortuus, videntibus cœlestibus, terrestribus, & iis, qui sub terra detinebantur; cœlestibus quidem inspicientibus, nimirum, incorporeis naturis.*

Incorruptibiles sunt Angeli. D. Cyril. p. 36. n. 9.

5. *Abass.* Corruptibiles sunt Angeli, an corruptionis immunitate gaudent? *Rom.* Angelos proximè D. Cyrillus vocavit formas, intellectuales, & spirituales, quia penitùs sunt à corporis contubernio, & materiæ contagione reducti. Ubi autem nullum materia, nullum etiam corruptio locum vendicat. Nam unica corruptionis pugna est, ut formam à materia disjungat; quam cùm separatim constitutam offendit, nullam habet laciniam, quam vellicet: nullam conjugationem, quam discindat. Ideò cùm Angelos priùs ad divinas laudes concinendas Vates invitasset illis verbis: *Laudate eum omnes Angeli ejus*, paulò inferiùs adjecit: *Statuit ea in æternum, & in seculum seculi.*

Ps. 149. 2.

Angeli multi sunt.

6. *Abass.* Exiguúsne Angelorum census, an numerosus? *Rom.* Dei magnitudinem, bonitatémque decebat, plures creaturas intellectuales, & corporeis multò præstantiores ad suum satellitium, ministeriúmque creare. *In multitudine enim populi*, inquit Salomon, *dignitas Regis, & in paucitate plebis ignominia Principis.* D. Deonaceos: *Multi sunt*, inquit, *beati cœlestium mentium exercitus, qui infimum, & contractum numerorum corporeorum, quibus utimur, modum superant, & transeunt.* Divus Basilius in vestro Libro: *Spiritus, qui ministrant, cognoscimus, valdè multos esse; nec cognoscitur numerus eorum in singulis Ordinibus.* Quod convenit cùm illa Jobi percontatione: *Numquid est numerus militum ejus?* Ea enim, quæ magna sunt, numerari non possunt, ut ostendunt illa Dei verba ad Abrahamum: *Numera stellas, si potes.* Undè forsan Angeli, præ multitudine, dicuntur *astra matutina, castra Dei, multitudo militia cœlestis, multorum millium Angelorum frequentia.* Apud Danielem: *Millia millium ministrabant ei, & decies millies centena millia assistebant ei.* Et in Apocalypsi: *Audivi vocem Angelorum multorum in circuitu throni, & animalium, & seniorum. Et erat numerus eorum millia millium.* Quare sancti Patres Angelos ob multitudinem in tres Hierarchias (est autem Hierarchia Sacer Principatus) & quámque Hierarchiam in tres Choros, sivè Ordines (de quibus suprà D. Basilius) divisêre.

Prov. 14. 28.
D. Dionys. lib. 1 de cœl. Hierarch. c. 1.
D. Basil. p. 26.
Iob. 25. 3.
Gen. 15. 5.
Iob. 38. 7.
Gen. 32. 2.
Luc. 2. 13.
Heb. 12. 22.
Dan. 7. 10.
Apoc. 5. 11.
D. Basil. p. 4. n. 26.

Prima Hierarchia continet Angelos, Archangelos, Principatus.

7. *Abass.* Quænam est prima Hierarchia, & tres Chori ad eam attinentes? *Rom.* Hierarchias munerum diversitas distinguit. Ad primam spectat visibilium, & mundanarum rerum custodia. Tres verò Choros complectitur; Angelorum, Archangelorum, & Principatuum. Angeli nomen à ministerio desumptêre (*omnes enim*, ut ait D. Paulus, *sunt administratorii Spiritus, in ministerium missi*) illudque in cæteros Choros sparsêre; quia omnes generali nomine Angeli vocantur. Horum munus est singulis hominibus in excubitores deputari. Archangelis conD. Cyril. lib. ad Reg.
Hebr. 1. 14.

creditì sunt Imperatores, Reges, Pontifices, Patriarchæ, Episcopi, & quicumque alii homines cæteris gradu, vel potestate excellentiores. Principatibus delegata est cura cœlorum impellendorum, continendorum elementorum, & regnorum conservandorum, atque promovendorum. Hi sunt, de quibus Job dixit: *Sub quo curvantur, qui portant orbem.* Nam tamquàm Atlantes non ementiti cœlestes axes continenti motu torquent, & mundanam machinam, ne fracta illabatur, æternâ vigilantiâ tuentur. In his erat ille Angelus, qui in Apocalypsi *ignis*; & alius, qui vocatur *Angelus aquarum*; Et qui Josue obvio dixit: *Princeps, sum exercitus Domini*, Qui forsitan illi regioni curandæ attendebat. Et qui apud Danielem dicuntur *Principes Græcorum, & Persarum.* Quorum omnium sub hac Hierarchia contentorum creditur Divus Michaël antesignanus; & ideò à D. Joanne dictum: *Michael, & Angeli ejus prœliabantur cum dracone.* Eo, ut olim Synagoga, sic nunc Ecclesia patrono, & propugnatore gloriatur.

Iob. 9. 13.
Apoc. 14. 18. & 16. 5.
Iosue 5. 14.
Dan. 10. 20. Apoc. 12. 7.

D. Michaël primæ Hierarchiæ antesignanus.

2. Hierarchia continet Potestates, Virtutes, & Dominationes.

8. *Abass.* Quænam secunda est Hierarchia, & quos includit Choros? *Rom.* Secunda Hierarchia illis spiritibus exundat, quibus commissum est hominibus in spiritualium donorum divisionibus ministrare. Sub se continet Potestates, Virtutes, Dominationes. Potestates dæmoniorum audaciam, & invidentiam, ne mundo, vel hominum corporibus, aut animis noceant, quasi lupatis semper adjectis compescunt. Virtutes sunt ii Spiritus, quorum potentiâ, & solertiâ miracula, & quæcumque opera humanas vires transcendentia patrantur. Dominationes verò ii, per quos velut per canales gratiæ thesaurorum fiunt ad homines derivationes; quo in ministerio uni Deo subjiciuntur, & aliquam in Virtutes, ac Potestates exercent ditionem.

3. Hierarchia continet Thronos, Cherubinos, & Seraphinos.

9. *Abass.* Quænam est tertiæ Hierarchiæ, & trium Ordinum illi subditorum exercitatio? *Rom.* Tertia Hierarchia unius Dei apparitioni, & contemplationi sic addicta est, ut ab eo nec tantillùm in quodvis universitatis mundanæ ministerium tam visibile, quàm invisibile deflectat. Chori sunt Thronorum, Cherubinorum & Seraphinorum. Throni sunt illi spiritus, quibus Deus, tamquàm digno majestate suâ solio, insidet, & invehitur, cùm gloriæ suæ amplitudinem vult specie aliquâ visibili manifestare. Cherubini rerum divinarum scientiâ longè beatis aliis spiritibus antecellunt. Seraphini supremum inter cœlestes aulicos apicem tenent, & divino semper amore igniscunt.

Angeli cujusque Hierarchiæ genere consentiunt, specie differunt.

10. *Abass.* Angeli ejusdem Hierarchiæ tribûles naturâ conveniunt, an discordant? *Rom.* Omnes Angeli tribus in Hierarchiis centuriati genere consentiunt; nempe, quòd sint spiritus sincerâ Deo subtilitate affines; sed juxta Ordinum, officiorúmque discrimina naturis separantur. Quemadmodùm viventia in tres classes dispertiuntur: vegetabilium, sentientium, & intelligentium; animantia in totidem: volatilium, natatilium,

Digitized by Google

lium, & ſuis ſe pedibus impellentium. At in quovis iſtorum generum plurimæ ſunt ſpecies naturâ diverſæ. In volatilibus aquilæ, ardeæ, haliæti; in natatilibus auratæ, ſalmones, balænæ; in pedeſtribus equi, leones, elephanti, & aliæ ſpecies infinitæ. Et juxta cujuſlibet Hierarchiæ, & Chori nobilitatem naturæ dona; quæ ſunt intellectus, voluntas, & potentia motiva; & gratiæ ornamenta Deus munificè impendit.

Intellectus Angelicus ſpeciebus à Deo exornatus.

Lib. 2. c. 17. n. 4.

11. *Abaſſ.* Quo pacto ſe habet in Angelis intellectus? *Rom.* Intellectus in Angelis primum eſt cognoſcendi principium, ab ipſorum eſſentia re diſtinctum. Nulla enim creatura eſt ità dives, & potens, ut ipſa ſibi ſuæ cognitionis ſigillum inſculpat, ſed illo opus eſt, ut à Deo incidatur; nam intellectus ea, quæ extra ſunt ſita, percipere non poteſt, quin ipſorum ſpeciebus conſignetur. Sivè ergo res, quas Angeli intelligunt, ſint ſpirituales, ſivè corporeæ, ſpecies ab ipſis haurire non poſſunt. Cùm enim potentiæ rerum imaginibus imprimuntur, ab ipſis pendent, & patiuntur. Angelos autem in ſuprema creaturarum arce, & Dei confinio locatos, ipſique ſemper ità addictos, ut *Angeli Dei* vocentur, ab aliis creaturis impreſſiones pati, & ab earum concurſu ad eliciendam cognitionem pendere, tam ipſis, quàm Deo videtur injurioſum. Jam verò fieri nullo modo poteſt, ut à rebus corporeis ſpecies emendicent; cùm enim ipſi ſint apprimè ſpirituales, ſenſibilium ſimulachrorum ſunt incapaces. Opus igitur erat, ut Deus, qui ipſos tam largè ſpirituali naturâ, & intellectu adeò perſpicaci donaverat, ſpecierum, quibus ad intelligendum indigerent, tam ſpiritualium, quàm corporearum aulæis exornaret; & ſuæ juſtitiæ (cujus ipſe ſibi neceſſitatem impoſuit) ordinem ſervans, quemvis Angelum pro naturæ, intellectúſque præſtantia appoſitè conveſtiret. Quod ſignificant illa apud Ezechielem verba: *Tu ſignaculum ſimilitudinis, plenus ſapientia, & perfectus decore. Et foramina tua, in die, quâ conditus es, præparata ſunt.* Quorsùm foramina (intellectus, ſcilicet, & voluntas) à Deo præparata, niſi ut illis ſapientiæ, virtutúmque gemmas inſereret; de quibus illicò: *Omnis lapis pretioſus, operimentum tuum?*

Matt. 22. 30. *Luc.* 15. 10.

Ezech. 28. 12. 13.

Voluntas libera, quoad alia Angelis inest, neceſſaria quoad ſe.

Lib. 2. c. 17. n. 11.

12. *Abaſſ.* Quid de voluntate Angelica tenendum? *Rom.* Eſſe potentiam aliam ſpiritualem tam ab ipſorum naturâ, quàm ab intellectu re disjunctam, & erga res externas (non tamen erga ſe) in operando liberam. Angeli enim ſe neceſſariò & agnoſcunt, & diligunt, cùm ſemper ſibi ſint ſubſtantiæ ſuæ interventu præſentes, quin opus ſit ſpeciem aliquam ſubtiliorem expectare, quâ ad ſe intuendos habiles reddantur. Neceſſaria autem cognitio neceſſariam dilectionem inducit; de quo lib. 2. cap. 18. n. 7.

De potentia motiva Angelorum.

13. *Abaſſ.* Cui Angelis eſt uſui potentia motiva? *Rom.* Intellectûs, & voluntatis operationes intra abdita Angelicæ naturæ clauſtra ſiſtunt; motivæ potentiæ molitiones tam erga ipſos, quàm erga externa corpora extrorsùm effunduntur. Hâc enim loca locis commutant, & ab altero ad alterum gradiuntur. Angelus enim Gabriel ſe in Beatiſſimæ Virginis domum intulit, & abceſſit, dicente Lucâ: *Et ingreſſus Angelus ad eam.* Et infrà: *Et diſceſſit ab illa Angelus.* Dæmon naturalibus ſubſtantiæ ſuæ donis ob peccatum minimè denudatus, confidenter ait apud Jobum: *Circuivi terram, & perambulavi eam.* Et de eodem D. Petrus: *Adverſarius veſter diabolus, tanquàm leo rugiens, circuit, quærens, quem devoret.* Singulas ſphæras cœleſtes ſinguli Angeli ad proprios motus impellunt, quos Philoſophi vocant Intelligentias orbium cœleſtium motrices. Unus biformem ex igne, & nube columnam, alius effluentem è petra fontem ante filios Iſraël, alius ſtellam nati Regis indicem ante Magos deferebat.

Luc. 1. 28. 38. *Iob.* 1. 7. 1. *Petr.* 5. 8. *Exod.* 14. 19. 1. *Cor.* 10. 4. *Matth.* 2. 9.

Angelorum animam, & intellectum in prima creatione Deus neceſſariis donis ad tempus exornavit.

14. *Abaſſ.* Quibus donis ſupernaturalibus Angelos Deus decoravit? *Rom.* Uniuſcujuſque animam in primo inſtanti gratiâ: intellectum Fide, & multiplici ſcientiarum varietate: voluntatem ſpe, charitate, aliiſque donis ipſam conſequentibus, non equidem traditione irrevocabili, ſed arbitrariâ, & ad tempus (ſi iis bene uterentur) conceſſis illuſtravit. Quæ cùm lucro ſancti Angeli deputarent, & accepta in Deum beneficia, tamquàm in auctorem, grato animo retorquerent, ipſorum confirmationem, & gloriæ poſſeſſionem ſunt adepti. Eos verò, qui piraticam facientes, & divinas ſibi dotes arrogantes, *non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium, Deus*, ut ait D. Judas, *in judicium magni diei vinculis æternis ſub caligine reſervavit.* Vates Ezechiel: *Perfectus*, inquit, *in viis tuis à die conditionis tuæ, donec inventa eſt iniquitas in te. In multitudine negotiationis tuæ repleta ſunt interiora tua iniquitate & peccaſti. Et ejeci te de monte Dei, & perdidit te, ô Cherub protegens, de medio lapidum ignitorum.* De eodem etiam Chriſtus ait, *in veritate non ſtetiſſe*, quia acceptum à Deo ampliſſimum naturæ patrimonium, & profuſam gratiæ largitionem inſanâ quadam ambitione, unico jactu, decoxit.

D. Judas v. 6. *Ezech.* 28. 15. 16. *Joan.* 8. 44.

Radix peccati Angelorum ſuperbia.

15. *Abaſſ.* Quæ cauſa decoctores illos Angelos in peccatum ruinámque dejecit? *Rom.* Peccati matrix ſuperbia fuit, ut indicat Auctor Eccleſiaſtici, cùm ſcribit: *Initium omnis peccati eſt ſuperbia.* Et paulò inferiùs: *Sedes ducum ſuperborum deſtruxit Deus, & ſedere fecit mites pro eis.* Et Tobias: *In ſuperbia initium ſumpſit omnis perditio.* Verùm Angelorum ſuperbia non in eo cardine volvebatur, ut ad divinam ſivè in natura, ſivè in honore excellentiam adſpirarent; non enim ità inſani erant, ut illam ſe poſſe aſſequi ſperarent; ſed in eo, quòd cùm ipſis revelatum eſſet, divinum Verbum humanâ aliquandò formâ obnubendum, illi ſe ſubmittere, & debitam adorationem rependere pertinaciter abnuerunt. Nam *cùm iterùm*, inquit Divus Paulus, *introducit primogenitum in orbem terræ dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei.* Quo ex loco eruitur, duplicem fuiſſe Filii Dei in orbem inductionem, & bis indictam Angelis ipſius adorationem; primò, cùm Deus in mundi

Eccl. 10. 15. *Tob.* 4. 14. *Hib.* 1. 6.

Mali Angeli hominibus invidentes, Chriſto ſe ſubmittere noluerunt.

Digitized by Google

mundi exordio ipsum hominem futurum enuntiavit, & forsan sub aliqua imagine ipsis præmonstravit: Secundò, cùm illum in regalem Beatissimæ Virginis Mariæ aulam, sivè alvum in Conceptione immisit; vel ex illa emissum in Nativitate jussit, ut omnes cœlestes exercitus adorarent; quòd tunc festinantes sancti Angeli impleverunt; sed in priori illa manifestatione Lucifer, & ipsius gregales extimulati invidentiâ restiterunt; Et, ut se ab adoratione, sic à cœlo in tartarum detraxêre. Huc alludit liber Sapientiæ, cùm ait: *Invidia diaboli mors introivit in orbem terrarum.* Non enim tantùm sermo est de livore illo, quo antiquus serpens venenum Adamo in paradiso inhalavit, sed de alio vetustiori, quo cædem maturrimam Christo sibi vix dum revelato inspirare anhelabat. De quo Christus ad Judæos: *Vos ex Patre diabolo estis, & desideria patris vestri vultis facere. Ille enim homicida erat ab initio.* A quo initio? Scilicet ab ipsis suæ creationis, & mundi incunabulis; de quibus Moyses: *In principio creavit Deus cœlum, & terram.* Ibi enim tortuosus serpens humanæ dignitatis invidiâ extabescens repræsentatum sibi Christum strangulare inardescebat; sed cùm tunc *rapitus esset ad Deum, & ad thronum ejus, ut ait.* Divus Joannes in Apocalypsi, irritusque illius conatus infiemeret, Judæis emissariis tantum facinus exequi adnitebatur, *mittens etiam in cor, ut traderet eum Judas Simonis Iscariotæ.* Cúmque jam traditus esset, testatus est ipse: *Hæc est hora vestra, & potestas tenebrarum*; quia tunc dæmonum catervæ tenebratum nomine significatæ facta est potestas Judæorum manibus sceleris perficiundi, quod à mundi creatione pertentavit.

Sap. 2. 24. *Ioan. 8. 44.* *Gen. 1. 1.* *Apoc. 12. 5.* *Ioan. 13. 2.* *Luc. 22. 53.*

Angeli sic homines custodiunt, ut à Dei conspectu non digrediantur.

16. *Abass.* Deserioribus Angelis omissis, ede num Beati ità Dei aspectui incumbant, ut nec punctum ab eo divellantur. *Rom.* Nunquàm à Deo ità sejungi possunt, ut unquàm ab illius intuitu, & apparitura ferientur. Illi tamen, quibus demandata est elementorum, hominúmque curatio, frequenter in terras dilabuntur, in iisque longius temporis spatium, quàm in cœlo insumunt. Utrumque enim Christus insinuat, cùm ait: *Angeli eorum semper vident faciem Patris, qui in cœlis est.* Licet enim Dei semper aspectu pascantur, hominum esse Angeli non desinunt, sed illis noctu, diúque benignos à Deo influxus ambiunt, ut incursus exitiabiles avertant. Sic David in Psalmo: *Immittet*, vel castrametabitur *Angelus Domini in circuitu timentium eum, & eripiet eos.* Et iterùm: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis. In manibus portabunt te, ne fortè offendas ad lapidem pedem tuum.* Et D. Paulus: *Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hereditatem capient salutis.*

Matth. 18. 10. *Ps. 33. 8. ex Heb.* *Ps. 90. 11. 12.* *Heb. 1. 14.*

In conceptione suum cuique homini Angelum Deus deputat.

17. *Abass.* Quo tempore hominibus Deus Angelos in custodiam assignat? *Rom.* Omnibus, sivè Christiani futuri sint, sivè Infideles, sivè justi, sivè peccatores, excubitorem Angelum in ipsa conceptione Deus delegat. Indè enim infantes incipiunt diversam à matre personam bajulare, originalis peccati onere prægravari, dæmonum, & pravorum hominum vitæ insidiantium, ipsarúmque matrum abortionem malignè procurantium incursionibus agitari. Siqui verò Patres asserunt, Angelos à nativitate hominibus præesse, intelligendi sunt de nativitate in utero, quæ est conceptio; non de illa, quâ post novem menses, non minùs fastidiis, quàm periculis plenos in aëris usuram emittuntur. Hi sunt propriè, de quibus Christus: *Angeli eorum.* Jacob de suo: *Angelus, qui eruit me de cunctis malis.* Judith de suo: *Custodivit me Angelus ejus & hinc euntem, & ibi commorantem, & indè huc revertentem.* In Actibus quoque Apostolorum traditur, ancillulam, quæ Apostolici cœnaculi fores observabat, D. Petri carcere tunc inclusi adventum intùs pernoctantibus nuntiasse, eósque incredulos respondisse: *Insanis*; *Angelus ejus est.* Ità enim ratum habebant, singulos semper Angelos singulis hominibus adesse, ut faciliùs arbitrarentur, posse tam impedito tempore Petri Angelum, quàm ipsum Petrum ad se commigrare.

Matth. 18. 10. *Gen. 48. 16.* *Act. 12. 15.*

Expenditur, quantum Angelis custodibus debeamus.

18. *Abass.* Magnam sanè homines ex tam nobilium curatorum, & pædagogorum procuratione dignitatem vendicant; nec in minorem incurrunt obligationem continuis eos officiis, & eximia vitæ puritate demerendi. *Rom.* Id ut sentias, & dicas, solida te ratio constringit. Si enim senior Tobias expendens, Angelum Raphaëlem (quem tamen Angelum non agnoscebat) juniori in accessu, & regressu à Media indefessum, fidelémque comitem affuisse, dicebat: *Quid possumus dare viro isti sancto, qui venit tecum?* Et filius respondit: *Pater, quam mercedem dabimus ei, aut quid dignum poterit esse beneficiis ejus?* Quam nos gratiam reponere poterimus Angelo nostro Custodi, qui ab ipso vitæ exordio nunc agens socium, nunc ministrum, nunc ducem, à latere nostro nunquàm discedit? Exponens Divus Bernardus illam Psalmi nonagesimi sententiam: *Angelis suis Deus mandavit de te, ut custodiant te in omnibus viis tuis*, offam illam cœlesti melle soporatam legentibus objectat: *Quantam tibi debet hoc verbum inferre reverentiam, afferre devotionem, conferre fiduciam? Reverentiam pro præsentia: devotionem pro benevolentia: fiduciam pro custodia. Cautè ambula, ut videlicet, cui adsunt Angeli, sicut eis mandatum est, in omnibus viis tuis. In quovis diversorio, in quovis angulo Angelo tuo reverentiam habe. An præsentem esse dubitas, quia non vides? Vide, quia non solo visu rerum præsentia comprobetur.*

Tob. 12. 1. 2. *Ps. 90. 11.* D. Bernard. serm. 12. in Psalm. Qui habitat.

CAP. V.

Digitized by Google

CAPUT V.

De opere sex dierum, quibus digestus est Mundus.

Die prima, quæ Dominica fuit, lucem Deus condidit. *Joan.* 1. 9.

1. *Baſſ.* Ab Angelorum celsitate in mundum ad contemplandum sex dierum opificium demittamur; & quod fuerit primæ pensum, indagemus. *Rom.* Undè æquiùs erat Deum *veram*, & summam *lucem*, qui primam cœli, ac terræ molitionem à secunda luce intelligibili, nempè, Angelis fuerat exorsus, quàm à visibili etiam luce inferioris mundi cultum (ut tradit Gregorius Nazianzenus) auspicari? Ergo prima die, quæ Dominica fuit, utpote quæ per singulas heddomadas semper post Sabbatum recurrat, *dixit Deus: Fiat lux, & facta est lux.* Quæ non fuit corpus aliquod aëris, vel nubium concretione addensatum, sed ipsâ lucis naturâ solari non absimilis, nullo vehiculo insistens, verùm à Deo suffulta, & Angeli cientis ministerio circumducta; tenebras quocumque agitaretur, dispellens, & mediam mundi partem suo splendore illustrans, cùm mediam aliam tenebræ occuparent. Et hoc pacto lucem Deus à tenebris divisit, duodecim horarum tempus, quo lux alicui plagæ affulgebat, diei nomine; & totidem horarum spatium, quo tenebræ ipsi incubabant, noctis vocabulo distinguens. Eam lucem, quam Patres aliqui spiritualem dicunt (non quòd sensibilis non esset, sed quòd nullius corporis contagione polluta) quarta die soli affixam D. Justinus Martyr, Athanateus, Basilius, Gregorius Nazianzenus, Anastasius Antiochenus, & alii opinantur.

D. Gregor. Naz. Orat. 43.

Gen. 1. 3.

Lux syncera sine ullo adminiculo à Deo condita.

D. Justinus in Confess. Fid. D. Athanas. q. 74. ad Antioch. D. Basil. hom. 6. in Exham. D. Greg. Naz. Orat. 43. Anastas. Antioch lib. 4. in Exhan. D. Joan. Damasc. 1. de Fid. c. 7. Theodoret. q. 14. in Genes.

2. *Abaſſ.* Inter cœli, ac terræ creationem, & lucis primâ die eductionem quantum temporis credis interductum? *Rom.* Moram aliquam interjectam ostendunt illa verba: *Tenebræ erant super faciem abyssi: Et spiritus Domini ferebatur super aquas.* Nam motum aliquem designant; motum autem semper tempus affectatur. Quanta autem fuerit intercapedo, divinare non licet; licèt tamen (ex Jobi verbis: *Ubi eras, quandò ponebam fundamenta terræ, cùm me laudarent astra matutina?*) conjectare, cœlum, & terram creata matutino tempore, cùm aurora solet erumpere; quamvis tunc Lucifer ipsius apparitor nondùm esset conditus, sed tenebris mundus obsitus; quas paulò post dissipavit lucis fax à Deo producta ad Orientem terræ Chananitidis, quam Moyses suis in scriptis potissimùm curavit, quia in ejus umbilico posteà futura erat Bethlehem, & Jerosolyma, eásque visitaturus, & ideò *salutem in medio terræ operaturus*, ille, quem uterque Zacharias *Orientem ex alto* appellavit. Cùm autem lux illa fuerit solis vicaria, producta videtur illomet temporis articulo, quo communis est solis exortus, & juxta vulgi sensum diei naturalis simul, & artificialis primordia.

Anteculano tempore mundus à Deo conditus videtur. *Gen.* 1. 2. *Job.* 38. 7.

Lux producta in eo puncto, quo sol plerumque oritur.

Psal. 73. 12. *Luc.* 1. 78. *Zach.* 3. 8.

3. *Abaſſ.* Si lux matutino tempore mundum illustravit, cur Moyses diem non ab illo, sed à vespera inchoavit, dicens: *Factum est vespere, & manè dies unus? Rom.* Ex prædictis noscis, duplicem esse diem: alterum naturalem, alterum artificialem. Naturalis est, cùm sol ab aliquo cœli puncto digrediens, medio spatio intra viginti quatuor horas semper æquales emenso, ad idem recurrit. Eum vulgus ab horizonte, in quo sol manè prorumpit, ad ipsius sequenti die exortum in eodem: Astronomi à meride, Itali ab occasu, Ecclesia à media nocte ad mediam noctem metitur. Hebræi verò, ex Dei præcepto, à vespera usque ad vesperam Sabbata, & festivitates suas celebrabant. Quam consuetudinem, utpote sacram, Moyses in ipso Geneſis vestibulo fastis commendavit. Artificialis dies solis ortu, & occasu, & duodecim horis (de quibus in Evangelio: *Nonne duodecim sunt horæ diei?*) iis verò semper inæqualibus definitur. Et ideò nunc major, nunc minor est, pro solis ad tropicos accessu, vel recessu; Et cùm nunquam sol eodem cœli puncto consistat, sed giganteo cursu huc, & illuc transvolet, vix unquàm eodem anno pares sunt duæ dies vicinæ, sed semper longitudine dissimiles. Major enim nobis dies est, cùm sol Cancri tropicum insidet; deinceps minores, dum retrogrado itinere in Capricorni sedem perrepit.

Hebræi dies suos, & festa à vespera inchoabant. *Gen.* 1. 5.

D. Thom. 3. P. q. 53. a. 2. ad 3.

Claud. in sphær. c. 1.

Quæ dies naturalis, quæ artificialis.

Levit. 23. 32. *Joan.* 11. 9.

4. *Abaſſ.* Quod est firmamentum, quod Deus secundâ die mediis in aquis extendit? *Rom.* Aërem aliqui putant, eúmque firmamentum dictum contendunt, quòd inter cœlum, & terram interjectum summâ firmitate inconfusos utriusque terminos conservet. Sed propiùs ad veritatem velificantur, qui ex eo quòd hîc firmamento cœli nomen inditum, & quartâ die sole, lunâ, *& syderibus exultum* tradatur, credunt firmamenti nomine omnes cœlestes orbes indicatos, quos pro motuum diversitate undecim Astronomi arbitrantur. Septem enim inferiores septem stellis sine ullo errore errantibus: Lunæ, Mercurio, Veneri, Soli, Marti, Jovi, Saturno: octavum immobilibus syderibus: nonum motui trepidationis à Septentrione in Austrum: decimum simili agitationi ab Oriente in Occasum: ultimum primo mobili assignant. Quos omnes cœlum extimum, quod vocant Empyreum, de quo suprà capite 2. num. 6. complèctitur. Dicuntur autem firmamentum, quia licèt, teste D. Petro, *ex aqua, & per aquam constiterint*, in tantam firmitatem à Deo consolidati sunt, ac si, ut Job ait, *ære fusi* essent.

Firmamenti nomen non aërem, sed cœlestes sphæras significat. *Gen.* 1. 6.

Undecim cœli infrà Empyreum.

Aristotel. 12. Met. tex. 44.

Clavius in Sphæram cap. 1.

2. *Petr.* 3. 5. *Job.* 37. 18.

5. *Abaſſ.* Quænam tunc facta est aquarum divisio, ut aliæ supra firmamentum eminerent, aliæ infra illud subsiderent? *Rom.* Totam intercapedinem, quæ tunc terram à cœlo Empyreo dirimebat, indigesta aquarum vastitas obruebat, sed primum mobile, & reliqui orbes cœlestes usque ad lunarem ità sunt expansi, ut intra Empyreum,

Quænam aquæ sint supra, quænam infra cœlum.

Digitized by Google

ac primùm mobile superiorum aquarum collectio clauderetur; infrà lunæ sphæram inferiorum effusio, sequenti die coërcenda, restagnaret. Aquis illis superioribus suus est honor in gratiam Baptismi; suus etiam in Beatorum voluptatem usus; ut sicut intra
Apoc. 22. 1. cœlum Empyreum *Fluvius est aquæ vitæ, splendidus tanquàm crystallus, procedens de sede Dei, & Agni*, sic extra illud uberiores aquæ essent, quarum pellucenti liquore Beatorum oculi oblectarentur, & aures leni murmure recrearentur. Hæ forsan illæ sunt
Apoc. 7. 17. scaturigines, de quibus Joannes ait: *Agnus, qui in medio throni est, reget illos, & deducet eos ad vitæ fontes aquarum.*

Aquarum in unum locũ collectione mare reflexit, & terra emersit. Gen. 1. 9.

6. *Abass.* Quo pacto die tertiâ aquæ in unum locum congregatæ, & terræ superficies patefacta? *Rom.* Post compactam die secundâ firmamenti soliditatem, adhuc à lunæ cœlo ad terræ ambitum mobiles, & perflabiles aquæ fluctuabant; quarum redundantiam Deus tertiâ die fræno compescuit, & in unum locum, quod deinceps dictum est mare, contraxit. Licèt enim multi sint lacus, plures fluvii, freta, & sinus innumeri: Euxinus, Gaditanus, Magalanicus, Arabicus, Persicus, Gangeticus, & alii; omnes illæ aquarum derivationes ab uno mari Atlantico in vastum terræ spatium, quasi per venas sanguis in animantium corpus, diducuntur. Eâ verò aquarum in unum locum convocatione terra apparuit, in media mundi sede locata, solida, & globosa, & undique ipsa in se se nutibus suis conglobata; quæ cùm ab initio perfectè orbiculata esset, hac die ad aquas colligendas, in profundas voragines, & concavas speluncarum altitudines disrupta fuit; ad hominum habitationem, & belluarum pastum, in camporum immensitatem, in saxorum asperitates, & montium excelsitates dilatata; & cùm Deus addidit:
Gen. 1. 11. *Germinet terra herbam virentem*: Herbis, floribus, frugibus, arboribus tam salutaribus, quàm noxiis vestita; illis, ut creandus ad extremum homo aleretur; istis, ut agnosceret, à quibus malis Dei semper se ipsum protegentis providentiâ servaretur.

Die quartâ luminariũ, & syderum in cœlo constitutio.

7. *Abass.* Quid die quartâ à Deo patratum? *Rom.* Diem quartam mirabilis istius molitionis mediam, præstantissimum opus, nempè luminarium in cœlum invectio sibi arrogavit. Erant enim corpora cœlestia luminis adhuc expertia, & penè oculis carentia. Ergo vel luce primæ diei, vel novæ massæ fulgentioris fragmentis in destinata à Deo foramina traductis, illuminati sunt cœlestes
Gen. 1. 14. orbes, & quod affabrè cœlati essent, cœlorum nomen accepère. In infimo luna à lucendo nominata inferiorum vicissitudinum moderatrix convertitur, varias ipsa lucis mensruis spatiis mutationes induens; cujus tenuissimum lumen facit proximus accessus ad solem, digressus autem longissimus quisque plenissimum. Mediam septem astrorum vagorum regionem, quæ quarta est, sol obtinet dux, & moderator luminum reliquorum, tantâ magnitudine, ut cuncta suâ luce lustret, & compleat. Quinque alios orbes
Cic. lib. 2. de Nat. Deor. totidem stellæ insident, quæ falsò vocantur errantes; non enim errat, quod progressus, & regressus, reliquósque motus constantes, & ratos in omni æternitate conservat. Firmamentum ipsum effulget stellis immobilius tessellatum, & signis ex diversorum astrorum copulatione in alicujus rei inanimæ, vel hominum, vel animantium formam connexis belluatum.

Sol, luna, & astra quomodò facta in tempora, dies, & annos.

8. *Abass.* Quomodò cœli luminaria facta sunt *in tempora, & dies, & annos?* *Rom.* Sol ab ortu in occasum recto gyro circa terram volvitur, & oriens, atque occidens diem, noctémque conficit. Et nunc in Aquilonem accedens, nunc in Austrum obliquâ circumvectione recedens, binas singulis annis reversiones ab extremo contrarias facit. Quarum intervallo quadripartitas temporum mutationes ad frugum maturitatem, & corporum temperationem aptas: ver, æstatem, autumnum, & hyemem distinguit; trimestrem singulis moram admetiens. Suum verò ipse cursum diebus quinque supra trecentos, & sexaginta, addita ferè quartâ unius diei parte conficit; qui annus communis dicitur; Et quatuor illæ partes in unam diem quarto quoque anno collectæ annum intercalarem reddunt, qui communem unâ die excedit. Lunaris annus minor est solari undecim diebus; luna enim ab occasu in ortum conversionem suam complet diebus viginti novem, & horis fermè duodecim, qui vocantur menses, quòd mensa lunæ discursu spatia complectantur. Hinc habes, cur cœli luminaria facta fuerint *in tempora, menses, & annos.*
Cic. ubi sup. Gen. 1. 14.

Avibus, & piscibus vitalis, quintâ dies fuit. Gen. 1. 20.

9. *Abass.* Quæ fuit quintæ diei constructio? *Rom.* Piscibus, & avibus ex penuaria aquarum cella depromptis, quinta dies vitalis alluxit. Ob humoris luxuriem ingens est in mari piscium multitudo, & vastior, quàm terrestribus animantibus corporum magnitudo. Navigantibus enim non rarò ceti occurrunt montibus altitudine, insulis latitudine æquales. Tanta potrò est
Plin. lib. 9. cap. 2. copia, aquæ naturâ genitales semper influxus è sublimi hauriente, & seminibus in se se nunc flatu, nunc fluctu convolutis, atque confusis pariente, ut major nullibi reperiatur, quàm in mari diversitas. In eo enim non solùm rerum insensatarum, ut stellarum, uvarum, serræ, & gladii; sed animantium, & equorum, luporum, canum; imò virorum, ac fœminarum simulachra, & tegumenta visuntur. Alia namque aquatilium pilo; alia corio; alia pilo simul, & corio; alia cortice; alia silicum duritiâ; alia crustis; alia crustis, & spinis; alia squamis; alia cute aspèrâ; alia molli; alia nullâ integuntur. De avibus supervacuum est dicere,
D. Ambros. lib. 5. in Exham. *Quibus*, ut ait D. Afotosius, *unum, & idem commune est nomen, infinitas autem quis inveniet differentias, & inenarrabilem inter ipsas magnitudine, formis, coloribus, vitâ, moribus, & actionibus varietatem.*

Homo sextâ die creatus.

10. *Abass.* Quid sexta dies in mundum invexit? *Rom.* Hominem Dei miratorem, rerum cœlestium spectatorem, sublunarium moderatorem.

Digitized by Google

Gen. 1. 26. moderatorem. Cujus supra cœtera creata excellentiam exquisitior Dei in ipsius fabricatione attentio ostendit. Cùm enim reliqua facili vocis prolatione extudisset, ut ad hominis formationem ventum est, pulverem ipse manibus excernit, lutum subigit, membra componit; nec pronum in terram, sicut cœtera animantia, sed sublimem erecto in cœlum statu, effingit; illius corpus tantâ solertiâ compingens, ut ex sola illius constitutione *mirabilem factam Dei scientiam*, Psaltes decantaverit. Est enim in illo caput, velut turritum propugnaculum, internorum, atque externorum sensuum diversorium; in quo sunt oculi tamquàm speculatores; aures, narésque vicinæ ad percipiendos sonos, & odores, qui in sublime feruntur; gustatus in ea parte oris, quâ esculentis, & poculentis iter naturâ patefecit; tactus toto corpore æquabiliter diffusus, ut noxios quosque ictus, caloris, & frigoris appulsus sentire, ac propulsare possit. Cerebrum in summo, & cor in medio, tamquàm duo spirituum vitalium, & animalium fontes residunt. Undè spiritus per arterias, & sanguis in omne corpus per venas diffunditur, quæ multipliciter toto corpore intextæ vim quamdam incredibilem artificiosi, ac planè divini operis testantur. Quid de nervis, quid de ossibus dicendum? Quorum illi artus sustinent, eorúmque implicationem constringunt; ista corpus fulciunt tum sua firmitate, tum vertebris, atque commissuris & ad molem continendam, & ad eliciendas actiones, maximè ad progressionem accommodatis. De animi præstantia, quem externi Philosophi pluribus alioquin erroribus imbuti, divinæ mentis particulam credidère, sequentibus capitibus dicendum.

Ps. 138. 6. Humani corporis solertissima delineatio.

Anni in Martio exordium.

11. *Abass.* Quo anni tempore mundum à Deo procreatum arbitraris? *Rom.* Vagientis mundi cunas ad ver, & Martium, primum illius mensem Hebræi, & Romani; ad autumnum, & Septembrem Ægyptii referebant. Undè suum annum illi à Martio, isti à Septembri auspicabantur. Horum fundamentum erat; quòd Septembri perfecta sit omnium segetum, & fructuum vindemia; & summam rebantur fuisse condecentiam, ut Deus hominem recèns creatum, quasi in dubium convivium ipsa anni saturitate induceret; Illorum, quòd vere herbæ pubescant, sata rideant, vites turgeant, arbores gemmascant, & efflorescant, & clementissima tunc aura perflet, quæ teneram tunc editi hominis carnem nec immodico calore ambureret, nec penetrabili frigoris mucrone

Gen. 7. 11. & 8. 4. sauciaret. Quem calculum Moyses ab initio secutus *secundo mense* terram aquis diluvii opertam tradit, & aream septimo sedatâ jam illuvione supra montes quievisse. Imò Deus, cùm Hebræos ab Ægyptiorum servitute,

Exod. 23. 15. *mense novorum*, qui est Martius, vindicavit,

Exod. 12. 2. apertè sanxit, ut *mensis* ille *primus* ipsis, & anni vertentis ad rem sacram exordium esset; non quòd priùs ità non fieret ex prima institutione, & inolita consuetudine, sed ut Hebræos tam Ægyptiorum ollis, ac mensis, quàm mensibus numerandis in rebus profanis, ac negotiorum pertractatione (quod Sacræ litteræ innuunt) assuefactos ab anni mundo cœvi, & ab ipso verni æquinoctii puncto incipientis primordia revocaret.

In Æquinoctio verno mundus creatus.

12. *Abass.* Quid vernum istud est æquinoctium? *Rom.* Tuæ percontationi, quia ad Paschatis ritè celebrandi normas plurimùm conducit (de quo lib. 6. cap. 12.) perquisitiùs satisfaciam. Cœlum Astronomi, & terræ plagas ipsi subjectas, à Septentrione in Austrum in quinque partes (quas dicunt Zonas) concidunt. Quarum duæ postremæ, & terræ, quæ intra illas ad utrumque mundi cardinem porriguntur, ob solis absentiam semper frigore rigescunt; media verò semper solis viciniâ torretur; & ideò torrida vocatur. Duæ ex utraque parte illis proximæ, temperatæ dicuntur, quia regiones illis subditæ leni ad ipsas solis nunc accedentis, nunc refugientis appulsu, & digressu confoventur. Utraque se ut metam soli discurrenti opponit in iis punctis, quæ Solstitia dicuntur; idest, postrema solis statio. Ex quibus sol, dum alteram tangit, statim inquies in oppositam reflectitur. Eorum Solstitiorum alterum æstivum nuncupatur, quod fit, cùm sol Cancri sedem in temperatæ Zonæ aquilonaris confinio sitam die vigesimâ secundâ Junii contingit; quæ dies cœteras longitudine antecedit. Alterum brumale in puncto adverso, in Zonæ temperatæ finibus ad Austrum in Capricorni domicilio, die vigesimâ secundâ Decembris, qui reliquis est contractior. A Capricorno in Cancrum sex menses integros; & à Cancro in Capricornum sex alios (qui verus est annus) sol insumit; & mediam lineam, quæ cœlum in duas partes æquales findit (& ideò dicitur Æquinoctialis, sivè Æquator) bis transcurrit. Illi ergo duo dies, quibus sol cùm Æquatore congreditur, vocantur Æquinoctia; quorum alterum, quod vernum fertur, die vigesimâ primâ Martii, cùm sol Arietis signum pervadit; alterum Autumnale die vigesimâ tertiâ Septembris in Libræ aditu contingit; Et cùm in omnibus regionibus, in quibus Æquator, & horizon se se mutuò intersecant, nox, & dies æquatis spatiis, duobus illis diebus librentur, Æquinoctiorum nomen comparârunt. Cùm enim duobus illis diebus sol mediam cœli aream insistat, duodecim horas collocat in hoc horizonte per diem, & totidem in alio per noctem peragrando. Videtur ergo Deus solem primò in æquinoctiali exortu verno, ac proindè vigesimâ primâ die Martii condidisse.

Quid sit Æquinoctium.

Clau. in Sphær. Joan. de Sacro Bosch. cap. 2.

Mundum ipsâ Æquinoctii verni die conditum Concilium Palæstinum definivit. Baron. to 2. anno 198. *Gen.* 1. 16. 18.

13. *Abass.* Undè conjicis, primam solis à thoro æquinoctiali cœptam digressionem? *Rom.* Id Concilii Palæstini Patres anno Christi 198. sub Victore Romano Pontifice, & ejusdem jussu celebrati, indè deducunt, quòd Deus primâ die lucem à tenebris diviserit, & quartâ duo luminaria in cœlo defixerit: *Luminare majus, ut præesset diei; & luminare minus, ut præesset nocti; & dividerent lucem, ac tenebras.* Cùm autem Deus sit æquissimus distributor, & lucem, ac

tenebras

Digitized by Google

tenebras sejunxerit, & diurnam soli provinciam, nocturnam lunæ delegaverit, par erat, ut plenas duodecim lucis horas illi diei, nec pauciores tenebrarum illi nocti assignaret; nec sol lunæ imperium, aut luna solis ditionem furtivè admorderet. En cur dixerim, mundum à Deo ipsa verni æquinoctii die inchoatum; quam antiqui dixêre Hilaria; quòd in ea mundus solis ad sua primordia restituti æquabilitate exhilaretur. Sed ut ille post sex laborati opificii dies in septimo conquievit, sic & nos tantillùm non otio, sed quieti nos dedamus.

Gen. 2. 2. 3.

CAPUT VI.

Solvuntur aliquot dubia, quæ circa creationem in Æthiopia excitantur.

1 Quæstio: Num Deus aliquid silentio condiderit.

1. *Abass.* Ne quies immodica diffluat in veternum, illam vernaculis genti nostræ quæstionibus abrumpam. Primò enim sunt, qui dicant, voce Deum sex dierum opera; quæ tamen principiò cum cœlo, ac terra creata sunt, silentio molitum. *Rom.* Si vocis nomine intelligunt sonum aliquem sensibilem, quo tunc Deus insusurraverit, non in minorem errorem prolabuntur, quàm si ipsum corporeum somniarent. Si autem Dei vox ipsius est imperium, non magis sex dierum pensum, quàm Angeli, cœlum, terra, & quatuor elementa, fuit Dei voce, atque imperio in auras evocatum. Etsi enim Moyses non scripserit, dixisse Deum: Fiant Angeli, cœlum, terra, & elementa; ità tamen accidisse, ex rationis æquitate, & aliis Scripturæ testimoniis sentiendum. Æqualiter enim de Angelis, cœlo, sole, luna, & aquis David enuntiat: *Laudate eum omnes Angeli ejus; laudate eum omnes virtutes ejus; laudate eum sol, & luna, laudate eum omnes stellæ, & lumen; laudate eum cœli cœlorum; & aquæ omnes, quæ supra cœlos sunt, laudent nomen Domini. Quoniam ipse dixit, & facta sunt, ipse mandavit, & creata sunt.* Et singillatim de cœlo: *Verbo Domini cœli firmati sunt.* De terra D. Petrus: *Terra de aqua, & per aquam consistens Dei Verbo.* De tempore D. Paulus: *Fide intelligimus aptata esse sæcula verbo Dei.* De creaturis in unum fascem colligatis, Sapiens: *Qui fecisti omnia verbo tuo.*

Ps. 148. 2. 3. 4. 5. *Ps. 32. 6.* *2. Petr. 3. 5.* *Heb. 11. 3.* *Sap. 9. 1.*

2. Quæstio: In quem finem Deus omnia creata destinaverit?

2. *Abass.* In quem finem Deus omnia à se creata destinavit? *Rom.* Singula in privatos fines suæ naturæ congruentes; ut aqua, & terra in centrum; aër, & ignis in sublime; arbores in fructus edendos (& sic de reliquis) insitâ proclivitate feruntur. Omnia verò in communem finem, qui est totius mundi ornatus; ipse verò mundus, & omnes ipsius copiæ in hominis obsequium conspirant. Hominis autem, & omnium creatorum, quæ ad ipsius ministerium ordinantur, finis Deus est, sinceræ contemplationis, & impollutæ vitæ gressibus obtinendus. Ideò Sapiens asseruit: *Universa propter se ipsum Deum fuisse operatum*, tam quòd in suæ gloriæ, & beneficientiæ commendationem cuncta substruxerit, quàm quòd illa in hominis clientelam; hominem verò in sui communionem ordinaverit.

Prov. 16. 4.

3. Quæstio: Cur res creatæ à suo fine divertant?

3. *Abass.* Si omnia in privatos fines, hominem verò in suum contubernium Deus direxit, cur plurimi homines Deum non adipiscuntur; & res aliæ non infrequenter in monstrosas digressiones à suis finibus aberrant? *Rom.* Monstrifici quidem partus ægrotantis naturæ, & vi potentiori à finis sui assecutione dejectæ sunt indicia; quod tamen à privati finis possessione disturbatur, à communi, quod est mundi ornamentum, excipitur. Ornatus enim non solùm ex pulchrarum rerum coacervatione, sed etiam ex spectrorum, & larvarum objectu enitescit. Quòd autem rationabiles creaturæ, Angeli scilicet, atque homines, à finis sui, (qui est Dei visio) consectatione deficiant, non ab ipso dimanat, qui *illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum, & omnes vult salvos esse; nec quemquam perire; sed omnes vivere; & ad pœnitentiam reverti.* In ipsos autem, qui à fine suo consequendo deflectunt, defectionis culpa retorquetur; libertate enim à Deo donati, & in *manu consilii sui constituti* terga eidem obvertere, quàm recto in ipsum vultu, & corde contendere maluerunt.

Joan. 1. 9. *1. Tim. 2. 4.* *Ezech. 18. 23.* *2. Petr. 3. 9.* *Eccl. 15. 14.*

4. Quæstio: Cur libertatem Deus Angelis, & hominibus, peccandi causam, suppeditavit?

4. *Abass.* Si libertas in causa fuit, ut Angeli, & homines diverticulum à Deo capesserent, cur ipsos illâ condecoravit? *Rom.* Libertas in Angelis, & hominibus divinæ est imaginis, & excellentiæ signaculum, cunctorum bonorum apex, & omnem transcendens æstimationem. Cùm igitur Deus homini libertatem impertiit, summo illum bono locupletavit. Est autem libertas potestas, quidquid velis, efficiendi, vel non efficiendi; & bonum, sivè malum eligendi. Sedet quidem Deus in primo libertatis gradu, valens, quidquid libeat, operari, vel non operari; Sed illam secundi partem, quæ consistit in mali electione, nunquàm attingit, cùm sit ab omni mali contagio secretus. Angeli verò, atque homines ità malum penitùs defugere non possunt. Ut enim perpetuo subsistendi jus non habent, sed acceptæ semel à Deo substantiæ jacturam pati queunt; sic etiam flexiles sunt ad boni, vel mali consectationem. Nam si à malo semper abhorrerent, & in bonum immutabiliter propenderent, creatam naturam exuerent, & in divinam omninò transcriberentur. In Deum igitur collatæ libertatis beneficium; illius abusus in creatæ voluntatis mutabilitatem referendus; ut ipse per Oseam innuit: *Perditio tua ex te Israël. Tantummodò in me auxilium tuum.*

Os. 13. 9.

5. Quæstio: Cur Deus Angelos, & homines creavit, cùm lapsuros præviderit?

5. *Abass.* Si Deus Angelos, atque homines in peccatum lapsuros prævidit, quare ad illos vitali spiritu vegetandos animũ advertit? *Rom.* Posset quidem Deus creatæ voluntatis fluctuationem

Digitized by Google

fluctuationem talibus donis saburrare, ut ad malum nunquàm traheretur; nec a bono dimoveretur; sed noluit virtutis exercitationem necessitati subjicere; nec cœlestia bona coactis mentibus, quasi servis ergastulariis obtrudere; id enim esset, illa summo habere despicatui, & dormitantium socordiam congestis præmiis fovere. Prævidens autem tam Angelos, quàm homines ruinam facturos, divitiarum suarum in eos profusarum jactum facere maluit, quàm suo conditas ærario detinere. Angelorum enim, atque hominum natura *valdè bona est*, ipsius Dei testimonio. Cùm ergo illas condidit, nihil mali patravit; nec ex peccati ab ipsis in posterum admittendi præscientia quidquam vitiositatis in ipsum refunditur. Vel enim crimen esset in donorum suorum largitione, vel in alienorum scelerum permissione. In donorum largitione multum laudis, culpæ nihil intercedit. Quis enim Regem non collaudaret, cùm eum munificum in illum conspicaretur, à quo sciret, se postea rebellione lacessendum? Quis agricolam inculsabit semen non tantùm pingui solo, sed saxoso, senticosóque credentem? Nullo etiam maleficii fuco Deus coloratur, dum Angelorum, & hominum flagitiis connivet, cùm non impellat, neque adhortetur. Posset quidem, si vellet, impedire; sed datam priùs libertatem labefactaret. *Tantaque est bonitatis* (ut ait Divus Augustinus) *ut satiùs esse judicaverit, bona ex malis educere*, quàm mala radicitùs extirpare.

Gen. 1. 31.

D. August. in Enchir. ad Laurent. cap. 27. & lib. 22. de Civitat. Dei cap. 1.

6. Quæstio: Quid boni Deus ex Angelorum peccato eduxerit.

6. *Abass.* Quæ bona Deus ex Angelorum peccato extraxit? *Rom.* In primis, insignem justitiæ suæ commendationem; qui, notante D. Petro, *etiam Angelis peccantibus non pepercit*. Secundò, utilem hominum cautionem, de qua Job: *Ecce qui serviunt ei, non sunt stabiles, & in Angelis suis reperit pravitatem. Quantò magis hi, qui habitant domos luteas, & terrenum habent fundamentum, consumentur velut à tinea?* Tertiò, singulare eorumdem emolumentum; quia sedes, à quibus Angeli fuêre deturbati, meritorum suorum pretio sunt occupaturi. Quartò, summum electorum hominum honorem, qui teste Divo Paulo, in supremo orbis examine *Angelos sunt judicaturi*. Licèt verò aliquot homines malorum Angelorum suasionibus transversi agantur, alii eorum tentationibus frugiferi, fructuosíque evadunt: Undè Divus Paulus quemdam *satanæ tradidit in interitum carnis, ut spiritus salvus fieret*; & alios, ut *discerent non blasphemare*.

2. *Petr.* 2. 4. *Job.* 4. 18. 19

1. *Cor.* 6. 3.

1. *Cor.* 5. 5. 1. *Tim.* 1. 20.

7. Quæstio: Quas utilitates ex Adæ peccato Deus eduxit?

7. *Abass.* Quas ex Adæ peccato Deus utilitates eduxit? *Rom.* Primam, & inter cœteras insignitam, Filii sui Incarnationem; qui ideò apparuit, ut *dissolvat opera diaboli*, & noxii serpentis *caput* salutari pedum conculcatione protundat. Secundam, ipsius Adæ à peccato, ut Sapiens tradit, liberationem. Tertiam, salutarem modesti animi dejectionem, ut *qui cùm in honore esset*, animæ suæ claritatem *non* intellexit, ad pecorum caulas relegatus corporis ignobilitatem, & infirmitatem assequatur. Quas verò in Deum querimonias jactare posset Adamus? an quod ipsum rectum, sapientem, & totius mundanæ ditionis imperatorem constituerit? Gratiarum sunt istæc, non querelarum argumenta.

1. *Joan.* 3. 8. *Gen.* 3. 15. *Sap.* 10. 1. *Isa.* 48. 21.

8. Quæstio: An Adæ filii justam querelarum causam de Deo habeant, quòd eos creaverit?

8. *Abass.* Justam querelarum ansam Adamus nullam habebat; videntur tamen ipsius filii habere, quos naturæ auctor nunc in mundum, non tamquàm in hortum, sed in tristissimum exilium, ac fermè exitium compellit. Plures enim ex illis æternæ damnationi mancipantur. *Rom.* Prudentémne crederes vinitorem, qui propter labrusças, in quas propagines aliquandò degenerant, à serendis vitibus omninò abstineret? Plantatorem, qui propter amurcam: & oleum, & oleas: propter adnascentes spinas, rosaria damnaret? Si multi in voluntariam perniciem labuntur, non pauci clivosam salutis semitam arripiunt, victoréque in cœlestem patriam evadunt. Magis autem decet supremam bonitatem propter bonos sua etiam in malos dona effundere, quàm illa propter malos à bonis avocare.

CAPUT VII.

Ostenditur, hominum animas esse spirituales.

Animæ ex quatuor elementis non componantur.

1. *Abass.* Quod satis est de aliarum rerum procreatione dissertasti; nunc, quæso, mihi animæ originem ostendas, quam è nostris multi ex quatuor elementis compactam opinantur. *Rom.* Qui ità desipiunt, nec prima elementa rudioris litteraturæ delibârunt; Si enim animi ex elementis conflati essent, corpore constarent; cùm corporeum sit quidquid ex eorum coagmentatione coalescit. Deindè, elementa in composito, si non re, virtute saltem in quatuor insitis qualitatibus: calore, frigore, humiditate, siccitatéque persistunt. At in animis nihil est mixtum, nihil concretum, quod ex terra natum, atque fictum esse videatur; nihil humidum, aut flabile, aut igneum; sed incredibilis quædam vis cogitationis, mentis, & memoriæ, quæ præterita teneat, futura prævideat, & præsentia complectatur; quorum nullum inest elementis vestigium. Tandem, substructio suis cœmentis firmior esse non potest. Cùm ergo elementa fluxa sint, & facilè invicem ob compugnantes qualitates permutentur, (calida enim semper frigidis, & humida siccis adversantur) si anima illorum concretionem in se haberet, caduca esset, & mortalis, cùm imbecillior qualitas à potentiore esset elidenda. Spirituales ergo sunt animæ, non elementorum concursu conglomeratæ; quod quatuor argumenta è ratione petita, multa Scripturæ, Conciliorum,

D. Thom. 2. contra Gent. c. 65.

Cic. lib. 1. Tusc. quæst.

Digitized by Google

ciliorum, & Patrum teſtimonia confirmant.

Ex Dei imagine humanis animabus impreſſa, eas ſpirituales eſſe oſtenditur.

2. *Abaſſ.* Quod primum eſt argumentum ex rationis armario depromptum? *Romanus.* Homo ad Dei imaginem delineatus eſt; quod non eſſet adeptus, ſi totus corporea mole obrueretur; nec ſubtile aliquid haberet, in quo ſupremi eſſet ſpiritûs ſimulachrum. Ideò in veſtro Libro Divus Gregorius Nyſſenus *Dei in hominibus imaginem vocat ſpirituales gemmas, quibus ipſe galeam noſtro capiti imponendam adornavit, & fecit vitæ æternæ adipiſcendæ poteſtatem.* Hoc eſt, quod dixit Divus Paulus: *Ipſe ſpiritus teſtimonium reddit ſpiritui noſtro, quod ſumus filii Dei.* Deus enim, qui purus eſt, increatúſque ſpiritus, animam noſtram ſpiritualem effingens, & ideò ſua imagine conſignans, illam ſibi in filiam adoptavit.

D. Greg. Nyſſ. p. 4. n. 2. 3.

Rom. 8. 16.

Par erat, ut Deus unam naturam media ex parte ſpiritualem faceret.

Gen. 1. 26.

Suprà c. 4. n. 3.

3. *Abaſſ.* Quod alterum eſt argumentum? *Romanus.* Divinam ſapientiam, & potentiam decebat, ut ſicut æternus, & increatus ſpiritus perfectum quemdam ſpiritum, Angelicam, ſcilicet, naturam in tempore produxit; ſic creaturam aliquam ederet ex corpore, & ſpiritu conſtitutam; ut media eſſet inter eas, quæ plenè ſunt corporeæ; quo gradatim ab infima ſtatione ad ſupremum faſtigium, creaturis ſe ſe viciſſim amplectentibus, conſcenderetur.

Ex hominum intellectu, & voluntate eorum animæ ſpirituales oſtenduntur.

4. *Abaſſ.* Ad tertium te transfer argumentum. *Rom.* Propriis ſe operationibus cujuſque natura manifeſtat. Hominum autem animæ ſubtiliſſimas habent operationes intelligere, ac velle; quæ à ſolis poſſunt ſpiritualibus ſubſtantiis proficiſci. Intellectus enim, ſivè mens, cui regnum totius animi à natura tributum, omnium rerum, quas agnoſcit, ſpeciebus abſque ulla ſui corruptione figuratur; quod obtinere non poſſet, niſi ſpiritualis eſſet; quia nihil corporeum internam ullam formam admittit, quin ſimul alterius, quam priùs retinebat, detrimento conficiatur. Ut lignum formam ignis non induit, niſi antè propriam deponat. Præterea, ſi mens corporea eſſet, ſola, ut externi ſenſus, corporum cognitione clauderetur; illius tamen ampliſſima ſunt curricula, & agiliores omnium avium volatibus agitationes; quibus, & præſentia, & abſentia; præterita, & futura; terrena, & cœleſtia; corporalia, & ſpiritualia, nempè Deum, & Angelos; imò ſe ipſam acie reflexa perſpeculatur. Voluntas etiam ſpiritualis eſt facultas, habens in actus ſuos dominatum; volendi, ac nolendi; operandi, vel feriandi optionem; quæ procul eſt à rebus ratione carentibus, uni ſemper actioni, & operandi ritui mancipatis.

Ex donis ſpiritualibus à Deo hominibus

5. *Abaſſ.* Quod poſtremum eſt argumentum? *Rom.* Uberrima gratiæ, imò expedita vultus ſui viſionis munera (quæ non ſolùm ſpiritualia ſunt, ſed ſupra omnem naturæ ordinem attolluntur) Deus hominibus concedit, quibus ipſi adeò finitimi redduntur, ut de iis loquens Divus Petrus, dicat: *Maxima & pretioſa nobis promiſſa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ conſortes naturæ.* Nec aliud eſt *pignus ſpiritus*, quod Deus, teſte Paulo, *dedit in cordibus noſtris.* Illorum verò capaces non eſſent homines, ſi nihil ſpirituale in ipſis effulgeret, cujus gremio exciperentur. Id verò eſt anima, cujus ſubtilitas, teſte Divo Gregorio Nazianzeno, carni ſubligata divinum etiam Verbum, quod ſummè ſimplex, ac ſincerum eſt, invitavit, ut ipſa intermedia cum partis alterius craſſitudine coiret; eáque conjunctione creaturæ omnes tam corporeæ, quàm ſpirituales nobilitarentur. Qua de re lib. 5. cap. 8. dicendum.

conceſſis, animæ ſpiritualitas colligitur. *2. Petr.* 1. 4.

2. Cor. 1. 22.

D. Greg. Naz. Orat. 1. & Orat. 41. & 42. in Paſcha.

Ex Scripturis animæ ſpiritualitas probatur.

6. *Abaſſ.* Quibus Scripturæ teſtimoniis hæc veritas corroboratur? *Romanus.* Humanæ menti tam animæ, quàm ſpiritûs nomen commune eſt. Daniel: *Benedicite ſpiritus, & animæ juſtorum Domino.* Dei Mater: *Magnificat anima mea Dominum, & exultavit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo.* Ubi Divus Auguſtinus: *Anima*, inquit, *dicitur, & ſpiritus; anima, in quantum eſt vita corporis; ſpiritus, in quantum eſt ſubſtantia ſpiritualis.* Aliis locis caro, & ſpiritus opponuntur. Apud Matthæum: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma.* Apud Lucam: *Spiritus carnem, & oſſa non habet.* Apud Joannem: *Spiritus eſt, qui vivificat, caro autem non prodeſt quidquam.* Apud Divum Paulum: *In interitum carnis, ut ſpiritus ſalvus fiat.* Apud Divum Petrum: *Mortificatus carne, vivificatus autem ſpiritu.* Quin abſolutè ibidem ſpiritûs nomen pro animæ vocabulo uſurpatur. *His, qui in carcere erant, ſpiritibus, prædicavit.* Tobias: *Præcipe in pace recipi ſpiritum meum.* Similiter in Chriſti perſona Divus Matthæus: *Emiſit ſpiritum.* Divus Lucas: *Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* Divus Paulus: *Quis enim hominum ſcit, quæ ſunt hominis, niſi ſpiritus hominis, qui in ipſo eſt?*

Matt. 26. 41. *Luc.* 24. 39. *Joan.* 6. 63.

1. Cor. 5. 5.

1. Petr. 3. 18. 21.

Tob. 3. 6.

Matth. 27. 50. *Luc.* 23. 46. *1. Cor.* 2. 11.

Spiritus nomen quomodò rebus corporeis aliquandò adaptetur.

7. *Abaſſ.* Si firmum eſſet argumentum ex ſpiritûs nomine mutuatum, belluæ quoque ſpirituales eſſent judicandæ, in quas Salomon, ut in homines, ſpiritum invexit, cùm ait: *Quis novit, ſi ſpiritus filiorum Adam aſcendat ſurſùm, & ſi ſpiritus jumentorum deſcendat deorſùm? Romanus.* Multa illo capite Salomon non ex ſuo, ſed ex fatuorum ſenſu effutivit; ut illa præcedentia: *Unus interitus eſt hominum, & jumentorum, & æqua utriuſque conditio: Sicut moritur homo, ſic & illa moriuntur, & nihil habet homo jumento amplius.* Quæ niſi Salomon ex aliena ſententia referret, ſed propriæ calculo conſignaret, rudere ipſum, non humanâ ſonare voce,

Eccl. 3. 19. 21.

Digitized by Google

esset affirmandum. Ideò censeto, cùm jumentis spiritum adscribit; nisi spiritûs nomine vitam designet, quæ spiritûs re-
Genes.6.17. ciprócatione vegetatur, de qua in Geneſi: *Interficiam omnem carnem, in qua est spi-*
Ezech.1.20. *ritus vitæ subter cœlum.* Et in Ezechiele: *Spiritus vitæ erat in rotis.* Nec verba eamdem ubique significationem servant, sed commodâ distributione explicandâ. Nam quemadmodùm, licèt dicatur Geneſis primo de omnibus animantibus, *In quibus*
Gen.1.30. *est anima vivens.* Et secundò de homine:
Gen.2.7. *Factus est homo in animam viventem*, intelligendum tamen est, longè diversam fuisse animam Adami, utpotè intellectualem à cœterorum viventium animabus; ità cùm illius animus dicitur spiritus, hoc illi nomen ab spiritualitate, belluis à sola spiratione applicatur.

Conciliorum decreta Concil. Ephes. 8. *Abass.* Quid Concilia de animi spiritualitate decernunt? *Rom.* In Ephesino approbata fuit illa Divi Cyrilli epistola, in qua hæc verba reperiuntur. *Verbum divinum univit sibi animam rationalem, quæ non est corporalis.* Concilium Quartum
Concil. Latteran.IV. cap. Firmiter. Latteranense: *Creavit Deus humanam naturam, tamquàm communem ex corpore, & spiritu constitutam.*

Patrum libri Æthiopici testimonia. 9. *Abass.* Qui Patres in eamdem sententiam conspirârunt? *Romanus.* Ingentem aciem ex iis conflare possem, sed satis nunc sit, eos producere, qui vestro in
Temirte habuata, n.16. Libro sucenturiantur. Temirte habuata. *Vobiscum*, inquit, *testamentum suum Deus*
D. Clem. in Didasc. P.1. p.8. ex lib.6. Const. Apostol. cap. 11. *confirmavit, & spiritum suum in vobis constituit.* Didascalia: *Spiritus est vita carnis*
D. Greg. Thaum.p.1. n.19.20.21. *munda, & sancta per omnia.* Clariùs in autographo: *Animam in nobis confitemur expertem corporis.* Divus Gregorius Thaumaturgus. *Quis est, qui animam viderit unquàm: Et quis est, qui eam investigaverit, & perspexerit oculis carnalibus? Credimus, & cognoscimus esse animam intellectualem in carne nostra. Et quis est, qui exquisiverit creationem ejus cogitando, & perspexerit ani-*
D. Athanas. P.1.4.n.26. 47. *mam suam?* Divus Athanateus: *Deus misit in hominem Spiritum sanctum suum, &*
Lib. de Incarn. Christi *fecit illum dignum, qui sibi subjiceretur.* Alibi: *Tametsi dixerit Evangelium, spiritu*
Joan.11.33. *Christum turbatum: ipse tamen Dominus declaravit de anima sua intelligendum, cùm dicat: Et nunc anima mea turbata est;* di-
Joan.12.27. *cit: Ego animam meam pono pro ovibus meis.*
Joan.10.15. *Quam quidem animam spiritum esse Sacra littera demonstrant. Idémque à Domino ostensum, cùm doceret, corpus ab hominibus occidi posse, animam non posse, utpote spiritum. Hic ille spiritus est, quo conturbatus est*
Lib.de salutar. Christi advent.contr.Apollin. *JESUS. Hic spiritus è corpore in patibulo excessit.* Vide eumdem capite seq. numero 1.
Matt.10.28. & 27.50 Abolidis, sivè D. Julius, p.2. n.18. Joan. Jerosol. n.11. Abolidis: *Incarnatus est ex Sanctissima Virgine Maria, ut nos cœlestes faciat imaginem*
D. Cyril. p.2.n.9. *suam; ipse est cœlestis.* Joannes Jerosolymitanus: *Credimus, eum, qui creavit substantiam hominum, creasse simul animam invisibilem, & carnem.* Divus Cyrillus: *Ipsum Verbum Dei increatum, quod non habet carnem, quod creavit nos ad imaginem, & similitudinem suam, propter nostram filiorum hominum salutem descendit.* Part. 3. *Absconditus cordis homo spiritus est, qui non corrumpitur. Ulteriùs, Deus fecit hominem absconditum per gratiam, quasi Dei similitudinem, quia Deus non est caro.* Et de Christo: *Tradidit spiritum suum in manus Patris sui, quæ est anima ipsius, quam sibi univit, ut nobis benefaceret.*
P.3.n.46. 1.Petr.3.4. Matth.27. 50. Part. 52. n.156.

CAPUT VIII.

Hominum animæ immortales ostenduntur.

1. *Abass.* Ut ea, quæ produxisti testimonia, animæ simplicitatem commendant, súntne aliqua in promptu, quæ illius adstruant immortalitatem? *Rom.* Ità Divus Clemens in Didascalia: *Intelligamus ergo esse in carne nostra animam, quæ non moritur, neque corrumpitur cum carne.* Divus Agnateus: *Anima verò non moritur in substantia sua.* Et infrà: *Quomodò tu honorem, quem dare desideramus animabus nostris, eò quòd non moriantur, dare non vis divinitati Trinitatis?* Divus Athanateus: *Etiam homines carne vestiti, mortales, habent in quo non moriantur, & in quo vincant infirmitatem.* Et infrà: *Cor hominis est spiritus ejus, unus cum anima sua, & vincit infirmitatem corporalem hominum.* Alibi: *Postquàm homines deposuerint carnem hanc luteam, hæreditabunt regnum cœlorum, & caro non relinquetur in æternum, sed resurget.* Alio in loco: *Si carnalis est anima, cur una cum corpore non moritur, & perit? Et cur potiùs animas apud inferos detentas D. Petrus spiritus nominavit?* Theophilus Alexandrinus: *Anima, quæ tollitur, ac deponitur, nec irrationabilis, nec absque mente, & intelligentia dici potest. Nulli enim dubium, quin irrationabilium jumentorum anima non ponantur, & resumantur, sed cum corporibus pereant, & in pulverem dissolvantur.* D. Cyrillus: *Manifesta res est, quòd homo noster exterior moriturus est, & corrumpendus usque ad resurrectionem; interior verò non est moriturus, neque corrumpendus.* Et infrà: *Absconditus cordis homo, spiritus est, qui non corrumpitur.* Alibi: *An non dicit omnis, qui agnoscit in Sapientia, quòd caro nostra terrena animam nostram non comprehendit?* Alibi: *Numquid quandò corpora sanctorum ferro laniata sunt, & igne combusta, & quandò comprehensi sunt, & catenis vincti, ipsorum anima hæc omnia simul cum corpore invenerunt, aut animæ etiam igne combustæ sunt, aut gladio dissectæ?*
Patrum libri Æthiopici testimonia de animæ immortalitate. Didascalia P.1.n.11. D. Ignat. P.1.n.16.18. D. Athanas. P.4.n.16. 35. P.14.n.46. 47. De salutari Christi adventu contra Apoll. 1.Petr.3.19 Theoph. Alex. 1. Epist.Pasch. Joan.10.18. D. Cyril. P.3.n.45. 46. 2.Cor.4.16. 1.Petr.3.4. P.7.n.8.9. P.13.n.2.3. 4.

2. *Abass.* Quibus Sacrarum litterarum testimoniis hoc Fidei dogma stabilitur? *Rom.* Sufficeret illud Christi Domini: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere.* Et illud: *Qui odit animam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam*; Sed universa Scriptura in veritatis istius probationem conjurat. Audiens Jacob,
Animæ immortalitas ex Scriptura confirmatur. Matt.10.28.

Jacob, filium suum Joseph à fera dilaniatum, exclamavit: *Descendam ad filium meum lugens in infernum*, sperans se cum eodem in Abrahæ sinu congressurum. Job de impiorum prosperitate agens: *Ducunt*, inquit, *in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt.* Et inferiùs: *Ipse ad sepulchra ducetur, & in congerie mortuorum vigilabit*; quia licèt corpora in monumentis somno indulgere videantur, animi tamen semper insomnes æternas agitant excubias. In quibus, cùm Deum identidem ex libera sinus illius custodia (quam Abigail dixit *fasciculum*, David *terram viventium*) tres gentis Hebrææ principes interpellarent, ipse se *Deum Abraham, Deum Isaac, & Deum Jacob dici gloriatur.* Deum planè *non mortuorum*, sed *viventium*, ut Christus in Evangelio interpretatur. Rex enim non illorum, qui aliquandò in regno suo vixêre, & fato jam concessêre, sed eorum, qui vitam nunc ducunt, moderator nuncupatur. *Justorum enim animæ*, inquit Sapiens, *in manu Dei sunt, & non tanget illas tormentum mortis; visi sunt oculis insipientium mori, illi autem sunt in pace.* Et iterùm: *Justi autem in perpetuum vivent.* Nec de justis privatim, sed universim de tota natura: *Deus*, inquit, *creavit hominem inexterminabilem.* Cùm enim mors ultimus sit, ac nulli cedens terminus, illum soli immortales hominum animi transcurrunt, & statutis à Deo locis, ut dives epulo in tartaro, Lazarus mendicus in Abrahæ hospitio (in quo etiam se Tobias Senior custodiri inhiabat) deponuntur. Ideò Eleazarus, & meritis, & canis præstans agnoscebat, *se nec vivum, nec defunctum, Dei manum effugere posse.* Et D. Paulus asserebat: *Sivè vivimus, Domino vivimus; sivè morimur, Domino morimur. Sivè ergo vivimus, sivè morimur, Domini sumus. In hoc enim Christus mortuus est, & resurrexit, ut & mortuorum, & vivorum dominetur.* Et in extremo judicio *vivos, & mortuos est judicaturus*; eos scilicet mortuos, qui corporibus anteà in sepulchra dejectis, potiori sui parte vitam transigebant. In secunda ad Corinthios: *Licèt is, qui foris est, noster homo corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem. Credite*, inquit Divus Athanateus, *animam interiorem hominem esse.*

Joan. 12. 25. Gen. 37. 35. Job. 21. 13. 32. 1. Reg. 25. 29. Psal. 26. 13. Exod. 3. 6. Hebr. 11. 16. Matth. 23. 32. Sap. 3. 1. Sap. 5. 16. Sap. 2. 23. Luc. 16. 22. Tob. 3. 6. 2. Machab. 6. 26. Rom. 14. 8. 9. In Symbol. 2. Cor. 4. 16. D. Athanas. lib. de Inc. Christi.

plex; nec secerni, nec dividi, nec discerpi, nec distrahi potest; nec tandem interire. Est enim interitus, quasi discessus, & secretio, ac diremptus earum partium, quæ ante interitum junctione aliqua tenebantur. Ideò homo interit, quia duabus constat partibus, corpore, & spiritu, quæ arctissimo priùs vinculo constrictæ, morbi tandem violentiâ dissolvuntur. Angelis verò, ipsique hominum animabus, cùm nihil alieni sibi connexum habeant, nihil etiam inest, quod ab ipsis morte divellatur. Ideò dixit Divus Athanateus superiori cap. num. 9. citatus: *Animam occidi non posse, utpote spiritum.*

Cicero lib. 1. Tuscul. quæst. D. Athanas.

5. *Abass.* Undè secunda ratio derivatur? *Rom.* Ex insatiabili appetitione, quâ homines ad tuendam, propagandámque vitam efferuntur; quam cum hîc propter corporis obicem sedare non possint, insignia quædam opera, quibus nomen suum æternitati consecrent, vel bellorum confectione, vel librorum scriptione, vel ædificiorum constructione aggrediuntur. Quæ cùm omnia mortem penitùs non abigant, nec insitam vitæ appetentiam restinguant, sed potiùs inflamment, sublimius aliud sui videndi desiderium Deus mentibus humanis ingeneravit, cujus semina illis non inderet, nisi esset vita æterna, cujus possessione expleretur.

Eadem immortalitas colligitur ex æternitatis appetitu hominibus insito.

6. *Abass.* Quænam est tertiæ rationis officina. *Rom.* Justitiæ, ac virtutis consectatio; quæ cùm maximè sit secundùm naturam, in plurimas, nec exiguas difficultates, & pericula incurrit. Videmus enim plerumque impios, felices: filiis, & servitiis abundantes, vegetos, copiis, & honoribus redundantes; è contra justos ærumnosos, propinquorum auxilio destitutos, macie, corporis ægrotatione, & animi ægritudine confectos, contumeliis, & omnibus incommodis oneratos. Quis Deum prudentem, & justum divisorem, & non potiùs personarum acceptorem crederet, nisi virtutis cultores longior, atque beatior vita præstolaretur, in qua conversis lancibus pro ærumnis, atque infortuniis otium, & omnium voluptatum cumulos reportarent? Ergo cùm tibi superiori capite animam spiritualem demonstraverim, *spiritualia* juxta Divi Pauli consilium, æmulare. Cùm autem illius immortalitatem probaverim, ad Vatis normam: *Cogita dies antiquos, & annos æternos in mente* versa; neque te in eorum gregem dimittas, qui apud Isaïam ità incomptè grunniebant: *Comedamus, & bibamus, cras enim moriemur.*

Ex obligatione virtutis sectandæ, quam Deus hominibus imposuit, animæ immortalitas probatur.

1. Cor. 14. 1. Ps. 76. 6. Isai. 22. 13.

Definitio V. Concil. Lateran. Matt. 10. 28. Joan. 11. 25.

3. *Abass.* Scripturæne Concilia hac in re concinunt? *Romanus.* Quinti Concilii Lateranensis Patres sic definiunt: *Damnamus, & reprobamus omnes asserentes, animam intellectivam mortalem esse. Quod manifestè constat ex Evangelio, cùm Dominus ait: Animam autem occidere non possunt:* Et alibi: *Qui amat animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam.*

Ex animæ simplicitate ejus immortalitas concluditur.

4. *Abass.* Egregiè auctoritatibus hæc veritas; numquid ità rationibus fulcitur? *Rom.* Duæ sunt robustiores; prima ducitur ex animæ ipsius simplicitate, in qua cùm nihil sit admistum, nihil concretum, nihil copulatum, nihil coagmentatum, nihil du-

Digitized by Google

CAPUT IX.

Oſtenditur, animas in filios cum parentum ſemine non traduci.

Apollinaris error, animas cum ſemine traduci. D. Thom. lib. 2. contr. Gent. c. 86.

1. *Baſſ.* In quam centuriam illos conjicis, qui cenſent, animas in filiis ex parentum ſemine propagari? *Rom.* In armentalem Apollinaris catervam, quæ illius (quem refers) erroris pabulo ſaginabatur; negans, quod à nobis duobus proximis capitibus eſt demonſtratum. Si enim animæ unà cum ſemine à parentibus ad filios traducuntur, nec ſpiritualis ſubtilitatis, nec immortalitatis excellentiâ potiuntur.

Si animæ cum ſemine traducuntur, ſpirituales non ſunt.

2. *Abaſſ.* Quomodò ſpirituali præſtantiâ excidunt animæ, ſi à parentibus in filios tranſiliunt? *Rom.* Quidquid ab alio exciditur, diviſioni ſubjacet; diviſio autem ſolis rebus corporalibus, quæ conſtant partibus ſectilibus, dominatur. Si ergo animæ ex traduce diſtenduntur, quæro: num tota parentis anima in filium: num tantùm illius pars aliqua tranſcurrat; Si tota: ergo quemcumque filium parentes vitâ donent, illâ ſe ipſos deſpoliant; nec ullam peculiarem formam proles vendicat, ſed duabus, iiſque alienis parentum animabus ſoboleſcit; Si pars aliqua: ergo cùm ſemen tam à patre, quàm à matre eliciatur, non ſimplex erit, ſed ſegmentata filii anima; Et cùm pluribus generationibus iidem parentes operam navare poſſint, poterit quoque ipſorum animus in plurima reſegmina diſcerpi.

Mortales eſſent animæ, ſi ex ſemine emicarent.

3. *Abaſſ.* Quî immortalitatis prærogativâ animæ nudarentur, ſi ex traduce pullularent? *Rom.* Diviſio interitûs eſt conciliatrix; conjunctarum enim partium disjunctio mortem aſciſcit. Si ergo ex parentum animabus particulæ aliquæ in filiorum corpuſcula excernerentur, illæ proculdubio guttatim diffluerent, & ſui diſſectione contabeſcerent; non ſolùm cùm ſobolem educerent, ſed quacumque, ſeu voluntariâ, ut *Gen. 38. 9.* nefarius Onan tentavit; ſeu inopinatâ per ſomnium, ſeu in matricem infœcundam ſeminis effuſione; & plura poſſent animabus ubique flacceſcentibus, quàm corporibus monumenta reſignari.

Anima ſine corpore, vivit; ergo ſine corpore, & ſemine vitam habere poteſt.

4. *Abaſſ.* Satis perſpicuè utramque tui inſtituti partem exegiſti; ſi quæ aliæ tibi ſuppetunt rationes ad iſtius veritatis firmamentum, ſuppeditato. *Rom.* Duæ ſufficient; quarum illa ſit cœmentum. Animâ à corpore ſejuncta vivit, intelligit, & expeditiùs, quàm cùm illius carcere tenebatur, quacumque velit, divagatur. Non ergo, ut naturam ſuam ſartam, tectámque conſervet; imò neque ut illam in ortu primùm accipiat, corporis indiget contubernio. Ut ergo anima à corpore non pendet, ut conſervetur, ſic neque ut vitam auſpicetur. Nullis igitur animarum ſeminibus paternum, maternúmve ſemen ſoporatur, ut indè filiorum animæ ſuſcitentur.

Parentum animæ actu non ſunt in ſemine.

5. *Abaſſ.* Secundam affunde rationem. *Rom.* Si animæ quaſi per propaginem à parentibus ad filios truderentur; vel parentum animæ actu in ſemine conſidèrent, ut ignis in pruna candenti; vel virtute tantùm, ut ignis idem in ſilice, qui ferri attritu quaſi anteà ſopitus excitatur. Nemo dicet, actu parentum animas in tantilla ſeminis portione devinciri; cùm ſectivæ tantùm imperfectorum animantium, quæ in annulos vibrantur, animæ exigua qualibet corporis mole capiantur. Perfectorum autem, ac præcipuè humanæ, quæ cœteris ſunt abſolutiores, amplam aream vendicent, & commodam membrorum expolitionem; quam in maſculis non niſi poſt quadraginta; in fœminis poſt octoginta à conceptu dies nanciſcuntur.

Parentum animæ nec etiam virtute ſunt in ſemine.

6. *Abaſſ.* Perveſtigato, num intellectualis animus virtute in ſemine, ſicut ignis in ſilice, occultetur. *Rom.* Dici neutiquam poteſt, animam rationalem virtute in ſemine contineri: quia virtus naturæ, à qua fluxit, metas non tranſgreditur, ſed illi ad ſummum coæquatur. Cùm igitur tota ſeminis vis corporata ſit, corpus formatrici facultate perpolire poterit: vegetativam, ac ſenſitivam animam in illud inducere; non tamen ad rationalis conſtitutionem adſpirare; hæc enim potentiorem ſupremi artificis dexteram & fabricantis, & ipſam in ſuam ditionem immittentis præſtolatur. Quemadmodùm filii Iſraël ad oram Rubri maris propriis paſſibus perrexêre, ſed ad fluctuum objectum titubantes Deus in oram adverſam tranſportavit. *Tranſtulit illos*, inquit Sapiens, *per mare Rubrum, & tranſvexit illos per aquam nimium.* Naviculam quoque moderari Petrus conſueverat, non tamen aquæ ſolidis veſtigiis inſiſtere; fuæque gnarus imbecillitatis ad Dominum clamavit, ut ſibi acceſſum ad ſe ſuper aquas indiceret; eóque annuente, ſe intrepidè in mare projecit. Sic naturæ virtus ad altricis, ac ſentientis animæ terminos excurrit, ſed cùm ad rationalis valvas perventum, ſupplex Deo clavem porrigit, cujus ſolius illi peſſulum obdere, vel reſerare.

Exod. 14. 21. Sap 10. 18. Matth. 14. 30.

Num, ſicut lucernæ lumen à lucerna, ſic filiorum animæ vitam à parentibus mutuentur.

7. *Abaſſ.* Noſtris non ſolùm quietem, ſed etiam ſummam voluptatem propinabis; ſi aſſentiaris, ut dicant, ſicut lucernæ lumen à lucerna, ſic animas à parentum animabus in liberos derivari. *Romanus.* Id ſi permittam, in omnes, quos ſuperiùs præcavi, errorum hiatus me præcipitem devolvam; & cæduam eſſe animarum ſylvam compellar affirmare. Lucernæ etenim lumen extenſum eſt, & in ſubjectam diviſione intercedente communicatur; quòd ſuad animas transferrem, ipſas quoque & ſectionis, & mortalitatis injuriâ vulnerarem. Si enim alterius ab altera parte diremptu

Digitized by Google

diremptu multiplicarentur, tam parentum animæ (quæ eſſent inſtar lychnorum è ſummis triclinii laqueantibus pendentium) quàm filiorum (quæ in ſpeciem conchularum ſuum igniculum è ſuperioribus mutuarentur) morti eſſent oppigneratæ. Deficere enim neceſſum eſt, quidquid alimento, ut lucernæ lumen oleo, nutricatur, & in plura fragmenta partitione attenuatur.

Num igni poſſint ut ignis ex igne.

8. *Abaſſ.* Non jam, ut in lucernis lumen ex lumine diſcerpitur, ſed ut ſemper ignis ex igne gignitur, ex animabus animæ generatione propagentur. *Rom.* Id etiam factu eſt impoſſibile; quia cùm ignis ignem in exhalationem, vel lignum inducere intendit innatas ſibi qualitates quaſi antecurſores præmittit, earúmque virtute opportunas diſpoſitiones ſubſternit, ut inexploratum, ac ritè præparatum domicilium novus ignis admittatur; ſed cùm utriuſque ignis forma ſit materialis, nec præviarum diſpoſitionum (quæ etiam corporeæ ſunt) naturam tranſcendens, ignem à ſe ignis disjicere poteſt, non autem animam anima; quia nullæ ſunt in ſemine ſpirituales qualitates, quæ illam tranſvehant, aut transfundant; nam eo ipſo, quòd in ſemen demigrarent, ab ſpirituali natura expungerentur.

Exponuntur Chriſti verba. *Joan. 3. 6.*

9. *Abaſſ.* Aliquot ex dictis anxietates ſubnaſcuntur; quarum primam commovent illa Chriſti Domini verba: *Quod natum eſt ex carne, caro eſt; & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt.* Ergo non ſola corpora, ſed etiam ſpiritus ſuas habent appendices, & traducum diffuſiones. *Rom.* Eo loco ſermo non eſt de reali, ac naturali generatione, in qua verum ſemen intercurrit, ſed de adoptiva, in qua ſeminis vicem ſubit gratia, teſte eodem Joanne in ſua Epiſtola: *Omnis*, inquit, *qui natus eſt ex Deo, peccatum non facit, quoniam ſemen ipſius in eo manet.* De qua nativitate exploratè Chriſtus ibi loquitur. Dixerat enim priùs: *Niſi quis renatus fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei.* Et infrà: *Niſi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu ſancto*; & mox ſubjicit: *Quod natum eſt ex carne caro eſt, & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt*; ut oſtendat, priorem hominis generationem corpoream fuiſſe, poſteriorem omninò à carne ſeparatam, de qua jam in primo capite Joannes præmiſerat: *Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt.* Compertum verò eſt, ſpirituum nullam ſubſtantialem eſſe generationem, cùm nihil ab ipſis ſecerni poſſit, quod in ſobolem trajiciatur; & ſi quid præcideretur, penitùs naturæ ſuæ jactura multaretur. Solus enim Spiritus ille vera poteſt Verbi ſui generatione efflorescere, qui ſe ipſum impendendo non deficit; & naturam ſuam alii Perſonæ impertiendo, nec cum illa confunditur, nec à ſui communione ſegregatur.

Spirituum generationes metaphoricæ ſunt, non reales. *1. Joan. 3. 9. Joan. 3. 3. Joan. 3. 5.* *Joan. 1. 13.*

Geneſis verba exponuntur.

10. *Abaſſ.* Secundum ſcrupulum objiciunt illa Geneſis verba quibus proditur, Abraham, & eos, qui cum ipſo erant, ſecum *tuliſſe animas, quas fecerant in Haran.* Et alibi: *Cuncta animæ, quæ ingreſſæ ſunt cum Jacob in Ægyptum; & egreſſæ ſunt de femore illius, ſexaginta ſex.* En animæ è femore egrediuntur, ac fiunt; ergo generationis ductu propagantur. *Rom.* Partis nomen in Scriptura pro toto; & ideò carnis, vel animæ vocabulum pro toto homine uſurpatur. *Omnis caro*, inquit Moyſes, *corruperat viam ſuam.* David: *Ad te omnis caro veniet.* Joël: *Effundam ſpiritum meum ſuper omnem carnem*; ideſt, ſuper omnes homines, qui ſpiritus non ſecundùm carnem, ſed ſecundùm animam ſunt capaces. Pſaltes de Joſeph loquens: *Ferrum pertanſiit animam ejus.* Simeon de Beata Virgine: *Tuam ipſius animam pertranſibit gladius.* Ezechiel: *Anima, quæ peccaverit, ipſa morietur*; ideſt, homo, qui peccaverit. Mors enim, & gladius hominem, atque ipſius membra, non animam necis, ac doloris inſciam pervadunt. Ergo animæ, quas Abraham fecerat in Haran, ii erant homines, quos ipſe ſuo exemplo, & ſalutaribus documentis Deo adjunxerat. Sex autem, & ſexaginta animæ in Ægyptum ingreſſæ, & à Jacobi femore egreſſæ, totidem filii, ac nepotes, qui ab illius ſemine non animas, ſed ſola corpora architectante defluxerant

Partis nomen, & animæ vel carnis ponitur pro toto homine. *Gen. 46. 26. Gen. 12. 5. Gen. 6. 12. Pſ. 64. 3. Joël. 2. 28. Pſ. 104. 18. Luc. 2. 35. Exec. 18. 20.*

Non ideò parentes hoc nomen amittunt, quòd animas non generent.

11. *Abaſſ.* Tertia noſtros hæc ſpina compungit. Si animæ à parentibus non hauriuntur, parte hac præcipuâ ſublatâ, qui parentes dici poſſunt? *Rom.* Oſtendam lib. 6. cap. 4. num. 15. eum, qui rem compoſitam compingit, non omnes, ex quibus coagmentatur, partes efficere, ſed multò tantùm connectere, & hoc ſatis eſſe, ut illius auctor, vel artifex dicatur. Ità Adamus, & Eva Abelis parentes verè dicuntur, licèt illius animæ non ſatores, ſed cultores tantùm fuerint, corpus ad illius ingreſſum adaptantes. Si autem nomina velis ità acerbè interpretari, ut parentes non ſint, qui animarum fœturam ex propriis penetralibus non extraxerint, non ſolùm homines, ſed ipſa animantia, quibus inſunt erga prolis ſuæ tam corpora, quàm animas ſeminaria, parentum nomenclaturæ denudabis; quia novitiam ſeminis ſui materiam non edunt, ſed in ipſis mundi primordiis à Deo conditam excolunt, & ad animas excipiendas aptâ membrorum diſpoſitione concinnant.

Peccatum originale ex ſeminali generatione, & corporis contagio in animam transfunditur.

12. *Abaſſ.* Sæpè audio, originalis culpæ nævo hominum animas in ipſa conceptione deturpari; quod quomodò fiat, non intelligo, ſi à parentibus non exſcinduntur; aut ſi à Deo creantur, in illum eſt natalis illius maculæ turpitudo referenda. *Rom.* Ampliori dubii iſtius ventilatione ad cap. 4. lib. 8. reſervata, nunc dicere ſufficiat, humanas animas labem illam originalem non abſolutè à parentum animabus, à quibus non ſementantur, ſed à ſeminali ipſorum generatione, & corporis, cui tunc addicuntur, complexu haurire. Ut enim ſalutaris primùm aquæ ſcaturigo, ſi à fonte egreſſa venenoſam radicem præterlabatur, toxicum

Digitized by Google

Eccl. 13. 1. ebibit; & *qui picem tangit*, ex Sapientis proverbio, tenaci illius nigredine inquinatur; ità animæ mundissimæ à Deo conditæ, ubi in corpus illabuntur & illius, & paterni seminis contagione polluuntur.

Nec Christi anima ab anima B. Virginis sumpta fuit. *Matth.* 11, 27.

13. *Abass.* Quidquid de aliis fuerit animabus, ne Dei Filio hanc erga Beatam Virginem debitionem auferas, ut ab illa fuerit animam suam fœneratus. *Rom.* Neque tu Christum, qui *omnia sibi à Patre traditu* testatur, Matri potiùs, quàm Patri acceptæ animæ facias debitorem. Qui enim similem se *fratribus per omnia* exhibuit, corpus tantùm à Matre, non animam, sicut cæteri filii, expressit; ob quod pluribus nominibus erga ipsam, quàm reliqui in suas, obstringitur. Cæteri enim mediam corporis sui particulam à patris semine, mediam à matris sanguine confluentibus mutuantur; at Christus, quidquid habet corporis, totum à Matre vendicavit. Sed de hoc fusiùs libro sequenti.

Hebr. 2. 17.

CAPUT X.

Ostenditur, hominum animas à Deo creari, nec tamen omnes initio creatas.

Animæ rationales à Deo creantur. 1. *Abass.* Si paternum semen pulvinus non est rationalium animarum, undè gentium emergunt? *Rom.* In humanis animabus quædam semina sunt divinitatis subtilitas, & immortalitas; ideò solùm à Deo creante digrediuntur, ut in fidei suæ contextu primi Concilii Toletani Patres attestantur. *Confitemur*, inquiunt, *animam non esse ex Dei substantia, sed Dei voluntate creatam.* In Quinto Concilio Lateranensi: *Anima immortalis est, & pro corporum, quibus infunditur, multitudine multiplicatur.* In vestro Libro Joannes Jerosolymitanus: *Credimus, eum, qui creavit substantiam hominum, creasse simul animam invisibilem, & carnem, quæ suscipit infirmitates; & creasse illa sine peccato.* D. Cyrillus: *Præterea credimus, quæ dicunt de creatione superiorum, & inferiorum; sive sint Angeli, sive spiritus hominum.* In Epistola ad Monachos Ægypti, cujus fragmentum p. 7. citatur: *Terrestrium*, inquit, *hominum matres naturæ ad generandum famulantes, in utero quidem carnem habent paulatim coagulatam, quæ & carnis quibusdam Dei operationibus crescat, & in humanam formam absolvat; fœtui autem Deus spiritum modo, quem novit, immittit; spiritum quippe hominis in ipso fingit, juxta Prophetæ vocem.* Deonaceos Antiochenus damnatæ nobis fidei homo: *Ipse est factor, & creator animarum.*

D. Thom. 2. contra Gent. cap. 87. Concil. Tolet. I. Concil. Lateran. V. Joan. Jerosolym. n. 11. D. Cyril. p. 2. n. 42. Idem in Epist. ad Monach. Ægypti. *Zach.* 12. 1. Deonac. Antiochen. in Epist. ad Mennam Alex.

Probatur ex divinis litteris. 2. *Abass.* Ullisne adminiculis Sacræ litteræ superiora Conciliorum placita confirmant? *Rom.* Nec paucis, nec caducis. Moyses in Numeris Deum vocat *Dominum spirituum omnis carnis*; quia, scilicet, rationales animas in carnis conjunctionem inducit. Job ait: *Numquid non in utero fecit me, & formavit me in vulva unus?* Nec corporis coagmentationem intelligit, in qua Deus parentes adjutores admittit, sed animæ creationem, cujus præter ipsum nullus est auctor. Ipse enim juxta Davidis sententiam *fingit singillatim corda eorum.* Corda, ideſt animas, ut illo loco: *Cor meum, & caro mea*, hoc est, anima, & corpus, *exultaverunt in Deum vivum.* Ecclesiastes: *Revertatur pulvis in terram suam, unde erat, & spiritus redeat ad Deum, qui dedit illum.* Isaias: *Hæc dicit Dominus Deus, dans flatum populo, qui est super terram, & spiritum calcantibus eam.* Zacharias à D. Cyrillo jam citatus: *Dicit Dominus, extendens cœlum, & fundans terram, & fingens spiritum hominis in eo.* Ad liberos suos generosa Machabæorum mater ait: *Nescio, qualiter in utero meo apparuistis; neque enim ego spiritum, & animam donavi vobis, & vitam. Sed enim mundi Creator, qui formavit hominis nativitatem.* D. Paulus in Actis: *Ipsius enim & genus sumus. Genus ergo cùm simus Dei.* In Epistola ad Hebræos: *Patres quidem carnis nostræ eruditores habuimus, & reverebamur eos: non multò magis obtemperabimus Patri Spirituum, & vivemus?* Pater spirituum Deus dicitur, & homines ipsius genus, quòd Adami, & cæterorum animas è nihilo creans, eos sibi mira quadam affinitate copulaverit.

Psal. 32. 15. *Psal.* 83. 3. *Eccl.* 12. 7. *Isai.* 42. 5. *Zach.* 12. 1. 2. *Machab.* 7. 22, 23. *Act.* 17. 28. 29. *Hebr.* 12. 9.

Creatam à Deo Adæ animam, in Genesi indicatur. 3. *Abass.* Creatum à Deo Adamum comprobato; si enim id colligis ex illis verbis: *Masculum, & fœminam creavit eos*, infirmum videtur fundamentum, cùm ibidem dicatur: *Creavit Deus cete grandia, & omnem animam viventem, atque motabilem.* Cete enim, & pisces, ac cætera corpora mista, ut sæpiùs docuisti, eatenùs tantùm creata dici possunt, quatenùs conditæ à Deo materiæ demensum in se continent; cujus etiam ratione Adamus, quin ipsius anima à Deo crearetur, verè creatus dici posset. *Rom.* Non ineptè Adamus creatus diceretur, eò tantùm, quòd materia, seu corpore constaret; at præter cætera virentia, & viventia insigni stemmate ex propria animæ creatione nobilitatur. Quod patet ex discrimine, quod primo Geneſis capite observatur, cùm de plantarum, piscium, & animantium vita mentio conseritur. Nam de herbis, atque plantis die tertio Deus dixit: *Germinet terra herbam virentem & facientem semen, & lignum pomiferum, faciens fructum.* De piscibus, & alitibus die quinto: *Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile super terram.* De quadrupedibus die sexto: *Producat terra animam viventem in genere suo, jumenta, & reptilia, & bestias terræ.* Quæ verba omninò indicant terram, & aquam virtute à Deo donatas ad omnem herbarum, plantarum, arborum, natatilium, volatilium, & belluarum tam secundùm corpora, quàm secundùm animas fœturam. At erga hominem vim similem nec terræ, nec aquæ, nec cœlo concessit; sed suis manibus ipsius corpus ex sinceriori pulvere delineavit, & oris inspiratione vitalem auram, ac rationalem animam inhalavit; & indè completum, quòd ibidem

Gen. 1. 11. *Gen.* 1. 20. *Gen.* 1. 24. *Gen.* 2. 7.

cum

Gen. 1. 27. cum repetitione inculcatur, ut omnis dubitationis tergiversatio amputetur : *Creavit Deus hominem ad imaginem suam, ad imaginem Dei creavit illum.*

Adæ anima sumpta non fuit ex Dei substantia.

4. *Abass.* Vide, ne illa Dei inhalatio aliquam divinæ substantiæ particulam in Adamum conjecerit ? *Rom.* O protuptam, projectam, eminentémque audaciam à Mane primùm, Manichæorum duce, posteà ab impio Mahomete excogitatam, ac celebratam! Quâ cœlum terræ miscentes, Deum mutabilem, ac flagitiis scatentem ; hominem verò tranquillum, & omnibus virtutibus exuberantem reddiderunt. Cùm enim anima perenni affectuum instabilitate circumagatur, flagitiis turpiter inquinetur, si esset ipsamet Dei substantia, improbitatis, & inconstantiæ stigmatis Deus esset inurendus. Rursùm, cùm Deus sit ab omni conversionis, & peccati flabello alienus, si anima cum eo substantiam communicaret, immunitatem ab omni vertigine, & flagitio consequeretur ; suámque proindè naturam oblivisceretur.

D. Thom. contr. Gentes cap. 85.

Evæ anima etiam à Deo creata.

5. *Abass.* Ut concedamus, Adamum Dei flatu animatum, Eva tota videtur ex illius latere producta ; solùm enim legimus ex illius carne ædificatam. *Rom.* Verba, quibus Adamus Evæ à se diremptæ prodigium, ac mysterium expressit, non animam, sed solam carnem, & ossa ex sua carne, & ossibus transumpta testantur. *Hoc nunc*, inquit, *os ex ossibus meis, & caro de carne mea est* ; non anima ex anima. Cùm illam non animâ caruisse constet, nec aliter venustum, & perfectum corporis ædificium esse potuit, nisi illud anima, tamquàm proprius ipsius habitator dedicaret. Ubi enim conceditur, Adamo Deum animam inspirasse, cùm ipsum *futuri formam* Paulus nuncupet, idem de Eva, & omnibus ipsius posteris credendum. At de illa expressè : *Masculum, & fœminam creavit eos.*

Gen. 2. 23.

Gen. 2. 22.

Gen. 2. 7.

Rom. 5. 14.

Gen 1. 27.

Animas à Deo creari, duplici ratione demonstratur.

6. *Abass.* Seclusis Scripturæ, Patrum, & Conciliorum testimoniis, quid te ampliùs permovet, ut creatas hominum animas arbitreris ? *Rom.* Si animæ vitæ suæ auspicia à creatione non inchoarent, omnia generationis curricula emensuræ essent, & ab alicujus subjecti gremio, tamquàm ex carceribus egressuræ. Quod dici non potest, cùm spirituali naturâ polleant, & spiritus nullam habeat cum externo subjecto, ipsum præcedente, colligationem. Secundò, ut anima post mortem per se cohæret nulli corporeorum artuum pedamento innixa ; ità cùm primò in orbem introducitur, suâ firmitate absque carnis consortio libraretur, nisi Deus eamdem corpori astrinxisset, ut ferocientes ipsius motus, tamquàm rectrix, & imperatrix ad æternam felicitatem parandam inhiberet. Quare totum ad illam è nihilo extrahendam jus solus ipse habet ; nullam verò causæ mortales ad seminandam.

Non omnes animæ à Deo initio creatæ.

7. *Abass.* Omnésne hominum animas Deus initio cum Adami anima produxit, an nunc etiam viritim creat, & discriminatim in corpora infundit ? *Rom.* Animas gregatim à Deo primùm conditas, & ob peccata ab ipsis admissa in corpora statutis momentis compelli, Origenes in Quinto Concilio generali, & pluribus aliis damnatus somniavit. Si enim omnes animæ principiò à Deo eductæ aliquo se flagitio polluerunt, Jacobi, & Esaü animæ parentis alvo abstrusæ aliquo jam essent delicto turpificatæ, quod negat Apostolus : *Cùm*, inquit, *nondùm nati fuissent, aut aliquid boni egissent, aut mali, ex vocante dictum est ei, quia major serviet minori.* Illarum verò acervatim creandarum quæ gratia ? quæ utilitas ? Ob commentitium illud peccatum in quam custodiam compactæ ? In quam insulam relegatæ ? Indè ad corpora voluntariè, an naturali cursu, an vi adactæ, an casu provolutæ ? Si voluntariè : novo se peccato implicant, & inditum sibi à Deo naturæ ordinem pervertunt. Si enim Deus illas à corporibus secretas creavit, eas ille maximè status condecet ; & idem est in corpora, atque in omnium vitiorum sentinam se præcipitare. Si verò naturali cursu ad illa contendunt, cùm naturalia nullam cunctationem admittant, ubi corpus aliquod excipiendæ animæ opportunum esset, omnes, ut in illud irrumperent, athleticè, atque pugilicè obluctarentur, & digladiarentur. Si vi ad corpora truduntur, corporis, & animi copulatio violenta esset, & conflictus ille animarum sub altari Dei in Apocalypsi suorum corporum nexum expetentium comploratus. Nec mors peccati pœna esset, sed gratia ; nec Lazari, aut aliorum suscitatio beneficium, sed supplicium ; nec Deus, ait, D. Cyrillus, *omnem venientem in hunc mundum illuminaret*, sed corpore tamquàm tenebrarum vallo obsepiret. Si casu ; tumultuaria, & improvida esset hominis structura, quam Deus semper rebus omnibus priorem duxit.

Origenis error.

Rom. 9. 11. 12.

Apoc. 6. 9.

Joan. 11. 44.

D. Cyril. lib. 1. in Joan. cap. 9.

Joan. 1. 9.

8. *Abass.* Si Deus cunctas hominum animas initio in unum cumulum non aggeravit, quo pacto ait Moyses, ipsum *die septimâ requievisse ab universo opere quod patraverat* ? Quænam ista quies, si ei quidquam adhuc restat in cudendis hominum animabus desudandum ? Quo pacto verum est, *vidisse Deum cuncta, quæ fecerat, & valdè bona* pronuntiasse, si tot desiderabantur animæ, ex quibus potissima mundi perfectio conflatur ? *Rom.* Non ità Deus die septimâ requievit, ut supino deinceps otio torpescat ; sed instar mercenariorum, qui vires sedendo redintegrant, ut posteà in opus majori contentione incumbant. Quod indicant illa verba capitis 2. *Benedixit diei septimo, & sanctificavit illum, quia in ipso cessaverat ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Et LXX. Interpretes : *Quod cepit Deus, ut faceret.* Ideò, sex dierum opificium inceptio fuit divini conatus, non consummatio ; nec quies illa tam finem dedit labori anteacto, quàm initium subsequenti in novis individuis producendis, & antiquis speciebus conservandis. Nam

Die septimâ quievit Deus ab speciebus, non ab individuis creandis.

Gen. 2. 2.

Gen. 1. 31.

D. Thom. 1. p. q. 73. a. 1.

Gen. 2. 3.

Pater

Ioan. 5. 17. *Pater meus usque modo operatur, & ego operor*, inquit Christus. Quid verò illum, *qui fingit singillatim hominum corda*, æquius, quid dignius est, ut operetur, quàm Psal. 32. 15. solertem rationalium animarum fabricationem? Nec Deus omnia tunc individua, sed solas species aliquibus tantùm ornatas in mundi scenam evocavit, & cætera opportunè suo tempore educit; nec die septimâ ab individuis, sed ab speciebus procreandis requievit. Eædem quoque species mundi pulchritudinem exaugent, & ipsis conspicatis summam operum suorum concinnitatem dilaudavit; quæ proculdubiò hebesceret, si Deus animas à corporibus disjunctas asservaret. Meritò enim quis illi posset exprobrare, potissimum illius opus mancum, ac decurtatum prodiisse, ipsúmque *cæpisse ædificare*, sed non potuisse addito fastigio consummare. Nos verò hic Dei operibus, & quarto libro coronam imponamus. Luc. 14. 30.

Digitized by Google

LUX FIDEI
IN NUPTIAS VERBI,
ET ECCLESIÆ.

LIBER QUINTUS.

DE DESPONSATIONE VERBI, & Æthiopissa, idest, De Incarnatione.

IN TERTIUM SYMBOLI ARTICULUM: *& in JESUM Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum*; & in primam partem quarti: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*

CAPUT PRIMUM.

Deum hominem fieri maximè conveniens fuisse.

Verbi Incarnatio maximum est opus Dei ad extra.

ABASS. Æthiopissam connubiali lege dedolatam, ab auspice commendatam, à testibus probatam, & nuptiali mundo exornatam, ne sponsi manum teneat, quid remoratur? *Rom.* Dictum, factum. *Cant.* 2. 6. *Læva sponsi sub capite ejus, & dextrà illius* eamdem amplexatur. Nec tantùm amplexatur, sed factus est cum ea idem os, & eadem caro. *Verbum sponsus*, inquit D. Augustinus; *& sponsa caro humana*; *& utrumque unus Dei Filius, & idem Filius hominis.* Quam admirabilitatem super omnia mirabilem; & stupendam supra cunctas novitatem indicant illa Symboli verba, quæ huic libro subjicient commeatum: *Qui conceptus est de Spiritu sancto*; illis Jeremiæ accinentibus: *Novum creavit Dominus super terram*; Dei, scilicet, in Virginis uterum invectionem, & humanæ carnis assumptionem. Undè addit: *Fœmina circumdabit virum.* Dicitur autem opus istud creatio, quia tunc Deus, ut ait D. Cyrillus, *carnem de novo creavit, & ille, qui est super omnem creaturam, numeratus est cum creaturis.* Habet etiam exactæ creationis (quæ fit è nihilo) rationem, quia natura humana nullis anteà meritis perculta (*quid enim*, ait D. Augustinus, *mereri poterat, quæ necdum erat?*) ad Dei consortium est evecta. Est etiam opus ad extra, & ut loquitur Isaias, à Deo *peregrinum*; vel quia *unigenitus, qui erat in sinu Patris*, ab eo *exiens venit in mundum*, & *inventus est foris*, ut sponsa efflictim deperibat; vel quia, ut tradit D. Cyrillus, *carnem ab extra induit, quæ foras numquam est amplius egressura.*

D. August. tract. 8. in Joan.

Jerem. 31. 22.

D. Cyril. p. 34. n. 8. & p. 44. n. 1.

D. August. serm. 8. de Verbis Apostoli. *Isai.* 28. 21. *Joan.* 1. 18. & 16. 28. *Cant.* 8. 1.

D. Cyril. p. 44. n. 1.

2. *Abass.* Mysterii tanta novitate, & admirabilitate stupendi aliquam precor mihi objicias delineationem. *Rom.* Nil mihi æquè optandum, si votis vires pares essent. *Opera enim Dei revelare, & confiteri honorificum est*; Sed illa me deterrent verba D. Gregorii Nysseni: *Incarnatio Christi est mysterium investigabile, & inscrutabile*: Et illa D. Procli Constantinopolitani: *Dispensatio humanitatis Christi Domini nostri investigabilis est, quamvis illam cogitatione tua inquisieris.* Quidquid tamen potero, enitar, & illum, qui ad hujus mysterii manifestationem os Zachariæ præclusum reseravit, orabo (faxit ipse, ut exorem)

Difficillimum est de hoc mysterio agere. *Tob.* 12. 7.

D. Gregor. Nyss. p. 4. n. 6.

D. Heraclid. p. 5. n. 1.

Luc. 1. 64.

Digitized by Google

exorem) ut ad illud eloquendum linguæ meæ balbutiem dissolvat.

Incarnatio impossibilis non fuit.

3. *Abass.* Ut hinc ordiamur ; adeò inusitatum , & magnum est hoc opus , ut factu impossibile videatur , Deum hominem fieri ; Altissimum cum infimo ; Creatorem cum creatura complicari. *Rom.* Arduum quidem est , & humanæ menti impensè abruptum , sed de eodem dixit Angelus : *Quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.* Ut enim in creatis impossibile non est , animam incorpoream naturaliter cum corpore connecti ; sic non erit divinitùs , Verbum cum anima humana , & illius interventu cum corpore colligari ; *cùm duarum rerum incorporearum* , idest , Verbi , & animæ (inquit D. Augustinus) *conjunctio facilius credi debeat , quàm unius incorporeæ , & alterius corporeæ.* Ut etiam impossibile non est , tres Personas unius divinitatis vinculo adstringi ; & Christi corpus , & sanguinem , ipsáque adeò panis , & vini accidentia nullius substantiæ lectisternio in Eucharistia fulciri ; ità impossibile non est , humanam naturam cognatâ subsistentiâ carere ; & duas naturas , divinam , atque humanam unius Verbi Personæ communitate copulari.

Luc. 1. 37.

D. August. Epist. 3. ad Volusian.

Probrosum non est, Deum hominem fieri.

4. *Abass.* Ut non sit impossibile humanæ naturæ Deum adscribi , probrosum tamen videtur , novem menses fœminei uteri angustias , partûs fastidia , aceretionis moras , flagrorum , cædis , atque sepulturæ ignominiam tolerare. *Rom.* Summatibus nec in opprobrium , nec in statûs imminutionem cedit , si ad pauperes , ærumnisque conflictatos à miseriis sublevandos , majestatis suæ fasces paululùm demittant ; nec Regi , cui nemo par tota ipsius ditione reperitur , dedecorum est , honestam aliquam puellam , ut ipsam , & totam ipsius familiam nobilitet , mattrimonio cooptare. *Ne curationis modum* , inquit Theodotus Ancyranus in Oratione , cujus partem vester Liber continet , *in contumeliam vertas , neque Medico improperes , si in corporis humilitate constitutus , tuam operatus est sanitatem. Non est illa humilitas ignominiæ conjuncta , sed certum illius erga nos humanitatis argumentum.* Et Orat. 2. *Nihil abjectum , aut vile , quod nostri causa assumpsit , ullam ignominiam illi irrogat. Inferiora quædam assumpsit , non ut suam naturam contaminet , sed ut nostram salvet.* Sic etiam sibi nos arctioribus charitatis nexibus adstrinxit. *Plus* , inquit D. Aforosius , *Domine JESU injuriis tuis debeo , quòd redemptus sum , quàm operibus , quòd creatus sum.*

Theodot. Ancyr. Orat. 1. in Concil. Ephes.

Idem Orat. 2.

D. Ambros. lib. 2. Comment. in cap. 2. Luc.

5. *Abass.* Si Deo procliye fuit , in humanam naturam se induere , dici etiam poterit , Deum cæpisse , & ab antiqua dignitate excidisse , ac proindè esse mutabilem ; quod lib. 2. cap. 15. num. 1. es inficiatus. *Rom.* Deum hominem esse cæpisse , annuo ; si incæptio in naturam humanam , quem mutatio afficit , non in Personam , vel divinitatem , quæ sunt immutabiles , referatur. Ità apud vos D. Deonaceos Areosfagos : *Qui non habet principium , factus est sub tempore , indutus substantiam nostram.* D. Attifos : *Qui non habet principium in divinitate sua , factus est caro perfecta.* D. Gregorius Nyssenus : *Est primus , qui non habet principium , & nunc fuit in numero temporis.* D. Gregorius Nazianzenus : *Unus est visibilis , & invisibilis ; qui non habet principium , & habet principium.* Et alibi : *Primus , qui est à principio , sine principio : factus est modò habens principium.*

Per Incarnationem cæpit Deus, homo esse, non Deus.

D. Dionys. Areop. p. 1. n. 8.

D. Atticus p. 1. n. 6. ; D. Greg. Nyss. p. 2. n. 5. D. Greg. Naz. p. 4. n. 25. p. 5. n. 10.

6. *Abass.* Occurrúntne tibi aliquæ similitudines , quæ ostendant , Verbum , cùm divinitatis initium , & sui mutationem Incarnatione non admiserit , principium in humanitate fortitum ? *Rom.* Quatuor accipe. Prima : Si Regi , postquàm multos annos regnum aliquod administraverit , alterius fiat accessio , numquid ipsum mutatum , & non potiùs novum illud regnum ad ipsum transiisse arbitraberis ? Secunda. Locone columna cedit , quæ domum immota sustinet ; an tu , qui variis circa illam mæandris ludens , nunc eam dexteram efficis , nunc sinistram ? Tertia. Numquid à tua natura descisci's , cùm novo indumento obtegeris , an ipsum tibi accrescit ? Quarta à Theodoto commendata. Quemadmodùm tuæ mentis verbum nulla mutatione percellitur , si illud membranâ exaraveris , sic Dei Verbum , ex eo , quòd se carni , tamquàm membranæ addixit , nulla fuit vertigine conturbatum.

Similitudinibus ostenditur, Deum cæpisse hominem esse, non Deum; nec à sua natura mutatum.

Theodot. Ancyr. Orat. 2.

7. *Abass.* Possétne Deus opem hominibus afferre , nisi ad eos homo factus descendisset ? *Rom. Poterat* , inquit D. Athanateus , *sine ullo adventu Christi solummodò loqui Deus , & solvere maledictionem ; sed hic spectandum est* , quid *hominibus sit utile , non quid situm in Dei viribus.* Nulli enim medio visibili exhibendo Deus obstrictus erat , sed solo interiori misericordiæ suæ appulsu hominibus posset auxiliari ; vel hominem , ad eos à delictis extrahendos , sicut Moysem ad Hebræos ab Ægypto vendicandos , delegare : Id tamen ipsius sapientiam decedebat. Homines enim à peccatis extricare non posset , qui eisdem esset innodatus. Solus Dei Filius , quem nemo *arguere* poterat *de peccato* , & *à peccatoribus* erat omninò *segregatus* , venire poterat , ac tandem *venit in mundum* , ut ait D. Paulus , *peccatores salvos facere.* Sic apud vos D. Julius Pontifex Romanus : *Purus homo non potest mundum salvare. Sicut David dixit : Quis est homo , qui vivit , & non videbit mortem : eruet animam suam de manu inferi ? Qui non potest animam suam salvam facere , quomodò salvabit animam alterius ? & qui non potest unum salvum facere , quomodò potest salvum facere totum mundum ?* D. Epiphanius : *Scions , quòd in ipsius sanguine salvabuntur , qui infirmabantur ad mortem , non misit Apostolum , neque Prophetam , sed ipse sumpsit carnem passibilem , & verè passus est.* D. Joannes Chrysostomus : *Quia hominum substantia divisa est à Deo in omni tempore Sanctorum , & Patrum , & Prophetarum ,*

Purus homo mundum salvare non poterat.

D. Athanas. Orat. 2. contr. Arian.

Joan. 8. 46. Heb. 7. 26.

1. Tim. 1. 15.

D. Abolid. p. 8. n. 2.

Ps. 89. 49.

D. Epiphan. p. 9. n. 1.

D. Joan. Chrysost. p. 11. n. 6.

Digitized by Google

tarum, & Legis; & omni, quod fuit ante nos; & ex eo, quòd prævaricatus est Adam; nullus ex eis potuit nos propinquos Deo facere, donec venit Deus Verbum potens in omnibus, & appropinquare nos ipsi fecit in carne, quam sumpsit ex nostra substantia.

Angelus etiam mundum salvare non potuit.

8. *Abass.* Esto ad salvandos homines nullum hominem ex eadem perditionis massâ Deus selegerit, cur tamen ad illud munus aliquem Angelum sincèrioris naturæ, & nullius peccati nævo contaminatum non destinavit? *Rom.* Quamvis Angeli nacti sint impollutam, intaminatámque naturam, principiò tamen, ut dictum est lib 4. cap. 4. num. 14. & cap. 6. num. 4. ad peccatum ductiles fuêre; undè illos mitti æquum non erat ad omne naturæ humanæ peccatum funditùs abolendum. Prætereà, Angelus serpentis exuviis, & fraudibus armatus homines transversos egit; si ergo posteà Deus Angelum mitteret humanâ facie lenocinantem, vereri possent homines, ne velut anguis in herba, ullæ technæ sub illa specie laterent. Quam rationem vobis tangit Divus Cyrillus: *Quia genus humanum afflictum fuit a diabolo, & Angelis ejus, conveniens non erat, Deum in æternum corruptionis ipsius oblivisci; sed optavit, ut salvaretur; & conveniens non fuit, ut ab ullo alio salus fieret. Et ideò misit Filium suum, qui ejus est sapientia, ut caro fieret in utero Virginis.* Et alio loco; *Isaias Propheta dicit: Non est intercessor, neque Angelus, sed ipse Dominus, qui venit, & salvavit nos; nec salvavit in sanguine alieno, neque per mortem hominis, sed in sanguine suo tantùm, & non alterius.* Tandem, ut Deus arctiùs sibi humanam naturam devinciret, nec Angelis, nec hominibus illius curationem, sed sibi commisit; hoc enim inventum maximè conveniens fuit omnium, quæ ipse ex sapientiæ suæ archiviis proferre posset.

D. Cyril. l. 37. n. 7.

D. Cyril. p. 45 n. 1. *Isai.* 63. 9. *Juxta* LXX.

Conveniens fuit Deum Incarnari.

9. *Abass.* Cui maximè conveniens fuit, homini Deum carne assumpta adglutinari? *Rom.* Ipsi Deo, Angelis, omnibus creaturis, ac præsertim hominibus. Addo ad dependendam justam pro peccatis satisfactionem, ad quam homines obærati tenebantur, non solùm conveniens, sed omninò necessàrium fuisse, ut Deus in hominem insereretur.

Ipsi Deo conveniens fuit Deum Incarnari.

10. *Abass.* Cur Deo conveniens fuit, ut naturam sibi humanam copularet? *Rom.* Illud cuique apprimè conveniens est, quod ipsius naturam condecet; Deus autem naturâ summum est bonum; qui, quatenùs bonum, teste Divo Deonaceo, temperare sibi non potest, quin ad alia beneficiorum largitione diffundatur; quatenùs summum, se etiam summè ardet impendere. Cùm autem suam in creaturas benignitatem priùs creatione disseminaverit, superest adhuc communionis gradus restabat, quem Incarnatio invexit; ut aliquam sibi ex iis unius, imò trium Personarum communitate sociaret. Licèt enim Verbi Persona basis fuerit Incarnationis, *in ea*, (quod prodit idem Deonaceos) *nobiscum duæ aliæ communicârunt.* Deo etiam conveniens fuit carnem sumere, quia in illius molitione omnes divinæ proprietates longè, latéque fulserunt. Misericordia; dum hominem, illius miserias amplexus, ab earum illuvione vendicavit. Gratia, dum naturæ humanæ nullo meritorum pretio commendatæ unionem hypostaticam, quæ summa est omnium gratia, ingessit. Charitas; dum Pater, & Filius ità certatim mundum dilexêre, ut ille *Filium suum unigenitum daret*; iste *dilectam animam suam manibus inimicorum*; & pro inimicis, qui summus est charitatis apex, exposuerit. Omnipotentia; *quia faciens potentiam in brachio suo*, cœlum terræ miscuit; & ea patravit mirabilia, quæ humana ratio investigare nequit; & *in quibus* (ut ait D. Augustinus) *tota facti ratio est potentia facientis.* Sapientia, *cùm factus in similitudinem carnis peccati de carne damnavit peccatum.* Justitia, dum pro hominum debito perfectæ compensatio intercessit, & debellator primi hominis diabolus secundi fuit objectu debellatus; & dum solam carnem vorare se putat, *hamo divinitatis transfixus.*

D. Dionys. p. 1. n. 7.

Joan. 3. 16.

Jer. 12. 7.

Joan. 15. 13. *Luc.* 1. 51. D. August. Epist. 3. ad Volusian.

Rom. 8. 3. D. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 27.

Angelis utilis fuit Incarnatio.

11. *Abass.* Quid Angelorum rationibus Incarnatio conducit? *Rom.* Plurimas in cœlo sedes vacuas Angelorum fecit ruina, quas hominibus in illud Christi beneficio subvectis complere Deus intendebat; quod innuit Divus Paulus, cùm dixit: *Instaurare omnia in Christo, quæ in cœlis, & quæ in terra sunt.* Prætereà, *Angeli sunt administratorii spiritus*, in hominum incolumitatem, & salutem à Deo destinati; quod munus ne dedignentur, sed sollicitè ambiant, humanam ipse sibi naturam adjunxit; qua ex coagmentatione tantùm universorum hominum cœtus allurrexit, ut de illo Psaltes cecinerit: *Minuisti eum paulò minus ab Angelis*; Imò ità superior illis factus est, ut quidam Joannem à sui adoratione repressèrit, indignum censens, ut, postquàm Deus homo factus est, posterior Angelis homo videtur. *Nam Creator*, inquit Divus Athanasius, *formam servi in se receptam, præstantiorem Angelis, & omnibus creaturis ostendebat.*

Eph. 1. 10. *Heb.* 1. 14. *Ps.* 8. 6. *Apoc.* 22. 9. D. Athanas. de salut. Christi advent. contra Apollin.

Omnes creaturæ Incarnationis nobilitate.

12. *Abass.* Quid in cæteras creaturas commodi ex Incarnatione defluxit? *Rom.* Cùm homo corpore, & spirituali animo constet, omnium creaturarum, quæ aut spirituales sunt, aut corporales, cognationem contraxit; quæ omnes, cùm Verbum humanam sibi naturam adjunxit, in admirabilem gloriam sunt evectæ, sicut omnes alicujus familiæ consanguinei, & affines, cùm ex illa Regi aliqua fœmina despondetur. Quò alludens Divus Cyrillus, *Credimus*, inquit,

Digitized by Google

D. Cyril. p. 55. n. 12. & lib. Anathem. contra Theodoret.

inquit, *ipsum esse elevatum super omnes creaturas, & factum fuisse unum cum illis omnibus, quando factus est homo perfectus.*

Magna gloria humanæ naturæ in Incarnatione.

13. *Abass.* Quo pacto homini conveniens fuit, ut in ipso Verbum inhabitaret? *Rom.* Ingentem indè gloriam; & utilitatem humana natura reportavit; & ut à gloria ordiamur; omnium hominum natura una est, & eadem, ut aiunt D. Athanateus, Aforosius, Chrysostomus, & Damascenus. Si una est, & eadem, cùm Verbum Christi carnem ad habitaculum elegit, *in nobis* etiam, ut dixit Joannes, *habitavit*, qui ex D. Paulo: *Participes Christi effecti sumus*; & Divus Athanateus in vestro Libro: *Caro Domini, caro vera est, & una cum carne nostra.* Divus Joannes Chrysostomus: *Facti sumus unum cùm ipso, quando facti sumus participes communionis carnis ejus.* Et D. Gregorius Thaumaturgus: *Persona Filii est nostra communicatio, quia unus est ex duobus; scilicet, ex divinitate, & humanitate.* Ubi nota, sicut num. 10. diximus ex D. Deonaceo, duas alias Patris, ac Spiritus Sancti Personas nobiscum in Personam Filii ob deitatis unitatem, ità tradi à D. Gregorio Thaumaturgo, omnes hominum personas ob humanitatis similitudinem cùm Verbo (imò adde cum aliis Trinitatis Personis) communicare, & in divinam naturam transformari. Idem D. Gregorius Thaumaturgus: *Verbum Dei factum est caro propter salutem nostram, ut indueremus imaginem cœlestis, & imago Filii Dei veros deos nos faceret.* D. Gregorius Armenius: *Factus est, sicut nos, ut nos faceret deos.* Theodotus Ancyranus: *Factus est quod ego, ut meam naturam ad suam dignitatem elevaret. Unitas enim hoc facit, quæ alterius sunt, conjungens. Propterea ergo, cùm Deus esset, homo factus est, ut homo fieret Deus, hac copulatione ad divinam gloriam elevatus.* Vide D. Basilium infrà cap. 24. n. 150.

D. Ambros. lib. 1. de Fid. cap. 2. & lib. 4. cap. 2. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 3. D. Chrys. hom. 80. in Matth. *Joan.* 1. 14. *Heb.* 3. 14. D. Athanas. p. 1. n. 97. D. Chrys. p. 2. n. 25. D. Greg. Thaum. p. 2. n. 4. D. Dionys. Areop. p. 1. n. 27. D. Greg. Thaum. p. 2. n. 6. D. Greg. Armen. p. 2. n. 8. Theodot. Ancyr. Orat. 3.

Quinque maximæ utilitates, quæ hominibus ex Incarnatione accesserunt. D. Cyril. p. 52. n. 63. 64.

14. *Abass.* Quænam utilitates humanam naturam ob Incarnationis auctuarium locupletârunt? *Rom.* Plurimæ; sed quinque tantùm manifestiores ex vestro Libro recensebo. Primam reddit D. Cyrillus: Quia impactam primùm in Adæ filios maledictionem, Dei Filius, Adæ filius redditus avertit. *Quando*, inquit, *peccavit Adam, Deus à se dimisit substantiam humanam, & comprehensa est sub maledictione; & descendit Verbum Dei, fratribus suis assimilatum, ut illam maledictionem, & corruptionem priorem everteret.* Secunda. Hoc modo Deus mundum idololatriæ sordibus expurgavit; cùm enim priùs homines, tamquàm deos, seductus coleret, nunc Deum hominem verè factum sine erroris periculo adoravit. *Quia Gentes*, inquit D. Gregorius Armenius, *dilexerunt formam, & similitudinem hominis ex lignis, qua fabricati sunt, propter hoc ipse factus est in forma hominis verè, ut ipsum viderent fabricatores formarum, & similitudinum, & servirent similitudini divinitatis.* Tertia. Dei conspectum sic homines perhorrescebant, ut Hebræi Moysi dicerent: *Loquere tu nobis, & audiemus: non loquatur nobis Dominus, ne forte moriamur.* At ubi *in terris visus, & cum hominibus conversatus*, ait Petrus: *Quo ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Suscepit carnem nostram* (inquit idem D. Gregorius) *ut homines ad se traheret factus ipsorum consanguineus.* Quarta. A Deo facto homine suorum corporum, atque animarum morbis antidotum homines sumere potuerunt, & (cùm Deum in propria substantia videre nemo possit) magistrum, à quo viam veritatis edocerentur, intueri. Idem Pater: *Quia*, inquit, *non potest homo videre faciem Dei, & vivere, factus est in forma hominis, ut homines digni fierent, qui viderent illius divinitatem; donec videamus consanguineum carnis nostræ.* Quintam commendat Divus Augustinus; *ut homines Deum in humano corpore contemplantes & corpore, & animo beati redderentur.*

D. Greg. Armen. p. 1. n. 9. Vide infrà c. 14. n. 299. ex D. Joan. Chrys.

Exod. 20. 19. Baruch. 3. 38. *Joan.* 6. 68. D. Greg. Arm. p. 3. n. 2. *Exod.* 33. 20. D. Greg. Arm. ibid. n. 3. D. August. in Medit.

Solus Deus homo factus dignam satisfactionem pro hominum peccatis offerre potest.

15. *Abass.* Quid illud, quod ulteriùs addidisti: si Deo pro peccatis satisfactio esset offerenda, non solùm conveniens, sed omninò necessarium fuisse, ut Deus homo factus eamdem exhiberet? *Rom.* Duæ ad confertam satisfactionem conditiones exiguntur. Prima, ut solutio debiti gravitatem exæquet. Secunda, ut idem, qui injuriam irrogavit, eamdem oblatâ satisfactione compenset. Cùm igitur homo in Deum fuisset injurius, idem etiam reddendæ satisfactioni mancipatus tenebatur; sed æquam rependere nunquàm valeret. Ut enim digna sit solutio: ipsa, & injuria paribus debent momentis librari, cùm ergo injuria sit infinita, utpote in Deum summè augustum, potentem, ac bonum admissa, à quovis homine, cujus omnia opera (ut quæ personæ mensuram sequantur) restrictæ, ac limitatæ sunt virtutis, nequit æqualis satisfactio exiberi. Oportebat ergo, ut divina aliqua Persona humanam sibi naturam consociaret, & illius debita resarciret. Sic enim tantùm par esse poterat compensatio, dum illam infinita Persona, quæ simul esset homo, offerret; & impactam Deo ab homine offensam homo ipse expungebat. Quam rationem D. Anselmus ad compendium ità collegit: *Hanc solutionem solus homo debet, sed solus Deus solvere potest. Opus ergo fuit, ut Deus homo fieret, ut homo perfectè solvere posset.* Quam etiam tetigit D. Proclus: *Cùm esset Deus, factus est homo sine mutatione, & solvit debitum, quod erat super omnes filios hominum.* Et D. Epiphanius: *Factus est homo, qui est Dei Verbum, ut propter divinitatem suam salutem nobis daret, & propter humanitatem sicut homo pro nobis moreretur.*

D. Anselm. lib. 2. Cur Deus homo cap. 3. D. Heraclis p. 3. n. 19. D. Epiph. p. 9. n. 13.

16. *Abass.*

Digitized by Google

Nulla creatura etiam à Deo quantacum. quæ gratiâ ornata, ipsi dignè satisfacere posset.

16. *Abaſſ.* Poſſétne Angelus, vel alia creatura, cui Deus ampliores in infinitum gratiæ cumulos erogaret, à ſuis debitis humanum genus digna ſolutione liberare? *Rom.* Operum valor, ac dignitas perſonæ illa offerentis præſtantiæ reſpondent. Cùm ergo creata quælibet perſona, & gratia illi quoſlibet in cumulos collata, finitæ ſint, finita quoque ſunt opera, & ipſorum pretium. Nullius ergo creaturæ facta, ſive illa homo ſit, ſive Angelus, Deum poſſunt ex æquo demereri.

Hebr. 10. 4. Hinc D. Paulus: *Impoſſibile eſt*, inquit, *ſanguine taurorum, & hircorum auferri peccata.* Licèt enim Deus in veteri Lege aliquorum ſacrificiorum obtentu peccata remitteret, non id quidem ex ipſorum, vel ex litantis dignitate proveniebat, nec provenire poterat (*quoniam & ipſe*, ut ait idem Apoſtolus, *circumdatus eſt infirmitate, & quemadmodùm debet pro populo, ità etiam pro ſemetipſo offerre pro peccatis*) ſed ex Dei miſericorditer acceptantis æquitate. Solus ille, qui ob divinæ Perſonæ excellentiam fuit *ſanctus, innocens, impollutus, ſegregatus à peccatoribus, & cœlis excelſior*, ex D. Paulo, eſt etiam *propitiatio pro peccatis noſtris; non pro noſtris autem tantùm, ſed etiam pro totius mundi*, ex Joanne. Nec æqualem, ſed valdè exaggeratam, & ſupereffluentem compenſationem protulit, quæ delicti graviteatem longo intervallo ſuperavit. *Non ſicut delictum*, inquit D. Paulus, *ità & donum. Si enim unius delicto multi mortui ſunt, multò magis gratia Dei, & donum in gratia unius hominis, JESU Chriſti, in plures abundavit.* Et inferiùs: *Ubi abundavit delictum, ſuperabundavit & gratia.*

Hebr. 7. 26.

Heb. 5. 2. 3.

1. *Joan.* 2. 2.

CAPUT II.

Convenientius fuit à Deo humanam naturam, quàm quamvis aliam aſſumi; & ſecundam Trinitatis Perſonam, quàm quamvis aliam incarnari.

Cur Deus ſolis, vel ſtellarum naturam non aſſumpſerit?

1. *Baſſ.* Abundè mihi his, quæ de Chriſti ſatisfactione dixiſti, ſatisfactum; ſi tamen ſuis ſe creaturis impendere Deus flagrabat, cur non naturam aliquam incorruptionis compotem, nempè cœlum, ſolem, vel ſydera, ſed caducam delegit? *Rom.* Ità quidem facere in promptu erat, ſi collibuiſſet; ſed ad creaturas deſcendere, non ex jactantia, vel ambitione, ut iis terrori eſſet, profectum; ſed ex benignitate, ut illas facilitate prolectaret. Idcircò naturam humanam corruptioni, & peccato ſubditam apprehendit, ut illi & medelam conferret, & exemplum. *Exemplum*, inquit, *dedi vobis.* Quod præſtare non poſſet, ſi ſolis, lunæ, vel ſtellarum naturam ſibi induceret; illa enim homines abſterreret, non invitaret. Tandem, cùm Deus vita ſit per eſſentiam, quorsùm res illius ſpiritu carentes eſſet apprehenſurus?

D. Iuſtin. Martyr. in quæſt. ad Gent.

Ioan. 13. 15.

Cur avium, vel animantium naturam non aſſumpſit.

2. *Abaſſ.* Ad profundioris ergo modeſtiæ exemplum mundæ alicujus alitis, vel animantis; ut columbæ, vel aquilæ, vel leonis, vel rhinocerotis naturam ſibi adaptaret. *Rom.* Quis cuſpidatum rhinocerotis cornu, leonis jubas, & ungues, & aquilæ aduncitatem non perhorreſceret? Quis columbæ ſimplicitatem, & imbelliam non contemneret? Præterea, aves, & animantia ſola vita ſenſitiva vegetat; Deum verò, qui ſummè intellectualis eſt, decebat intellectualem aliquam (qualis erat humana) conſectari, nam rationalis anima illex fuit, ut ſe in illam rationale Patris Verbum, tamquàm ſiticuloſum ingurgitaret.

Cur Angelicam naturam Deus non aſſumpſerit?

3. *Abaſſ.* Secundùm tua dicta æquius eſſet, ut Deus Angelicam naturam, quæ ex aſſe rationalis eſt, cooptaret, quàm humanam, quæ ex duobus fruſtulis, altero rationali, altero belluino coagmentatur. *Rom.* Non, ut majeſtatis ſuæ oſtentum faceret, ut jam inculcavi, ſed ut clementiæ documenta præberet, par erat, ut ſuis ſe creaturis Creator implicaret. *Non veni*, inquit, *vocare juſtos, ſed peccatores.* Angeli verò, qui peccato abſtinuerunt, gratiæ perennitatem à Deo recepère, nec redemptionis beneficio indigebant. *Non enim eſt opus valentibus Medico, ſed malè habentibus.* Deſertores autem in peccato obfirmati, quamvis medicinam reſpuebant. Ideò inutilis eſſet Angelicæ, utiliſſima autem humanæ naturæ aſſumptio. Prætereà, quilibet Angelorum in propria perſona vivus, vidénſque inſigni pervicacià Dei mandatum eſt tranſgreſſus; homines verò in uno, qui per errorem lapſus eſt; *Per unum hominem*, inquit Paulus, *in omnes homines mors pertranſiit, in quo omnes peccaverunt.* Ideò juſtum fuit, caput unum ſalutare conſtitui, undè ſanitas in omnes diffunderetur. *Quia ſicut in Adam omnes moriuntur, ità & in Chriſto omnes vivificabuntur.* Ulteriùs, Angeli erectà contrà Deum cervice currentes omnem curationem eludebant; ſed homo illicò poſt peccatum rubore ſuffuſus ad arborum opacitatem, & foliorum integumenta confugit; qua de cauſa *nuſquàm Deus Angelos*, ait Paulus, *ſed ſemen Abrahæ apprehendit.* Cujus ſententiæ ea vis eſt, ex D. Chryſoſtomo, quòd peccantes Angeli in fugam adeò effuſam ſe dedère, ut Deus illorum voluntati victrices manus injicere vix potuerit, & planè noluerit; homines autem ſic meticuloſè terga verterunt, ut *ovi erranti*, & paſtorem balatu ſollicitanti ſimiles evaſerint; quam ille humeris impoſitam, nonaginta novem, Angelos ſignificantibus, in deſerto relictis, gaudens in caulas reportavit.

Matth. 9. 13.

Matth. 9. 12.

Rom. 5. 12.

1. *Cor.* 15. 22.

Heb 2. 16. D. Chryſoſt. p. 2. n. 5.

Pſ. 118. 176. *Luc.* 15. 4. 5.

Divinitas, & aliæ duæ Perſonæ carnem ſumere poterant, ſed ſolus Filius eſt Incarnatus.

4. *Abaſſ.* Si quidem conveniens Deo fuit, humanæ naturæ involucro ſe occultare, illóne divinitas, an tres Perſonæ, an una tantùm fuit obducta? *Rom.* Deo præciſè, ut Deus eſt, ac proindè divi-

Digitized by Google

pitati (quæ ut dictum est lib.2. cap.2. n.13. idem est, quod Deus, additâ tantùm humani intellectûs concipientis distinctione, quæ rerum naturam non immutat) carnem assumere non adversabatur. Tunc verò omnes Personæ carnem essent gestaturæ, de quibus essentialiter dicitur, quidquid de Deo, vel divinitate affirmatur. Possent etiam tres Personæ, vel duæ carni se addicere, quin eidem divinitas adstringeretur. Ut nunc est indubitatum, ad solam Verbi Personam Incarnationem terminatam, quod illa Joannis verba demonstrant: *Verbum caro factum est.* *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et illa D.Pauli: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Missa facio plura Scripturæ testimonia, quibus docetur, Filium in carnem se induisse; iis verò Patres addunt, non Patrem, neque Spiritum sanctum, sed solum Filium illam sibi advexisse.

Ioan.1.14. *Ioan.3.16.* *Rom.1.3.* *Galat.4.4.*

Solum Filium Incarnatum Patrum testimoniis ostenditur. D. Ignat. p.1.n.3.

5. *Abass.* Aliquod ex iis testimonium producito *Rom.* D. Agnateus: *Habitavit*, inquit, *in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ, Domine nostræ propter unionem divinitatis cum humanitate; quæ est in Filio, & non in Patre, neque in Spiritu sancto.* *Neque unquàm dicimus, eas duas Personas habitasse in utero Virginis ad Incarnationem; sed tantùm Filium, qui est una, ex tribus Personis.* D. Deonaceos Areosfagos: *Ex nobis omninò, ut verè essentiam Deus Verbum assumpsit; se ipse, & passus est ea omnia, quæ humanæ ejus actionis præcipua sunt, & singularia.* *Hæc enim nulla ratione communia sunt Patris, & Spiritus sancti.* D. Cyrillus: *Nescimus ullo modo Patrem, & Spiritum sanctum carnem induisse, aut in carne pugnasse; sed Filium unigenitum, Verbum, qui est imago Dei Patris, & æqualis ipsi, tantùm humiliatum fuisse, & sumpsisse formam servi, & apparuisse in carne, & in ipsa certavisse.*

D. Dionys. de Divin. nom. cap.1.

D. Cyril. p.38.n.1.

Quî fieri potuit, ut Filio carnem sumente, duæ aliæ Personæ non incarnarentur?

6. *Abass.* Si tres Personæ ejusdem sunt compotes divinitatis, & sibi mutuò insident, ut lib.3. cap.5. n.14. statuisti, quî fieri potest, ut Filio in carnem dejecto, in eam aliæ non irrumpant? *Rom.* sicut eædem Personæ unius naturæ consortes, & tanta, se invicem copulatione permeantes, ut totus in Patre sit Filius, & totus in Filio Pater, & Spiritus sanctus in utroque: nullâ confusione transmutantur, sed proprietates suas adeò illibatas conservant, ut Pater non sit Filius, nec Filius Pater, nec Spiritus sanctus in Patris, & Filii relationem demigret; nec Pater generetur, sed generet; nec Filius generet, sed generetur; nec Spiritus sanctus producat, sed procedat, quia illæ functiones non naturam, sed Personas consequuntur; sic Filio carnis amictum in personali proprietate, non in naturæ communitate sibi adaptante, illum sibi duæ aliæ Personæ non arrogârunt. Ut enim vobis tradit D. Cyrillus: *Quidquid est in Patre, vel Spiritu sancto, est in Filio; & non separatur in ullo opere, præterquàm in proprietate nominis sui.* Et Concilium Tolet. VI. *Cùm tota corporata sit Trinitas formationem susceptæ hominis (quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis) solus tamen Filius susceperit humanitatem in singularitate Personæ, non in unitate divinæ naturæ; id est, in eo, quod proprium est Filii, non quod commune Trinitati.* *Quoniam constat naturam Trinitatis esse, non tamen Personam.*

D.Cyril. p.51.n.62. Concil.Tolet. VI. in Confess. Fidei.

7. *Abass.* Aliquo mihi typo ostende, incarnari potuisse Filium, duabus aliis Personis non incarnatis; cùm omnes ejusdem naturæ communio connectat. *Rom.* Quatuor proponam. En primum. Dixi lib.3.cap.1.n.2. ab utroque Gregorio, Nazianzeno, & Nysseno Trinitatem aureæ catenæ tribus hamis consertæ comparari; Ut ergo totam catenam trahit, qui unum dumtaxat illius uncinum manu apprehendit; Sic etsi duæ aliæ Personæ Verbo insint, ipsum solum carnem sibi associavit, & in ea contrectatur. En secundum ex D. Augustino. *Citharam*, inquit, *respice; ut musicum melos sonis dulcibus reddat, tria pariter adesse videntur: ars, manus, & chorda; & tamen unus sonus auditur.* *Ars dictat, manus tangit, resonat chorda.* *Tria pariter operantur; sed sola chorda personat, quod auditur.* *Nec ars, nec manus sonum reddunt, sed ea pariter cum chorda operantur.* *Sic nec Pater, nec Spiritus susceperunt carnem; & tamen cum Filio pariter operantur.* *Sonum sola chorda excutit; carnem solus Christus accepit.* En tertium. Non rarò tres ex eadem radice rami pullulant, quorum unus tantùm floribus ridet, & fructibus ingravescit; & sola Aaronis virga amygdalis onerata processit, cùm reliquorum candidatorum scipiones ex eadem arbore decerpti, aridi permanerent; sic sola Filii Persona, ceu *virga de radice Jesse* egressa, humanitatis flore vernavit. En quartum. Frequenter duo homines vestem alterius coloris, quo ipsi carent, alii tertio inducunt; sic Pater, & Spiritus sanctus pontificalia Verbo indumenta concinnârunt; at ipsum solum, teste apud vos D. Heracli, *in Persona sua induit Sacerdotium secundum ordinem Melchisedech.*

Similitudinibus ostenditur, unam Personam sine aliis incarnari potuisse. D. Greg. Nyss. D. Greg. Naz.

D.August. serm.3.de Tempore; qui est 1. de Nativitate.

Num.17.8.

Isai.11.1.

D. Heraclis p.3.n.4.

Cur Verbum sit Incarnatum, non aliæ personæ?

6. *Abass.* Cur igitur sola Filii Persona se ad carnem bajulandam, non aliæ Personæ appulerunt? *Rom.* Plurimæ ipsum rationes permoverunt. Prima, ut confusio vitaretur. Si enim Pater, & Spiritus sanctus se in Beatæ Virginis alvũ conjecissent, illius Filii dicendi essent. Cùm autem Verbum ex vi suæ processionis sit filius, suspicari possent homines, duos in Trinitate filios numerari. Secunda. Opus erat, ut Persona, quæ pro hominum salute carnem sibi vendicaret, preces pro hominibus susciperet; æquius verò erat, ut Filius Patri, quàm Pater Filio supplicaret. Tertia. Oportebat, ut Persona, quæ carnem gereret, inter Deum, atque homines mediatrix existeret; ad quod munus aptior est illa, quæ inter Patrem, & Spiritum sanctum est media, quàm quævis alia extremarum. Quarta. Filius, ut dictum est lib.2.cap.13.n.7. imago fuit, ad cujus expressionem homo conditus; quam cùm is peccato deleviſſet, *illa*, inquit D.Gregorius Nazianzenus,

D. Greg. Naz. Orat. 38. de Nativit. & p. 5.n.16.

Digitized by Google

D. Greg. Naz. Orat. 38. de Nativit. & p. 5. n. 16.

Nazianzenus, *per omnia similis imago ad imaginem suam se confert.* Et infrà: *Divinam imaginem accepi, nec sartam, tectamque habui; ille carnem meam accepit, ut & imagini salutem, & carni immortalitatem afferat.* Quinta. Cùm Lucifer, & Angeli ipsius manipulares in peccatum sint provoluti, quòd Christum adorare, & humanam in ipso naturam honorare abnuerint, ut vidimus lib. 4. cap. 4. num. 15. par erat, ut Dei Filius in arenam descenderet, suámque, & hominum causam, quorum collectione instauranda est Angelorum ruinâ tueretur. Sexta. Cùm Deus summa suæ in humanum genus dilectionis documenta præbere constituisset, nullo id potuit argumento evidentiùs confirmare, quàm suum ipsis Verbum, quod Paulus vocat *filium suæ dilectionis*, impendens; cùm in rebus creatis nullum sit majus amoris, quàm hominum, & animantium in suam fœturam pondus. Hinc in Evangelio D. Joannes: *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Et in Epistola: *In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam Filium suum unigenitum misit in mundum.* Sed jam aliqua de hoc mysterio, quod nunc missio dicitur, nunc dispensatio, seu œconomia; nunc apparitio, nunc unio, & frequentiùs Incarnatio, delibemus.

Coloss. 1. 13.

Joan. 3. 16.

1. *Joan.* 4. 9.

Hoc mysterium dicitur missio.

9. *Abass.* Cur hoc mysterium missio appellatur? *Rom.* Duplicem divinum Verbum nanciscitur missionem; alteram æternam à Patris mente in ipsius sinum; alteram temporalem à Patris sinu in mundum; *non quidem locorum mutatione*, ut ait D. Cyrillus, *sed visibili manifestatione.* Æterna illa missio prior est: temporalis, posterior. *Primùm* enim, inquit D. Athanateus, *Filius à Patre mittitur, & tunc demum nascitur ex fœmina, Paulo dicente: Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Quorum duplicem hoc verbum in Verbo naturam denotat: æternam priori missione, & humanam posteriori comparatam. *Missus quidem*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *verùm ut homo (duplici enim natura constabat)* & D. Cyrillus. *Mittitur secundùm humanam naturam.*

D. Cyril. lib. 12. Thes. cap. 13.

D. Athanas. serm. de Sac. tiss. Deipara.

Galat. 4. 4.

D. Greg. Naz. Orat. 37.

D. Cyril. lib. ad Regin.

Dicitur etiam dispensatio.

10. *Abass.* Cur dispensatio, vel œconomia vocatur? *Rom.* Quod Latinis dispensatio, Græcis est œconomia: Idque nomen, quod vobis est *ferate*, vestris in Libris est frequentissimum; ut apud D. Nazianzenum. p. 4. n. 38. p. 5. n. 8. 15. D. Chrysostomum p. 2. n. 11. D. Cyril. p. 2. n. 32. p. 7. n. 13. p. 48. n. 37. p. 52. n. 69. Alib. p. 1. n. 1. Eo usus D. Paulus: *Quod*, inquit, *proposuit in eo in dispensatione plenitudinis temporum instaurare omnia in Christo.* Et inferiùs: *Illuminare omnes, quæ sit dispensatio sacramenti, abscondita à seculis in Deo.* Dicitur autem dispensatio, quia hujus exhibitione mysterii divitias suas Deus prodigè in homines dispensavit.

Eph. 1. 10. & 3. 9.

Dicitur etiam assumptio.

11. *Abass.* Cur dicitur assumptio? *Rom.* Quia hujus mysterii virtute humanam Deus carnem assumpsit, & ad summam gloriam evexit. Utroque enim assumendi verbum gaudét significato. Hoc usus est D. Paulus, cùm dixit: *Nusquàm enim Angelos apprehendit, sed semen Abrahæ apprehendit.* Innuit autem hoc nomen aliud esse, quod assumit, & aliud, quod assumatur: *Non enim*, inquit D. Athanateus, *ipsa se ipsam apprehēdit Deitas.* Et D. Gregorius Nazianzenus. *Ambo, nimirùm quod assumpsit, & quod assumptum est, duæ naturæ concurrentes, non duo filii*; licèt neutrum expressè assumendi verbum declaret.

Heb. 2. 16.

D. Athanas. Epist. ad Epict.

D. Greg. Naz. Orat. 31.

Unio quid sit.

12. *Abass.* Cur unio nuncupatur? *Rom.* Unionem sic definit D. Athanateus: *Unio est rerum secundùm naturam distantium communis convenientia.* Sic D. Cyrillus: *Unio est concursus, & conventus inæqualium, & dissimilium naturarum.* Et in Epistola ad Eulogium: *Ubi unitio dicitur, non unius rei declaratur conventus, sed duarum, vel plurium secundùm naturam.* Duo itaque unio secum invehit; unitatem illius rei, quæ ex distantibus, seu dissimilibus, in qua ipsæ sunt etiam unum, coalescit; & pluralitatem earum in se ipsis; quæ tamen plures non sunt actu, & reali separatione, sed potentiâ, & sola mentis distinctione. Quod lentiùs cap. 19. n. 11. & 12. explicabimus. Nūc quæ dicta sunt, exemplis manifestabo. Florū fasciculus unum quid est eorum collectione, in quo diversi in semetipsis flores visuntur re conjuncti, sed potentiâ, & cogitatione separabiles. Unus est homo ex anima, & corpore conflatus; cum quo corpus, & anima idem sunt, sed diversa in semetipsis; cùm nec corpus sit anima, nec anima corpus; nec tamen, dum simul sunt, re sejunguntur, sed sola mente (cùm hæc illorum distinctionem agnoscit) & potentiâ, cùm morte possint mutuò divelli. Unio igitur est Incarnatio, quia duæ naturæ dissimiles, ac distantes illius vinculo colligatæ unum Christum efficiunt; in quo ipsæ unum sunt, sed diversæ in semetipsis; cùm nec divinitas sit humanitas, nec humanitas divinitas, ut ibidem n. 5. ostendendum. Quæ tamen diversitas non oritur ex reali, sed solùm ex potentiali separatione, quam sola mentis acies internoscit. Undè dixit D. Gregorius Nazianzenus: *Ambo hæc* (ideſt divinitas, & humanitas) *unum sunt copulatione, non naturâ*; sicut Trinitatis Personæ unum sunt in divinitate, sed distinctæ in semetipsis.

D. Athanas. in lib. definit.

D. Cyril. ad Theodos. Imperat.

D. Cyril. Epist. 30. ad Eulog. Vide cap. 18. n. 4.

D. Greg. Nazianzen. Orat. 36.

Incarnatio est unio Verbi cum natura humana.

10. *Abass.* Cur dicitur Incarnatio? *Rom.* Quia *Verbum caro factum est.* Re autem idem sunt unio, & Incarnatio. *Est enim Incarnatio*, inquit D. Cyrillus, *vera Verbi cum humana carne conjunctio.* Et D. Leo: *Incarnatio est unitio divinæ, humanæque naturæ.* Differunt autem, ex D. Damasceno, quia *unio solam conjunctionem indicat, sed cum quo facta fuerit, non declarat. At Incarnatio cum carne rationali, sive homine copulationem ostendit; sicut ferri ardor, cum igne unionem.* D. Athanateus: *Dicere*, inquit, *Verbum caro factum est, explicatur in eo, quod fuit homo.* D. Epiphanius: *Cùm dicitur: Verbum caro factū est: ecce attribuitur ei, quidquid est in carne, excepto peccato.* Et D. Cyrillus: *Scriptura divina vocat hominē carnem.* Hac de causa Patres hoc mysterium nunc Incarnationis, nūc humanationis nomine donant. Utriusque verbi ener-

Joan. 1. 14.

D. Cyril. lib. ad Regin.

D. Leo. serm. 8. de Nativ.

D. Joan. Damas. lib. 3. de Fide cap. 10.

D. Athanas. p. 115. n. 110.

D. Epiph. p. 3. n. 84.

D. Cyril. p. 51. n. 44.

Digitized by Google

Concil. Nicæn. in Symbol. giam Patres Nicæni in suo Symbolo expressêre, cùm dixerunt: *Incarnatus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine, & homo factus est.* Dicitur etiam apparitio, & manifestatio, quia per illam *apparuit gratia, & humanitas Salvatoris nostri Dei, & magnum pietatis sacramentum manifestatum est in carne*, ut ait D. Paulus.

Tit. 3. 4. 2. *Tim.* 3. 16.

CAPUT III.

Agitur de ordine, & tempore Incarnationis; & declaratur quartus Symboli articulus: Qui conceptus est de Spiritu sancto.

Incarnationis mysterium in B. Virginis utero peractum.

1. *Abass.* Si Incarnatio est unitio divinæ, humanæque naturæ, ad exactiorem illius tractationem, precor, animum ut appellas? *Rom.* Cùm Beatissimæ Virginis uterus sit, ut testatur D. Heraclis, *unitarum inter se naturarum officina, thalamus, in quo Verbum humanam naturam sibi desponsavit, & terra sancta*, in qua primùm Dei in mundum ingredientis *pedes steterant*, id te admonitum velim, quod Moysem D. Bernardus: *Meritò quidem admiraris Moysen sanctè, & curiosiùs desideras intueri. Verumtamen solve calceamenta de pedibus tuis, & involucra pone carnalium cogitationum, si accedere concupiscis.* Eique salutem impertito illis verbis D. Heraclis. *O ager, ex quo nobis germinavit semen substantiæ sine semine. O templum, in quo Deus Sacerdos fuit, & non transiit ex sua substantia, sed in sua Persona induit Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech.* Nec ullus est Patrum, qui non consentiat, magnam Incarnationis visionem fuisse in Virginei ventris rubo manifestatam.

D. Procl. Orat. de Nativ. *Exod.* 3. 5. *Ps.* 131. 7. D. Bernard. serm. in cap. 12. Apocalyps. *Exod.* 3. 5. D. Proclus, p. 3. n. 1. *Ps.* 109. 4. *Exod.* 3. 3.

Probatur Patrum testimoniis.

2. *Abass.* Ob tantæ Virginis pietatem, & reverentiam aliqua mihi, oro, consentanea Patrum testimonia proponas. *Rom.* D. Agnateus: *Habitavit in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ, Domina nostra propter unionem divinitatis.* D. Athanateus: *Unitum est est Verbum carni, quam sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria, Domina nostra in una Persona divina, ex utero.* Sic enim legendum, non *in una substantia divina*, ut falsò vertit Interpres. D. Abolidîs: *Dicimus, carnem creatam in utero, divinitatem increatam.* Ayocandius, & D. Epiphanius eisdem verbis: *Deus Verbum descendit de cœlis, & habitavit intra uterum Sanctissimæ Virginis Mariæ, Domina nostræ; & humanatus est ex ea.* D. Joannes Chrysostomus: *Fecit sibi carnem intra uterum Virginis, quæ sordes non habet.* Alibi: *Creavit carnem in utero Virginis.* D. Cyrillus: *Creavit carnem sine peccato in utero Virginis.* Infrà: *Solus cum carne humana, cui unitus est, postquàm habitavit in utero.* Alibi: *Fecit eam unam secum, ex quo habitavit intra uterum.* Alibi: *Unitus est ab utero.* Similiter p. 24. num. 5. p. 37. num. 9. & 14. p. 53. num. 3. Quæ loca diligenter mentis pharetræ commenda, cùm sagittæ sint electissimæ adversus eos, qui nugantur, Christum habuisse duas naturas ante unionem; cùm hæc in Virginis utero peracta, & Verbum ab eo tantùm puncto fuerit humanæ naturæ paludamento insignitum.

D. Ignat. p. 1. n. 3. D. Athan. p. 14. n. 21. D. Abolid. p. 1. n. 57. Ayocand. p. 1. n. 1. D. Epiph. p. 1. n. 7. D. Joan. Chrysost. p. 1. n. 3. p. 3 n. 7. D. Cyril. p. 2. n. 19. & 38. p. 17. n. 1. p. 21. n. 18.

Probatur ex Scriptura.

3. *Abass.* Ex quibus Scripturarum promptuariis Sancti Patres hanc doctrinam expresserunt? *Rom.* Ex illo Isaiæ vaticinio: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Et ex illis Angeli verbis, apud Lucam: *Ecce concipies in utero, & paries Filium.* Et iterùm: *Quod enim ex te nascetur, sanctum.* Ubi non solùm sermo est de visibili ortu, quo Christus ex Matris alvo in communem lucem est emissus, & dicitur nativitas ex utero; sed etiam de Conceptione, quæ dicitur nativitas intra uterum. De qua rursùs ad Josephum Angelus, antequàm Christus ex matris utero egrederetur: *Quod enim in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Quomodò natum, si adhuc intra viscera concluſum? *Quia hic, qui conceptus est*, inquit D. Basilius, *perfectus fuit* in ipsa conceptione. Idem testantur illa Matthæi verba. *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto.* Ubi impleta est illa promissio Davidi facta: *De fructu ventris tui ponam super sedem tuam*, idest, de ventre Mariæ, quæ fuit de genere Davidis, ut exponit Tertullianus. Undè & D. Paulus: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Et Elizabeth: *Benedictus fructus ventris tui*; qui, scilicet in conceptione fuit satus, in Nativitate *sicut maturum pomum ab arbore bajula collectus*, ut D. Cyprianus. Utramque Nativitatem Apostoli cognoscunt, cùm dicunt: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Matth. 1. 20. D. Basil. hom. 25. *Matth.* 1. 18. *Psal.* 131. 11. D. Tertul. lib. de Carne Christi, cap. 21. & 22. *Rom.* 1. 3. *Luc.* 1. 42. D. Cyprianus serm. de Nativit.

Incarnationis series.

4. *Abass.* Conceptionis istius ordinem evolve. *Rom.* Ut duplex hominibus est nativitas; altera intra uterum, quæ est conceptio; altera extra uterum, quæ est exortus; ità duplex conceptio; altera imperfecta, cùm ex paterno semine, & materno sanguine permixtis embryo ebullit, quem David *imperfectum* suum appellavit; altera perfecta, cùm die quadragesimo in masculis, in fœminis octogesimo intellectualis anima in corpus ritè præparatum immittitur. Prior illa conceptio, sicut & paternum semen, à Christo exulavit, in quo nihil sordidum, nihil inquinatum, nihil tenebricosum; sed omnia candida, sincera, luminosa. Nam Spiritus sanctus solertissimus cujusque opificii architectus, ubi Sanctissima Virgo Incarnationis mysterio assensum præbuit, Dei ancillam se professa, celeri, tornatóque molimine intra impollutam ipsius vulvam ex defæcatissimo ejus sanguine comptissimum corpusculum, justa ad animæ hospitium magnitudine expolivit (*non enim formatus est Christus paulatim, sicut cæteri*, ait D. Basilius, ubi suprà) illíque tum primùm à se ipso creatam rationalem animam infudit; utrumque

Ps. 138. 16. D. Basil. homil. 25.

Digitized by Google

que inter se (concurrente etiam Beatissimâ Virgine) naturali, & communi cum reliquis hominibus unionis vinculo compingens; simúlque impediens, ne raptim in creatam, & jure naturæ sibi debitam substantiam & personam extuberarent. *Nam persona hominis*, inquit D. Augustinus, *est unio animæ, & corporis*; non quidem formaliter, quasi ipsa unio sit persona, sed efficienter, sive dispositivè; quia illâ positâ, persona necessariò erumpit; & personæ creatæ (quæ emensura erat, nisi præpediretur) suam divinum Verbum ab æterno præexistens, antecedenter suffecit, eamdem tamquàm basim, vel columnam illi singulari humanitati ex anima, & corpore compactæ, & singulis ipsius partibus tam ad subsistendum, quàm ad operandum supponens; eámque sibi devinciens illa unione, quæ dicitur hypostatica, sive Incarnatio; quòd humanam naturam creatam, sive carnem cum increata Verbi hypostasi, seu Persona nexu indissolubili constringat. Hæc inter omnes uniones maxima est, & donum inter universa dona, quæ Deus creaturis conferre potest, præstantissimum.

D. Augustin. Epist. 3. ad Volus.

5. *Abass.* Duas in tuis verbis mihi videor aucupari uniones; alteram mutuam inter corpus, & animam; alteram inter Verbum, & idem corpus, & animam unita; sive inter humanitatem, & divini Verbi Personam. *Rom.* Non ità solerter urinator suos uniones in mari Erythæo, quàm ipse fuisti duas in Christo uniones expiscatus. Duæ quidem sunt; in eo convenientes, quòd utraque sit modus realis ea ratione, quæ explicata est lib. 2. cap. 8. n. 5. Verùm inter se admodùm entitate, & diuturnitate dissidentes. Entitate, quia unio inter corpus, & animam naturalis est, utpotè duos terminos naturales complectens; unio hypostatica supernaturalis, cùm naturam creatam ad supernaturalem Personæ divini Verbi communionem attollat. Scio quidem, unionem illam à D. Athanateo, & Cyrillo naturalem appellari; non quòd naturalem ordinem non transcendat, sed ut illius veritas demonstretur, quia quæ vera sunt, & non imaginaria, naturalia dicuntur. Undè D. Paulus homines *natura* (ideſt, verè, Interprete D. Cyrillo) *iræ filios* nuncupavit. Quod uterque eorum Patrum expressit, cùm naturalem simul, & veram illam unionem prædicârunt. Nam D. Athanateus: *Cùm Deus*, inquit, *natura esset, homo efficitur; idque per verum, & naturalem nascendi modum.* D. Cyrillus: *Christus non est purus homo, nuda tantùm, simplicique cum Deo Verbo connexione, verùm naturali, & vera secundùm dispensatoriam unionem cum humana natura coitione.* Et ratione illius unionis de Christo alt Epistola 10. *Unitus est secundùm naturam*; & D. Athanateus ubi suprà: *Verbi Incarnatio secundùm naturam Dei facta, nostrorum susceptibilis non fuit.* Non quòd immediatè facta sit ad naturam divinam unio, sed quod verè, ac realiter. Substantialem, & essentialem dicunt D. Gregorius Nazianzenus, & D. Cyrillus juxta vestrum Interpretem p. 20. n. 7. p. 51. n. 23. & p. 52. n. 83. non quòd unam tantùm substantiam efficiat, sed quòd inter duas præstantissimas Verbum, humanitatémque discurrat, ut docet D. Joannes Damascenus. De quo iterum cap. 18. n. 3.

Duæ sunt in Christo uniones, earúmque discrimen.

D. Athanas. de Incarn. Christi. D. Cyril. lib. ad Reginas. *Eph.* 2. 3. D. Cyril. p. 51. n. 26. ex declarat. Anathem. in 3. D. Athanas. lib. de Incarnat. Christi. D. Cyril. lib. ad Regin. & Epist. 10. ad Nestor. n. 25. & in 3. Anath. Concil. Eph.

D. Gregor. Naz. Orat. 51.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 3.

6. *Abass.* Quid duæ illæ uniones in diuturnitate dissident? *Rom.* Unioni corpus, & animam, cùm naturalis sit, non repugnat dissolutio, quam mors invehit, corpore in unum locum abjecto, & animâ huc, & illuc divagante. At unioni inter Verbum, & humanitatis partes, cùm supernaturalis sit, nihil contrarium occurrat; nec Deus tantum donum à se humanitati collatum retractare potest, quia obstant illæ promissiones: *Charitate perpetua dilexi te. Sponsabo te mihi in sempiternum*; *Sponsabo te mihi in fide.* Et commune Theologorum proloquium ex Scriptura, & Patribus depromptum: *Quod Deus semel assumpsit, amplius non dimisit.* D. Athanateus: *Carnem semel indutam perpetuò gestat.* D. Epiphanius: *Non dimisit à se ipso carnem, sed fecit eam secum.* D. Cyrillus: *Carnem extrinsecùs induxit, nec jam foras unquàm est egressura.* Hæc unio est Dei donum, ut dicemus n. 10. *Dona* autem *Dei*, juxta Paulum, *sunt sine pœnitentia*; quia ipse illa nunquàm revocat, nisi peccatum aliquod à creatura illa accipiente admittatur. Christus ob eamdem unionem immunis est à peccato, ut dicemus cap. 9. n. 3.

Unio inter Verbum, & humanitatem in æternum perseverat; non inter corpus, & animam.

Jerem. 31. 3. *Os.* 2. 19. 20.

D. Joannes Damasc. lib. 3. de Fide cap. 27. D. Athanas. in Evang. de Sanctiss. Deipar. D. Epiph. p. 8. n. 16. D. Cyril. p. 44. n. 11. *Rom.* 11. 29. D. Thom. 3. p. q. 50. a. 2.

7. *Abass.* Ad quid priùs fuit unio hypostatica? ad totam humanitatem, an ad illius partes corpus, & animam terminata? *Rom.* Solutionem tibi præstabunt illa D. Augustini verba: *Non est aliquod intervallum temporis æstimandum inter concepta carnis initium, & concipienda majestatis adventum.* Et illa Magni Leonis ex eodem mutuata: *Natura nostra non sic assumpta est, ut priùs creata, post assumeretur; sed ut ipsa assumptione crearetur.* Et illa D. Joannis Damasceni: *Simul ut caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata, rationis, atque intelligentiæ particeps.* Nulla igitur hic fuit temporis prioritas; sed in eodem instanti, in quo anima creata fuit, corpus est amplexa, & Verbum corpus, & animam apprehendit, primariâ intentione totius, ideſt, humanitatis unionem affectans, quia ut homo fieret, è cœlo descendit; sed priùs in executione partes, ex quibus totum conflatur, sibi sociavit; inter quas anima prior fuit in intentione, cùm ob insitam subtilitatem Verbo sit cognata, eique instar escæ fuerit, ne corporis crassitiem fastidiret; de quo dicendum cap. 8. num. 8. in fine. Prior etiam fuit in executione; quia priùs unita est Verbo, quàm corpori, ut ostendunt citata verba D. Leonis, *animam in ipsa sui creatione fuisse assumptam*; & illa D. Augustini, *Verbum creasse sibi animam, & illam mortali corpori immiscuisse*; quasi priùs sibi creatam animam, quàm corpori addixerit.

Humana natura simul ut creata, Verbo unita fuit. D. Augustin. lib. de Incarn. cap. 3. D. Leo Epist. 11. ex D. Augustin. contr. serm. Arian. cap. 8. D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 2.

Soar. tom. 1. de Incarn. disp. 17. sect. 1. D. Leo. D. Augustin. Epist. 99. ad Evod. q. 2.

Digitized by Google

Si aliter fieret, Christus esset purus homo, & B. Virgo hominis, non Dei Mater.

8. *Abass.* Quid opus fuit, ut Verbum in primo illo temporis instanti priùs natura rationalem sibi animam tum primùm à se creatam copulaverit, quàm corpori immerserit? *Rom.* Si anima priùs intelligeretur corpori unita, quàm Verbo conjugata, tamdiù intelligeretur corpus illud, & animam ad Deum non attinere; nec Beatam Virginem pro illo instanti Dei Matrem censendam. Cùm tamen statuamus, animam illam nunquàm in rerum natura, nisi Verbo colligatam extitisse, planum est neque ipsam, neque corpus, cui inseritur, tantillùm ad cujusvis alterius, quàm ad divini Verbi ditionem spectasse. Undè sequitur, Christum nunquàm fuisse purum hominem, neque peccato obnoxium, nec illius humanitatem à Verbo separatam. D. Athanaeus: *Carnis unio cum Verbi divinitate ex utero originem traxit.* Alibi: *Ante Verbum, quod Deus est, prius non fuit corpus, vel anima; sed simul caro, & Deus; caro animata, & rationalis.* D. Cyrillus: *Carnem accipiens ex muliere, & ei ex utero adunatus exiit idem simul Deus, & homo.* D. Justinus: *In Virginis uterum ingressum Dei Verbum, summa conjunctione utraque natura sumpta producit. Ex illo enim & Filius, & Deus, & homo egressus est.* D. Augustinus: *De ventre matris meæ Deus meus es tu. De ventre quippe Matris ejus, in quo hominem sumpsit, Deus ejus est.* Idem, & D. Fulgentius: *Firmissimè tene, & nullatenus dubites, non carnem Christi sine divinitate conceptam in utero Virginis, priusquàm susciperetur à Verbo; sed ipsum Deum Verbum carnis sua acceptione conceptum.* D. Vincentius Lirinensis: *Hæc in Christo Personæ unitas nequaquàm post Virginis partum, sed in ipso Virginis utero compacta, atque perfecta est.* Et infrà: *In ejus Sacrato utero Sacrosanctum illud mysterium perpetratum est; & propter singularem quamdam, atque unicam Personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ità homo in Deo Deus est.* Divus Sophronius Episcopus Jerosolymitanus: *Caro, & anima non ante verissimum Verbi conventum in se ipsis extiterunt; nec quantum ictus est oculi hæc, quàm illa priùs fuit. Simul quippe caro, simul caro animata rationalis, simul Dei caro animata rationalis.* D. Gregorius Magnus: *Præ consortibus unctus est, quia omnes nos priùs peccatores homines existimus, & postmodùm per unctionem sancti Spiritus sanctificamur. Ipse autem, qui existens Deus ante secula, per sanctum Spiritum in utero Virginis homo conceptus est in fine seculorum, ibi ab eodem Spiritu unctus, ubi conceptus; nec ante conceptus, & postmodùm unctus; sed hoc ipsum de Spiritu sancto ex carne Virginis concipi, à Spiritu sancto ungi fuit.* Divus Leo Magnus: *Assumptus homo in Filium Dei, sic in unitatem Personæ Christi ab ipsis corporalibus est receptus exordiis, ut nec sine deitate sit conceptus, nec sine deitate editus, nec sine deitate nutritus.* Alibi: *Non aliter in humana natura sanari poterant originalis vulnera vetustatis, nisi de utero Virginis carnem sibi assumente Dei Verbo, in una, eademque Persona simul & caro nasceretur, & Verbum.* Alibi: *Veri Dei Filius, Deus verus unitatem, & æqualitatem habens cum Patre, & Spiritu sancto, idem verus homo esse dignatus est, nec conceptu Virgineæ Matris est sejunctus à carne.*

D. Athanas. lib. de Inc. Verbi. & lib. Definit.

D. Cyril. lib. de Inc. cap. 24.

D. Justin. de Conf. Fid.

D. August. lib. contr. Sermon. Arian. c. 18. Ps. 21. 11.

D. Fulgent. lib. de Fide, ad Petrum cap. 18.

D. Vincent. Lirin. contr. hæreses, cap. 20. 21.

D. Sophron. in 6. Synodo, act. 11.

D. Greg. Mag. lib. 9. Epist. 61. Ps. 44. 8.

D. Leo Mag. Ser. 7. de Nativit.

Serm. 8. de Quadragesima.

Serm. 6. de jejun. 7. mensis.

9. *Abass.* Eadémne unio, quæ Verbum cum carne animata devinxit, carnem, & divinitatem mutuò, an alia colligavit? *Rom.* Eadem omninò; sed tam caro, quàm divinitas primò, & immediatè cum Verbo, invicem autem secundariò, & eo tanquam mediatore coierunt. Se tamen adeò intimè pervaserunt, ut inter eas detur perfecta commeatio, & circumincessio; de qua D. Abolidis: *Amba*, inquit, *unum facta sunt in unione propter communionem, quâ inter se commeant.* Ayocandius: *Facta est una caro cum divinitate, & communicavit divinitas cum humanitate in una unione sine mutatione, & divisione.* D. Epiphanius: *Duo unum fecit, & fortem fecit carnem, quæ participavit divinitatem, & fecit illam unam virtutem in conjunctione divina, & humana.* D. Cyrillus: *Unum fuêre divinitas, & humanitas in totius gloriæ unione.* Quæ verba diligenter notanda sunt, ut intelligamus cùm D. Joanne Damasceno, humanitatem, & divinitatem unum factas esse, quia in se vicissim immeant, non ratione mutationis alterius in alteram, sed tantùm ratione dispensationis propter unionem personalem; quo pacto ignis, & ferrum candens sunt idem, *non naturâ, sed inflamatione*, ut exponit Nicetas in illa verba Divi Gregorii Nazianzeni: *Perfectus est Christus, non modò propter divinitatem (quâ nihil perfectius) sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam; idémque effectam, quod id, à quo perfecta est; atque (ut audacter loquar) divinitatis sociam.* Quamvis autem duæ naturæ inse vicissim in Christo immeant, illa penetrationis efficacia non ab humanitate, quæ instar est ferri; sed à divinitate, quæ similis est ignis, proficiscitur. Hæc enim humanitatem ungit, deificat, pervadit, reddit immortalem, miraculorum operatricem, & mortuorum vivificatricem. Vide Divum Gregorium Nyssenum infrà capite 24. numero 270.

Duæ naturæ in Christo se invicem pervadunt.

D. Abolid. p. 1. n. 43. Ayocand. n. 8.

D. Epiphan. p. 8. n. 10.

D. Cyril. p. 3. n. 18.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide cap. 17.

D. Greg. Naz. Orat. 42. Nicet. ibid. D. Cyril. lib. de Inc. cap. 7.

10. *Abass.* Cur dixisti hanc inter uniones esse maximam, & inter Dei dona præstantissimum? *Rom.* Eò major est unio, quò sunt majora illa, quæ ipsius vinculo sociantur; cùm autem Verbi Persona, & ipsius divinitas tanta sit, ut ipsum de illa affirmet: *Pater, quod dedit mihi, majus omnibus est*, omnium maxima censenda est illa unio, quæ ipsam cum humanitate compingit. Undè etiam sequitur, hanc unitatem donum esse inter omnia Dei dona excellentissimum. Illa enim fuit *oleum lætitiæ*, quo Christus præ consortibus est inunctus; per eam *tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit*; nempè, *nomen, quod est super omne nomen*; Et ut ait D. Augustinus, *tanta fuit in Christo humanæ naturæ subvectio, ut quo attolleretur altiùs, non haberet.* Nam licèt, juxta D. Petrum, cætera gratiæ dona *maxima* sint, & valdè *pretiosa*, homines eò tantùm provehunt, *ut divinæ*

Unio hypostatica maxima est unionum.

Joan. 10. 29 Maximum etiam Dei donorum est.

Ps. 44. 8.

Heb. 1. 4.

Philip. 2. 9.

D. August. lib. de Præd. sanct. cap. 15. 2. Petr. 4.

Digitized by Google

divinæ consortes naturæ per participationem reddant; gloriæ autem dona lumen, & visio creatam tantùm Dei similitudinem Beatorum mentibus appingunt. *Quoniam cùm apparuerit*, inquit D. Joannes, *similes ei erimus.* Unio autem hypostatica Deum verè, ac realiter humanæ naturæ commiscet, ut Deus sit homo, & homo Deus. *Habitat enim in Christo plenitudo divinitatis corporaliter*; ideſt, sicut interpretatur Divus Cyrillus, *non per lucrum, neque per receptionem, neque per donum gratiæ, sed per esse substantiæ.* Et D. Augustinus: *Gratia Spiritus non est data Christo, sicut Prophetis, sed ipsius Verbi Dei in eo substantialiter inerat plenitudo.* D. Gregorius Nazianzenus ait, *divinitatem in Christo non per gratiam operatam, sed per essentiam connexam; ipsumque non actu, sicut alios Christos, sed tota ungentis præsentia delibutum.* Nec verò tantùm hæc unio summum fuit donum ratione sui, sed etiam aliorum, quæ ipsam consequuntur. Validissima enim est illa Apostoli illatio: *Qui pro nobis omnibus proprium Filium tradidit, quomodò non etiam cum illo omnia nobis donabit?*

1. *Joan.* 3. 2.

Coloss. 2. 9.

D. Cyril. l. 12. n. 83.

D. August. lib. 2. de Incarnat. cap. 19.

D. Gregor. Naz. Orat. 51. quæ est Epist. 1. ad Cledon.

Rom. 8. 32.

11. *Abass.* Ad quem, tamquàm ad auctorem, unio hypostatica referenda? *Rom.* Lib. 1. cap. 2. hanc quæstionem expedivi, docens num. 8. Incarnationem Christi à tota fuisse Trinitate procuratam. Concilium Toletanum Sextum: *Formationem*, inquit, *suscepti hominis tota cooperata est Trinitas; quoniam inseparabilia sunt opera Trinitatis*; Aliquandò tamen Patri tribuitur, cujus, ut est proprium, Filium æterna generatione edere, ità temporaliter in mundum mittere. *Sic enim Pater dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret. Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum; sicut misit me vivens Pater.* Aliquandò ipsi Filio; quamvis enim hominum filii unionis animæ suæ cum corpore auctores esse non possint, quia ante ipsam non existunt; existentia autem est conditio prærequisita ad operandum; divinum tamen Verbum Patri ab æterno coexistens, & *quæcumque Pater facit*, ipsum *similiter faciens*, potuit templum sibi præparare, & se ipsum corpori, & animæ adglutinare. Illud enim vera est Sapientia, de qua testibus D. Agnateo, Athanateo, Cyrillo, atque Leone, dictum est à Salomone: *Sapientia ædificavit sibi domum*; ideſt, corpus; à D. Paulo: *Exinanivit semetipsum, formam servi accipiens*: Et iterùm: *Semen Abrahæ apprehendit.* Expressè D. Basilius: *Verbum, quod est una trium Personarum, carnem sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria, & univit eam divinitati.* Divus Epiphanius: *Ipse sibi tantùm carnem sumpsit, & conjunxit illam unione.* D. Cyrillus: *Ordinavit sibi hanc dispensationem, sicut ipse tantùm novit.* Verumtamen Spiritum sanctum, ut præcipuum sui auctorem, suscipit unio hypostatica, Angelo dicente: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi:* Et Matthæo: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; Et Apostolis in Symbolo prædicantibus: *Qui conceptus est de Spiritu sancto.*

Tota Trinitas operata est unionem hypostaticam.

Concil. Toler. VI. in Conf. Fid.

Patri, ut principio, tribuitur.

Joan. 3. 16. & 10. 36. & 6. 57.

In Filium etiam refertur.

Joan. 5. 19.

D. Ignat. Epist. 8. ad Philip.

D. Athanas. Orat. 3. con. tra Ari.

D. Cyril. p. 3. n. 3.

D. Leo Epist. 10.

Prov. 9. 1.

Philip. 2. 7.

Heb. 2. 16.

D. Basil. p. 5. n. 23.

D. Epiph. p. 11. n. 4.

D. Cyril. p. 51. n. 9.

Spiritus sanctus hujus unionis præcipuus auctor.

Luc. 1. 35.

Matt. 1. 18.

12. *Abass.* Si Beatissima Virgo Christi Mater est, quòd in Symbolo dicatur, *Natus ex Maria Virgine*: quis Spiritum sanctum ejusdem patrem dici vetabit, cùm de eodem sit conceptus? *Rom.* Christus ità natus est de Beata Maria semper Virgine, ut corpus ex ipsius substantia susceperit; ut videndum cap. 7. num. 9. At Christus quamvis sit Spiritui sancto consubstantialis, nihil ab eo divinæ substantiæ, sicut à Patre, est mutuatus. Nam Spiritus sanctus in Christi Incarnatione se habuit instar figuli, & architecti purissimæ Virginis Sanguinem excernens, massam subigens, membra expoliens, & simul cum duabus aliis Personis animam creans, & corpori adaptans. *Spiritus sanctus*, inquit D. Gregorius Nyssenus, *sanctificavit, & purificavit carnem ipsius, & fecit eam dignam, quæ Verbum susciperet*; *& univit carnem, quam ex ea sumpsit, cum divinitate per voluntatem Patris.* Ut ergo figulus tornati à se in rota vasis pater non est, nec architectus ædificii suâ priùs in mente delineati, & posteà ad coronidem evecti, ità neque Spiritus sanctus augustissimi illius templi. Undè fit, ut in hac secunda Verbi Nativitate patrem ab illo Ecclesiæ Doctores seponant. D. Gregorius Nazianzenus, allegatus à Senuteon: *Est sine matre in cœlo, & in terra sine patre. Primus quidem est sine matre, postremus sine patre.* Alibi: *Est matris expers, quoad naturam illam nostrâ excelsiorem; patris autem expers, quantum ad humanam, ac nostratem.* D. Gregorius Nyssenus: *Ne quæratis in Incarnatione patrem ejus super terram; & ne quæratis ipsi matrem in cœlis. Ille est sine patre in terra, & sine matre in cœlo.* D. Abolidis: *Dominus noster JESUS Christus est sine patre in Nativitate super terram.* Divus Heraclis: *Est sine matre in eo, quod amplius nobis habet; & est sine patre in nostro.* Alibi: *Qui secundum propriam naturam matrem nescit, nullum secundum carnis dispensationem patrem in terra agnoscit.* Infrà: *Sine matre est, ut rerum Conditor; sine patre rursùm, ut homo est.* D. Aforosius: *Propter nos ancilla filius factus est secundum formam hominis; nam secundùm divinam generationem non matrem habet, sed Patrem.* D. Leo Magnus: *Ut in uno Dei, atque hominis Filio & sine matre deitas, & sine patre esset humanitas.*

Spiritus sanctus Christi pater non est.

D. Thom. 3. p. q. 32. a. 3.

D. Greg. Nyss. p. 4. n. 24.

Patrem in secunda Nativitate Christus non habet.

Senuteon Epist. 1. ad Deonac. Antioch. n. 14.

D. Greg. Naz. Orat. 36.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 8.

D. Abolid. p. 7. n. 8.

D. Heraclis p. 5. n. 24.

Orat. de Nativit. Domini in Concil. Ephesino.

D. Ambros. lib. 5. de Fide cap. 3.

Ps. 115. 16.

D. Leo Serm. 8. de Nativit.

13. *Abass.* Quonam temporis articulo unio hypostatica suam in Virgineo ventre nacta est consummationem? *Rom.* Non, cùm primùm Angelus in Beatissimæ Virginis cubiculum est ingressus, ut perperam multi ex Hæreticis in vestro Libro affirmârunt. Nam Angelus in salutatione tamquàm de re futura loquebatur: *Spiritus sanctus superveniet in te, & virtus Altissimi obumbrabit tibi. Ideóque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei.* Postquàm verò Beatissima Virgo illius dictis annuit, statim *Verbum caro factum est*, & ipsa *inventa est in utero habens de Spiritu sancto*; Et Angelus ad Josephum ut de re jam peracta dixit: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Decimum quartum suæ ætatis annum tunc Virgo Beatissima;

Unio hypostatica facta est, ubi Virgo assensum præbuit.

Luc. 1. 35. *Joan.* 1. 14. *Matth.* 1. 18. 20.

Quo mense, & die facta fuerit Incarnatio.

Digitized by Google

Beatissima: vigesimam quintam juxta Romanorum calculum, decimam nonam, secundùm vestr.m, diem, & sextam hebdomadæ feriam Martius peragebat. Hic enim est mensis, in quo mundus est conditus, ut dictum lib. 4. cap. 5. num. 11. & 13. Et dies, in quo Adam formatus. Decebat autem, ut quo tempore, & die creationis opus auspicia sumpserat, eodem senescens restauraretur. Sap. 18. 14. Medium tunc fuisse conticinium illa Sapientis verba innuunt: *Cùm quietum silentium continerent omnia, & nox in suo cursu medium iter haberet, omnipotens sermo tuus Domine de* Exod. 16. 13. *cœlo, à regalibus sedibus prosilivit.* In antelucanum tempus aliqui hoc mysterium conjiciunt, ut quemadmodùm tunc manna de cœlo in substratum pruinæ lectum à Deo depluebat, sic ipsius Filius in roseum Virginis auroræ uterum demitteretur. Plenilunium tunc luna perficiebat, & soli ex adverso oppositа æmulum fulgorem diffundebat; Virgo autem non jam luminare minus, sed majus reddita, ipso justitiæ sole intra sua viscera incluso, lunæ simul, ac solis instar fulgurabat. De mundi, & Regum annis lib. 6. cap. 1. dicendum.

CAPUT IV.

Declarantur illa verba ex tertio Symboli articulo: Et in JESUM Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. *Et Christus verus Deus ostenditur.*

Proponitur tertius Symboli articulus.

1. *Abass.* Ipsum ergo tempus exigere videtur, ut tertium Symboli articulum Incarnationis materiam ex professo continentem, quarto relicto, pertractes. Qui ità habet: *Et in JESUM Christum Filium ejus unicum, Dominum nostrum. Rom.* In hoc articulo Incarnationis, & mysteriorum ab ea dependentium cœmenta jaciuntur; & verum illum, ac naturalem Dei Filium, atque Deum, cujus æternam nativitatem libro 3. capite 7. exposuimus, verum hominem factum, declaratur. Et quòd verus Dei fœtus sit, dicitur: *Filium ejus.* Et quòd verus Deus: *Dominum nostrum*; quòd verus homo sit, Luc. 1. 31. & 2. 21. *JESUS* appellatur; hoc enim nomen illi ob temporalem nativitatem, cùm, ut homo conceptus, & circumcisus est, fuit adjectum; quòd autem Deus simul & homo sit, *Christus* nominatur; hoc enim nomen, ut libro 1. cap. 1. fuit demonstratum, duarum naturarum alterius ungentis, & alterius unctæ index est. Cùm autem duæ illæ naturæ ipsum absque separatione, & divisione afficiant, nec duos, sed unum reddant; nec æternus Pater alium, alium Virgo Mater filium numerent, sed idem sit utrique, *unicus* prædicatur. Vide quot mysteria verbis pauculis includantur.

Nomina Dei, & hominis in Christo eamdem rem, sed diverso modo significant.

2. *Abass.* Estne aliquod discrimen, cùm Christus nunc Deus, nunc homo appellatur? *Rom.* Nullum quidem est in re significata; sed aliquod in modo significandi. Utrumque enim nomen eamdem Verbi Personam, sed diversà ratione ostendit. Cùm enim Christum Deum dicimus, primariò divinam Personam, & naturam; Secundariò humanam eidem cohærentem indicamus, ut ostensum lib. 1. cap. 1. num. 3. Cùm autem hominem dicimus, primariò humanam naturam, & secundariò Verbi Personam, à qua sustentatur, significamus. Sic Cæsaris, & Augusti nomina eumdem Romanorum Imperatorem exhibent; sed Cæsaris nomen primò familiam, ex qua genus trahit; nomen Augusti, dominatûs excellentiam menti objectat. Cùm verò idem sit, quatenùs ad illam domum originem refert, & quatenùs in totum orbem imperium extendit, idem significatur, sivè Cæsar, sivè Augustus nominetur.

Christus Deus est verus.

3. *Abass.* Quâ ratione Deus est Christus: participatione, an opinione? *Rom.* Nec participatione, nec opinione, sed naturâ, ac veritate. Nam participatione dii illi sunt, quos D. Gregorius Nazianzenus vocat adscriptitios; qui cùm, puri sint homines, ob potentiam, vel gratiam à Deo communicatam illam nomenclaturam adipiscuntur; ut Moyses, ad quem verus Deus ait: *Ecce ego constitui te Deum Pharaonis*; Et illi, de quibus David: *Ego dixi, dii estis.* Dii verò opinione ii sunt, quos falsa hominum existimatio consecravit; de quibus D. Paulus ait: *Nam etsi sunt, qui dicantur dii*; Et Alibi: *Tunc quidem ignorantes Deum iis, qui natura non sunt dii, serviebatis.* Ubi innuit, Deum quemdam esse naturâ, cæteros non naturâ, sed opinione. Deus naturâ ille est, de quo Evangelista testatur in Epistola: *Dedit nobis sensum, ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus.* Et apud eumdem Thomas: *Dominus meus, & Deus meus.* Divus Paulus: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Consentiunt in vestro Libro Patres. D. Irenæus: *Deus de Deo, Filius Dei Patris, JESUS Christus, Rex in eternum.* Divus Athanaeus: *Hic est verè Deus, & Filius Dei.* Et infrà: *Solus ille, qui natus est de sanctissima Virgine Maria, Domina nostra, dicitur Emmanuël, quod est nobiscum Deus.* D. Felix: *Credimus, ipsum esse unigenitum Patri suo. Cùm sit in cœlo, ipse est in terra.* D. Julius: *Salus à Deo fuit, & non ab alio.* Et alibi: *Cùm esset Dominus Angelorum, & Prophetarum, apparuit in carnè.* Et infrà: *Virtutes cœlorum non subjiciuntur homini, sed Deo.* Et infrà: *Cùm in carne apparuit, omnia locutus est, & fecit, sicut Deus; Legem statuit homini, dicens: Ego dico tibi; & imperavit ventis, & mari; & spiritibus immundis. Nam homines, in quibus Deus, & ipsius virtus habitat, non possunt legem à semetipsis ferre, nec imperare. Propterea Paulus Apostolus dicit: Dico autem, non ego, sed Dominus.* D. Proclus: *Vocamus enim Deum Verbum, quia Deus est in substantia sua.* Divus Cyrillus: *Ipse est Deus verus, Filius Dei unicus.*

D. Greg. Naz. Orat. 51.
Exod. 7. 1.
Ps. 81. 6.
1. Cor. 8. 5.
Galat. 4. 8.
1. Joan. 5. 20.
Joan. 20. 28.
Rom. 9. 5.
D. Iren. p. 1. n. 3.
D. Athanas. p. 15. n. 129. 142. ex Epistol. ad Epictet.
D. Feliquis Rom. p. 3. n. 4.
D. Abolid. p. 7. n. 7. & p. 8. n. 6. 7.
Matt. 16. 18.
Matth. 8. 26
Marc. 1. 25.
1. Cor. 7. 10.
D. Heraclis p. 5. n. 16.
D. Cyril. p. 4. n. 7. p. 17. n. 3. p. 20. n. 10.

Digitized by Google

unicus. Alibi : *Est Deus in forma, quæ est in ipso manifesta veritate substantiæ suæ.* Alibi : *Siquis non credit, Emmanuelem esse Deum verum, & Virginem immaculatam esse Dei genitricem, & genuisse Verbum Dei, quod incarnatum est : anathema sit.*

Christus est Patri consubstantialis, etiam cum carne ; sed non caro.

4. *Abass.* Rectè quidem de divinitatis veritate ; nunc quærendum de consubstantialitate, quam proximè ad calcem cum Patribus in Christo insinuasti. Verbum quidem æterno Patri consubstantiale, libro 3. cap. 7. num. 13. demonstrâsti, at Christus, qui carnem habet (quam tu videris, an ejusdem sit essentiæ cum Patre) quo jure illi potest esse consubstantialis ? *Rom.* Non equidem caro Deo est consubstantialis, de quo capite 7. num. 3. est tamen Christus ; ut optimè docent tercentum decem, & octo Patres, quorum verba proponenda cap. 23. num. 3. cùm, ut capite 7. & 8. ostendemus, in carne sit illud ipsum Verbum, quod à principio fuit apud Patrem ; & idem cum ipso. *Ubi autem naturæ identitas, ibi consubstantialitas*, inquit D. Cyrillus, *& quæ consubstantialia sunt, in nullo differunt.* Sic & homines sibi sunt invicem consubstantiales, quia omnes ejusdem naturæ consortes ; quod ostendunt illa verba Theodoti Ancyrani : *Et tuus tibi filius factus est ex una substantia tua.* Christus igitur, etiam cum carne, ex ipsa Patris est substantia, ac proindè ipsi consubstantialis. Divus Athanasius : *Genitum, non factum ; cujus substantia est simul cum Patre suo. Dixerunt propter conjunctionem substantiæ Filii cum Patre.* Et infrà : *Substantia ejus in divinitate sua simul cum Patre suo. Propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis.* D. Gregorius Nyssenus, sic Patrem loquentem inducit : *Hic est unus tantùm ex substantia divinitatis meæ.* Theodotus : *Tibi dicimus, & notum facimus, hoc nomen, quod est Filii, esse unius substantiæ cum Patre.* Divus Cyrillus : *Cùm ipse Deus veritatis, qui est Verbum, natus sit à Patre, & ipse æqualis Patri sit in æternum, & prior in substantia sua, non rapuit, se esse æqualem Deo.* Textus genuinus habet. *Cùm Verbum Dei sit Deus naturâ, & verus, & consubstantialis, & coæternus Patri.* Infrà : *Dicimus de isto unigenito, quòd sit æqualis Deo Patri in divinitate sua, sicut eum Patres nostri credidere, dicentes : Credimus in unum Dominum JESUM Christum, Filium Patris unigenitum, qui est æqualis Patri in divinitate sua.* Omnibus hisce locis, ubi vester Interpres posuit æqualem, verus textus exhibet consubstantialem.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 1. & 2.

Theodot. Ancyr. p. 1. num. 4. ex Orat. 2.

D. Athanas. p. 15. n. 29. & 34. ex Epist. ad Epictet.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 6.

Theodot. Ancyr. p. 1. n. 7.

D. Cyril. p. 34. n. 4.

Philip. 2. 6.

Ibid. n. 40.

Christus Patri æqualis.

5. *Abass.* Cur tibi nomen æqualis displicet ; nonne Christus Patri est coæqualis ? *Rom.* Æqualem Deo Christum vocant Divi Joannes, & Paulus locis à me relatis lib. 3. cap. 8. num. 6. quibus plures Patres adstipulantur. D. Atticus : *Æqualis*, inquit, *est Patri, & Spiritui sancto.* D. Julius : *Si quis non credit in hominem, quem peperit sanctissima Virgo Maria, quòd Deus sit, qui homo factus est ; & esse æqualem Patri, & Deum à principio, & non esse mutatum, quandò carnem induit : anathema sit.* D. Proclus : *Suscepit Deus formam hominis, & non est mutatus ab eo, quod habet ex æqualitate sua cum Patre.* Licèt autem, *quæ ejusdem substantiæ sunt, naturaliter æqualia sint*, teste Divo Cyrillo ; nomini tamen *æqualis* semper Patres vocem *consubstantialis* prætulerunt ; quòd illâ tanquàm gladio ancipiti omnium hæresum, ac præcipuè Arianæ, asserentis Trinitatis Personas non naturâ, sed analogiâ æquales esse (sicut tres virgæ, lignea, ferrea, & aurea æquales sunt magnitudine, sed non pondere, neque æstimatione) capita obtruncarent. Attentè tamen pensitanda sunt illa D. Gregorii Thaumaturgi verba : *Verbum æquale est Patri suo præter carnem.* Quia ut secundùm carnem non est consubstantiale Patri, ità neque æquale ; sed tantùm hominibus. De quo latiùs cap. 6. num. 8.

Philip. 2. 6.

D. Attifos. p. 1. n. 2.

D. Abolid. p. 2. n. 21.

D. Heraclid. p. 5. n. 5.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 3.

D. Greg. Thaum. p. 2. n. 29.

Similis Patri est Christus.

6. *Abass.* Ut Christus Patri consubstantialis, & æqualis, an ità similis ? *Rom.* Lib. 3. cap. 7. num. 14. veram similitudinem in naturæ consubstantialitate, & æqualitate collocari, & in ea Verbum Patri suo simile ; & cap. 8. veram illius imaginem ostendi. Cùm ergo Christus sit illud ipsum Verbum, & eademmet Patris imago, non potest non illius similitudine effulgere, ut ipse testatur : *Quem Pater signavit Deus. Qui videt me, videt & Patrem meum.* D. Paulus : *Qui est imago Dei invisibilis.* Iterùm : *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Divus Basilius in eo Pauli loco : *Qui cùm in forma Dei esset*, non formam legit, sed similitudinem ; *Ego*, inquit, *dico, quod de Christo JESU Domino nostro dicitur, esse Dei similitudinem, explicari, esse substantiam divinitatis Dei, & similem Deo Patri in excellentia divinitatis.* Sed ut Hæretici æqualitatis, sic & similitudinis nomine abutebantur, ut naturæ identitatem à Verbo eliminarent, illúdque Patri simile ; excellentiùs quidem, quàm Angelos, & homines, sed tamen intra creaturarum limites suaderent. Ideóque Patres multis in Conciliis pugilicè obstiterunt, ne vox Homiusii, quæ similem significat, pro inexpugnabili Homousii, seu consubstantialis propugnaculo obtruderetur. De quo lib. 1. cap. 15. n. 5.

Joan. 6. 27. *Joan.* 14. 9. *Col.* 1. 15. *Heb.* 1. 3. *Philip.* 2. 6.

D. Basil. p. 1. n. 1.

Perfectus Deus Christus.

7. *Abass.* Ut Christus verus Deus est, consubstantialis, æqualis, & similis Patri ; itáne perfectus Deus ? *Rom.* Perfectum ex Philosopho, *illud dicitur, quod habet, quidquid sibi conveniens est :* Christus autem habet, quidquid Deo conveniens est ; cùm *in ipso habitet omnis divinitatis plenitudo.* Vitalis Antiochenus, seu potiùs D. Damasus auctor illius confessionis : *Unus*, inquit, *est Deus, perfectus, æqualis Patri in divinitate.* Divus Proclus : *Qui perfectus est in tota substantia sua, quem non tangit infirmitas, suscepit infirmitatem.* D. Epiphanius : *Qui perfectus, est à Patre, implevit dispensationem.* Infrà : *Ipse perfectus à Patre, qui factus est homo.*

Aristotel. 5. Met. cap. 16.

Coloss. 2. 9.

Natalisan. p. 1. n. 4.

D. Heraclis p. 3. n. 17.

D. Epiphan. p. 7. n. 6. 9.

Totus Deus, Christus.

8. *Abass.* Num, ut perfectus, ità totus, & in totum Deus ? *Rom.* Totus quidem Deus est, quia totum habet, quod ad Deum spectat. D. Julius : *Nos*, inquit, *dicimus totum*

D. Abolid. p. 1. n. 26.

Digitized by Google

D. Heraclis p. 5. n. 12. D. Greg. Naz. apud D. Cyril. p. 55. n. 32. & Orat. 56. D. Joan. Damasc. lib. de Fid. c. 7. D. Cyril. p. 5. n. 4.

totum Filium esse de cœlo propter divinitatem. D. Proclus: *Ipse totus in cœlo.* D. Gregorius Nazianzenus apud D. Cyrillum: *Cùm totus sit homo perfectus, idem est Deus.* Illud tamen ex Patribus Nicænis infrà; cap. 23. num. 3. & D. Joanne Damasceno menti insculpe; Christum, licèt totus Deus sit, & totus homo, non esse in totum Deum, neque in totum hominem; quia aliquid habet, quod Deus non est, nempè humanitatem; & aliquid, quod homo non est, nempè divinitatem. Quod & tangit Divus Cyrillus, aliquos insipientes taxans, *qui virtutem*, inquit, *mysterii in imperitia contorquent, dicentes: Christum esse Deum secundum humanitatem.*

Christus est Deus, qui factus homo, non homo qui factus est Deus. D. Greg. Naz. p. 4. n. 4. D. Athanas. Orat. 2. contra Arian.

9. *Abass.* Si Christus est Deus totus, ac perfectus, estne Deus, qui factus est homo, an homo, qui factus est Deus? *Rom.* Pessimè utrumque in vestro Libro vester Interpres in D. Gregorii Nazianzeni sententiis affirmavit; quem cave imiteris, ut dixeris unquàm, Christum esse hominem, qui factus sit Deus; semper autem enuntiato, esse Deum, qui factus est homo. Sic enim familiæ vestræ Principes Divus Athanateus, & Cyrillus; imò D. ipse Gregorius loquuntur. Quorum prior: *Non*, inquit, *cùm homo esset, Deus postea factus, sed cum Deus esset, homo postea factus est, ut nos potiùs divinificaret.*

Idem lib. de Incarnat. Verb. Joan. 1. 14. D. Cyril. p. 1. n. 1. ex exposit. Symb. Nic. D. Greg. Naz. p. 1. n. 10.

Alibi: *Scriptura dicit: Verbum carnem factum esse, non carnem Verbum.* D. Cyrillus: *Nescimus, Christum priùs hominem fuisse, & postea Deum factum esse; Sed Verbum priùs erat apud Deum, & postea homo factum est.* Et infrà: *Deus Verbum factus est homo; quia antequàm homo esset, habebat perfectam gloriam divinitatis in substantia sua.* D. Gregorius Nazianzenus: *Non est natus sicut homo, sed Deus factus est homo.* Vide eumdem n. sequenti citandum.

Si Christus esset homo, qui factus est Deus, ante Incarnationem potius homo esset.

10. *Abass.* Si Christus Deus est, & homo simul, quid interest, si dicatur, esse Deum, qui factus est homo, an hominem, qui factus sit Deus? *Rom.* Minùs objacet intervalli inter cœlum, ac terram, quàm inter eas locutiones. Cùm enim dicimus, esse Deum, qui factus est homo; significamus, divinam Verbi Personam humanitatem apprehendisse; Si autem dicamus, esse hominem, qui factus sit Deus, humanam aliquam personam fingimus, cui jam constitutæ divinitas ex meritis, vel Patris dono supervenerit. A qua locutione, tamquàm pestis contagio Patres abhorrent. Divus Athanateus: *Non est Deus secundum profectum augescentis virtutis, aut ex quisitionem justitiæ. Absit. Sed secundùm rationem existendi, sine defectu, plenam, & integram.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Si quis dixerit, hominem creatum fuisse, & postea Deum in ipsum intrasse; anathema sit.* Vide eumdem, cap. sequenti numero 11. Divus Heraclis exponens illa verba Divi Pauli: *Qui descendit, ipse est & qui ascendit*; Subjicit: *Non prius ascendit, sed descendit; utpote qui non ex promotione Deus est, sed propter misericordiam, quâ indigebamus, homo dignanter effectus est.* Alibi: *Neque Christus per succedentia virtutum incrementa factus est Deus:* Absit. *Verùm ut tuæ nostra prædicat, Deus misericordia permotus factus est homo.* Divus Cyrillus: *Verbum non assumpsit hominem, quem sibi æqualem fecerit in sua magnitudine, & cui dederit gloriam Filii, & principatum, sicut multi in sua insipientia dixerunt.* Alibi: *Non est prius natus, sicut omnes, ex Virgine purissima, & postea descendit Verbum super ipsum.* Divus Joannes Damascenus. *Simul ut caro extitit, simul quoque Dei Verbi caro extitit, simul caro animata, rationis, atque intelligentiæ particeps. Quo fit, ut non hominem Deitate affectum, sed Deum humanitatem assumpsisse dicamus.*

D. Athan. de Incarn. Verbi.

D. Greg. Naz. p. 4. n. 17. D. Procl. in Epist. ad Ar. & Orat. de Nat. quæ citat. p. 3. Ephes. 4. 10.

D. Cyril. p. 6. n. 2. de exposit. Symb. Nic. p. 11. n. 17. ex Epist. 10. ad Nestorium. D. Joannes Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 2.

Dominicus homo Christus non est.

11. *Abass.* Ut Christus Deus, qui factus est homo, itáne potest homo Dominicus, Deifer, & Deificatus appellari? *Rom.* Omnibus iis locutionibus, quæ salutarem unionem dissolvunt, & duas personas invehunt: quales sunt, si Christus dicatur homo Dominicus, vel Deifer, vel Deificatus, vel Deus hominis inhabitator, cruentum stylum Patres infigunt, de quo infrà capite 27. numero 7. Speciatim Dominicum hominem Christum dici, his verbis Divus Gregorius Nazianzenus inficiatur: *Ne impostoram faciant homines, vicissimque ipsi fallantur; hominem Dominicum, (ut ipsi loquuntur) vel potiùs Dominum nostrum, & Deum mentis expertem asserentes; neque enim hominem à divinitate separamus, sed unum, eumdémque profitemur.* Divus Cyrillus: *Unus est Dominus JESUS Christus, unus etiam, & verus Filius; Deus pariter, & homo; non homo Dominicus, par iis, qui ex gratia sunt; sed potiùs Deus verus in humana forma manifestatus.* Deiferum dicentes punctim etiam Patres transadigunt: Divus Athanateus: *Dominus noster JESUS Christus est Deus Incarnatus, & non homo Deifer:* Divus Abolidis: *Non dixêre Apostoli, Verbum esse gestatorem JESU, quem peperit Maria, sed ipsum venisse in mundum, & ex muliere exiisse.* Divus Cyrillus: *Neque id dicimus, quòd habitavit Deus Verbum, quasi in homine quodam de sancta Virgine nato, ut non Deifer homo intelligatur Christus.* Alibi: *Siquis audet, & dicit, Christum esse hominem Deiferum; anathema sit.* De Deificato ità Divus Heraclis: *Non hominem Deificatum prædicamus, sed Deum incarnatum confitemur.* Deificatam tamen Christi carnem cum Divo Athanateo admittit insignis Theologus Divus Joannes Damascenus propter eam distinctionem, quæ inter ipsam, & Verbum intercedit, de qua dicendum capite 19. Cùm autem in Christo hominem, & Verbum nulla distinctio sejungat, homo Deus, non autem Dominicus, Deifer, vel Deificatus dici debet.

D. Thom. 3. p. q. 16. a. 3.

D. Greg. Nazianzen. in Epist. ad Cledon. Orat. 51.

D. Cyril. in Epist. ad Monachos Ægypti.

Nec homo Deifer. D. Athanas. in Evang. de Deipara. D. Abolid. p. 2. n. 16.

D. Cyril. Epist. 10. ad Nestor.

P. 15. n. 41. Nec homo Deificatus. D. Procl. Orat. de Nativit.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide, cap. 19. D. Athanas. Orat. 4. contra Arian. & lib. de Incarn.

12. *Abass.* Damnare visus es eam locutionem, ut Deus dicatur hominis inhabitator. *Rom.* Hanc etiam ob idem principium

Deus in homine non habitavit.

Digitized by Google

cipium Patres improbant; quia inter habitatorem, & rem, quæ incolitur, discrimen interjacet, cùm in Christo hominem à Deo, vel Deum ab homine nullum dimoveat. Divus Athanateus: *Hic alii intraverunt in Fidei diminutionem, dicentes: Deum habitasse in homine, & pro unione, & connexione inter se, creaverunt opus humanum.* Alibi: *Est Deus, qui factus est homo, & apparuit in forma hominis; & non homo, in quo Deus habitat.* Alibi: *Quonam in opere volunt nominari Christiani, qui dicunt Deum habitasse in homine sancto, sicut uno ex Prophetis?* Et pluribus locis in eodem tractatu. Divus Abolidis: *Apostoli non dixerunt, hominem carnalem, qui de cœlis est, habitasse in homine terreno.* Similiter loquitur parte 8. & 9. Divus Epiphanius: *Non habitavit in homine, sicut in aliis hominibus.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Illos, qui dicunt, Deum habitasse in homine, ego interrogo, &c.* Divus Cyrillus: *Hæretici dicunt, ipsum esse hominem electum, quem suscepit, & in quo habitavit.* Iterùm: *Ne dicas, Verbum habitasse in homine tantùm, quasi fuerit in alio Christo.* Iterùm: *Deus non habitat in Christo, sicut habitat in nobis, sed ipse Deus apparuit super terram, & factus est homo sicut nos.* Divus Leo Magnus: *Non ità proprietates suas tenuit utraque substantia, ut personarum in eis possit esse discretio; nec sic creatura in societatem sui Creatoris est assumpta, ut ille habitator, & illa habitaculum esset.* Maturè autem advertit Divus Cyrillus, si Incarnatio esset Dei in homine inhabitatio, sæpiùs à mundi initio fuisse Incarnatum, cum in plurimis sanctis inhabitaverit; & frustrà Paulum dixisse: *Nunc autem semel in consummatione seculorum apparuit*; Et Epistola ad Monachos Ægypti; dicendum etiam Patrem, & Spiritum sanctum incarnatos, cùm etiam de ipsis Christus dixerit: *Venientes, & mansionem apud eum faciemus.*

D. Athanat. p. 2. n. 1.
p. 4. n. 58.
p. 15. n. 19.
D. Abolid. seu Julius p. 2. n. 17.
D. Epiph. p. 7. n. 13. & p. 11. n. 3.
D. Greg. Naz. p. 2. n. 1.
D. Cyril. p. 43. n. 9. & p. 50. n. 8. ex lib. de Inc. cap. 12. & p. 51. n. 49. ex lib. Expos. 12. Anathem.
D. Leo Serm. 3. de Nativit.
D. Cyril. lib. de Inc. cap. 23.
Hcb. 9. 26.
Joan. 14. 23.

Explicatur, quomodò Deus in Christo dicatur habitare.

Joan. 1. 14.
Colos. 2. 9.
Baruch. 3. 38.
Zach. 2. 10.
Ioan. 1. 26.
D. Hilar. 11. de Trinit.
D. Ambros. de Dom. Incarnat. Sacr. cap. 6.
D. Chrys. hom. 16. in Joan.
D. Cyril. 1. in Joan. cap. 16.

13. *Abass.* Relatis Patrum sententiis repugnare videntur crebræ Sacrarum litterarum locutiones; ut illa: *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis.* Et illa: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Romanus.* Nil locutiones illæ officiunt. Nam prima duos habet sensus; primus est, Verbum in nobis, hoc est in hominibus, & cum hominibus habitâsse, sicut Baruch prædixerat: *Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.* Et Zacharias: *Ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus.* Et Joannes Baptista: *Medius vestrum stetit*; Secundus Divi Hilarii, Aforosii, Chrysostomi, & Cyrilli; Verbum habitâsse in natura humana; cujus ratione, sicut Pater, & Spiritus sanctus in Verbo communem cum ipsis naturam habente, & humanam assumente, cum omnibus hominibus communicârunt, ut ostensum est ex Divo Deonaceo Areosfagos, capite 1. numero 10. Sic ipsum Verbum *in nobis*, id-est, in omnibus hominibus, assumptâ naturâ humanâ, quæ eadem est in omnibus ipsius individuis, habitavit. *Illud Verbum*, inquit Divus Aforosius, *quod carnem suscepit, hoc in carne habitavit humana; & ideò dictus est Emmanuël, ideſt, nobiscum Deus.* Divus Cyrillus: *Cùm dicitur: Habitavit in nobis, intelligitur tamquàm aliud in alio habitare; ideſt, divinam naturam in humanitate, non perpessa commixtionem, aut confusionem, aut commutationem, ut esset, quod non erat. Quidquid enim in alio habitare dicitur, non ipsum tale est, quale ipsum, in quo habitat, sed aliud in alio magis intelligitur. At in natura Verbi, & humanitatis solam nobis differentiam designat diversitas naturarum: Unus enim ex utroque Christus intelligitur.* Altera Pauli locutio, similiter à Divo Athanateo, Cyrillo, Theodoto, Heracli, Justino, Divo Augustino, Leone, & aliis Patribus ad humanitatem, imò ad solum corpus restringitur. Ex quibus solos duos priores proferam. D. Cyrillus: *In Christo*, inquit, *habitat omnis plenitudo divinitatis, quia tota divinitas habitavit in carne hominis.* Ex quo Pauli dicto alibi celebrem Canonem proponit, de quo agendum capite 27. numero 10. Sæpè in Scripturis Christi, seu totius nomine solam humanitatem designari. Divus Athanateus. Cùm dicit Apostolus, quòd *in Christo habitet omnis plenitudo divinitatis corporaliter, plenitudinem illam in carne habitare, intelligendum.* Hæc enim est domus, de qua Salomon: *Sapientia ædificavit sibi domum.* Divus Cyrillus: *Domus*, inquit, *quam ædificavit, caro est, quam sumpsit ex Virgine*; ideſt, humanitas. Eum sequuntur ex Hæreticorum grege Theodosius, Athanateus junior, & Senuteon. Hoc illud est templum, de quo Salvator. *Solvite templum hoc.* Quod Evangelista statim interpretatur: *Ille autem dicebat, de templo corporis sui.* Undè Divus Cyrillus elicit, Christum esse verum Deum; *quia templum*, inquit, *verum, ac proprium nullum dicitur, si Deus in ipso non habitat.* Præterea hæc habitandi metaphora, cùm nullam innuat distinctionem inter Deum, & hominem, sed inter solas naturas, ab iis omnem confusionis, & conversionis suspicionem avertit, ut præter Divum Cyrillum suprà, docebunt Divus Aforosius, & Chrysostomus capite 17. numero 8. & capite 19. numero 6. citandi.

Coloss. 2. 9.
D. Cyril. p. 3. n. 7. p. 50. & n. 7. p. 52. n. 83. & lib. de Inc. cap. 12.
D. Athan. Orat. 4. contra Arian.
Prov. 9. 1.
D. Cyril. p. 3. n. 3.
Theodos. hæret. p. 2. n. 26.
Athan. p. 1. n. 11.
Senuteon. p. 1. n. 5.
Ioan. 2. 19. 21
D. Cyril. lib. 12. Th. cap. 15.

Verbum hominem non induit.

14. *Abass.* Non poterit Christus dici homo Deum indutus? *Romanus.* Idem de hac locutione, ac de præcedentibus ob eamdem numeri 11. rationem sentiendum, ne alter induens, alter indutus videatur. Divus Cyrillus, & Concilium Ephesinum: *Si quis audet, & dicit: Christum esse hominem induentem Deum, & non Deum*

D. Cyril. p. 10. n. 16. ex Epist. 10. contra Nestor.

Digitized by Google

verum, &c. anathema sit. Et in eadem Epistola 10. ad Nestorium, undè illud fragmentum desumptum est: *Recusamus autem dicere de Christo: Propter eum, qui induit, eum qui indutus est, veneror.* Quare si idem, vel alii Patres alicubi scripsisse reperiantur, Verbum hominem induisse, sumendum est concretum pro abstracto. Verè enim dicitur se humanitatis vestimento operuisse. Divus Deonaceos Arcosfagos. *Indutus substantia nostra in unione.* Divus Gregorius Thaumaturgus: *Hoc est, quod induit carnem nostram.* Divus Athanateus: *Semper in eternum manebit indutus carne nostra.* Alibi: *Quandò carnem induit, factus est unus cum ipsa.* Et sæpe alibi. Divus Basilius: *Dictum est, ipsum induisse formam servi.* Iterùm: *Carnem induit ex sanctissima Virgine Maria.* Divus Gregorius Nyssenus: *Cùm esset Rex Regum, & Dominus dominantium, induit formam servi.* Divus Feliquis: *Christum fuisse nobis fratrem in opere novo, vestitum carne nostra in unione.* Divus Julius: *Christus est Deus carnem vestiens.* Alibi: *Quandò carnem induit, non est passus in divinitate sua.* Alibi: *Siquis non credit in hominem, qui natus est ex Maria, esse Deum, carne vestitum; anathema sit.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Apparuit super terram in veste carnali, & induit perfectam humanitatem.* Divus Heraclis: *Sustinuit passionem in eo, quod induit.* Theodotus: *Induit substantiam hominis, & natus est ex sanctissima Virgine Maria.* Divus Epiphanius: *Induit carnem nostram, quæ habet animam rationalem.* Infrà: *Declaravit substantiam hominis, quam induit.* Alibi: *Passus est Dominus in carne, in perfecta humanitate, quam induit.* Divus Attifos: *Qui non habet carnem, propter te, ô homo, carnem induit.* Divus Joannes Chrysostomus: *Qui erat sine carne, attrectatus est modò, cùm carnem induit.* Iterùm: *Conveniens fuit, carnem esse vestem Creatoris sui.* Divus Cyrillus: *Demisit se ad nostram mensuram, & induit formam servi.* Et p.48. n.7. p.52. n. 2.9. 15.56.86.95.130.138.p.53.num.18. Id Paulus insinuat, cùm ait: *Et habitu inventus ut homo.* Et in Epistola ad Hebræos: *Corpus autem aptasti mihi.* Vester Interpres legit: *Corpore autem induisti me.*

Induit tamen humanitatem. D. Epiph. p.9.n.19. D. Chrys. p.5. n.3. D. Cyril. p.32. n.13. D. Dionys. Areop. p.2. n. 8. D. Greg. Thaum. p.1.n.18. D. Athanat. P.7. n 3. p. 11. n.15. p. 15. n. 3. 26. 31.32.124. 136. D. Basil. p.3. n.5. p. 5.n.13. D. Greg. Nyss.p.3. n. 3. D. Felix. p.2. n.6. D. Abolid. p.1. n.71. p.1. n.24.p. 9.n.4. D. Greg. Naz. p.4. n.10. D. Procl. p.5. n.14. Theodot. p.1. n.15. D. Epiph. p.3. n.11. 39.& p.9. n. 16. D. Atticus. p.1.n.5. D. Joan. Chrysost. p.3. n.4. p. 5.n.12. D. Cyril. p.47. n. 35. *Philip.2.7.*

Heb.10.5.

15. *Abass.* Illud ad extremum rogo: an in Christo Verbum sit cum homine adorandum? *Rom.* Duæ in Christi adoratione locutiones instar syrtium sunt vitandæ; duæ, ut stationes fidissimæ sectandæ. Prima, quam vitare debeas, illa est, quam in quæstionem conjecisti. Cave enim, ut dicas, hominem cum Verbo, vel Verbum cum homine adorandum; id enim districtè vetat octavus Canon Concilii Ephesini apud D. Cyrillum hisce verbis: *Siquis audet, & dicit: convenit nos adorare hominem cum Deo, ut glorificetur cum ipso; vel dicatur Deus cum ipso tamquam unus cum alio; anathema sit.* Cujus rei rationem Divus Cyrillus multis locis, & singillatim libro de Incarnatione sic reddit: *Si hominem cum Deo coadorari dixerimus, divisionem apertissimam inducemus. Nam præpositio, Cùm, duo omninò cogit intelligi. Nemo enim dicitur secum convivere, vel concœnare, vel ambulare; duarum enim personarum significationem inducet præpositio verbo præposita. Ità si quis coadorari hominem cum Deo dixerit, duos planè filios dixit, eosque disjunctos.*

Adorandum non est Verbum cum homine, sed cum carne sua.

D. Cyril. p.10. n.14. & p. 51. n. 55.

Idem lib. de Incar.c.16.

16. *Abass.* Quænam altera est locutio evitanda? *Rom.* Illa, quam monet Divus Athanateus p. 1. *Nec dicimus de hoc Filio unigenito, quòd habeat duas substantias; unam, quam adoramus, & aliam, quam non adoramus;* Quæ sæpiùs in vestro Libro repetitur; non tamen illius sensus est, non esse in Christo duas substantias, idest naturas, quarum utraque adoretur; sed duas hypostases, idest, personas, quæ simul adorari non possunt. Ità suum dictum exponit idem Divus Athanateus p. 8. *Non habet*, inquit, *Filius unigenitus duas substantias separatas: unam quæ adoratur, & aliam, quæ non adoratur.* Docuimus autem libro 2. cap. 8. numero 12. personam dici substantiam separatam. Divus Abolidis: *Qui verò credunt duas personas, coguntur aliam adorare, & aliam non adorare.* Divus Joannes Chrysostomus: *Quia Deus Verbum suscepit ex nostra substantia perfectam humanitatem, in qua est anima, & ratio perfecta, in sua Persona; & in ea unitum est Verbum; ideò dicimus, unam substantiam Dei Verbi incarnatam, & factam hominem.* Vide quomodò hi Patres unanimiter affirment, ideò non esse in Christo duas substantias: unam, quæ adoretur, aliam, quæ non adoretur; quia non sunt in eo duæ personæ. Vide Divum Cyrillum, capite sequenti, numero 1. in fine.

Non habet Verbum duas substantias: aliam, quæ adoratur; aliam, quæ non adoratur.

D. Athan. p.1. n.4. & p.8.n.1.

D.Abolid. p.2.n.22.

D. Joan. Chrysost. p.8. n.6.

D. Cyril.

17. *Abass.* Quænam est prior locutio amplexibus astringenda? *Rom.* Illa, quam Divus Athanateus, & prædicti Patres immediatè subjungunt: *Sed una est substantia Dei Verbi, quod incarnatum est, quam adoramus cum carne sua unica adoratione.* Ubi planum est, sermonem esse de persona. Nam si duæ substantiæ, quæ negantur, sunt duæ personæ, ergo una substantia, cujus adoratio permittitur, est una Verbi Persona, quæ carnem suscepit; *Verbum enim caro factum est.* Etsi autem caro substantia sit, non est substantia separata, neque per se, & in se consistens, sed in Persona. *Non habet caro ejus*, inquit Divus Abolidis, *substantiam separatam a divinitate in aliam partem:* Et infrà: *Caro, caro est, non substantia per se ipsam tantùm; nec per se ipsam tantùm est Salvator; neque convenit esse divisam, quasi sit substantia per se ipsam tantùm sine Salvatore; & non separatur ab ea Verbum in substantia sua divina.* Cùm igitur caro non sit substantia per se ipsam, neque à Salvatore separata, sed ipsi assistens, non seorsim per seipsam, sed simul cum Verbo, & Salvatore adoratur eâdem adoratione. Quod sequentibus verbis ex Divi Athanatei, & Cyrilli doctrina haustis explicat Divus Joannes Damascenus. *Adoratur caro in una Verbi*

Una est substantia, ideest, Persona Dei Verbi, adoranda cum carne sua, quæ non est substantia per se ideest, persona. D. Athan. p.1. n.6. Vide eumdem infrà c.21.n.11. *Ioan.1.14.* D. Abolid. P.1. n.11. 32.

D. Joan. Damasc.lib. 3. de Fid. cap.8.

Digitized by Google

Verbi hypostasi, quæ ipsi quidem hypostasis extitit. Qua in re non creaturam adoramus; neque enim ut nudam carnem adoramus, sed ut divinitati unitam; & quia duæ ipsius naturæ ad unicam Dei Verbi Personam, & hypostasim reducuntur. Carbonem tangere ob ignem cum ligno conjunctum pertimesco. Itaque utramque Christi naturam ob unitam carni divinitatem adoro; nec quartam in Trinitatem personam infero. Divus Joannes Chrysostomus purpuræ regiæ, & solii similitudine utitur. *Nullus*, inquit, *dicit Regi, exue purpuram, quâ indutus es, vel surge à throno tuo, ut te adorem; sed adorat Regem super thronum sedentem, & purpurâ vestitum. Sic caro nostra adoratur cum Deo Verbo, quatenus divinitati adest. Et hoc significans David clamat: Adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. Et alius: Terra autem scabellum pedum meorum. Non enim terram adoramus, sed Deum Verbum, qui absque peccato univit sibi carnem, quæ ex terra facta est.*

D. Joannes Chrysost. hom. de Trinit. tom. 3.

Ps. 98. 5. Isai. 66. 1.

18. *Abass.* Quænam postrema locutio admittenda? *Rom.* Cùm Christus simul Deus, & homo sit, simul ut Deus, & homo adorandus. Divus Cyrillus: *Adoratione non est dividendum in hominem seorsim, & Deum seorsim. Nec verò tamquàm Deo conjunctum æqualitate dignitatis, & divisis substantiis cum ipso adorari dicimus hominem. Id enim extremæ impietatis plenissimum esset; sed unum adorandum Dei Verbum, hominem factum, & incarnatum.* Pluribus locis idem docet.

Christus & quà Deus, & quà homo, æqualiter adorandus. D. Cyril. lib. de Inc. cap. 26.

19. *Abass.* Ex his; quæ toto hoc capite disseruisti, quatuor mentem mihi lancinant stimuli. Quorum ille primus. Numero 1. statuisti, Christum esse Deum; quòd Apostoli de eo prædicent in Symbolo: *Unicum Dominum nostrum.* Obstant tamen illa verba Actuum Apostolicorum: *Certissimè sciat omnis domus Israël, quia & Dominum eum, & Christum fecit Deus: hunc JESUM, quem vos crucifixistis.* Si enim Christus à Deo factus est Dominus, non erat ipse verus Deus, ac Dominus. *Rom.* Cùm Christus ab Apostolis Dominus hîc dicitur, verus Deus indicatur; ut Spiritus sanctus à centum, & quinquaginta Patribus Concilii Constantinopolitani, cùm dixere, *Et in Spiritum sanctum Dominum.* Verus enim dominatus soli Deo competit. Undè ipse in libris Moysis illa duo nomina sibi non rarò coaptat: *Ego sum Dominus Deus vester.* Et David Christo: *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Divus Athanasius legit: *Et apparuit nobis*, locum de Christi apparitione in carne interpretatus. Et Divus Thomas, cùm exclamavit: *Dominus meus, & Deus meus.* Domini verò vocabulum Christo attributum, frequentissimum est in scriptis Apostolicis; satisque sint duo, vel tria testimonia. Divus Paulus: *Quia Dominus JESUS Christus in gloria est Dei Patris.* Iterùm: *Nam etsi sunt, qui dicantur dii, sivè in cœlo, sivè in terra (siquidem sunt dii multi, & Domini multi) nobis tamen unus Deus Pater, ex quo omnia, & nos in illum; & unus Dominus JESUS Christus, per quem omnia, & nos per ipsum.* Divus Joannes in Apocalypsi. *Habet in femore suo scriptum: Rex Regum, & Dominus dominantium.* Nec officiunt illa Actorum verba, in quibus Dominus à Deo factus dicitur; non enim factus est Dominus, secundùm deitatem, sed secundùm ipsius manifestationem, ut interpretatur Divus Cyrillus. *Deus verus*, inquit, *declaratur, & demonstratur; & in hoc factus est credentium Dominus, & manifestatum, quòd ipse est Christus.* Sic Jacob dixit: *Erit mihi Dominus in Deum*; idest, faciam, ut ille, quem ut Deum colo, publicè ab omnibus agnoscatur, & perquàm honorificè colatur.

Dominus est Christus, ob veram divinitatem.

Act. 2. 36.

Concil. Constantinopol. 1.

Exod. 20. 2. Ps. 117. 27.

D. Athanas. q. 36. ad Antioch.

Ioan. 20. 28.

Philip. 2. 11. 1. Cor. 8. 5. 6.

D. Cyril. lib. 9. Thes. cap. 3.

Gen. 28. 21.

20. *Abass.* Contra id, quod dixisti numero 3. Christum esse verum Deum, alius me pungit aculeus. Christus ipse, apud Joannem, Patrem allocutus dixit: *Hæc est vita æterna, ut cognoscant te solum Deum verum.* Si Pater solus est Deus verus, à Dei veri solio, ac titulo Christus exturbatur. *Rom.* Cùm paria sint actum agere, & ineptire, id quod jam præstiti lib. 3. cap. 11. numero 5. 6. & 7. de vi clausularum taxativarum *solus, tantum, nisi* & si quæ sunt similes, non iterabo. Compendio tantùm recolam, quod ibi latiùs ostendi; particulas illas (ut, *Nemo bonus, nisi solus Deus*; *Non est alius Deus, præter me*: *Nemo novit filium, nisi Pater*) & alias ibi recensitas, creaturas tantùm, non autem ejusdem essentiæ personas secundùm Theologorum, & Jurisprudentium dogmata, eliminare. Dum ergo Christus ait: *Ut cognoscant te solum Deum verum, creaturæ*, inquit Divus Cyrillus, *à quibus falsò Dei nomen occupatur, non verò Filius repellitur.* Id confirmant illa Christi verba: *De die autem illa, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo, nisi solus Pater.* Cùm Angelos propter Patrem, & super alias creaturas collocaverit, de rationalibus tantùm creaturis, non autem de duabus aliis divinis Personis se locutum indicavit. Quin & in hoc testimonio, cùm præmisisset: *Ut cognoscant te solum Deum verum*: subjecit: *Et quem misisti, JESUM Christum*, quòd & ipse verus Deus esset, æternæque vitæ largitor, ut D. Joannes testatur in Epistola: *Ut cognoscamus verum Deum, & simus in vero Filio ejus. Hic est verus Deus, & vita æterna.* Imò ipsum solum Deum vocat D. Judas in Catholica: *Solum*, inquit, *Dominatorem, & Dominum nostrum JESUM Christum negantes.* Et Ecclesia in hymno Angelico: *Quoniam tu solus Sanctus, tu solus Dominus, tu solus Altissimus JESU Christe.*

Exponuntur verba D. Joannis: Ut cognoscant te solum Deum verum.

Ioan. 17. 3.

Luc. 18. 19. Deut. 32. 39 Matth. 11. 27.

D. Cyril. lib. 10. Th. cap. 6.

Marc. 13. 32.

1. Ioan. 5. 20

D. Judas, 4.

21. *Abass.* Tertius ille me torquet scrupulus. Eum, qui verus Deus sit, videtur alium Deum non habere, Christus autem Deum habet. Nam in Cruce clamavit: *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* Non est ergo verus Deus. *Rom.* Si Christus Deus tantùm esset, Deum non haberet, sed tantùm Patrem; sicut si homo solùm esset, non Patrem, sed Dominum propriè nuncuparet. Sed

Deum habere, quomodò Christus dicatur.

Digitized by Google

cùm simul Deus, & homo sit, eumdem habet & Patrem, & Deum; Patrem, ratione divinitatis; Deum, ratione humanitatis. Ut apud Joannem: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* Et apud Paulum: *Deus Domini nostri JESU Christi, Pater gloriæ.* Et aliquandò Patrem tantùm invocat, ut in Cruce: *Pater in manus tuas commendo spiritum meum.* Aliquandò tantùm Deum, ut illis Matthæi verbis, quæ sincera est Nazianzeni doctrina: *Deus*, inquit, *dicitur, non ratione Verbi, sed ratione partis in oculorum sensum cadentis (quomodò enim illius, qui Deus est, Deus dici queat?) quemadmodùm Pater non humanitatis, sed Verbi respectu. Duplici quippe naturâ constabat.* Et infrà: *Cum natura animo, & cogitatione distinguuntur, simul quoque nomina dividuntur. Quod ex Paulo audire licet his verbis utente: Deus Domini nostri JESU Christi, Pater gloriæ. Vides quomodò Christi quidem Deus, gloriæ autem Pater dicatur. Quamvis enim hæc duo unam Personam efficiant, id tamen non natura fit, sed eorum coitione.* Cùm ergo Christus ait: *Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?* non ut Deus, sed ut homo loquitur. Imò verba sunt humanitatis, jam tum, Adamo prævaricante, à Deo derelictæ. Ità Divus Cyrillus: *Nunquid dicitur, quod Verbum Dei experierit auxilium à cœlo? Ità sentire, ingens esset blasphemia; quia potens est super omnia, sicut Pater. Sed quandò Salvator noster participavit carni, & sanguini, sicut nos, caput suum quasi unius ex nobis, quos Deus à se dimisit, propter prævaricationem in ipsum numeravit. Tunc propter substantiam nostram dixit: Deus meus, Deus meus, utquid dereliquisti me?*

Joan. 20. 17. Eph. 1. 17. Luc. 23. 46. D. Greg. Naz. Orat. 36. Eph. 1. 17. D. Cyril. p. 52. n. 61. & 64. Matt. 27. 46

22. *Abass.* Trabalis ille tandem clavus me configit. Si Christus est Deo similis, & æqualis, ut numero 5. & 6. decrevisti, quo ipse jure profitetur: *Quia Pater major me est?* Pater major; ergo Christus minor, & inæqualis. *Kam.* Si Christum sola clararet divinitas, Patre minor dici non posset; sed cùm illum, non autem Patrem, humanæ naturæ obscuritas opacet, Pater major appellatur. Sicut cùm stellis eadem sit natura, & incorruptio, *stella ab stella differt in claritate*, teste Divo Paulo; & hæc major, illa minor nominatur. Divus Athanasius in Symbolo: *Æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem.* Alibi: *Quatenùs homo factus est, eatenùs Patrem se ipso majorem dicit; quatenùs autem est Verbum Patris, æqualitatem in se conservat.* Theodotus Ancyranus: *Si Pater non est factus homo, manifestum est, Patrem esse majorem Filio.* Divus Aforosius: *Quomodo Deus minor esse potest, cùm Deus perfectus, & plenus sit. Sed minor in natura hominis, æqualis in Dei forma, minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam quomodò eadem posset minor esse, æqualisque natura?* Iterùm: *Numquid & minor, & æqualis per eamdem naturam posset esse? Sed aliud ad divinitatem refertur, aliud ad carnem.* Divus Amphilochius Iconii Episcopus: *Si nosse cupiatis, quo pacto Pater major me sit, respondeo ex carne, non autem ex deitatis persona.* Divus Augustinus: *In quantum Deus ipse, & Pater, unum sunt; in quantum autem homo, Pater major est illo.* Alibi: *Secundùm Catholicam regulam intelligatur Dei Filius æqualis Patri secundùm formam, in qua est; & minor Patre secundùm formam servi, quam accepit.* Divus Cyrillus: *Cùm fuit homo perfectus, propterea vocat Patrem majorem verè.* Et infrà: *Si Verbum hoc proferebat, cùm sit Dominus, & Creator, ipsum de templo corporis sui dicebat.* Ex libro Thesauri: *Relinquitur, ut quia ex Patre Filius, vel (quod magis nos credimus) propter Incarnationis dispensationem, majorem filio Patrem à Scriptura appellatum.* Ex libro ad Theodosium Imperatorem: *Quòd autem dicit: Pater meus major me est; non minor extitit in identitate secundùm substantiam, & secundùm omne, in quo æqualis est, sed propter hominem.* Ex libro in Joannem: *Minorem Patre Filium, in quantum factus est homo, credimus.* Ad quorum Patrum amussim Fidem suam dirigit Divus Leo Magnus: *In forma*, inquit, *servi, quam nostræ reparationis causâ in fine seculorum suscepit, minor est Patre; in forma autem Dei, in qua erat, ante secula, æqualis est Patri.* Infrà: *Unum cum Patre in substantia, quæ nunquàm fuit minor Patre; unum cum Matre in corpore, quod creavit. Qui secundùm nostra minor est, secundùm propria minor non est.* Alibi: *Vado ad eum, qui misit me: Licet unus in utroque sim, tamen, quo vobis conformor, Patre sum minor; quo autem à Patre non dividor, etiam me ipso sum major. Natura itaque, quæ minor est Patre, vadit ad Patrem; ut ibi sit caro, ubi semper est Verbum; & una Catholica Ecclesia Fides, quæ secundùm humanitatem non diffitetur minorem, secundùm deitatem credat æqualem.*

Exponuntur verba: Quia Pater major me est. Joan. 14. 28. 1. Cor. 15. 41. D. Athanas. in Symb. & lib. de Human. natura à Verb. susc. contr. Apollinar. Theodot. Ancyr. p. 1. D. Ambros. lib. 2. de Fid. c. 4. Lib. 5. c. 7. D. Amphil. apud Theodoret. in Polyphormo. D. August. in Enchirid. cap. 3. Lib. 2. de Trinit. c. 1. D. Cyril. p. 55. n. 45. 46. Lib. 2. Thes. c. 3. Lib. ad Theodos. Lib. 10. in Joan. cap. 5. D. Leo Serm. 3. de Nativit. Serm. 3. de Pentecoste. Joan. 16. 5.

23. *Abass.* Religionem incutiunt proxima Divi Leonis verba: *Quo autem à Patre non dividor, etiam me ipso sum major. Romanus.* Nihil est, quod turberis. Nam Christus in eo, quo à Patre non dividitur, idest, divinitate, æqualis est ipsi; in eo autem, quo à Patre dividitur, idest, humanitate, ut Patre, sic etiam Spiritu sancto, & se ipso, quatenùs Deus est, minor est. Quem sensum admittunt illa verba Divi Pauli: *Semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Divus Augustinus: *Minor Patre secundùm formam servi, quam accepit; in qua forma non solùm Patre, sed Spiritu sancto (neque hoc tantùm) sed etiam se ipso minor inventus est; non se ipso, qui fuit, sed se ipso, qui est; quia forma servi accepta, formam Dei non amisit.* Imò Christus in forma servi minor est Angelis, teste Paulo, qui proferens illud Davidis testimonium:

Christus, ut homo, se ipso, ut Deus, minor est. Philip. 2. 7. D. August. lib. 2. de Trinit. c. 11.

Minuisti

Ps. 8. 6. Heb. 2. 9. *Minuisti eum paulò minùs Angelis*, subdit: *Eum autem, qui modicùm, quàm Angeli minoratus est, videmus JESUM propter passionem mortis, gloria, & honore coronatum.* Divus Cyrillus: *Minoratus est paululùm ab Angelis propter mensuram humanitatis, quæ in ipso est; verum in celsitudine* D. Cyril. p. 52. n. 17. 22. *divinitatis suæ ipsi Angeli ministraverunt, & ipsum adoraverunt.* Si velis addere, ipsum quoque in servi forma cunctis hominibus abjectiorem fuisse, nec Sacræ litteræ, nec Patres contradicent. Ipse enim apud Davidem ait: *Ego autem sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, & abjectio* Ps. 21. 7. *plebis.* Isaias: *Despectum, & novissimum* Isai. 53. 3. *virorum.* Divus Aforosius: *Quid miraris, si ex forma hominis Patrem dixit majorem,* D. Ambros. lib. 2. de Fide cap. 4. *qui in forma hominis se vermem esse dixit, non hominem? Sed non minor natus, sed minoratus; hoc est minor factus.* D. Cyrillus: D. Cyril. lib. ad Reg. *Ut nullius non creaturæ conditionem multis partibus excellit, ut Deus; ità ut homo semetipso quodammodò minor existit.*

CAPUT V.

Explicatur attentiùs illud verbum Symboli: Filium ejus; *Et Christus verus, ac naturalis Dei Filius, non adoptivus, neque per gratiam ostenditur.*

Christus verus Dei Filius.

1. *Abass.* Ut Christus verus est Deus, itáne verus Dei Filius? *Rom.* Ut Joannes in sua Epistola ipsum expressè verum Deum nuncupavit, dicens: *Hic est* 1. Joan. 5. 20 *verus Deus, & vita æterna*, ità verum Dei Filium, addens: *Ut simus in vero Filio* Cap. 4. 9. *ejus. In hoc apparuit charitas Dei in nobis, quia Filium suum unigenitum misit in mundum.* In Evangelio: *Sic Deus dilexit mundum,* Joan. 3. 16. *ut Filium suum unigenitum daret;* Suum, idest, verum, ac proprium, sicut locutus est Divus Paulus: *Qui etiam* Rom. 8. 32. *proprio Filio suo non pepercit. Quemadmodùm enim*, inquit Divus Cyrillus: *homini, & unicuique animanti proprium est,* D. Cyril. in Epist. ad Monachos Ægypti. *quod ex ipso secundùm naturam natum est, ità proprium Dei est, quod ex ipsius essentia esse intelligitur, ac dicitur. Est itaque manifestum, quòd unitatis verbum usurpatum, necessariò Dei proprium Filium pronuntiet eum, qui ex sancta Virgine natus est.* Divus Aforosius in iis verbis, quæ vester Liber proponit, in Latino textu sic habet: *Paulus dicit: Misit Deus Filium* D. Ambros. p. 1. n. 1. ex lib. 1. de Fide, cap. 6. *suum factum ex muliere. Filium, inquit, suum, non unum de multis; non communem, sed suum. Suum cùm dicit, generationis æternæ proprietatem signavit.* Theophilus Alexandrinus: *Ipse est verè Filius, invisibilis ex invisibili.* Divus Cyrillus: *Si-* Theoph. Alex. p. 1. n. 3. 4. D. Cyril. p. 51. ex lib. exposit. 12. Anathem. *quis dicit duos esse filios: unum, quem adoramus; & alium, quem non adoramus; & non dicit, unum esse Filium unigenitum, Verbum, quod venit à Patre, JESUM Christum, Filium Dei verum, quem adoramus una adoratione cum carne sua; anathema sit.*

2. *Abass.* Estne Christus Dei Filius gratiâ, & adoptione, an genuinus, ac naturalis? *Rom.* Hanc controversiam Patres in vestro Libro septem pronuntiatis dirimunt. Primum est; Deo Patri non esse duo filios, sed unicum. Secundum; si Christus esset Dei Filius gratiâ, & adoptione; Deo Patri duos filios adfuturos. Tertium; eamdem Verbi Personam, eumdémque Dei Filium, qui apud Patrem fuit ab æterno, esse illum, qui ex Virgine incarnatus est, & natus; sed duas habuisse nativitates. Quartum; hunc æternum Dei Filium, postquàm conceptus, & natus est, id, quod priùs erat, permansisse. Quintum; Christum Dei Filium dici, non solùm quatenùs Deus est, sed etiam inquantum homo. Sextum; hunc Dei Filium, non ità dici filium sicut aliquem ex Angelis, & Prophetis. Septimum; non esse Filium Dei gratiâ, vel adoptione, sed naturâ. Septem pronuntiatis Patres ostendunt, Christum esse naturalem Dei Filium; non autem per gratiam.

3. *Abass.* Ede Patres, qui asserunt, Patri non esse duos filios, sed unum. *Rom.* Antesignanus est Divus Gregorius Thaumaturgus, cùm affirmat: *Si quis dixerit: alius est Dei Filius, qui erat ante mundum;* D. Greg. Thaum. p. 3. n. 1. Apoc. 1. 8. *& alius est Filius Mariæ; & non credit, ipsum fuisse antè omne tempus, & esse unum, & eumdem: primum, & novissimum; anathema sit.* Divus Athanateus: *Neque dicimus esse duos; unum Deum, quem adoramus; & alium verum hominem ex Maria;* D. Athanàt. p. 1. n. 7. *quem non adoramus; quia non est Filius Dei per gratiam, sicut homo.* Divus Gregorius Nyssenus: *Hic est Filius meus, quem diligo, in quo mihi benè complacui. Hic unus,* D. Greg. Nyss. p. 2. n. 6. & 11. Matth. 3. 17. *non sunt duo; alter Filius meus, alter Filius Mariæ.* Et infrà: *Ne faciatis Filium meum seorsim; & carnem, quam assumpsit seorsim.* Abolidis: *Nos prædicamus, non esse duos:* D. Abolid. p. 2. n. 7. *unum Filium divinum verè, hominis gestatorem; & alium hominem mortalem, qui non est de cœlis à Patre.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Siquis credit in duos filios: unum* D. Greg. Nazianzen. p. 4. n. 18. ex Orat. 51. ad Cledon. *ex Deo, alium ex Virgine; & non credit, unum esse Deum Verbum, cadat à nativitate, quam electi prædicaverunt.* Divus Joannes Chrysostomus: *Non dico, quòd sit homo* D. Joan. Chrysost. p. 8. n. 4. *sejunctus tantùm in sua persona; & non est separatus à Dei Verbo, ut sint duo: Filius Dei, & Filius hominis.* Non sunt duo filii, sed unicus.

4. *Abass.* Efferto Patres secundi pronuntiati assertores; si Christus esset Dei Filius gratiâ, & adoptione, Patri duos filios adfuturos. *Rom.* Æterno Patri naturalem, & consubstantialem ab æterno Filium emicare libro 3. cap. 7. numero 13. & cap. 8. numero 9. & 10. eum verò unicum esse; nec duos, vel plures dari posse, capite 9. numero 11. & 12. demonstravi. Undè sequitur, si Christus esset gratiæ filius, duos Deo Patri filios: alterum naturæ, alterum gratiæ adscribendos. Nam idem naturæ, & gratiæ filius esse non potest, cùm se invicem natura, & gratia elidant. Nam filius Si Christus esset Filius Dei per gratiam, necessariò Deus duos filios haberet.

Digitized by Google

naturæ consubstantialis est, & intimus generanti; gratiæ, & adoptionis filius aliundè, & ab alterius parentis naturalis domo in alienam familiam pertractus; de quo dixi libro 3. capite 8. numero 11. & inferiùs aliquid adjiciam. Hoc ergo pronuntiatum duo sequentes Patres corroborant: Divus Athanateus ubi suprà numero 3. & infrà: *Qui dicit, Filium Dei esse alium ab homine, qui natus est ex Maria, & facit eum filium per gratiam, sicut & nos, ità ut sint duo; & una substantia sit Filius Dei, & alia per gratiam homo ex Maria Virgine; anathema sit.* Divus Cyrillus: *Si verò dixerint de Vnigenito, quòd data est illi hæc dignitas per gratiam, non fuit unus numero, sed est unus cum alio.* Aliò loco: *Audent dicere: Verbum Dei elegisse hominem ex semine David, & se illi conjunxisse, & ei dedisse dignitatem filii; & primò omnium inducunt divisionem in duos; & Dei mysterium insipientiâ contorquent.*

D. Athanas. p. 1. n. 26.

D. Cyril. p. 46. n. 1. p. 5. n. 3. ex lib. expos. Symb. Nic.

5. *Abass.* Ad tertii pronuntiati auctoritatem firmandam convolato. *Rom.* Tres illud partes habet. Prima; Christum esse unam, & eamdem Verbi Personam. Secunda; eundem esse Filium, qui ab initio erat apud Patrem; & eum, qui incarnatus est, atque natus ex Virgine. Tertia; hanc eamdem Personam, & Filium habuisse duas nativitates. De prima Divus Athanateus: *Dicimus eum unam Personam esse, ante Incarnationem, & post Incarnationem.* Divus Gregorius Nazianzenus: *In una Persona ipsum genuit Beata Virgo.* Divus Cyrillus: *Vnus est Filius unigenitus; Et quandò incarnatus est, unus est, & non est factus duæ personæ, sed unus est Filius.* Quæ veritas desumitur ex ipsis Evangelii, & Epistolarum Divi Joannis Cardinibus. Nam Evangelium sic auspicatur: *In principio erat Verbum, & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Ubi de vero Dei Filio est sermo; qui Verbum dicitur; quia hoc nomen ad exprimendam intellectualem generationem aptius est, quàm quodvis aliud, ut libro 3. capite 9. numero 13. & 14. insinuavi; de quo tandem subdit: *Et Verbum caro factum est.* Ergo eadem Verbi Persona carnem assumpsit. In Epistola: *Quod fuit ab initio, quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ; & vita manifestata est, & vidimus, & testamur, & annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat apud Patrem, & apparuit nobis.* En eadem vita, & idem Verbum, quod erat apud Patrem, manifestatum fuit hominibus, & ab iisdem contrectatum. Tandem in Apocalypsi, cùm dixisset: *Et vestitus erat veste aspersa sanguine*, quæ verba in Christum cadunt Isaiæ ore confitentem: *Aspersus est sanguis eorum, super vestimenta mea, & omnia indumenta mea inquinavi*, subdit: *Et vocatur nomen ejus Verbum Dei.* Eadem igitur Persona est Verbi, atque Christi.

Christi Persona est eadem, ac Verbi.

D. Athan. lib. de Incar. contr. Paul. Samos.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 38.

D. Cyril. p. 51. ex lib. expos. 12. Anathan.

Joan. 1. 1.

Joan. 1. 14. 1. *Joan.* 1. 1. 2.

Apoc. 19. 13.

Isai. 63. 3.

6. *Abass.* Rectè quidem de Persona; alteram pronuntiati partem expone. *Rom.* Eumdem esse Filium, qui incarnatus est; & eum, qui erat apud Patrem, indè probatur; quòd illo primo capite Joannis Verbum, quod caro factum est, Patris unigenitus vocatur. *Verbum*, inquit, *caro factum est, & habitavit in nobis, & vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre.* Et infrà: *Vnigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Et capite 3. *Sic Deus dilexit mundum, ut Filium suum unigenitum daret.* Divus Paulus: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Iterùm: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere.* Divus Athanateus: *Est Filius unigenitus Dei, & est idem, qui natus est iterùm ex Sanctissima Virgine Maria in carne novissimis temporibus; & non est alius.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Quia est Deus Verbum ante humanitatem suam; & postquàm incarnatus est, & natus ex Maria Virgine, est idem.* Divus Cyrillus: *Idem natus est ex Patre, & natus est etiam ex muliere in carne.* Infinita alia testimonia omitto, & aliqua reservo ad caput 4. lib. 6.

Qui incarnatus est, est idem ille Filius, qui erat apud Patrem.

Ioan. 1. 14. 18.

Ioan. 3. 16. *Rom.* 1. 3. *Galat.* 4. 4.

D. Athanat. p. 1. n. 9.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 34.

D. Cyril. p. 12. n. 10. ex Epist. 2. adv. Nestor.

7. *Abass.* Ne illa omittas, quæ opportuna sunt ad tertiam tertii pronuntiati partem fulciendam, de duplici Filii Dei nativitate. Divus Athanateus: *Credimus in Filium Dei, qui natus est à Patre in divinitate ante mundum, cujus nativitas non habet principium; & iterùm natus est ex Sanctissima Virgine Maria novissimis temporibus propter salutem nostram.* Divus Basilius: *Vlteriùs convenit nobis credere, Filium Dei habere duas nativitates; primam à Deo Patre ante omne tempus; Secundam ex Sanctissima Virgine Maria in novissimis diebus.* Natalisan, sivè Divus Damasus: *Est Dei Filius per priorem nativitatem ex Deo Patre; & factus est Filius hominis per nativitatem, quæ nunc est ex Virgine.* Divus Ephrem: *Dominus noster JESVS Christus natus est à Patre, & iterùm natus est ex Sanctissima Virgine.* Divus Aforosius: *Nativitas ejus in divinitate est ante legem, & iterùm posteà fuit ejus nativitas in carne.* Sayrus, sivè Severianus Elæ Episcopus: *Credimus in Verbum, quòd sit Filius Dei in eo, quod dici non potest. Et præterea natus est super terram novissimo tempore.* Theodotus Ancyranus: *Qui non habet carnem in sua priori substantia cum Patre, posteà induit substantiam hominis, & natus est ex Sanctissima Virgine Maria.* Divus Epiphanius: *Hic, qui natus est à Patre, præterea natus est ex Sanctissima Virgine Maria.* Divus Cyrillus: *Priùs natus est à Patre in divinitate; & novissimo tempore, cùm unus tantùm esset, natus est ex Domina nostra, Sanctissima Virgine Maria, in humanitate.*

Idem Dei Filius duas habuit nativitates.

D. Athanat. p. 1. n. 1.

D. Basil. p. 5. n. 5.

Natalisan. n. 3.

D. Ephrem. p. 1. n. 5.

D. Ambros. p. 1. n. 6.

Sayrus, vel Severianus.

Theodot. Ancyr. p. 1. n. 14.

D. Epiph. p. 8. n. 4.

D. Cyril. p. 14. n. 3.

8. *Abass.* Quarto pronuntiato defensores adhibeto: nempè, hunc æternum Dei Filium post temporalem generationem

Idem, qui erat, permansit Dei Filius homo factus.

Digitized by Google

rationem idem, quod priùs erat, permansisse. *Romanus.* Divus Athanateus: *Non est mutatus ab illo, quod in eo erat, scilicet, à majestate substantiæ divinitatis investigabilis.* Alibi: *Nec verbum mutatum est à substantia divinitatis suæ, cùm esset in carne. Ipse enim Filius dicit per os unius Prophetarum: Videte, quòd ego sum, & non mutor. Et Paulus ait: JESUS Christus heri, & hodie, ipse & in secula.* D. Gregorius Nyssenus: *Apparuit in carne, & est Filius unigenitus, qui est in sinu Patris, sicut Joannes Evangelista ait: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre. Quia est increatus, qui extitit ante mundum; & ipse idem est sine mutatione, & erit omni tempore.* D. Gregorius Armenius: *Non est minoratus, propter carnem, sed est antiquus dierum, & erit in æternum cum Patre suo beneficio.* D. Feliquis Pontifex Romanus. *Credimus, esse Dei Filium ante mundum, & habitasse in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ in novissimis temporibus.* D. Heraclis apud Sayros, sive Severum hæreticum. *Quia Verbum factum est homo verè, & non dimisit à se substantiam suam, sed ille est Deus primus factus homo sine mutatione.* D. Cyrillus: *Qui est Verbum unigenitum à Patre, homo factus est, & non discessit à gloria divinitatis suæ, & Deus permanebit in humanitate sua; & est Dominus in forma servi.* Iterùm: *Ille Deus Verbum factus est homo, & sublimitas divinitatis ejus depressa non fuit.* Iterùm: *Unus est Dominus noster JESUS Christus, Dei Filius, qui sumpsit carnem hominis, & unitus est ipsi, & perdurat in æternum in proprio opere.* Et infrà: *Credimus, & dicimus, ipsum Dei Verbum participasse carni, & sanguini; & factum esse hominem, sicut nos, & permansisse in proprio opere in divinitate sua, victorem mortis.*

D. Athanas. p.14.n.6. P.15.n.60. *Malach.* 3. 6. *Heb.* 13.8. D. Greg. Nyss. p.1. n.8. *Ioan.* 1.14. D. Gregor. Arm. p.1. n.7. D. Felix. p.3. D. Proclus in Epist. ad Armē. apud Sayrum p. 1.n.4. D. Cyril. p.1.n.3. P.5.n.6.9. P.52.n.28. 31. ex lib. ad Regin.

Christus etiam quà homo, est Filius Dei naturalis.

9. *Abass.* Horribile videtur, quod in quinto pronuntiato affirmâsti, Christum non solùm esse Dei Filium, quatenùs Deus est, sed etiam quatenùs homo est. *Rom.* Omnem horroris speciem excussit tertium pronuntiatum, in quo statutum est Filii Dei, & filii hominis, sive Dei, & hominis unam, & eamdem esse personam. Indè enim sequitur, Christum non solùm quatenùs Deus est, sed quatenus homo, Dei Filium esse. Undè illi jam facto homini, seu quatenùs homo est, illud nomen applicatur, Angelo dicente: *Ecce concipies in utero, & paries Filium, & Filius Altissimi vocabitur.* Et infrà: *Quod nascetur ex te sanctum, vocabitur Filius Dei;* Vocabitur nempè post Conceptionem, & Nativitatem; imò in Baptismo, & Transfiguratione. Ibi enim audita est vox Patris contestantis: *Hic est Filius meus dilectus. Hic unus*, inquit D. Gregorius Nyssenus, *non fuit duo; alter filius Mariæ, alter Filius meus. Non est alius, qui baptizatus est, & alius, qui non est baptizatus; sed hic est unus tantùm, quem intelligitis, & videtis.* Theophilus Alexandrinus: *Pater de cœlo contestatur, & dicit: Tu es Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui; Ut & homo factus nostra confessione permanere dicatur, quod fuit, priusquàm homo fieret, Paulo nobiscum eadem prædicante: JESUS Christus heri, & hodie, ipse & in secula. In eo, quod dicit: Ipse: ostendit, illum pristinam non mutasse naturam, nec divinitatis suæ imminuisse divitias, qui propter nos pauper effectus, plenam similitudinem nostræ conditionis assumpserat.* Alibi: *Non illum privavit Pater natura sua nomine, postquàm pro nobis homo, & pauper effectus est; nec in Iordane fluvio baptizatum alio nomine appellavit, sed Filium unigenitum.* D. Cyrillus: *JESUS Christus non nudum, & secundùm se intelligitur Verbum, sed quando accepit humanitatem, & inconfusè carni adjunctum est. Ità se habentem, & visibilem, & in nostra specie Sanctis Apostolis ostendit Pater, superne demissa hac voce: Hic est Filius meus dilectus. Vides, quomodò Filius est, ut seorsùm, sicut alius ab alio, sed unus, & idē intelligitur.* D. Joannes Chrysostomus: *Paulus ait: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri JESV Christi. Non dixit: Pater Verbi, sed Pater Domini nostri IESV Christi; quia hic unus Dei Filius, ipse est simul Deus, & homo.* Vide Theodotum Ancyranum infrà cap. 24. num. 357. Addo tamen ad calcem; licèt Christus sit Dei Filius non solùm, quatenùs Deus est, sed quatenùs homo, non tamen esse Deum, nec Dei Filium secundùm humanitatem, sed tantùm secundùm deitatem; hæc enim vera radix est: cur, & quà Deus, & quà homo & Deus, & Filius Dei, ut pandunt illa verba D. Cyrilli: *Primò omnium divisionem inducunt in duos, & virtutem mysterii in insipientia contorquent, dicentes: Christum esse Deum secundùm humanitatem.* D. Athanateus: *Est homo in carne, & Filius Dei in divinitate.*

Luc. 1. 31. 32. 35. *Matt.* 3.17. & 17. 5. D. Greg. Nyss. p.2. Theoph. Orat. 1. Paschali. Idem Orat. 2. Paschali. D. Cyril. lib. ad Theodos. Imperatorē *Matth.* 3. 17. D. Joan. Chrysost. p.13.n.4. *Eph.* 1.3. Christus non est Deus secundùm humanitatem. D. Cyril. P.5.n.5. D. Athanas. P.1.n.13.

Christus non est Dei Filius, sicut aliquis hominum, vel Angelorum.

10. *Abass.* Quid ad rem facit sextum pronuntiatum, quod astruit, Christum non ità dici Dei Filium, sicut aliquem ex Angelis, & Prophetis? *Rom.* Dicuntur quidem Angeli aliquandò Dei filii, ut apud Job. *Cùm venissent Filii Dei, ut assisterent coram Domino.* Et iterùm: *Ubi eras, cùm me laudarent astra matutina, & jubilarent simul omnes Filii Dei.* Hominibus etiam id nomen accomodatur, ut in Psalmo: *Ego dixi dii estis, & filii Excelsi omnes:* Quod de Prophetis, ac sanctis viris Christus ipse interpretatur apud Joannem: *Si eos dixit deos, ad quos sermo Dei factus est.* Idem Joannes in Epistola: *Videte, qualem charitatem dedit nobis Pater, ut Filii Dei nominemur, & simus.* Hæc autem Angelorum, & hominum filiatio naturalis non est, sed adoptiva. *Accepistis*, inquit Paulus, *Spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus: Abba, Pater.* A quo procul abest Christi filiatio. D. Gregorius Thaumaturgus: *Si quis dixerit de verbo, quòd sit purus homo, & sicut unus ex Prophetis; & non credit, ipsum natum fuisse ex Virgine, & hominem factum; anathema sit.* Et infrà: *Quomodò dicunt, Christum, qui homo perfectus est, esse sicut unum ex Prophetis; cùm ipse Dominus factus sit homo ex carne Virginis?* D. Athanateus: *Non est factus sicut unus ex sanctis, sed est Deus, qui factus est caro.*

Ioan. 10.35. 1. *Ioan.* 3.1. *Rom.* 8.15. D. Greg. Thaum. p.3.n.20. D. Athanas. P.4.n.19. P.15.n.19. ex Epist. ad Epictet.

Digitized by Google

P.15.n. 140. Iterùm: *In quo opere nominari volunt Christiani, qui dicunt, Verbum Dei habitasse in homine sancto, sicut in uno ex Prophetis?* Et

Joan.1.14. infrà: *Si Verbum super eum habitavit, sicut in omnibus Prophetis, quare de hoc solo, qui natus est ex Maria Virgine, dictum est: Verbum caro factum est?* D. Abolidis. *Oseas Propheta dicit de Deo Verbo: Quia Deus ego, & non sum factus, sicut homo sanctus. Hæc, & similia dicit Deus Verbum, quia homo futurus erat. Si quis dixerit, esse hominem sanctum, & non esse Deum; anathema sit.* D. Epiphanius: *Non habitavit in homine, sicut in aliis Prophetis; & virtutem in illis fecit; sed est Verbum caro factum.* Iterùm: *Non habitavit in eo, sicut in aliis hominibus; sed ipse sibi tantùm carnem assumpsit, & conjunxit in unione; non sicut omnes Prophetæ, quibus inspiravit, & locutus est.* D. Gregorius Nazianzenus: *Si quis dixerit, Salvatorem fecisse miracula per gratiam, sicut unum ex Prophetis; & non dicit, ipsum creasse sibi humanitatem, & conjunxisse duo in virtute, vacuus sit à beneplacito Verbi, & perfectus in beneplacito Belial.* D. Cyrillus: *Hunc Filium unigenitum, Verbum Patris, qui natus fuit ex Virgine, faciunt illi Hæretici quasi unum ex sanctis Prophetis, qui priùs fuerunt.* Et infrà: *Deus non habitat in Christo, sicut habitat in nobis; sed ipse Deus apparuit super terram, & factus est homo sicut nos.*

D. Abolid. Sive D. Julius p.4. n.2. *Os.* 11. 9.

D. Epiph. p.7.n.13. P.11.n.4.

D. Greg. Naz.p 4. n.33.

D. Cyril. P.51.n.47.

Et n.48.

Christus est Dei Filius naturalis, & non per gratiam.

11. *Abass.* Quinam sunt ultimi pronuntiati fidejussores? *Rom.* Omnes Ecclesiæ Doctores; ex quibus paucos audi. D. Athanateus: *Non fuit Filius Dei per gratiam, sicut homo.* Infrà: *Est Filius Dei in substantia, & est Deus verus, & non per gratiam, neque per communicationem divinitatis.* Alibi: *Nec natum est Verbum ex Maria in carne, ut esset electum; sed ut esset Salvator hominum.* Alibi: *Ipse naturâ est Filius Dei, nos autem ex gratia, sive dono.* D. Julius Pontifex Romanus: *Est perfectus Deus in carne, & homo perfectus in spiritu; non duo Filii, sed unus germanus Filius.* D. Basilius: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre; & in hoc cognoscitur, quòd hoc donum non est ipsi datum in gratia, neque donatione, sed in unione unius substantiæ divinitatis.* D. Gregorius Nazianzenus: *Si quis dixerit, hominem creatum fuisse, & posteà Deum in ipsum intrasse; anathema sit.* Et infrà: *Si quis dixerit, ipsum factum fuisse dignum, qui esset Filius propter opus perfectum post Baptismum, aut Resurrectionem; anathema sit.* Alibi: *Filius est non gratiæ ratione, sed naturæ.* D. Aforosius: *Illi Pater est proprietate naturæ; nobis Deus pater esse cæpit per Filium, non naturæ jure, sed gratiæ.* Infrà: *Per adoptionem nos filii dicimur, ille est per veritatem naturæ.* D. Augustinus: *Cùm esset unicus Dei Filius, non gratia, sed natura; ut esset plenus gratia, factus est & Filius hominis.* D. Epiphanius: *Non est homo, qui crevit, & posteà data est ei divinitas per gratiam.* D. Cyrillus: *Non est glorificata divinitas per gratiam, quoniam tota ipsa gloria est.* Alibi: *Non est constitutus in dignitate, ut Deus esset, sed ut nos liberaret à morte, & corruptione, & factus est sicut nos.* Alibi: *Dicit: Gratia Dei erat cum illo; non dicit, ipsum sumpsisse gratiam ab alio; sed: erat cum illo, sicut convenit divinitati.* Infrà: *Ducit nos in illud miraculum D. Paulus, dicens, quòd perfecta divinitas habitavit in carne, non per lucrum, neque per receptionem, neque per donum gratiæ, sed corporaliter per esse substantiæ.* Alibi: *Nos per gratiam Filii Dei sumus, Verbum verò Dei Filius secundùm naturam.* Alibi: *Deus ipse secundùm naturam est, nos per adoptionem ad fraternitatem ejus vocati.* D. Leo: *Hic est Filius meus dilectus, quem à me separat deitas, non dividit potestas, non discernit æternitas. Hic est Filius meus; non adoptivus, sed proprius; non aliundè creatus, sed ex me genitus; nec de alia naturâ mihi factus comparabilis, sed de meâ essentiâ, mihi natus æqualis.*

P.15.n.124. Lib. de Incarn. contra Paulum Samosat. D. Jul. apud D. Cyril. in Apolog. contr. Orient. in 4. Anathem. *Joan.*1.14. D. Basil. p. 4. n.15. D. Greg. Naz. p.4. n.17. ex Epist. ad Cledon. Orat. 51. n.37. D. Ambros. lib.1. de Fide cap.6. & 9. D. August. Enchirid. cap.35. D. Epiphan. P.9.n.10. D. Cyril. p.3.n.18. P.51.n.11. P.52.n.56. 82. *Luc.*2.40. *Coloss.*2.9. D. Cyril. lib.3. Thes. cap.4. & lib.12. cap.13. D. Leo serm. de Transfigur. *Matt.*17.5.

Idem simul naturæ, & gratiæ filius esse non potest.

12. *Abass.* Potestne simul Christus esse Patri suo naturalis: & gratiæ, sive adoptionis filius? *Rom.* Quæ dixi lib. 3. cap. 8. num. 11. cùm de Verbo agerem, huc ex integro transcribenda; ubi quatuor rationes congessi, ut probarem, æternum Dei Filium adoptionis prolem dici non posse; quibus quinque aliæ adjiciendæ. Prima, quæ jam tacta num. 4. Christum, si naturæ simul, & gratiæ ubera, quasi filius suxisset, non unicum, sed duplicem futurum. Secunda, filiationem adoptivam post tempus advenire (ut Moysi, cùm jam adultus esset) naturalem verò à principio inesse; Christus autem, cùm nondùm homo factus esset, jam Filius Dei erat. *Antequàm*, inquit, *Abraham fieret, ego sum.* Iterùm: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum, vos dicitis: Quia blasphemas: quia dixi, Filius Dei sum.* Priùs eum Pater sanctificavit, & posteà in mundum misit. Quid est, sanctificavit? D. Augustinus: *Ut sanctus esset, gignendo ei dedit, quia sanctum eum genuit.* D. Aforosius eo loco, quem num. 1. adduximus: *Paulus ait: Misit Deus Filium suum factum ex muliere. Suum, cùm dicit, generationis æternæ proprietatem signavit. Hunc posteà factum ex muliere asseruit.* In vestro textu: *Dixit de Filio, quòd sit Deus; & quòd hic posteà factus sit ex muliere in carne.* In Epistola ad Hebræos: *Novissimè locutus est nobis in Filio, quem constituit hæredem universorum, per quem fecit & sæcula.* Ergo jam ante sæcula, & tempora, ut Filius unigenitus in paterno sinu exultabat. Tertia, ii, qui gratiæ beneficio adoptantur, priùs *naturâ iræ, & tenebrarum filii* nascuntur, teste Paulo. At Christus paterni amoris, & beneplaciti semper Filius fuit. *Qui*, inquit Paulus, *eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum Filii dilectionis suæ.* Et Pater ipse: *Hic est Filius meus dilectus, in quo mihi benè complacui.* Ipse est *splendor gloriæ, & lux vera, quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum.* Quomodò alios illuminaret, si ipse lucis gratiâ egeret? Quarta, Christi filiatio causa est filiationis hominum, ut testatur D. Paulus: *Qui prædestinavit*

P.52.n.56. 82. *Luc.*2.40. *Coloss.*2.9. *Exod.*3.10. *Joan.*8.58. *Joan.*10. 36. D. August. tract.48. in Joannem. D. Ambros. p.1.n.2. ex lib.1. de Fid. cap.6. *Hebr.*1.2. *Eph.*2.3. *Coloss.*1.13. *Matth.*3.17. *Heb.*1.3. *Eph.*1.5.

Digitized by Google

1. Petr. 1. 4. *stinavit nos in adoptionem filiorum per* ✝ *JESUM Christum.* D. Petrus : *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Divinæ autem naturæ consortium hominibus tribuit adoptiva filiatio, quæ ob Christi filiationem non tribueretur, si ipsa ejusdem esset conditionis. Nam juxta Philosophos : *Propter quod unumquodque tale, & illud magis.* Imò Christus adoptivæ filiationis jus hominibus tribuit : *Dedit*, inquit Joannes, *eis potestatem filios Dei fieri.* D. Cyrillus : *Qui dedit potestatem hominibus Filios Dei per gratiam fieri, non potest ipse Dei Filius per gratiam esse.* Quinta, naturalis filiatio, vera est, adoptiva ad veræ similitudinem, & filiorum indigentiam supplendam excogitata : *Quos*, inquit Paulus, *præscivit, & prædestinavit, conformes fieri imagini Filii sui.* Veritas autem fictionem, & similitudinem longè antecedit. Undè Christi, & Angelorum filiationem invicem componens idem Apostolus ait : *Tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditavit. Cui enim dixit aliquando Angelorum : Filius meus es tu, ego hodie genui te?* Si enim Christi filiatio per gratiam esset, hanc & Angeli nanciscuntur, cùm Dei Filii dicantur; sed quia ex Dei utero, ideſt, substantia non egrediuntur, idcircò Christus *differentius præ illis nomen hæreditavit.*

Aristotel.

Ioan. 1. 12. D. Cyril. lib. 12. Thes. cap. 13.

Rom. 8. 29.

Hebr. 1. 4. Ps. 2. 7.

Homines sunt Dei Filii per gratiam habitualē.

13. *Abass.* Cùm dicis, Christum non esse adoptionis, & gratiæ filium, sicut homines, quam gratiam intelligis : habitualem, an unionis? *Rom.* Angeli, & homines habitualis gratiæ, & infusæ charitatis beneficio Dei Filii adoptivi constituuntur. De qua Paulus : *Charitas Dei diffusa est in cordibus nostris per Spiritum sanctum, qui datus est nobis.* Iterùm : *Propter inhabitantem Spiritum ejus in nobis.* Iuſrà : *Quicumque Spiritu Dei aguntur, ii sunt filii Dei. Non enim accepistis spiritum servitutis iterùm in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus : Abba, Pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus Filii Dei.* Quibus locis spiritûs nomen, juxta doctrinam Concilii Tridentini, pro gratia, & charitate usurpatur. Si verò unionis gratia in quovis Angelo, vel homine resideret, is naturalis Dei Filius esset, non gratiæ beneficio dicendus.

Rom. 5. 5.

Rom. 8. 11. Ps. 15. 16.

Concil. Trident. sess. 6. cap. 7.

Gratia habitualis fuit in Christo; tamen illum gratiæ filium non effecit.

14. *Abass.* Gratiam habitualem, arbitror, Christo insedisse; si insêdit, otiosam esse non decebat; esset autem, si, cùm alios, quibus adest, Dei filios juxta suam conditionem efficiat, ipsum quoque gratiæ filium non concinnaret? *Rom.* Christum habitualis gratia, & illius plenitudo non defecit, *Gratia Dei*, inquit Lucas, *erat in illo. JESUS proficiebat sapientia, ætate, & gratia*; nempè habituali, quæ accretionem patitur, non autem gratia unionis, cùm ex divinæ Personæ, quæ ubique est immutabilis, dignitate profluat. At in Christo habitualis gratia adoptivæ filiationis effectum sortiri non potuit; quia cùm ipsi accessit, jam naturalem Dei Filium reperit, & præoccupatum gratiâ unionis, quæ radix est omnium donorum. Hæc autem unionis gratia Christum gratiæ filium reddere non potuit, quia Verbi Personam, quæ Patris est unigenitus, naturalisque fœtus, humanæ naturæ coaptavit. Naturalem verò filium, simul esse adoptivum, contradictionem involvit. Nec ideò habitualem gratiam in Christo torpêre existimandum, cùm justum sit creatæ ipsius humanitatis ornamentum, & majestatis divinæ Personæ commendatio. *Vidimus*, ait Joannes, *gloriam ejus, gloriam quasi unigeniti à Patre plenum gratiæ, & veritatis.* D. Cyrillus : *Non divinam gratiam habere dicitur, quasi ab alio Deo illam mutuatus, sed gratia Dei erat in illo, ait Lucas, ideſt, ejusmodi gratia ordinatus erat, quæ Deum decebat.* Data illi etiam est gratia habitualis, ut ipsam in homines dispergeret : *De plenitudine*, inquit, *ejus nos omnes accepimus, & gratiam, pro gratia.* Neque à sua natura habitualis gratia descisit, si in Christo vacat adoptandi effectu, quem in cæteris hominibus sortitur; sicut neque desciscit, cùm in ipso originale peccatum (quo caret) non dimittit; vel cùm in justis in nullum actuale incurrit, sed sui, ac meritorum augmentum tantùm operatur. Causæ enim tam morales, quàm naturales subjectis illos effectus, quorum sunt incapacia, vel minimè indiga, non impendunt. Ut ignis aurum penitùs defæcatum non repurgat, sed tantùm incendit; sol nivalem plenè ceram non candidat, sed eliquat.

Ioan. 1. 14.

D. Cyril. lib. ad Regin. & p. 52. n. 56.

Ioan. 1. 40. Luc. 1. 16.

Christi humanitas propriè adoptata dici non potest.

15. *Abass.* Dixisti proximè, gratiam habitualem in Christo esse creatæ ipsius humanitatis ornamentum; ergo non videtur ipsius humanitati saltem gratiæ adoptio deneganda. *Rom.* Licèt ratione distinctionis (est enim aliud Verbum, aliud humanitas, ut cap. 19. num. 6. videndum) dici posset humanitas adoptata, quod nec de Verbo, nec de Filio Dei, nec de Christo, nec de homine, vel filio hominis dici potest (cùm hæc omnia nomina eamdem Personam indicent) impropriè tamen adoptari dicetur; quia non natura, sed persona in adoptantis familiam accersitur; sicut Pharaonis filia non Hebræorum naturam, sed Moysis personam arrogavit. Esto tamen aliorum hominum, vel Angelorum naturæ adoptionis gratiæ compotes essent, Christi humanitas esse non posset; quia, ut dictum est cap. 3. num. 7. & 8. non priùs creata fuit, & posteà assumpta; sed ipsa sui creatione Verbi Personæ copulata; & hujus copulæ ratione habitualem gratiam, quasi sponsalitiam largitatem, & monilia accepit; ac proindè prior in ipsa fuit naturalis filiatio; quæ adoptivam, utpotè sibi adversariam, exclusit. Negari non potest, maximum fuisse gratiæ donum, ut diximus cap. 3. num. 10. quòd Christi humanitas electa fuerit ad Verbi unionem; hæc tamen gratia non fuit habitualis,

Exod. 2. 19.

Digitized by Google

bitualis, ſed ipſa Dei electio, & unio hypoſtatica, quæ ut dictum eſt, vim non habet adoptandi, ſed naturalem filiationem conferendi. Vide D. Auguſtin. lib. 1. c. 2. n. 23.

Cur Chriſtus aliquandò unigenitus, aliquandò primogenitus dicatur.

16. *Abaſſ.* Pace tua, adverſus ea, quæ hoc capite dixiſti, quatuor mihi liceat tela concutere. Primum ſit. Chriſtus nunc dicitur unigenitus, nunc primogenitus; unigenitus, ut Patris; primogenitus ut Matris filius; Ergo, ut unigenitus, eſt filius naturæ; ut primogenitus, filius gratiæ; alioquin nullum erit inter illa duo vocabula diſcrimen. *Rom.* Eamdem rem, ac perſonam duo illa nomina ſub diverſis proprietatibus exhibent. Quod tibi meliùs D. Cyrilli verba inculcabunt.

D. Cyril. lib. de Incarn. cap. 26.

Ipſe, inquit, *eſt hoc, & illud: ſed quomodò? Secundum aliud, & aliud. Primogenitus enim eſt, ut inter plurimos fratres, propter humanitatem; unigenitus autem idem, & ſolus, ut ex ſolo Deo, & Patre natus.* Alibi: *Vnigenitus factus eſt primogenitus, quando apparuit homo ſicut nos.* Idem ergo eſt *unigenitus, qui eſt in ſinu Patris* abſque ullo fratrum contubernio, & primogenitus, qui eſt in ventre, atque ulnis Matris; de quo D. Lucas: *Peperit Filium ſuum primogenitum*; & D. Paulus: *Vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus.*

Similis non eſt Chriſtus hominibus in peccato, & gratiæ adoptione. *Rom.* 8. 29.

17. *Abaſſ.* Tuis in verbis tamquàm cote ſecundum telum exacuendum. Chriſtus ex D. Paulo, *Primogenitus eſt in multis fratribus, & iis per omnia aſſimilatur.* Quomodò autem iis aſſimilatur, ſi cùm ipſi gratiæ filii ſint, ipſe gratiæ filius dici detrectet? *Rom.* Chriſtum *tentatum per omnia pro ſimilitudine abſque peccato*, dixit idem Apoſtolus. *Pro ſimilitudine*, quia, ut idem alibi ſtatuit, *in ſimilitudinem hominum factus eſt, & habitu inventus ut homo:* Ità tamen factus eſt illis ſimilis, ut cujuſvis peccati non ſolùm contagione, ſed ſuſpicione careret. Non autem careret, ſi Dei filiationem gratiâ adipiſceretur. Nam gratia habitualis peccati fomitem, & aptitudinem ad illud non evellit; & quæ illius interventu contingit filiatio, voluntarium Dei donum eſt. Nam ex D. Jacobo: *Omne datum optimum, & omne donum perfectum deſurſum eſt, deſcendens à Patre luminum. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis ſuæ. Et omne, quod datur* (ait hunc punctum tractans D. Cyrillus) *auferri etiam poteſt; & quod acceſſit, non eſt inconveniens, ſi abibit.* Nec ſolùm homines, de quibus Apoſtolus: *A gratia excidiſtis*; ſed etiam Angeli illius filiationem amiſerunt: *Deus*, inquit D. Petrus, *Angelis peccantibus non pepercit*; Illis, ſcilicèt, qui ut ait D. Thadæus; *non ſervaverunt ſuum principatum, ſed dereliquerunt ſuum domicilium.* Illi verò, qui ab eo ſunt in gratia confirmati, non eâ potiuntur ſoliditate, ut ſi naturæ ſuæ volubilitati relinquantur, nequeant ad peccatum velificari. In quem ſenſum graves Doctores illam Jobi ſententiam traducunt: *Ecce qui ſerviunt ei, non ſunt ſtabiles; & in Angelis ſuis reperit pravitatem.* Et illam: *Cœli*, hoc eſt, ipſorum habitatores, *non ſunt mundi in conſpectu ejus.* Etſi enim actu nullæ peccati ſordes beatos Angelos inficiant, nec ulla pravitas eorum voluntatem obliquet; tamen, ſi Deus manum ſuam ab illis avertat, in ſordes, & nequitiam devolventur; quod probrum à Chriſto naturalis filiatio avertit. Fratribus ergo per omnia ſimilis fuit, cùm homo factus eſt, ut in veſtro Libro Patres commemorant, & nos latè dicemus cap. ſequenti, num. 9. & 10. nec eum ità debes cum illis confundere, ut nativæ, & antiquioris filiationis prærogativa deteratur.

Heb. 2. 17.

Heb. 4. 15. Philip. 2. 7.

Jacob. 1. 17.

D. Cyril. lib. 4. Theſ. cap. 1.

Galat. 5. 4.

2. Petr. 2. 4.

Iud. ℣. 6.

Job. 4. 18. & 15. 15.

18. *Abaſſ.* Aſpice, num tertium telum ſit violabile. Magdalenæ Chriſtus dixit: *Vade ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum; Deum meum, & Deum veſtrum.* Æqualiter dicit ſuum, atque Apoſtolorum Patrem; ergo ſi illorum per gratiam, ipſius quoque ſimili ratione Pater eſſe debet. *Rom.* Eadem verba diſcrimen inter hominum, & Chriſti filiationem produnt; cùm dicunt: *Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum.* Si enim æquè Chriſti, & hominum Pater eſſet, diceret: *Aſcendo ad Patrem noſtrum*; ſicut homines, quibus par eſt in gratiæ filiatione conditio, dicunt: *Pater noſter, qui es in cœlis.* Sic D. Athanaſeus: *Ipſe naturâ eſt Filius Dei, nos autem gratiâ, ſive dono. Ideò ait: Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. Nam illi Deus ſecundùm naturam Pater eſt, nobis autem ſecundùm gratiam.* D. Epiphanius: *Propter ſubſtantiam divinitatis ſuæ dicit: Patrem meum; & propter gratiam, quam conceſſit diſcipulis, ait: Patrem veſtrum.* D. Joannes Chryſoſtomus: *Aliter vocat Patrem ſuum ſecundùm naturam; & aliter noſtrum ſecundùm gratiam, & adoptionem.* D. Cyrillus: Dicit: *Aſcendo ad Patrem meum, quia Pater illi ſecundùm naturam; noſter ſecundùm gratiam.* Alibi: *Dei filius ipſi ſecundùm naturam eſt, nos per adoptionem ad fraternitatem ejus vocati.* D. Aſoſius: *Separatio iſta: Patrem meum, & Patrem veſtrum, diverſitatem oſtendit; quòd illius genitor, noſter autem Creator ſit; quia licèt ipſe, & Pater unum ſint, & ipſi Pater ſit proprietate naturæ; nobis Deus Pater eſſe caperit per Filium; non naturæ jure, ſed gratia.*

Naturalis Chriſti filiatio probatur ex illis Chriſti verbis; Aſcendo ad Patrem meum, & Patrem veſtrum. *Ioan.* 20. 17.

Matth. 6. 9. D. Athanaſ. lib. de Nativ. hum. ſuſcepta à Verbo, contra Apollinarem. D. Epiphan. p. 1. n. 3. D. Joan. Chryſoſt. hom. de Trinit. tom. 3. D. Cyril. Theſ. c. 6. & lib. 12. cap. 15. D. Ambroſ. lib. 1. de Fid. cap. 6.

Ioan. 10. 30.

19. *Abaſſ.* Quarti jaculi librationem contemplare. Chriſtus Patrem deprecatus ait: *Clariſica me Pater.* Quænam iſthæc clarificatio, niſi divinæ gloriæ, & filiationis communicatio: ut nempè in divinitatis, & Filii dignitatem evehatur? *Rom.* Ipſamet verba pandunt, de hac glorificatione Chriſtum minimè locutum. *Clariſica me*, inquit, *Pater claritate, quam habui, priuſquam mundus eſſet, apud te.* Si ergo claritatem illam priùs habuit, *in hoc*, inquit D. Abolidis, *notam fecit divinitatem ſuam plenam gloriæ in omni tempore.* Cùm autem ipſius corpus paſſioni eſſet obnoxium, & adhuc gloriâ careret, eam claritatem, quam ſemper ut Deus habuit, cum ipſo ut communica

Cùm Chriſtus dixit: clarifica me Pater: corporis gloriam deprecabatur. *Ioan.* 17. 5.

D. Abolid. p. 5. n. 1.

Digitized by Google

communicaretur, anhelabat. Ità ibidem D. Abolidis: *Gloria, quâ glorificatus est, in carne est.* Divus Cyrillus: *Non est glorificata divinitas per gratiam, quoniam tota ipsa gloria est; sed caro, quam sumpsit ex Virgine, & suscitavit à mortuis, glorificata est, & glorificabitur, quia ipse ascendit in cœlum, & sedet ad dexteram Patris.* Alibi: *Quod dictum est, ipsum clarificatum fuisse apud Patrem; hoc non est dictum tantùm, nisi de dispensatione carnis. Ipse sumpsit gloriam à Patre in humanitate, cùm sit Deus glorioſus in sua divinitate.* D. Athanaeus: *De carne loquitur, cùm ait: Clarifica me. Non enim Dominus gloria glorificatur, sed caro Domini gloriæ, illa est, quæ accipit gloriam.* Nec mirêre, quòd cùm glorificatio sit solius carnis, de toto dicat Christus: *Clarifica me*; quia non solùm quæ totius, vel omnium partium sunt, toti, ac personæ tribuuntur, sed etiam, quæ unius partis; de quo cap. 27. num. 11. agendum. Id hisce verbis declarat D. Abolidis: *Quando dicit: Clarifica me; à corpore est hæc vox; & circa corpus glorificatio de toto dicta, quia totum est unum. Et rursùs, cùm subjungit: Claritate, quam habui apud te, antequam mundus fieret; divinitatem declarat semper glorioſam. Et si propriè divinitati hoc convenit, communiter tamen de toto dictum est.* Quæ verba habentur in vestro codice p. 5. sed cum tantula obliquitate, & obscuritate. Dici etiam potest cum D. Cyrillo, & Aforosio, à Patre Christum petiisse sui nominis claritatem, ut sicut ipse semper ab eo, ut verus Deus, & naturalis Filius est agnitus, ità & ab hominibus agnosceretur; & sicut ipse Patris nomen evulgaverat, ità suum vicissim à Patre in mundum diffunderetur. Quò tendunt verba sequentia: *Manifestavi nomen tuum hominibus*; & illa ex cap. 12. *Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cœlo: & clarificavi, & iterùm clarificabo.* Nam Filio clarificato, Patris etiam nomen illustratur.

D. Cyril. p. 3. n. 10.

P. 52. n. 132. 133.

D. Athanas. lib. de Incarn. contr. Paul. Samosat.

Leõtius lib. contr. Acephalos ex Epistol. D. Iulii.

D. Cyril. lib. 10. Thes. c. 9.

D. Ambros. lib. 4. de Fide, cap. 6.

Ioan. 17. 6.

CAPUT VI.

Christus verus homo, & verus hominis Filius ostenditur.

Hominis nomen frequenter Christo tribuitur.

1. *Abaff.* Ut Christus verus est Deus, ac verus Dei Filius, an ità verus homo, & filius hominis? *Rom.* Nisi totam Scripturam in mendacium propellere coneris, tam verum hominem, & hominis filium, quàm verum Deum, atque illius unigenitum asserere teneris. Hominis enim nomen illi in Conceptione, Nativitate, tota vita, Resurrectione, Ascensione, & nunc ad dexteram Patris considenti, ac tandem in judicium venturo sæpiùs adscribit. In Conceptione cùm Jeremias Prophetat, *Fœmina circumdabit virum*; suo, scilicet, utero concludet. Tercentum decem, & octo Patres: *Incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine, & homo factus est.* In Nativitate, cùm David psallit: *Homo natus est in ea*; quod de Christi ortu Concilium Hispalense secundum interpretatur. Ideò frequenter in novo Testamento Filius hominis nuncupatur; quia in humana generatione, id quod concipitur, & in lucem emittitur, hominis nomine donatur. De conceptione Job ait: *Pereat dies, in qua natus sum: & nox, in qua dictum est: Conceptus est homo.* De nativitate Evangelium: *Jam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum.* Dicitur ergo Christus Filius hominis, tradente D. Cyrillo, *Ob humanitatem, quam sumpsit ex filio hominis.* Vide infrà D. Ephrem num. 6. Pro tota vita illud ipsius testimonium sufficiat: *Quæritis me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis.* In Resurrectione, cùm dixit: *Vade ad fratres meos*; nisi enim homo esset, fratres nec haberet, nec vocaret. In Ascensione, & nunc in cœlo, cùm ait: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo: Filius hominis, qui est in cœlo.* D. Stephanus: *Video cœlos apertos, & Filium hominis stantem à dextris Dei.* In die judicii, in Evangelio: *Amodò videbitis Filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* In Actis Apostolorum: *Statuit diem, in quo judicaturus est orbem in viro, in quo statuit.*

Symb. Nic.

Jer. 31. 22.

Ps. 86. 5. Concil. Hispalens. II.

Job. 3. 3. Ioan. 16. 21.

D. Cyril. p. 2. n. 36.

Ioan. 8. 40.

Ioan. 20. 17.

Ioan. 3. 13.

Act. 7. 56.

Matth. 26. 64.

Act. 17. 31.

Christus verus homo, & verus hominis filius.

2. *Abaff.* Homo quidem, & Filius hominis dicitur iis locis Christus; sed non verus homo, nec verus hominis Filius. *Rom.* Quid ergo rêris intellexisse Prophetas, Apostolos, & ipsum Christum, cùm se hominem profitetur: larvam aliquam, atque futilem somniculosæ mentis architecturam? Absit. *Factus est homo*, inquit D. Cyrillus, *& dictus est Filius hominis; & non est factus tantùm opinione, & affectione.* D. Agnateus: *Verè comedit, & bibit; crucifixus est, & mortuus; verè, inquam, non hominum opinione.* Idcircò autem hæc omnia verè patravit, quia verus homo erat, & verus hominis Filius. *Nam inter homines*, ait D. Athanaeus, *quod secundùm naturam ex aliquo gignitur, id vera ejus progenies censendum est. Qualis Isacus Abrahamo, & Joſephus Jacob.* At (sicut ipse alibi testatur) *caro Domini est caro vera, & una cum carne nostra; & Sanctissima Virgo Maria Domina nostra soror nostra est, quia omnes sumus ex Adam.* Sed quia disputandi de veritate Dominici corporis sequenti capite locus occurret, nunc tantùm, qui Patres in vestro Libro verum hominem illum dixerint, ostendemus. Apostoli in Didascalia: *Deus Verbum factus est homo in veritate.* D. Agnateus: *Verè natus est Dominus noster IESUS Christus, & verè crevit.* D. Heraclis: *Substantia divinitatis ejus non fuit creata; & quod sumpsit, etiam veritas est.* Infrà: *Incarnatus est, & natus ex Sanctissima Virgine, & factus est Filius hominis in veritate.* Joannes Jeroſolymitanus: *Quando incarnatus est ex nobis, æqualis nobis fuit, & propter nos infirmitates*

D. Ignat. Epist. 5. ad Tiallianos

D. Athanas. Orat. 2. contra Arian. P. 15. n. 100.

Didascal. p. 1. n. 13.

D. Ignat. p. 2. n. 1.

D. Proclus, p. 5. n. 9. 20.

Joan. Ieros. p. 1. n. 2.

sustinuit

Digitized by Google

sustinuit in veritate. D. Epiphanius: *Verè fecit sibi perfectum hominem ex Sanctissima Virgine Maria.* D. Gregorius Nazianzenus: *Verè passus est in carne.* D. Cyrillus: *Est homo perfectus in veritate sine peccato.*

D. Epiph. p. 7. n. 10. D. Greg. Naz. p. 1. n. 57. D. Cyril. p. 34 n. 14.

3. *Abass.* Ut ab extremis verbis tuis interrogandi occasionem aucuper; ut Christus est verus homo, estne etiam perfectus? *Rom.* Duplex est perfectio; altera essentialis, quæ in rerum naturæ integritatem absolventium plenitudine consistit; altera personalis, quæ ultra naturæ integritatem, subsistentiam, & proprietates alias, etiam accidentarias admittit. Hac posteriori Christus caruit, cùm personam humanam non haberet; & ideò Gregorius Thaumaturgus dixit in Anathematismis: *Si quis dicit, nominem perfectum assumptum à Christo, tamquàm unum ex Prophetis; anathema sit.* Et infrà: *Quomodo potest homo perfectus dici à Domino assumptus?* Quò tendit D. Cyrillus, dum sæpiùs negat, hominem à Christo assumptum; ut part. 6. *Verbum non assumpsit hominem, quem sibi æqualem fecerit in sua magnitudine.* Alibi: *Quando factus est homo, non est inventus in homine.* D. Feliquis: *Credimus, hunc æternum Dei Filium, & Verbum; non autem hominem à Deo assumptum, ità ut alius sit ab illo. Neque enim hominem suscepit Dei Filius, ut alius ab illo existat; sed, cùm perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus, ex Virgine natus.* Vide D. Heraclim infrà cap. 24. num. 374. Scio tamen, aliquos Patres aliquandò dicere hominem à Verbo assumptum; ut Theophilum, & D. Cyrillum num. sequenti citandos; sed utuntur nomine concreto pro abstracto, innuentes humanitatem ab eo assumptam, ut adverti lib. 2. cap. 2. num. 5. & iterùm advertam infrà cap. 27. num. 17. Nec ideò Christus, cùm humanâ personâ destituitur, ullâ perfectione defraudatur. Nulla enim divinarum Personarum imperfecta est, quòd earum quælibet duarum aliarum subsistentiis careat; sed omnes perfectissimæ, quòd æqualiter essentiali perfectione vernent. Imò ampliorem perfectionem Christus nanciscitur, cùm sacra humanæ naturæ integritate, divinæ Personæ fultura, & imperio nobilitatur.

D. Greg. Thaum. Anathem. 3. Vide etiã infrà cap. 24. n. 69. 70. D. Cyril. p. 6. n. 2. p. 47. n. 59. D. Felix apud D. Cyril. in Apolog. contr. Orient. & lib. ad Reginas.

Personæ humanæ perfectionem, seu imperfectionem Christus non habet.

Essentialem humanæ naturæ perfectionem Christus habuit.

4. *Abass.* Quid ergo sentis de essentiali perfectione? *Rom.* Illius Christum plenitudinem habuisse. Habuit enim quæcumque Deus in Adamo plantavit, excepto adulterino peccati semine, quod diabolus invexit. Vide infrà D. Deonacum Areosfagos cap. 24. n. 21. 25. 28. 30. D. Athanateus: *Omnia, quæ carnem inveniunt, sibi fecit:* Alibi: *Quæcumque ipse sua voluntate in natura formaverat, ea sua voluntate in se ipsum suscepit.* Alibi: *Natus ex fœmina formam hominis ex primaria, & originali creatione in se restituit.* D. Gregorius Nyssenus: *Quidquid est humanitatis, præter peccatum tantum, habet in substantia humanitatis.* D. Joannes Chrysostomus: *Suscepit omnia, quæ sunt hominis, excepto peccato tantùm.* D. Heraclis: *Sumpsit corpus & animam, & intellectum.* D. Gregorius Nazianzenus: *Humana omnia, excepto peccato, suscepit.* Theophilus Alexandrinus: *Ex tantis, ac talibus assumpsit hominem,* (ideſt humanitatem) *dumtaxat absque peccato, ex quantis, & qualibus nos omnes creati sumus, non ex parte.* Infrà: *Perfectum in se hominem demonstravit, ut perfectam cunctis hominibus per se elargiretur salutem.* D. Joannes Damascenus: *Neque Deus Verbum quidquam eorum, quæ cùm nos initio finxit, naturæ nostræ inservit, prætermisit; sed omnia assumpsit.* Cùm ergo perfecta in Christo sit humanitas, ipse perfectus est homo. D. Atticus: *Qui non habet principium in divinitate, factus est caro perfecta.* Tercentum decem, & octo Patres: *Credimus, quod sumpserit carnem perfectam ex Sanctissima Virgine Maria.* D. Athanateus: *Assumpsit perfectam carnem, quæ habet animam, & intelligentiam.* D. Basilius: *Sumpsit ex ea perfectam carnem, quam sibi creavit.* D. Epiphanius: *Factus est Dominus homo: & suscepit omnia perfectè.* D. Gregorius Nazianzenus: *Sumpsit ex nobis perfectam humanitatem, quæ habet animam, & rationem.* D. Joannes Chrysostomus: *Fuit nativitas ejus perfecta, sicut nostra.* Alibi: *Deus Verbum sumpsit ex nostra substantia perfectam humanitatem, in qua est anima, & ratio perfecta.* Alibi: *Caro, quam sumpsit, est caro perfecta; sicut nos docuit Joannes Magister veritatis, dicens: Verbum caro factum est.* D. Cyrillus: *Creavit sibi integrum hominem: perfectam carnem, sine peccato.* Alibi: *Non est mutata in aliquo perfectissima humanitas.* Alibi: *In terris apparuit, non amittens id, quod erat, sed sumens humanitatis naturam in sua ratione perfectam.*

D. Procl. p. 5. n. 27. D. Greg. Naz. Orat. 38. Theoph. Epist. 1. Paschal. D. Joannes Damasc. lib. 3. de Fide, cap. 6. D. Atticus p. 1. n. 6. D. Athanas. p. 4. n. 51. D. Basil. p. 5. n. 9. D. Epiphan. p. 7. n. 16. D. Gregor. Naz. p. 4. n. 6. D. Joannes Chrys. p. 2. n. 12. & p. 8. n. 5. Alib. p. 1. n. 3. *Joan.* 1. 14. D. Cyril. p. 2. n. 12. & p. 52 n. 29. Lib. de Incarn. c. 12.

5. *Abass.* Perfectum quidem hominem Christum agnosco; an ità totum hominem: *Rom.* Ut perfectus est homo, quia perfectam humanitatem suscepit, ità totus, quia totam. D. Gregorius Nazianzenus: *Totum me totus suscepit, ac totus toti unitus est, ut toti salutem afferret.* D. Abolidis: *Dicimus, totum esse à muliere propter humanitatem.* D. Heraclis: *Ipse totus in terra propter humanitatem.* D. Joannes Chrysostomus: *In terra nascitur perfectus homo totus, ut sanaret totum hominem.* D. Augustinus: *Deus conjunctus est carni, & caro inhæsit Deo, ut esset unus Deus, & totus homo.* D. Leo Magnus: *Suscepit totum hominem Deus; & se illi, atque illum sibi misericordiæ, & potestatis ratione conservit.* Verùm te monitum velim, quod jam feci cap. 4. num. 8. cum D. Joanne Damasceno, & iterùm faciam inferiùs cum Patribus Nicænis; Christum ità esse totum hominem, ut homo non sit in totum, quia ultra humanitatem, habet divinitatem, secundùm quam homo non est.

Totus homo Christus. D. Greg. Naz. Orat. 16. & apud D. Cyrill. p. 5. n. 32. D. Abolid. Sive D. Jubius p. 1. n. 26. D. Procl. p. 5. n. 11. D. Chrys. hom. de Nativit. D. August. lib. contr. Jud. Pag. & Arian. cap. 9. D. Leo serm. 3. de Passion. D. Joan. Damasc.

6. *Abass.* Ut Christus perfectus est homo, ac totus; an ità sanctissimæ Genitrici suæ consubstantialis? *Rom.* Si fœtus ille consubstantialis est gignenti (de quo

Christus, ut homo consubstantialis est Beatæ Virgini.

Digitized by Google

quo lib. 3. cap. 7. num. 13. & suprà cap. 4. n. 4.) qui ab illius substantia procedit, eámque conservat; quis ambiget, Christum esse Sanctissimæ Matri suæ consubstantialem? de quâ Apostolus: *Misit Deus Filiũ suum factũ ex muliere*; & Angelus: *Quod enim ex te nascetur*, ideſt, ex tua substantia, sicut ex Patris substantia eumdem prodiisse, dicto lib. 3. docuimus; eò quòd ipse ore Davidis cecinerit: *Ex utero ante luciferum genui te*. D. Athanateus: *Dicit, quod ex te nascetur, Sanctum, ne stulti arbitrentur carnem extrinsecùs venisse; sed jure credimus, ex ipsa natum esse, ex eius substantia*. D. Agnateus: *Quem non delectat videre eam, & colloqui, quæ verum Deum de se peperit*. D. Aforosius: *Ex se generavit Maria, ut quod generaretur ex ipsa, in eo, salva Dominicæ generationis prærogativa, corporis esset vera natura*. D. Gregorius Nyssenus: *Suscepit sibi soli substantiam carnis, quæ habet principium, quam sumpsit ex Domina nostra, Sanctissima Virgine Maria*. D. Gregorius Nazianzenus: *Habitavit intra uterum Sanctissimæ Virginis Mariæ, qui ortus est à Patre; Qui non habet carnem, communicavit carnem ex illa*. D. Ephrem Syrus: *Factus est perfectus ex perfecto, homo ex homine: ex Sanctissima Virgine Maria*. D. Cyrillus: *Purissima Virgo peperit Dei Verbum in carne ex ista substantia, quæ propria ipsius est, & nostra*.

Galat. 4. 4. Luc. 1. 35. Ps. 109. 3. D. Athanas. p. 1. n. 53. D. Ignat. Epist. 12. D. Ambros. de Incarn. Domin. Sacram. cap. 6. D. Greg. Nyss. p. 1. n. 11. D. Greg. Naz. p. 1. n. 26. D. Ephrem. p. 5. n. 10. D. Cyril. p. 34. n. 28.

Consubstantialis hominibus Christus.

7. *Abass.* Si Beatissimæ Virgini consubstantialis est Christus, erit & cæteris hominibus? *Rom.* Pleno sapis pectore. Nam consubstantiales sunt, qui ejusdem sunt substantiæ participes, at de Christo ait D. Athanateus: *Caro Domini est caro vera, & una cum carne nostra; & Sanctissima Virgo Maria Domina nostra, soror nostra est, quia omnes sumus ex Adam*. D. Gregorius Nyssenus, *Vocavit nos fratres, & communicavit nobiscum in carne, & sanguine*. D. Feliquis Pontifex Romanus: *Scimus, Verbum habitasse in nobis, & Christum fuisse nobis fratrem in opere novo, vestitum carne nostra in unione*. Theodotus: *Quando factus est homo, factus est, sicut ego, & natus est ex mea substantia, opere mirabili, cùm sit Deus Verbum*. D. Joannes Chrysostomus: *Sed ipse descendit, & incarnatus est ex nostra substantia*. Iterùm: *Non dicimus, hanc carnem esse alterius substantiæ, sed esse ex nostra substantia*. Iterùm: *Deus Verbum suscepit ex nostra substantia perfectam humanitatem*. Iterùm: *Appropinquare nos fecit Deo in carne, quam sumpsit ex nostra substantia*. D. Cyrillus: *Paulus ait: Quia pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Quæ verò est participatio talis in istis, nisi efficeretur sicut nos in carne, & sanguine ex purissima Virgine, & Dei Genitrice Maria?* Alibi: *Agnoscimus carnem, quam fecit unam secum, non esse alienam à nobis, sed illam à nobis sumpsisse, quæ est ex Virgine Maria nostra consanguinea*.

D. Athanas. p. 15. n. 98. D. Greg. Nyss. p. 4. n. 31. Joan. 20. 17. D. Felix Pont. Rom. p. 2. n. 7. Theodot. p. 1. n. 22. D. Joann. Chrysost. p. 2. n. 18. p. 4. n. 3. D. Cyril. p. 34. n. 2. Heb. 2. 14.

Christus hominibus æqualis.

8. *Abass.* Consubstantialem hominibus Christum suscipio, & suspicio, an ità prædicas æqualem? *Rom.* Quæ ejusdem penitùs substantiæ sunt, inquit D. Cyrillus, *naturaliter æqualia sunt*. Cùm ergo Christus ejusdem omninò substantiæ sit cum hominibus, iisdem etiam adæquatur D. Gregorius Thaumaturgus: *Ipse æqualis est nobis sine discretione*. D. Heraclis: *Tu mortalis secundùm æqualitatem tuam nobiscum*. Joannes Jerosolymitanus: *Quando Incarnatus est, nobis æqualis fuit*. Infrà: *Factus est homo æqualis in carne*. D. Cyrillus: *Nos dicimus, eum æqualem nobis, & ex nostra substantia*. Alibi: *Non est minoratus ab hominis mensura, nisi in peccato tantùm*. Alibi: *Descensio ejus fuit ad mensuram hominis*. Alibi: *Sumpsit ex ea carnem, quæ nostræ æqualis est*. D. Deonaceos Areosfagos: *Omnibus hominibus per essentiam adunatus est*. Dei quidem adoratoribus se quasi ab ipsis indiscretum admiscuit: *Nos adoramus, quod scimus*. D. Aforosius: *Dicens Nos se hominibus copulavit; quomodò autem, nisi secundùm carnem hominibus copulatur?* At sicut Christus non est æqualis Patri secundùm humanitatem, de quo cap. 4. n. 8. ità nec hominibus secundùm divinitatem.

D. Cyril. lib. 2. The cap. 3. D. Greg. Thaum. p. 1. n. 30. D. Proclus, p. 2. n. 5. Joan. Jerosol. p. 1. n. 16. D. Cyril. p. 34. n. 37. D. Dionys. Areop. Epist. 4. Joan. 4. 22. D. Ambros. lib. 5. de Fid. cap. 1.

Similis hominibus per omnia Christus.

9. *Abass.* Quemadmodùm Christo hominum æqualitatem, an ità adjudicas similitudinem? *Rom.* Variis in locis Paulus adjudicavit. Semel: *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati*. Iterùm: *Formam servi accipiens, in similitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo*. Iterùm: *Quia ergo pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem*. Et infrà: *Unde debuit per omnia fratribus similari*. Iterùm: *Tentatum per omnia pro similitudine absque peccato*. Nihil autem aliud est hæc similitudo, quàm humanæ formæ indumentum. D. Gregorius Armenius: *Misit Filium suum unigenitum in mundum, ut incarnaretur in forma nostra ex Sanctissima Virgine Maria. Hoc est nobis fuisse similem*. Iterùm: *Induit carnem nostram, & suscepit imaginem, & similitudinem operis manus suæ*. Divus Athanateus: *Debuit per omnia fratribus assimilari, & sumere carnem similem ipsis*. Alibi: *Similis tunc factus est, cùm carnem nostram indutus, factus est homo*. Et infrà: *Tunc habuit fratres, cùm similem nostræ carnem indueret*. Theophilus Alexandrinus: *Propter nos pauper effectus plenam similitudinem nostræ conditionis assumpsit*. Infrà: *Nullo nostræ similitudinis caruit, excepto peccato*. Divus Heraclis: *Non dixit, quòd divinitas passa sit, sed in similitudine, quam sumpsit ex hominibus*. Divus Joannes Chrysostomus: *Per omnia fratribus assimilatus. Quid est per omnia? nisi ipsum suscepisse omnia, quæ conveniunt carni, sicut nos?* D. Cyrillus: *Factus est ad similitudinem nostram, quando sumpsit carnem ex Virgine Sanctissima*. Iterùm: *Descendit Verbum, Dei Filius unigenitus in mundum, & sumpsit carnem ex semine Abrahæ, & fratribus assimilatus est. Et quando Salvator noster participavit carni, & sanguini*

Rom. 8. 3. Phil. 2. 7. Heb. 2. 14. 17. Heb. 4. 15. D. Gregor. Armen p. 1. n. 1. & p. 5. n. 2. D. Athanas. p. 15. n. 50. & Orat. 4. contra Arian. Theoph. Alex. Epist. 1. Paschal. D. Procl. p. 4. n. 3. D. Joannes Chrysost. p. 2. n. 10. in Epos. Epist. ad Hebræos. D. Cyril. p. 34. n. 11. & p. 52. n. 63.

guini sicut nos, caput suum, quasi unius ex nostris numeravit. Iterùm: *Per omnia fratribus similis factus, formam servi suscipiens. Cùm igitur unigenitus servi formam, & veram carnem assumpsit, similis fratribus est creditus; quod ipsa D. Pauli verba ostendunt, cùm ait: Quia pueri communicaverunt carni, & sanguini, & ipse similiter participavit eisdem. Undè debuit per omnia fratribus assimilari.* En tota assimilatio in naturali carnis, & sanguinis participatione, non in externa adoptione consistit.

Heb.2.14.

Homo Christus est; non tamen purus homo.

10. *Abass.* Ut Christus hominibus similis, & æqualis perfectè evadat, purus homo, ut iidem, dicatur. *Rom.* Procul tuis labiis, & mente tam impia verba divertant, nî velis esse particeps vibratarum à Deo, & ab ipsius Patriarchis maledictionum. A Deo illa fuit intorta: *Maledictus homo, qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor ejus.* Cùm ergo tota Christianorum confidentia in Christo sita sit, Apostolo dicente: *In quo habemus fiduciam, & accessum in confidentia per Fidem ejus*; Si purus homo esset, carneo, imò luteo fundamento spei nostræ summa niteretur. D. Epiphanius: *En manifestum nobis fuit, Christum Dominum non fuisse purum à divinitate sua, sicut alios homines. Nec spes salutis nostræ est in homine, nec homo nos potest salvos facere ab Adam, usque ad finem mundi. Sed ipse Deus incarnatus est, ne spes nostra esset in homine, & essemus maledicti; sed spes nostra sit in Deo vivo.* Dei maledictionem confirmant duo Romanorum Pontificum anathemata. Primum est D. Feliquis Martyris: *Si quis dixerit, Christum, qui crucifixus est, esse hominem nudum à divinitate; & non credit, esse unam Personam ex tribus, Verbum Deum, & hominem simul; Anathema sit.* Secundum D. Julii: *Si quis adorat hominem loco Dei, & dicit crucifixum fuisse hominem purum à divinitate; & transfert divinitatem in esse humanitatis; non inveniet salutem à Deo, quæ facta est in humanitate.* Eidem execrationi duo Antistites Constantinopolitani, & totidem Alexandridrini adstipulantur. Constantinopolitanorum alter est Divus Joannes Chrysostomus, cùm sic tonat: *Iis, qui faciunt illum purum a divinitate, & dividunt in duas substantias* (veriùs personas) *ipse etiam retribuet, & mittet eos in ignem gehennæ.* Alter D. Gregorius Nazianzenus, cùm ità fulgurat: *Si quis dixerit, Christum hominem priùs creatum fuisse, & posteà Deum in ipsum intrasse; anathema sit.* Alexandrinorum primus est Divus Athanateus: *Verbum corpus suum pro nobis obtulit, ne in hominem spe, aut fiducia moveremur; sed in ipso Deo Verbo spem constitutam haberemus.* Posterior Divus Cyrillus: *Qui audent, & dicunt; ipsum esse purum hominem sicut nos, & non esse Deum, qui factus est homo propter nos, sunt dissecti, & anathematizati.*

Jer.17.5.

Eph.3.12.

D. Epiphan. p.9.n.8.

D. Felix p.1.n.2.

D. Abolid. p.7.n.1.

D. Joan. Chrysost. p.1.n.14.

D. Greg. Nazianzen. p.4.n.17.

D. Athanas. ad Max. de divin. Filii.

D. Cyril. p.51.n.50.

Christus

11. *Abass.* Dum tot fulmina auribus percipio, totis artubus contremisco; sed dum Christum purum hominem, & simul creatum negat Nazianzenus, videtur notissimis illis verbis repugnare: *Dominus creavit me*, quæ indicant, ipsum puri hominis, & creaturarum classem non transcendere. *Rom.* Nusquàm cautiùs, quàm isthic loquendum, cùm per ignes suppositos Ariano cineri incedatur; & obfirmatè semper negandum, Christum esse creaturam. Divus Athanateus in optima Fidei suæ professione ad Constantium Imperatorem: *Credimus, ô Imperator, Dominum nostrum JESUM Christum non esse creaturam, anathematizamus immundam Arii prævaricatoris fidem, qui dicit, esse creaturam.* D. Basilius: *Inter Hæreticos dicitur, tempore nativitatis Filii in carne factam fuisse substantiam Verbi.* Iterùm: *Est Creator, nec est creatus; & in ipso sunt omnia, quæ sunt in Patre.* D. Cyrillus: *Cùm audis Apostolum dicentem, quòd ipse sit primogenitus omnis creaturæ, ne tibi videatur, quòd sit creatus.* Nam statim subjicitur: *Quia in ipso facta est omnis creatura sive in cœlo, sive in terra.* Joannes Burlæus: *Si quis dicit, aut existimat, Dei Filium esse creaturam, & non credit, ipsum fuisse ortum ex substantia divinitatis tantùm, sed existimat, à Patre, & Spiritu sancto creatum, anathema sit.*

non est creatura.

Prov.8.22.

D. Athanas. p.14.n.4.

D. Basil. p.3.n.8.

D. Cyril. p.36.n.7.

Coloss.1.15. 16.

Joan. Burl. n.4.

12. *Abass.* Ipsa Christi caro creatura est; an increata? *Rom.* Creaturam vocant sequentes Patres. Divus Gregorius Thaumaturgus: *Siquis dixerit de carne Christi, quod sit increata; anathema sit.* Divus Athanateus: *Peperit Virgo, quem concepit, quin virum cognosceret; in carne, quam sibi creavit.* Alibi: *De eo tempore dictum est: Creavit me: quo carnem creatitiam induebat.* Divus Basilius: *Convenit dici, hanc interpretationem de humanitate Salvatoris, quia creatura est.* Iterùm: *Cùm esset in carne, quam sibi creavit.* Divus Abolidis: *Ne separemus humanitatem ejus creatam à divinitate creatrice.* Iterùm: *Siquis dixerit, carnem Domini nostri esse de cœlis; & non esse creatam in substantia; & esse sine principio existentem cum Deo in unione; anathema sit.* Divus Epiphanius: *In carne, quam creavit, implevit esse summi Sacerdotis.* Divus Joannes Chrysostomus: *Caro, quam creavit in utero Virginis, Verbi caro est.* Iterùm: *Quod creatum est, ingens gloria lucrum reperit, cùm vestis Creatoris factum est.* D. Cyrillus: *Dicimus de ipso, verè creavisse sibi carnem in utero Virginis.*

Creatura est Christi caro.

D. Greg. Thaum. p.3.n.25.

D. Athan. p.14.n.28.

Prov.8.22.

D. Basil. p. 3. n.2.

D. Abolid. sive Julius p.1.n.p7. & p.2.n.27.

D. Epiphan. p.4.n.11.

D. Joan. Chrysost. p.3.n.7. & p.5.n.10.

D. Cyril. p.53.n.3.

13. *Abass.* Si corpus Christi creatura est, & cum ipso habet conjunctionem, quî fieri potest, ut ipse creatura non sit? *Rom.* Cùm vesanus Arius Christum non solùm, quà homo est, sed etiam, quà Verbum, divinitate penitùs exuisset, constanter sancti Patres creaturam dicendum, abnuerunt. Quia creaturæ nomen in communi usu suppositis primariò, non autem naturis adaptatur; sed ad exponendum illud sacrarum litterarum testimonium

Cum addito dici posset Christus creatus secundùm humanitatem.

Digitized by Google

testimonium ; quod ex Proverbiis Salomoni protulisti , & alia similia , adjecto statim antidoto , creatum secundùm humanitatem , non verò secundùm divinitatem, dici permiserunt. Ità iidem Patres , quos num. 11. retuli , Christum appellandum creaturam recusantes. Divus Athanasius : *Illud : Dominus creavit me ; & illud : Novum creavit Dominus super terram, utrumque corporaliter ad IESUM refertur.* Alibi : *Tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum , attamen Dei corpus effecta est.* Alibi : *Dominus creavit me, dictum est de humanitate ; humanitatis enim proprium est creari.* Infrà : *Non debemus Verbum in totum creaturam existimare , sed creatitium corpus induisse :* Divus Basilius : *Dicit hoc propter nativitatem ejus in carne : esse creatum , & factum.* Infrà : *Gignere explicatur de Filio Dei ; ac dicere : Creavit me ; de humanitate illius.* Divus Cyrillus : *Dicitur de eo , quòd creatus sit , secundùm consuetudinem humanitatis : Ipse tamen est unigenitus Patris , neque factus , neque creatus.* Infrà : *Creatur ad carnem induendam.* Infrà : *Creatum fuit Verbum in eo , quòd caro factum est.* Infrà : *Si non esset creatus , quando carnem induit , & descenderet ad creaturas , illæ non possent eum aspicere.* Frequenter idem repetit p. 55. num. 10. 54. 55. 56. 56. 57. 64. Quin ipsi tercentum decem , & octo Patres , qui ad confundendam Arii insaniam Nicææ convenerunt , hunc Canonem statuunt : *Loca divinorum Librorum , quæ loquuntur de principio , & fine ; quale est creatum esse , perfectè intelliguntur de humanitate ejus.* D. Epiphanius : *Quandò dicitur creatura , dicitur propter humanitatem.*

D. Athanas. in Exposit. Fidei. *Prov. 8. 22. Jer. 31. 22.* D. Basil. p. 3. n. 1. 4. D. Cyril. p. 35. n. 1. *Joan. 1. 14.* D. Epiph. p. 6. n. 1.

14. *Abass.* Sicut creatum , an ità factum dicere fas erit? *Rom.* Dei Filium *genitum , non factum* Nicæni Patres succinantur ; quæ verba quam vim habeant , lib. 3. cap. 7. n. 11. & 12. explicavi. At cùm idem humanitatem assumpsit , faciendi verbum ab eo non ablegatur. Iidem enim Patres adjungunt : *Et homo factus est.* D. Joannes : *Verbum caro factum est.* D. Lucas : *Videamus hoc Verbum , quod factum est.* D. Petrus : *Quia & Dominum , & Christum fecit Deus hunc JESUM , quem vos crucifixistis.* D. Paulus : *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Iterùm : *Misit Deus Filium suum , factum ex muliere , factum sub lege.* Iterùm : *Qui fidelis est ei , qui fecit illum.* Iterùm : *Pontifex factus in æternum.* Cùm igitur facere , ut illo loco adnotatum , innuat materiam externam , ex qua aliquid fit , & caro Christi sit extra Verbi substantiam , (juxta illa verba Divi Cyrilli : *Caro non existebat simul cum substantia divinitatis ejus , sed à novo illam creavit , & extrinsecùs induxit.*) meritò factus dicitur cum eodem additamento : *Factus secundùm carnem.* D. Gregorius Thaumaturgus : *Quomodò dicunt , carnem priùs fuisse cum divinitate ipsius , quæ post tempus facta est ?* D. Athanateus : *Caro Domini nostri facta est , quia illam fecit.* Alibi : *Dicit Petrus : Fecit eum Dominum , & Christum , quod perindè est , ac si diceret , à Patre hominem factum , quia fieri hominum est.* D. Basilius super eadem verba : *Ostentativa voce humanitatem illius insinuat , cùm dicit Dominum , & Christum fecit eum.* D. Aforosius : *Hoc , quod factum est postea , fecit unum secum ; & caro , quam sumpsit , facta est ex muliere ; & propter carnem , quam sumpsit , factus est servator legis.* Meliùs tamen in Latino textu. *Non Deus factus est , sed Deus Dei Filius natus est ; posteà autem homo ex Maria factus est. Si mihi non credunt , credant Apostolo dicenti : Misit Deus Filium suum. Suum cùm dicit , generationis æternæ proprietatem signavit. Hunc factum posteà ex muliere asserit , ut factura non divinitati , sed assumptioni corporis adscriberetur.* Alibi : *Factum esse , non ad divinitatem dico pertinere , sed ad Incarnationis naturam.* D. Gregorius Nazianzenus : *Qui non est factus , apparuit modò indutus carnem , quæ facta est.* Alibi : *Qui est , fit ; qui creationis expers est , creatur.* D. Joannes Chrysostomus : *Pastores dicunt : Videamus hoc Verbum , quod factum est. Videamus carnem , quia caro facta est. Videamus , quomodò Verbum caro factum est.* Nusquàm igitur dicitur ; Verbum factum esse , sed factum carnem , Christum , Dominum , Pontificem , & Apostolum ; quæ verba nullam in Verbum effectionem , sed administrationem aliquam , vel dignitatem temporariam illi additam important. Sicut , cùm Rex genitum à se filium sui loco Regem subrogat , dicere potest : Nunc filium meum Regem feci ; quin eorum verborum sensus sit , ut tunc filius constituatur ; quia regia inauguratio naturalem filiationem non labefactat , sed exornat , & confirmat. Qua similitudine utitur D. Epiphanius p. 4. n. 9.

Factum, de Christo Incarnato, non de nudo Verbo dicitur. *Joan. 1. 14. Luc. 2. 15. Act. 2. 36. Rom. 1. 3. Galat. 4. 4. Hebr. 3. 2. & 6. 20.* D. Cyril. p. 44. n. 1. D. Greg. Thaum. p. 3. n. 23. *Act. 2. 36.* D. Athan. p. 15. n. 30. D. Basil. lib. 11. Eunom. D. Ambros. p. 1. n. 5. D. Ambros. lib. 1. de Fide, cap. 6. *Galat. 4. 4.* D. Greg. Naz. p. 5. n. 12. D. Joannes Chrysost. Orat. de Nativit. *Luc. 1. 15.* D. Epiphan. p. 4. n. 9.

CAPUT VII.

In Christo verum corpus , & passibile ostenditur.

1. *Bass.* Tardabatúrne Christus corpore, an spirituali agilitate volitabat ? *Rom.* Cùm homo esset, corpore carere non poterat. *Nam homo* inquit D. Aforosius , *ex anima rationali constat , & corpore ; si alterum tollas , totam naturam hominis sustulisti.* Illud autem Verbum sumpsisse in Conceptione, & Incarnatione: gestasse autem toto vitæ tempore usque ad Crucem , nec in sepulchro deseruisse; & in Resurrectione resumpsisse ; ad cœlum in Ascensione vexisse ; cum eodem ad Patris dexteram considere ; & ad judicium postrema die processurum Sacræ litteræ protestantur. De Conceptione

Corpus ab ipsa conceptione fuit, s. est in Christo. D. Ambros. lib. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 2.

Digitized by Google

*Pſ.*39.7. *Hebr.* 10. 5. ptione, in qua Chriſtus in mundum ſe intulit, D. Paulus cum Davide ait: *Ingrediens mundum dixit: Hoſtiam, & oblationem noluiſti, corpus autem aptaſti mihi.*

*Ioan.*1.14 Symb. Nic. D. Joannes: *Verbum, caro factum eſt.* Tercentum decem, & octo Patres. *Incarnatus eſt de Spiritu ſancto, & homo factus eſt.* De

*Ioan.*2.21. & 6.55. vitæ tempore. D. Joannes: *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Iterùm: *Caro mea verè eſt cibus.* Vide etiam Matthæum cap. 26.

*Coloſſ.*1.22. 26. D. Paulum in Epiſtola ad Romanos cap.

*1. Petr.*2. 1. 3. cap. 9. 5. Coloſſenſes, 2. 9. Hebræos, 5.

24. & 4.1. 7. Illud etiam in morte habuiſſe, tradit D.

*Matth.*27. 58.59.60. Paulus: *Reconciliavit in corpore ejus per mortem.* Et D. Petrus: *Qui peccata noſtra ipſe pertulit in corpore ſuo ſuper lignum.* Iterùm: *Chriſto igitur in carne paſſo.* Poſt mortem: *Joſeph petiit corpus IESU*; & *Pilatus juſſit reddi corpus*; *& accepto corpore, Joſeph, involvit, & poſuit in monumento.* Hoc ergo corpus fuit idem, quod reſurrexit; nam mulieres ingreſſæ in monumentum *non invenerunt corpus Domini*: Angelus autem dixit ad illas: *Quid quæritis viventem cum mortuis? Non eſt hic, ſed ſurrexit.* Reſurgere autem proprium eſt, ſolius corporis, quod cecidit; non animæ, quæ non extinguitur, de quo lib. 6. cap. 11. n. 4. Hoc fuit corpus, quod D. Thomas palpando, an idem eſſet, exploravit. Hoc, de

*Luc.*24. 3. 5. 6.

*Ioan.*20.27. *Luc.*24.39. quo ipſe ad Apoſtolos: *Videte manus meas, & pedes meos, quia ego ipſe ſum.* Aſcenſionem quoque ſolius corporis eſſe, eodem libro cap. 13. n. 6. demonſtrabimus. Sedere etiam ad Patris dexteram, ad corpus attinet. D. Joannes Chryſoſtomus: *Cognoſcamus, quis ille eſt, qui audivit: Sede à dextris meis; quæ natura eſt, cui Deus dixit: Eſto mea particeps ſedis. Caro illa, quæ priùs audiit, terra es, & in terram ibis.* In eadem verò carne venturum ad judicium produnt illa verba apud Matthæum: *Amodò videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei; & venientem in nubibus cœli.* Et illa Apocalypſis: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt.* Quod nempè ille in judicii curuli ſeſſurus ſit, cujus corpus Judæi in Cruce vulneribus compunxerunt. D. Baſilius: *Carnem, quam ſumpſit ex Sanctiſſima Virgine Maria, elevavit ſecum in cœlum in unione; & in ipſa veniet judicare vivos, & mortuos.* D. Cyrillus: *Ipſe venturus eſt in carne, in qua crucifixus eſt, & ſuſcepit infirmitatem.*

D. Joann. Chryſoſt. *p.*12.n.5. *Pſ.*109. 1. *Gen.*3. 19.

*Matth.*26. 64.

*Apoc.*1.7.

D. Baſil. *p.*5.n.25.

D. Cyril. *p.*19.n.2.

Corpus cur Verbum aſſumpſerit?

2. *Abaſſ.* Quid Verbum impulit, ut ſe carnis involucro amiciret? *Rom.* Ezechielis ore ipſum ait: *Quod confractum fuerit, alligabo; & quod infirmum fuerat, conſolidabo.* Et per Evangeliſtam: *Venit Filius hominis quærere, & ſalvum facere, quod perierat.* Adami peccato confractum fuit vas illud egregium, quod Deus è luto propriis manibus expolierat; nempè ipſius corpus, cùm illud triſtis illa mulcta prolata fuit; *Terra es, & in terram ibis.* Et omnes ejus Filii *in eo peccaverunt, & egent gloria Dei.* Oportebat ergo, ut Deus diſperſas illius fracturas colligeret, & ut ait D. Gregorius Nazianzenus, *ſimile per ſimile repurgaret. Nam quod non eſt aſſumptum, ſanatum non eſt. Inventáque eſt in eo caro propter eam, quæ cupiditati obſecuta eſt, ſimulque condemnata.* Quo antidoto obtentum, ut *mittens Deus Filium ſuum in ſimilitudinem carnis peccati, de peccato damnaret peccatum in carne.* D. Heraclis: *Sumpſit corpus, & animam, & intellectum, ne eſſet mors propter illa.* Et D. Athanateus apud Senuteon: *Induit carnem propter carnem.*

*Ezech.*34.16 *Luc.*19.10.

*Gen.*3. 19.

*Rom.*3.23. & 5.12.

D. Greg. Naz. Orat. 38. de Nativ.

*Rom.*8.3.

D. Proclus, *p.*5.n.27.

D. Athan. Senuteon hæret. *p.*1.n.15.

3. *Abaſſ.* Induit verò carnem alterius ſubſtantiæ, an omninò divinæ? *Rom.* Apollinaris primùm, deindè Eutyches eò inſaniæ ſunt prolapſi, ut dicerent, Chriſti carnem eſſe de ſubſtantia, ſeu conſubſtantialem divinitati: Quam ſatis depellere poſſent ea teſtimoniorum pharmaca, quibus infrà n. 18. Chriſti carnem noſtræ æqualem probabo; & cap. ſuperiori n. 8. 9. & 12. ipſum hominibus æqualem, & ſimilem; & ipſius corpus factitium, & planè creaturam oſtendi. Si autem divinitati conſubſtantialis fuerit, increata (qualis & ipſa eſt) dicenda. Quod argumentum ità urget D. Athanateus: *Creatitiam hominis conditionem non unitione Verbo propriam fieri, ſed coæternam Dei naturæ fuiſſe, & exæquatam identitate naturæ, impium eſt cogitare.* Ne tamen dicas, hoc teſtimonium veſtris in Libris non reperiri, ad illos, & eumdem D. Athanateum non transfero, qui totâ Epiſtolâ ad Agnitos (verè Epictetum, non Cypri, ſed Corinthi Epiſcopum) quæ integra, ſed valdè corrupta p. 15. circumfertur, hanc materiam ex inſtituto pertractat, ibíque conſonè ad ſuperiora ait: *Omnes Patres nos docuerunt, carnem non eſſe Verbum in ſubſtantia ſua.* Infrà. *Verbum, quod non fuit caro in ſubſtantia ſua, carnis ſuæ paſſionem ſibi attribuit*: Infrà: *Confundantur, qui dicunt, carnem ejus eſſe immortalem, vel ex ſubſtantia divinitatis.* Infrà: *Valdè perditi ſunt, qui ità ſentiunt, & comparant creaturam cum Creatore; & in ſua inſipientia cogitaverunt additamentum in divinitate Trinitatis.* Infrà: *Caro non eſt addita ei, quaſi ex ſubſtantia divinitatis, ſed ex Sancta Maria Virgine.* Quod hactenus de corpore, idem de anima ſentiendum; de qua Theophilus Alexandrinus: *Filius*, inquit, *& anima ejus diverſa, & multùm inter ſe diſtantis ſunt naturæ.* Et infrà: *Anima, & Filius Dei & natura inter ſe diſcrepant, & ſubſtantia. Eò quòd ipſa à Filio condita, noſtræ ſit conditionis, ac naturæ.*

D. Athanaſ. *p.*15.n.76.

Theoph. Alex. Epiſt. 1. Paſchal.

4. *Abaſſ.* Num fortè D. Athanatei veſtigiis Patres alii inſiſtunt? *Rom.* Plures quidem, ſed potiſſimùm duo illius ſectatores inſeparabiles, Divus Aroſius, & Cyrillus. E quibus prior: *Dum hos* inquit, *redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant, & divinitatem unius eſſe ſubſtantiæ. Quæ tantùm ſacrilegium inferna vomuerunt?* Et infrà: *Horum omnium auctores ſunt, qui divinitatem, & carnem Domini unius naturæ fuiſſe dixerunt.* Et infrà:

Aliorum Patrum ea de re aſſertiones.

D. Ambroſ. de Incarnat. Dom. Sacr. cap. 6.

In

Digitized by Google

In tractatu Concilii Nicani Patres nostri non carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Patre dixerunt. Et infrà : *Si caro in Christo omni subjacuit injuriæ, quomodò illam, cum divinitate unius dicitis esse substantiæ ? Quid aliud agitis, ista dicendo, nisi ut aut limum Adæ, terrámque nostram divinæ substantiæ comparetis ; aut certè divinitatem in terrenæ corruptelæ injuriam transferatis ?* Divus Cyrillus : *Neque sentimus secundùm dicta hominum eorum, qui dicunt, Dei Verbum sumpsisse, & creavisse sibi carnem ex sua substantia, & essentia divinitatis.* Alibi : *Ejus apparitio in carne non fuit caro à Patre.* Alibi : *Non creavit carnem, quæ facta sit, cum eo ex substantia sua tantùm ; sed illam sumpsit à nobis.* Alibi : *Divinitas, & humanitas consubstantialitate differunt.* Alibi : *Unus substantiæ non est Verbum, quod ex Patre est, & corpus unitam habens animam rationalem.* Et infrà : *Nec secundùm antiquos Hæreticos eum ex propria, hoc est, deitatis suæ natura sibi opinamur corpus aptasse.* Alibi : *Verbum non est factum caro secundùm translationem, vel conversionem, vel (ut à quibusdam prædicatur) consubstantiationem.* Alibi : *Non ex propria natura corpus sibi adscivit, aut ab eo, quod erat, abcessit.* Alibi veram rationem tradit, cur Christi caro esse non possit de substantia divinitatis ; ne, scilicet, verus homo non esset ; nam aliorum hominum corpora hominibus, non Deo sunt consubstantialia. *Noluit*, inquit, *sibi ex puris : ex substantia divinitatis carnem sumere, sed sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria. Aliter verò quomodò factus fuisset homo, nisi sumpsisset carnem humanam, & unionem eum ipsa ?* Alibi : *Planum est, carnem, quæ facta est una cum ipso, habuisse animam rationalem, & non esse de substantia Verbi.* Plurima alia testimonia, & rationes missas facio, quia de iis agendi opportunior locus inferiùs recurret capit. 16. & 25.

D. Cyril. p. 16. n. 3.

Epist. 2. ad Successum.

Corpus non est Deus, nec Verbū, sed corpus Dei, ac Verbi.

5. *Abass.* Ut Christi corpus hausturn non sit de substantia divinitatis, nec Deo consubstantiale, dicíne poterit Deus ? *Rom.* Facessat à tuis labiis isthæc enuntiatio, ut carnem Christi Deum dicas, & in illud præcipitium agaris, in quod provolutus est vester Interpres, cùm Canones D. Abolidis Pontificiis Romani pervertens, beatos eos vocavit, qui Christi carnem Deum dicerent ; quod verbum sapit conversionem : Rectiùs sentiret, si Dei carnem ; vel carnem divinam appellaret, ut fecit p. 2. ubi num. 28. rectus Canon his verbis describitur : *Qui dicit, carnem esse Dei ; & adorat in unione sine discretione, quia caro inseparabilis est Verbi ; beatus sit.* Similiter D. Justinus : *Corpus manet corpus ; siquidem non corpus est Deus ; sed cum eo divina dignitas, non natura communicata est.* Divus Athanateus loco jam superiùs adducto : *Omnes Patres nos docuerunt, carnem non esse Verbum in substantia, sed carnem Verbi.* Infrà : *Omnem passionem, quæ super carnem Verbi pervenit, suscipiebat Verbum tamquàm propriam.* Infrà : *Non dixit* Christus discipulis : *Palpate, & videte, quia ego os, & caro sum ; sed sicut me videtis habere.* Non erat caro substantialiter, sed carnem unitam gerebat. Alibi : *Signum passionis ostendit manifestè in carne sua, quam fecit carnem divinam.* Alibi : *Ideò dictum est, Verbum carnem esse factum, quoniam caro Verbi facta est, & non hominis alicujus.* Alibi : *Corpus, quod oculis patebat, non hominis tantùm erat, sed & Dei.* Cyriacus Antiochenus, & Philateus Alexandrinus illud ex eodem D. Athanateo dictum referunt : *Caro Dei caro rationalis est.* D. Aforosius illius assecla : *Ostendebatur omnibus per corporis veritatem, quia caro non erat Verbum, sed caro Verbi.* Inferiùs : *In suo tractatu Patres Nicani non carnem, sed Dei Verbum unius dixêre cum Patre substantiæ.* D. Epiphanius : *Adscripsit sibi infirmitatem, tamquàm propriam, quia suscepit eam in carne sua divina.* D. Gregorius Nazianzenus : *Quod verò passum est, est caro Verbi.* D. Heraclis : *Caro divina ex nostro genere.* D. Cyrillus : *Caro caro est, & non deitas, licèt facta sit Dei caro.* Quæ verba in vestro Libro sic habentur : *Etsi Deus factus est caro, Verbum adhuc est Deus, & non caro.* Infrà : *Nos autem intelligimus, esse carnem Dei.* Alibi : *Caro propria erat Verbi, quod ex Deo natum est.* Sicubi autem Patres dixisse legantur, Verbum esse carnem, aut carnem Verbum, sive Deum ; intellige per unionem, non per consubstantialitatem, ut illud D. Athanatei : *Ipse Deus factus est caro, ut ipsius caro efficeretur Deus Verbum.* Quod expresè alibi declarat : *Dei caro secundùm naturam facta est ; non quòd consubstantialis deitati Verbi sit, & quasi coæterna ; sed quod propria illius per naturam facta sit ; & indivisibilis ratione coadunationis.*

Luc. 24. 39.

Ioan. 1. 14.

Cyriac. in Epist. Synod. n. 9.

Philat. p. 2. n. 2.

D. Ambros. lib. de Incarn. Domini Sacram. cap. 6.

D. Epiphan. p. 3. n. 36.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 62.

D. Heraclis p. 3. n. 15.

D. Cyril. Epist. ad Successum. p. 47. n. 50. 67. & lib. ad Theodos. Imperat.

D. Athanas. lib. de Human. nat. suscepta, contra Apollinar.

Lib. de Incarn. Christi.

D. Abolid. p. 9. n. 11.

D. Justinus lib. de recta Fidei confessione.

D. Athanat. p. 15. n. 70. n. 86.

Caro Christi non extitit cum Verbo ab initio.

6. *Abass.* Do, Christi carnem nec Deum esse, nec de substantia Deitatis ; numquid semper illi coexistebat ? *Rom.* Si velis ità carnem Verbo coexistere, quasi fuerit ipsi coæterna, & increata, id proximè negavit D. Athanateus, & nos latè probavimus cap. 1. num. 5. & cap. superiori num. 12. & 13. & iterùm de ea re agemus cap. 15. Si autem velis, carnem quidem creatam, sed Verbo priùs adhæsisse, quàm in Sacræ Virginis uterum illaberetur, ea procacitas potissima Fidei dogmata evertit ; & illud in primis, quod incarnatus sit de Spiritu sancto ex Maria Virgine. Utriusque dicti audaciam, sequentium Patrum dicta retundunt. D. Gregorius Thaumaturgus : *Siquis dixerit de carne Christi, quòd existebat priùs cum divinitate ipsius ; anathema sit.* Et infrà : *Quomodò dicunt, carnem, quæ post tempus facta est, priùs fuisse cum divinitate ejus, quæ est ante tempora ?* D. Athanateus : *Ubi hanc negationem invenerunt, ut dicerent, carnem Verbi non esse novam, neque posteriorem divinitate ?* Infrà : *Patres nostri*

D. Greg. Thaum. p. 3. n. 23. 24.

D. Athan. p. 15. n. 11. n. 26.

Digitized by Google

ſancti, quando Nicæa convenerunt, non dixêre carnem habere antiquitatem temporis cum Patre in ſua divinitate. Infrà: *In veſtra dementia prædicatis, carnem exitiſſe à principio, unientes illam ſubſtantiæ Verbi.* Infrà: *Confundantur tantùm illi, qui arbitrantur, Verbo carnem fuiſſe, antequàm incarnaretur ex Sanctiſſima Virgine Maria, Domina noſtra.* D. Cyrillus: *Caro ejus non exiſtebat anteà ſimul cum ſubſtantia divinitatis ejus, ſed de novo illam creavit, & extrinſecùs induxit.* Alibi: *Si hominis ſubſtantia à principio ei ineſſet, quomodò diceretur, ipſum, cum dives eſſet, egenum eſſe factum?* D. Leo Magnus: *Natura noſtra non ſic aſſumpta eſt, ut priùs creata poſteà aſſumeretur, ſed ut ipſa aſſumptione crearetur.* D. Joannes Damaſcenus: *Ipſum Dei Verbum carnis hypoſtaſis fuit. Neque enim Deus Verbum præexiſtenti carni ſeorsìm unitus eſt.* Alibi: *Primitias noſtræ naturæ aſſumpſit, non quæ ſeorsìm in ſe, atque individuum priùs fuerit, poſteáque ab eo aſſumpta ſit; ſed quæ in ipſius hypoſtaſi extiterit. Ipſa enim Dei Verbi hypoſtaſis extitit.* Ad hanc veritatem firmandam ſufficiant duæ rationes. Prima, quæ eſt D. Athanatei; ſi Verbum priùs carnem haberet, non eſſet cur homo fieri vellet, eámque ex Virgineo promptuario mutuari. Secunda D. Cyrilli; Verbum paſſionem ab initio ſubiturum, ſiquidem corpus patibile ab initio ſortiretur.

D. Cyril. p.44.n.1. & p.52.n.1.
p.52.n.15.
2.Cor.8.9.
D. Leo Epiſt.11.ad Julian.
D. Joannes Damaſc.lib. 3. de Fid. cap.2.& 10.
D. Athanaſ. p.15.n.44.
D. Cyril. p.48.n.12.

Carnem ſecum de cœlo Chriſtus non attulit. 1.Cor.15.48.

7. *Abaſſ.* Quamvis Verbo corpus anteà non coextiterit, illud ſaltem ſecum è cœlis advexit, ut verum ſit illud dictum Apoſtolicum: *Qualis cœleſtis, tales & cœleſtes. Rom.* Nequaquàm cœleſtem Chriſtum dicimus cum Apollinari hæretico, & Valentino, quòd illius corpus ex cœleſti materia ſit compactum; ſed vel *ob cœleſtem unionem*, ut ait D. Gregorius Nazianzenus; vel ob divinitatem cœleſtis machinæ conditricem. *Cœleſtis deſcenſio*, inquit D. Aroſius, ſed *humana conceptio.* D. Abolidis: *Nos dicimus, totum Filium eſſe de cœlo propter divinitatem.* Alibi: *Qui dicit, carnem Domini noſtri eſſe de cœlis, & non eſſe creatam in ſua ſubſtantia, & eſſe ſine principio exiſtentem à principio cum Deo in unione; & non credit, eſſe ex Sanctiſſima Virgine Maria; anathema ſit.* D. Athanatheus: *Qui dicit, carnem Domini noſtri eſſe de cœlo, & non ex Maria Virgine; anathema ſit.* D. Baſilius: *Caro cum ipſo non venit, quando deſcendit; ſed illam induit ex Sanctiſſima Virgine Maria.* D. Damaſis, ſive Damaſius in tertio Concilio Romano: *Si quis dixerit, corpus Chriſti deſcendiſſe de cœlo, & non ex nobis; anathema ſit.* D. Gregorius Nazianzenus, qui illum, & alios illius Concilii Canones ſuis ſcriptis inſerit. *Si quis carnem Domini de cœlo deſcendiſſe, & non hinc, atque à nobis eſſe dixerit; anathema ſit.* Ayocandius: *Non attulit jecum carnem de cœlo.* Nataliſan: *Si quis dixerit, Chriſtum IESUM Dominum noſtrum tuliſſe carnem de cœlo; anathema ſit.* Joannes Burlæus: *Siquis dicit, carnem Filii Dei eſſe de cœlis, & illam ſecum de cœlis detuliſſe; anathema ſit.* Theophilus Alexandrinus: *Nec carnem deduxit de cœlo.* Hæc autem veritas iiſdem, quibus ſuperior, fundamentis ſtabilitur. Nam ſi Chriſtus carnem de cœlo in mundum importavit, illam ex B. Virginis utero non non quæſivit; nec eidem, cui cæteri homines, naturæ communicavit. Illi enim non cæleſtem, ſed terrenam gerunt corporaturam; ac proinde non verè, ſed phantaſticè homo diceretur, ut ratiocinatur D. Cyrillus: *Non dicimus, attuliſſe ſecum carnem de cœlo & apparuiſſe phantaſticè.*

D. Greg. Nazianzen. Orat.51.
D. Ambroſ. de Incarn. Domin. Sacrm.cap. 6.
D. Abolid. p.1.n.25. P.2.n.26.
D. Athanaſ. p.1.n.29.
D. Baſil. p.5.n.12.
D. Damaſ. in 3.Concil.Roman.
D. Greg. Naz. Orat. 51. quæ eſt Epiſt.1.ad Cledon.
Ayocand. p.1.n.2.
Nataliſan, ſeu Vitalis. P.1.n.6.
Joan.Burl. p.1.n.8.
Theoph. Alex.Epiſt. 1.Paſchal.
D. Cyril. P.53.n.53.

8. *Abaſſ.* Si Chriſti corpus nec divinâ, nec cœleſti ſubſtantiâ nobilitatur, cujus materiæ acceſſione diteſcit? *Rom.* Illius, de qua Salomon: *Ex genere terreni illius, qui prior factus eſt.* Terrea enim, & fictilis illius eſt conditio; ideóque *terrenus* nuncupatur. D. Abolidis: *Non dividimus cœleſtem à terreno: neque terrenum à cœleſti.* Infrà: *Dicimus, quòd ſit Deus carnem veſtiens; & quòd ſit unus cœleſtis, & terrenus.* D. Feliquis: *Cùm ſit è cœlo, ipſe eſt in terra.* D. Joannes Chryſoſtomus: *Hæc eſt caro, quæ priùs audiit: Terra es, & in terram ibis.* D. Cyrillus: *Creavit ſibi carnem ex terra, habentem animam rationalem.* Alibi docet, Chriſtum eſſe altare, de quo Deus ad Moyſem: *Altare de terra facietis mihi*: Altare enim eſt ob ſacrarium divinitatis; de terra ob luteam ſubſtructionem humanitatis.

Terrenâ ſubſtantiâ Chriſti corpus conſtat.
Sap.7. 1.
1.Cor.15. 48.
D.Abolid. p.1.n.28. 72.
D. Felix p.3.n.6.
D. Joan. Chryſo t. p.12. n.5.
Gen.3. 19.
D. Cyril. p.4.n.1.
Exod.10. 24.

9. *Abaſſ.* Quænam fuit terreæ iſtius molitionis officina? *Rom.* Cùm dixerim cap.3. n. 1. 2. & 3. in Beatiſſimæ Virginis utero Incarnationis myſterium peractum, conſequenter addendum, illum Chriſto fuiſſe, quod Damaſcenus ager Adamo fuit. Nam ex apprimè ſubacta & mollita Spiritus ſancti artificio Virginei ſanguinis gleba configuratum fuit ſacrum illius corpuſculum, ità ut illi evaſerit conſubſtantiale; ut ibidem, & cap. ſuperiori n.6. probatum. Teſtimoniis verò ibi adductis adde remiſſivè Didaſcaliam p.1.n.4. p.2. n.2. D. Gregorium Thaumaturgum p.1. n.29. p.3. n.21. Patres Nicænos p.1.n.18. D. Athanaſeum p.1.n.10. 29. p.4. n.54. p.10.num.3. p.12.num.2. p.14. num.17.20. p.15.n.1.6.10.15 17. 20.35.51.54. 55. 108. 111. D. Baſilium p.5. num.8.13.23. 25. D. Gregorium Nyſſenum p.4. num.11. D. Abolidim. p.1. num. 5. 56. p.2. num. 5. 12. 28. p.4. n.5. p.9. n.7. Ayocandum n.11. Natalizan n8. D. Ephrem. p.1. num.3. p.2. num.2. D. Epiphanium p.1. n.3. p.2. num.1. p.5. num.10. D. Gregorium Nazianzenum, p. 4. num. 14. D. Joannem Chryſoſtomum p.1. num.11. D. Cyrillum p. 3. num.7. p.16. n.4.p.47. n.47. p.51. n.15. 30.p.52. n.5.p.53. n.13.17.54.

Terrenum Chriſti corpus in B. Virginis officina formatum.

10. *Abaſſ.* Non foret ſatis, confiteri Verbum per Virginem tamquàm aquam per canalem, aut radium per cryſtallum tranſiiſſe? *Rom.* Tranſeat à te tam vecors, & temeraria Apollinaris cogitatio, quam, ut jam monui dicto loco, Evangelica, & Apoſtolica verba: *Quod naſcetur ex te ſanctum*: *Miſit Deus Filium ſuum factum ex muliere*: in exilium relegant; & verum non autem phantaſticum, & evanidum

Verbum nō tranſiit per Virginem, quaſi per canalem.
Luc.1. 35.
Galat.4. 4.

D. Iren. lib. 3. cap. 32. dum Christi corpus testantur. D. Iræneus: *Errant, qui dicunt; eum nihil ex Virgine accepisse; hoc autem est dicere, putativè illum apparuisse; & tamquàm hominem, cum non esset homo; & factum ipsum hominem nihil assumendo de homine. Si enim non accepit ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque Filius hominis. Caterùm supervacua est ejus in Mariam descensio. Quid enim in eam descendebat, si nihil incipiebat sumere ab ea?* D. Alexander Alexandrinus: *Dominus noster* JESUS *Christus corpus non specie adumbratum, sed verum ex Maria Deipara assumpsit.* Divus Athanateus: *Valentinus, & Basilides asserunt, Dominum veluti aquam per canalem penetrasse per impollutam Deiparam Virginem. An non auditis, quid Archangelus Gabriel Virgini loquatur? Quod enim ex te nascetur sanctum. Si dixisset,* per te, *verisimile aliquid haberet ista impudentia. Caterùm, cùm dicit* ex te, *clarè demonstrat, Verbum assumpsisse ex ea humanum templum.* D. Gregorius Nazianzenus: *Siquis Christum per Virginem, tamquàm per canalem decurrisse, ac defluxisse dixerit, in summa impietate versatur.* D. Ephrem Syrus: *Si tamquàm in specie apparuit, quid opus fuit muliere? Si velut per canalem, ac fistulam descendit, cur conceptione indiguit, cum in Virgine, tamquàm in loco diversabatur? Neque supervacaneus est Deus, neque illusor. At supervacua est Maria, si Christus in figura venit. Illuderet enim Deus, generationem tantummodò apparentem ostendens.* D. Joannes Chrysostomus: *Quod ex Virginis carne processerit, demonstravit ille, qui dixit: Quod enim in ea natum est: & B. Paulus: Factum, inquit, ex muliere: os quodammodò obstruens impiorum, qui autumant, quasi per quemdam canalem, ità alterius naturæ Christum per Mariam transisse. Si enim ità se res haberet, quid ei opus fuisset utero Virginis? Si ità est, nihil ei, & nobis commune est. Alia igitur illa caro est, non ex nostra communione natura.*

D. Alex. Alex. in Epist. ad Alexand. Constant.

D. Athanat. lib. contra omnes hær.

Luc. 1. 35.

D. Greg. Naz. Orat. 51.

D. Ephrem. Syrus homilia de Margarita.

D. Joan. Chrysost.

Matth. 1. 20.

Galat. 4. 4.

Phantasticum non esse Christi corpus, ex Scriptura ostenditur.

11. *Abass.* Quid absurdi sequeretur, si corpus Christi phantasticum proponeretur? *Rom.* In primis Christus ipse, Scriptura, Apostoli, & Patres mendacii arguerentur. Deindè vana, & frustratoria esset hominum salus, & spes. Mendacii argueretur Scriptura, & ipse Christus, quia putantibus discipulis, ipsum supra mare ambulantem phantasma esse, dixit: *Habete fiduciam. Ego sum, nolite timere.* Et iterùm: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Hanc etiam carnem,* inquit D. Athanateus, *palpavit Thomas, quandò resurrexit à mortuis, ne putarent, phantasma esse.* De hac dixit D. Joannes: *Quod audivimus, quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, & manus nostræ contrectaverunt de Verbo vitæ.* Non est perspectum, neque contrectatum Verbum in sua substantia, sed Verbi corpus, quod contrectari non posset, si umbratili tantùm specie aspectantium oculos ludificaret. Prætereà, dicere non posset Christus citra mendacium: *Ego sum veritas,* si affirmantem, *Caro mea verè est cibus, & sanguis meus verè est potus*; carnis ejusdem, & sanguinis falsitas refelleret; nam solum verum corpus, & sanguis potest verùm cibum, & potum exhibere. Tandem, in Incarnatione se quid *novi* facturum Deus pollicebatur; novi autem nihil faceret, si in phantastico corpore super terram appareret; id enim frequenter per Angelos olim patraverat, ut dictum est à Divo Cyrillo, & à nobis lib. 2. cap. 13. num. 2. & lib. 3. cap. 9. à num. 3. Novum ergo fuit, quòd vero corpore se obduxerit; & qui *multifariàm, multisque modis olim loquutus fuerat in Prophetis, nunc in Filio,* ideſt, in humano, ac vero Filii corpore, sivè illius ore loqueretur.

Matt. 14. 27.

Luc. 24. 39.

D. Athan. p. 15. n. 77.

1. *Joan.* 1. 1.

Ioan. 14. 6.

Ioan. 6. 55.

Jer. 31. 22.

D. Cyril. p. 34. n. 36.

Hebr. 1. 1.

Patrum de vero Christi corpore testimonia.

12. *Abass.* Cur Apostoli, & Patres mendacii arguerentur? *Rom.* Quia contra Manem, & Marcionem scribentes unanimiter solidum, & succi, ac veritatis plenum Christi corpus propugnaverunt. D. Agnateus: *Verè assumpsit corpus; Verbum enim caro factum est.* Patres Concilii Nicæni: *Habet carnem, & animam veram, non per phantasiam.* D. Athanateus: *Quis Christianorum audivit, Christum non induisse carnem veram?* Infrà: *Non fuit hoc per similitudinem, neque per phantasiam, sicut arbitrantur homines insipientes. Quia caro Domini est caro vera.* D. Basilius: *Non est natus in carne phantastica, sed vera.* D. Gregorius Nyssenus: *Incarnatio est vera, non phantasma.* Infrà: *Unitus est verè, & non phantasticè.* Metoligion: *Nec caro ejus est in phantasmate, sed vera in unione.* Natalisan: *Siquis credit, carnem Domini esse spiritum; anathema sit.* D. Ephrem: *Dicunt, quòd humanitas, quam sumpsit, est forma, & imago, & phantasma. Ego taceo audiens vos, ô Hæretici.* D. Heraclis: *Quod in ipso fuit, non fuit umbra aut phantasma.* Infrà: *Quod sumpsit, veritas est.* D. Epiphanius: *Ne arbitreris esse phantasma, quod non habet verum corpus.* D. Gregorius Nazianzenus: *Habet carnem, quæ non est phantasma.* D. Cyrillus: *Sumpsit carnem passibilem, ne homines putarent, illam esse phantasma.* Alibi: *Fuit homo perfectus in veritate, non in similitudine, neque phantasmate.* Alibi: *Caro, quam à nobis sumpsit, non est phantastica.* Ut autem verum fuit Christi corpus, sic verè, non apparenter operatus est. D. Agnateus: *Verè natus est Dominus noster* JESUS *Christus, verè crevit, & verè comedit, & bibit; verè crucifixus est; & verè passus, mortuus, & sepultus; & resurrexit à mortuis. Qui ità in hoc credit, beatus est; & qui hoc despicit, separatus est à vita beata, quam speramus.* Divus Epiphanius: *Fatigatus est, cùm iter faceret, & tristatus est, ut notam faceret veritatem humanitatis.* D. Gregorius Nazianzenus: *Non est passus Christus Dominus in phantasmate, quandò esuriit, & sitiit, & fatigatus est ex itinere, sicut perditi homines dixère; sed verè passus est in carne.* Joannes Jerosolymitanus: *Propter nos infirmitates sustinuit in veritate, & fatigatus est in itinere, & non in phantasmate.*

D. Ignat.

D. Athan. p. 15. n. 3. 94. 97.

D. Basil. p. 5. n. 14.

D. Greg. Nyss. p. 4. n. 7. 12.

Metolig. p. 1. n. 6.

Vitalis p. 1. n. 9.

D. Ephrem. p. 3. n. 1.

D. Procl. p. 5. n. 6. 9.

D. Epiph. p. 3. n. 28.

D. Greg. Naz. p. 4. n. 10.

D. Cyril. p. 3. n. 27. & p. 34. n. 15.

D. Ignat. p. 2. n. 1.

D. Epiph. p. 3. n. 19.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 57.

Joan. Jerosolym. p. 1. n. 2. 7. 8.

13. *Abass.* Cur vana, & frustratoria

Digitized by Google

Si corpus Christi phantasticum esset, phantastica esset hominum salus, & spes. Symb. Nic.

esset hominum salus, & spes, si Christus phantastico corpore obumbraretur? *Rom.* Radix flaccida, & carioſa validos, & ſuculentos fructus emittere non poteſt. Radix autem noſtræ ſalutis, & ſpei eſt Incarnatio. Nam *propter nos, & propter noſtram ſalutem deſcendit de cœlis, & incarnatus eſt de Spiritu ſancto ex Maria Virgine.* Si igitur hæc incarnatio eſt phantaſtica, ſalus eamdem conſequens in fumos, ac ventum evaneſcet.

D. Ignat.

Divus Agnateus: *Quidam Athei dicunt, ipſum ſola opinione hominum natum eſſe, non autem re vera corpus aſſumpſiſſe; & opinione mortuum, non autem verè paſſum. Quæ ſi ità ſunt, cujus rei gratia ego vinctus ſum, & opto, ut feris objiciar? Fruſtrà morior utique.* Et infrà: *Ego verò non opinione tantùm ſpem in eo habeo, qui pro me mortuus eſt, ſed re vera. Omne enim mendacium alienum eſt à veritate.*

D. Athanat. p. 15. n. 96.

Divus Athanateus: *Si Verbum apparuit in carne phantaſtica, & imaginaria, ſicut ipſi inſipientes dicunt, fuiſſet etiam hominum ſalus, & reſurrectio eorum phantaſma, & ſimilitudo imaginationis tantùm, ſicut dixêre deliri Manichæi. Quod ſi ità fuit, non eſt ſalus in carne Domini noſtri.*

D. Greg. Naz. p. 3. n. 7.

Divus Gregorius Nazianzenus: *Quomodò erit reſurrectio, niſi mors præcedat, quæ ſit ante reſurrectionem? Et quomodò poteſt fieri mortalis ſine veſtitu carnis; quia divinitas quidem non moritur?*

Non carnis, ſed peccati tantùm, & ideò carnis peccati in Chriſto fuit ſimilitudo. *Rom. 8. 3.*

14. *Abaſſ.* Divus Paulus ait: *Filium ſuum à Patre miſſum in ſimilitudinem carnis peccati.* Et iterùm: *In ſimilitudinem hominum factus, & habitu inventus ut homo. Ut homo*, non ergo verus homo, ſed hominis larva, & impoſtura. *Rom.* Hominum in Chriſto ſimilitudo, nec ærea, nec perſonata fuit, ſed in ejuſdem carnis, & ſanguinis participatione, ut cap. 6. numero 9. demonſtratum. Quo pacto dicitur Adamum ad ſimilitudinem ſuam filium genuiſſe: id eſt, parem in naturæ humanæ veritate. Verbum autem illud *ut homo* non eſt diminutivum, ſed vim habet confirmandi, ſicut & illud: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quaſi unigeniti à Patre*; ideſt, ut verè unigeniti, ut exponunt Divus Baſilius, & Chryſoſtomus. Siqua verò in Chriſto fuit apparens ſimilitudo, fuit carnis peccatricis; Nam ut in carne de carne peccatum damnaret, peccati quod innatum eſt carni (cum ipſe ab omni peccati nævo ſit alienus) apparentiam admiſit. *Quamvis*, inquit Divus Baſilius, *Chriſtus ſuſcepit veram carnem, non ſumpſit in ea peccatum, ſed ſimilitudinem peccati.*

Philip. 2. 7. *Gen. 5. 3.* *Joan. 1. 14.* D. Baſil. p. 4. n. 14. D. Joan. Chryſ. p. 10. n. 1. D. Baſil. Epiſt. 65.

Corpus Chriſti paſſibile fuit. *Heb. 2. 17.* D. Cyril. p. 3. n. 26. D. Alexan. p. 1. n. 2. Athan. p. 3. n. 12. D. Greg. Thaum. p. 3. n. 7.

15. *Abaſſ.* Fuitne Chriſti corpus paſſibile, an impaſſibile? *Rom.* Si Chriſti corpus eſſet impaſſibile, phantaſticum, nec fratribus per omnia ſimile judicaretur. Ità D. Cyrillus: *Sumpſit carnem patibilem, ne homines putarent, carnem, quam ſumpſit, eſſe phantaſma, & non veram carnem. Ideò fecit ipſam pati.* Divus Scandros: *Qui eſt impaſſibilis, paſſus eſt.* Divus Athanateus: *Cognoſcimus enim, tamquàm Deum cœleſtem, qui non patitur; & iterùm eſſe ex ſemine David in carne hominis, quæ patitur.* Divus Gregorius Thaumaturgus: *Verbum incarnatum fuit in carne paſſibili.* Divus Gregorius Nyſſenus: *Suſcepit dolorem in carne ſua voluntariè, & ſuſtinuit omnes paſſiones, & venit, ut immolaretur ſicut ovis.* Divus Abolidis: *Divinitas impaſſibilis eſt, caro autem paſſibilis.* Divus Epiphanius: *Suſcepit ex ſanctiſſima Virgine Maria ſubſtantiam hominis mortalem.* Divus Joannes Chryſoſtomus: *Qui erat impaſſibilis, incarnatus eſt in carne paſſibili.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Paſſus eſt propter nos, & propter peccata noſtra.* Si Chriſtus carnem impaſſibilem nactus eſſet, quomodò ab Iſaia diceretur *vir dolorum, & ſciens infirmitatem?* Et illud: *Verè languores noſtros ipſe tulit, & dolores noſtros ipſe portavit.* Et illud: *Vulneratus eſt propter iniquitates noſtras, attritus eſt propter ſcelera noſtra.* Et à Paulo: *Non habemus Pontificem, qui non poſſit compati infirmitatibus noſtris: tentatum autem per omnia pro ſimilitudine abſque peccato.* Et à Divo Petro: *Chriſto igitur paſſo in carne.*

D. Greg. Nyſſ. p. 4. n. 28. D. Abolid. p. 1. n. 47. D. Epiph. p. 6. n. 4. D. Joannes Chryſoſt. p. 3. n. 3. D. Greg. Naz. p. 3. n. 14. *Iſai. 53. 3. 4. 5.* *Heb. 4. 15.* *1. Petr. 4 1.*

16. *Abaſſ.* Dicendum eſt Chriſti corpus corruptibile, an incorruptibile? *Rom.* Quod paſſibile, idem & corruptibile. Hominum autem corpora naturæ ſuæ contextu ut paſſioni, ſic etiam corruptioni ſunt obnoxia. *Corpus*, inquit Sapiens, *quod corrumpitur, aggravat animam.* Et D. Paulus: *Habemus theſaurum iſtum in vaſis fictilibus.* Iterùm: *Scimus, quoniam ſi terrena domus habitationis noſtræ diſſolvatur.* Iterùm: *Oportet, corruptibile hoc induere incorruptionem, & mortale hoc induere immortalitatem.* Cùm autem Chriſtus mortuus fuerit, ipſius corpus dici non poteſt expers corruptionis; mors enim, & corruptio converruntur; ut in Actis Apoſtolorum: *David voluntati Dei dormivit, & appoſitus eſt ad patres ſuos, & vidit corruptionem.* De Chriſto autem ibidem dicitur, cùm ſuſcitatus eſſet à mortuis, *non reverſurum in corruptionem.* Ergo priùs ſubditus erat corruptioni; nemo enim eò revertitur, niſi undè exierat. Divus Gregorius Nyſſenus: *Purus, qui non corrumpitur, ſuſcepit ſubſtantiam hominum, quæ corrumpitur.* Adverte tamen, hîc tibi inter duos ſcopulos in Alexandrino freto fluctuum latratibus infames (alter dicitur Incorrupticolarum, & Phantaſiaſtarum; alter Corrupticolarum) navigandum. Cùm enim Alexandriæ exilium agitaret Julianus Epiſcopus Halicarnaſſi (is, quem Severus, Theodoſius, Joannes Alexandrinus, & Joannes Antiochenus in veſtro Libro vocant Julianum Phariſæum) docuit, Chriſti corpus à primo conceptionis ſuæ inſtanti, ex vi unionis hypoſtaticæ, incorruptionis munere potitum, ipſum tamen ob hominum dilectionem illud corruptioni ſubjeciſſe. Cui tunc adhæſit Cayanus Alexandrinæ Eccleſiæ, Theodoſio expulſo, ſubrogatus; eique deinceps plurimi, quos Theodoſius p. 3. numero 5. Cayanitas appellat. Ipſe verò Theodoſius, & Severus dum fortiùs, quàm veriùs in alterius partis defenſionem incumbunt, dixêre, Chriſti corpus adeò eſſe corruptioni mancipatum, ut ſivè vellet, ſivè nollet, ſubdendum eſſet corruptioni.

Corpus Chriſti corruptibile. *Sap. 9. 15.* *2. Cor. 4. 7. 1 2. Cor. 5. 1.* *1. Cor. 15. 53.* Ariſtotel. 1. de Generat. text. 24. *Act. 13. 36.* D. Greg. Nyſſ. p. 3. n. 5. Duæ hæreſes contrariæ Corrupticolarum, & Incorrupticolarum. Thaton. an. 519. & 563. Sever. p. 2. n. 10. Theodoſ. p. 2. n. 18. Joan. Alex. p. 1. n. 29. Joan. Antioch. p. 3. n. 4.

Digitized by Google

corruptioni. At Ecclesiæ Catholicæ Fides, ut contra Julianum, & Cayanum statuit, corruptibile Christi corpus, ità contra Severum, & Theodosium voluntariè, & non coactè passionum impressionibus subjacere.

Isai. 53. 7. 12. *Oblatus est* enim, inquit Isaïas, *quia ipse voluit.* Infrà: *Pro eo, quod tradidit in mortem animam suam.*

Hebr. 12. 2. Et teste Paulo: *Proposito sibi gaudio, sustinuit Crucem confusione contempta.*

Joan. 17. 18. Ipse etiam apud Joannem: *Ego pono animam meam; nemo tollit eam à me; sed ego pono eam à me ipso; & potestatem habeo ponendi eam.*

D. Greg. Naz. p. 1. n. 63. Divus Gregorius Nazianzenus: *Non fuit Verbum semotum à carne, quæ passa est illius voluntate.*

D. Joan. Chrysost. p. 1. n. 7. D. Joannes Chrysostomus: *Tradidit Judæis semetipsum voluntate sua tantùm.*

D. Cyril. p. 3. n. 14. Divus Cyrillus: *Omnia ista passum est propter nos voluntariè Deus Verbum in carne, quæ ipsi unita erat.* Alibi: *Et ipse voluntate sua passus est.* Alibi: *Verbum passum fuit in carne per voluntatem suam.* Joannes Burlæus: *Siquis non credit; Dei Verbum passum esse in carne voluntariè propter nos; anathema sit.*

Nullus morbus Christi corpus attigit. 17. *Abass.* An, ut Christus voluntariè corpus suum aliis corruptionum morsibus, ità morborum assultibus submittebat? *Rom.* Omnis morbidæ impressionis immune fuit corpus Christi. Nam in alios homines sæpè ægritudinum colluvies seminis paterni, & materni sanguinis corruptione transfunditur; Sæpè, quia ipsi in cibum, & potum se intemperantiùs ingurgitant; vel effrænatis appetitionibus indulgent. At Christi conceptionem nulla seminis contagio polluit; ventrem nulla ferculorum, neque poculorum nimietas distendit; corpus nullius voluptatis calor succendit; ut febre, vel aliorum humorum inter se dissidentium pugnâ conflictaretur. Decebat enim illum, qui ad tollendos mundi languores venerat, nullâ morborum sentinâ prægravari. Ad hæc, tanta fuit in illius ore gravitas, & venustas, tanta in membris proportio, & concinnitas,

Psal. 44. 3. Cant. 5. 10. ut meritò à David *speciosus forma præ filiis hominum*, Et à Salomone ipsius filio *electus ex millibus* prædicaretur.

Christi caro nostræ æqualis. 18. *Abass.* Dicendúmne est Christi corpus, & caro nostræ æqualis, an inæqualis? *Rom.* Nostræ æqualem, præter Patres cap. 6. num. 8. allegatos, sequentes sanxerunt.

D. Greg. Nyss. p. 1. n. 9. D. Gregorius Nyssenus: *Creavit sibi carnem, quæ æqualis est nostræ.*

Vitalis p. 1. n. 5. 9. Natalisan: *Siquis non credit, carnem Domini nostri esse de Virgine, & esse æqualem nobis; anathema sit.*

D. Athan. p. 15. n. 50. 97. Iterùm: *Est homo perfectus in perfecta nativitate ex Virgine, æqualis carni nostræ.* Divus Athanateus: *Debuit per omnia similari, & sumere carnem similem ipsis.* Infrà: *Caro Domini nostri est caro vera, & una cum carne nostra; & sanctissima Virgo Maria Domina nostra, soror nostra est, quia omnes nos sumus ex Adam.*

D. Abolid. p. 5. n. 6. Divus Abolidis: *Æqualis fuit nobis in indumento carnis nostræ.*

D. Ephrem. p. 1. n. 7. Divus Ephrem: *Suscepit carnem, quæ nobis assimilatur, quæ nostræ æqualis est in omnibus, quæ exeunt ex substantia.*

D. Cyril. p. 53. n. 1. Divus Cyrillus: *Sumpsit ex ea carnem, quæ æqualis est nostræ.*

D. Ambros. Divus Aforosius: *Caro ipsius, & anima ejusdem, cujus anima nostra, caróque, substantiæ est.* Infrà: *Carnem nostræ similem, ejusdem, cujus caro nostra est, substantiæ, suscepit.* Consentiunt ex Hæreticis Theodosius p. 1. num. 2. & 6. p. 3. numero 4. Severus, p. 2. num. 6. p. 8. num. 17. Deonaceos p. 2. num. 13. p. 3. num. 6. & 12. p. 4. num. 2. Cosmos p. 1. num. 5. p. 2. num. 3. Athanateus p. 1. numero 1. Zacharias p. 2. numero 5. Zacharias Jehah, p. 1. numero 3. Christodùlos p. 2. num. 1. p. 5. num. 3. Joannes Antiochenus p. 3. numero 4. Senuteon p. 1. num. 5. 16. Ut mireris eorundem Hæreticorum inscitiam, qui cùm Christi carnem nostræ æqualem fateantur, eamdem divinitati æqualem fingunt, cùm ex utraque unam substantiam conflant. *Quæ enim consubstantialia sunt, sunt etiam æqualia*, ut ait Divus Cyrillus. Undè fit, ut nostra etiam caro deitati æqualis evadat, cùm carni Christi sit æqualis. Nam juxta Philosophos, & Mathematicos, quæ sunt æqualia uni tertio, sunt etiam æqualia inter se.

D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 3.

CAPUT VIII.

Animam veram, & rationalem Christum habere ostenditur.

Anima fuit in Christo. 1. *Abass.* Quod satis est, de corpore dixisti; nunc paucula de Christi anima subjicito. *Rom.* Nihil vulgatius, quàm Christum animâ instructum. *Filius hominis*, inquit ipse, *venit dare animam suam redemptionem pro multis.* *Matt. 20. 28* Iterùm: *Ego pono animam meam pro ovibus meis.* *Joan. 10. 15.* Iterùm: *Pono animam meam, ut iterùm sumam eam.* 17. In Psalmis, & Actis: *Quoniam non derelinques animam meam in inferno.* *Ps. 15. 10. Act. 2. 27. & 13. 35.* Similiter Patres loquuntur. Divus Athanateus: *Sumpsit carnem, quæ habet animam.* D. Athan. p. 4. n. 36. Metoligon: *Quandò sumpsit carnem nostram, non sumpsit eam sine anima.* Metolig. p. 1. n. 4. Divus Epiphanius: *Factus est homo perfectus, habens animam, & carnem.* D. Epiphan. p. 11. n. 2. Divus Gregorius Nazianzenus: *Nos ritè credimus, habere animam, & carnem.* D. Greg. Naz. p. 4. n. 20. Divus Cyrillus: *Dicimus, eum sumpsisse carnem, quæ habet animam.* D. Cyril. p. 11. n. 3. Alibi: *Non est factus caro sine anima, sicut Hæretici cogitaverunt.* p. 34. n. 12.

Carnis nomine D. Joannes animam etiam intellexit. 2. *Abass.* Joannes solius corporis mentionem fecit, dicens: *Verbum caro factum est.* *Ioan. 1. 14.* Quod evidens est indicium, Verbum carne inclusum animâ caruisse. *Rom.* Usitato Sacrarum litterarum Canone, & omnium gentium phrasi, partis unius nomine alia innuitur, quæ ipsi vel essentialiter, vel naturaliter connectitur; & totum, quod ex ambabus coalescit. Quis, cùm audit, *sexaginta sex animas cum Jacob in Æ gyptum descendisse*, putet eas illuc, relictâ in terra Chanaam corporum sarcinâ, convolasse? Aut, cùm legit dictum ab Isaïa: *Videbit omnis caro salutare Dei:* animas ab illius visione arcendas, & habendam solius corporis rationem opinetur? Quem Canonem tradit Divus Epiphanius,

Digitized by Google

Epiphanius, & comprobat Geneſis teſtimonio, quo proditur : *Formavit Deus hominem de limo terræ* ; ubi licèt animæ, cordis, capitis, & aliorum membrorum nulla fiat mentio, intelligendum tamen eſt, formandi verbum ad omnia extendi. *Cùm*, inquit, *Scriptura dicit, Deum feciſſe hominem, loquitur de creatione omnium, quæ ſunt in homine ; quia Deus creavit homini ſpiritum, ventrem, renes, inteſtina, venas, & omnia corporis membra interiora, & exteriora. Eodem modo, cùm dixit : Verbum caro factum eſt, ecce attribuitur illi, quidquid in carne eſt, excepto peccato.* Similiter exponit D. Athanateus, D. Cyrillus, & ex Latinis D. Aforoſius, D. Auguſtinus, & alii. Ut autem D. Joannes ſolam carnem, ſic D. Paulus ſolam animam in medium producens, ait : *Semetipſum exinanivit, formam ſervi accipiens* ; ubi de anima agit, quam etiam Philoſophi definiunt, *formam corporis organici, potentia vitam habentis.* Sic D. Athanateus : *Paulus de intellectuali natura teſtimonium perhibet, Joannes autem de inſtrumentali corpore documentum affert ; ut ambo ſimul univerſum hujus myſterii negotium dep edicent.*

Gen. 1. 7.

D. Epiph. p. 3. n. 26.

D. Athanat. p. 15. n. 10.

D. Cyril. p. 52. n. 44.

D. Auguſt. Enchirid. ca. 34.

Paulin. 2. 7.

Ariſtotel. lib. 2. de anima cap. 1. text. 6. 24.

D. Athan.

Cur D. Joannes carnem potiùs, quàm animam nominaverit ?

3. *Abaſſ.* Cur, cùm animam ſimul, & corpus ſibi Chriſtus ſociaverit, maluit D. Joannes carnem, quàm animam nominare ? *Rom.* Primò, ut homines agnoſcerent, quantis beneficiorum vinculis obſtricti Verbo tenerentur ; quod tantùm ſe ob eorum ſalutem demiſerit, ut implicare ſe infimæ ipſorum naturæ portioni (quæ corpus eſt) & cum carne peccati ſimilitudinem, ad peccatum in carne damnandum, induere non detrectaverit. Non enim in Scriptura hominem anteà carnem dictum invenimus, quàm in peccatum ſit provolutus. Nam tunc Deus ait : *Non permanebit ſpiritus meus in homine, quia caro eſt.* Et inferiùs : *Omnis quippe caro corruperat viam ſuam.* Homines ergo Joannes admonuit, ut perpenderent, opportunam carnis ſuæ vulneribus medicinam advenisſe. Secundò, ut innueret à Verbo hominum naturam, non perſonam aliquam aſſumptam ; quia carnis nomen, non perſonam, ſed naturam deſignat, ut præmonui capite 4. numero 17. Et notavit D. Cyrillus : *Scriptura non dicit, Verbum ſibi unisſe perſonam hominis, ſed Verbum carnem factum eſſ.*

Gen. 6. 3. 12.

D. Cyril.

Cur animâ Chriſtus aſſumpſerit ?

4. *Abaſſ.* Quæ cauſæ Verbum induxerunt, ut animam in ſuum contubernium admitteret ? *Rom.* Verbum idcircò de cœlis in terram ſe demiſit, ut homo fieret ; quo fine fraudaretur, ſi corpus inanime, & exangue ſibi copularet ; id enim non eſt homo, ſed cadaver. Deindè, ad homines deſcendit, ut vitam eiſdem largiretur : *Ego*, inquit, *veni, ut vitam habeant, & abundantiùs habeant.* Quomodò autem vitam dare poſſet, ſi animâ, quæ vitæ eſt origo, ipſe careret ? Cæteras rationes vide infrà numero 8. Et fallax eſſet Paulus, cùm ipſum affirmet, *ſemper vivere ad interpellandum pro nobis.*

Ioan. 10. 10.

Hebr. 7. 25.

5. *Abaſſ.* Major Chriſti præſtantia videretur, ſi animâ careret, & divinitas illius functiones exerceret. *Rom.* Vide, nedum Chriſti gloriam quærere conaris, in illius divinitatem, & humanitatem ſimul injurius exiſtas. In humanitatem, dum corpori loco animæ divinitatem incruſtas, eúmque ab hominum cenſu eliminas. *Divinitas enim*, inquit Nazianzenus, *cum ſola carne homo non eſt.* In divinitatem, quia ipſam, ſi animæ vices ſubit, turbari, & triſtari oportebat, ut vera eſſet illa aſſertio : *Nunc anima mea turbata eſt* ; Et illa : *Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Impium autem eſt ſentire, divinitatem talibus fluctuationibus percelli, juxta inſaniam Arianorum, & poſteà Apollinaris, qui motus illos ſacrilegè, & temerariè in divinitatem invehebant. Eam verò nondùm natam D. Agnateus, & Gregorius Thaumaturgus condemnârunt. Ille enim ait : *Ecce inveniemus alios Hæreticos Theomachos, ideſt, inimicos Dei, qui arbitrantur, in carne, quam ſibi ædificavit Deus ex carne, & ſanguine Sanctiſſimæ Virginis Mariæ Dominæ noſtræ, ſicut ipſe novit tamquàm Conditor, fuiſſe carnem ſine anima ; & divinitatem ei fuiſſe loco animæ. Numquid exiit ab eo divinitas, & ſeparata eſt à carne, & mortua in perpetuum ? Erubeſcat nunc, qui hoc dicit, & ità negator eſt, audiens verbum Domini noſtri JESU Chriſti, qui dicit : Triſtis eſt anima mea uſque ad mortem.* Quæ verba licèt in vulgatis D. Agnatei epiſtolis non reperiantur, in quadam ſic habetur : *Qui dicit, non fuiſſe in Chriſto animam humanam, hic nec Dei, nec Chriſti amator eſſe poteſt.* Thaumaturgus in Anathematiſmis : *Siquis dixerit, carnem Chriſti non habere animam, & rationem ; anathema ſit. Quia turbatio, & triſtitia cordis non eſt carnis, ſed animæ ; anima autem rationalis. Turbatio verò non eſt divinitatis.* Eumdem errorem in Ario, & Apollinari tum primùm ebullientem compreſſit Divus Athanateus. *Quandò*, inquit, *audis, quòd ploraverit, & turbatus ſit, ne arbitreris, Deum Verbum ploraſſe, & turbatum eſſe.* Divus Epiphanius : *Timor non eſt ſubſtantia divinitatis.* Infrà : *Verè ſitiit, ut agnoſcamus in corpore ejus eſſe animam rationalem ; quia divinitas ejus nunquam eſurit.* Divus Aforoſius : *Non ipſe Deus Verbum pro anima rationali, & intellectus capaci in carne ſuæ fuit ; ſed animam rationalem, & intellectus capacem, & ipſam humanam ſuſcepit.* Theophilus Alexandrinus : *Pro anima rationali Deus Verbum in ſua carne non fuit, ſicut dormitantes Apollinaris diſcipuli ſuſpicantur. Nec dicens illud ex Evangelio : Nunc anima mea turbata eſt, divinitatem ſuam turbationi ſubjacuiſſe teſtatur.* Quod conſequens eſt, eos dicere, qui pro anima divinitatem in corpore ejus fuiſſe contendunt. D. Cyrillus : *Timor, & turbatio cordis operatio eſt animæ rationalis ; metus, mors, & omnia, quæ locuti ſumus, longè ſunt à divinitate.* Alibi : *Arianæ impietatis propugnatores veritatem impiè adulterantes, Verbum quidem hominem factum teſtantur, attamen inanime corpus ſibi adjunxiſſe nugantur.*

Divinitas loco animæ Chriſto non fuit.

D. Greg. Naz. Orat. 51.

Ioan. 12. 27. Matth. 26. 38.

D. Ignar. p. 1. n. 23.

Matt. 26. 38.

D. Athan. p. 12. n. 4. Ioan. 11. 35.

D. Epiph. p. 3. n. 4. & 8.

D. Amb. lib. de Inc. Dom. Sacr. cap. 7.

Ioan. 12. 27.

D. Cyril.

6. *Abaſſ.*

Digitized by Google

Sensitiva anima tantùm in Christo non fuit.

6. *Abaſſ.* Animâ Chriſtum imbutum non infitior, patere tamen, ut dicatur, illam fuiſſe ſenſitivam, & Verbum rationalis ſedem occupâſſe. *Rom.* Impatiens ſum tantæ blaſphemiæ audiendæ, quam non tu, ſed primus omnium Apollinaris, *comparatus jumentis inſipientibus, & ſimilis illis redditus*, eructavit Chriſtum, & naturam humanam inſignis contumeliæ ſtigmatis compungens. Nam humanæ naturæ gloriam opprimens, eum eſſe hominem negabat. *Ne perfectam ſalutem*, ait Nazianzenus, *iſti nobis invideant, oſſa ſolùm, & nervos, atque hominis picturam Salvatori tribuentes. Neque enim homo animal eſt mente carens. Atque ego ab ipſa veritate deluſus ſum, ut qui alio honore affecto, ipſe glorier, méque jactem.* Chriſtum autem injuriâ affecit, in equorum præſepia, vel boum armenta ipſum dimittens. *Neceſſe enim eſt*, addit idem Nazianzenus, *ut ſpecies quidem, & larva humana ſit; anima autem equi cujuſpiam, aut bovis, aut alterius animalis, mentem non habentium.*

Pſ. 38. 21.

D. Greg. Naz. Orat. 51.

Rationalem animam Scriptura Chriſto tribuit.

7. *Abaſſ.* Adverſùs illam Apollinaris proterviam quid pugnat? *Rom.* Scriptura, Patres, & valida momenta rationum. Scriptura, dum Chriſti animam ſpiritum vocat: *Spiritus quidem promptus eſt, caro autem infirma. Pater in manus tuas commendo ſpiritum meum.* At rationalis anima ſpirituali naturâ gaudet, non autem ſenſitivâ. Cap. 12. Joannes ait: *Nunc anima mea turbata eſt*; Et cap. 13. *Turbatus eſt ſpiritu.* Divus Athanateus: *Tametſi Evangelium dixerit, ſpiritu Chriſtum turbatum fuiſſe, ipſe tamen Dominus declaravit, hoc de anima ſua intelligendum, cùm dicit: Nunc anima mea turbata eſt.* Et Divus Cyrillus: *Quem ſpiritum tradidit in manus Patris, ſi caro illi erat, quæ non habebat animam, & rationem?* Ex Patribus D. Athanateo antiquioribus pauci hanc controverſiam attigerunt, quia eo tempore in dubium non vertebatur; ſed Divus Agnateus loco à me indicato numero 5. humanam animam (quæ citra dubium rationalis eſt) Chriſto annectit. Non ſeciùs Divus Athanateus: *Aſſumpſit*, inquit, *perfectam carnem, quæ habet animam, & intelligentiam.* Et alibi docet, hanc ſervi formam eſſe, quam Verbum accepit. *Sicut enim*, inquit, *forma Dei integritas deitatis Verbi intelligitur, ità quoque & forma ſervi intellectualis natura hominum ſubſtantia.* In Symbolo: *Perfectus Deus, perfectus homo ex anima rationali, & humana carne ſubſiſtens.* Cùm autem peſtilens Apollinaris habitus erupit, primùm ſe illi Divus Damaſus coacto Romæ Concilio objecit, hunc cudens Canonem. *Anathema illis adjudicamus, qui aſſerunt, In carne humana Verbum Dei, loco animæ rationis participis habitavit. Nam ipſum idem Dei Verbum, non animæ rationis, & mentis compotis locum in corpore, quod ſibi aſſumpſit, obtinuit; ſed noſtram animam; hoc eſt, ratione, & mente præditam, expertem tamen peccati accepit, ſervavitque.* Damaſum ſequuntur Metoligon infrà cap. 24. num. 42. Nataliſan, numero 9. Divus Epiphanius, p. 3. num. 2. 4. 7. 11. 13. & indè. D. Gregorius Nazianzenus, p. 1. num. 55. p. 2. num. 3. p. 4. num. 1. 7. Divus Joannes Chryſoſtomus, p. 8. num. 5. Divus Cyrillus, p. 14. num. 2. p. 15. num. 1. p. 21. num. 4. 44. p. 32. num. 17. p. 34. num. 13. 23. p. 40. num. 3. p. 47. num. 29. 38. p. 48. 2. 3. 4. 8. 17. 47. p. 52. num. 25. 80. 150. 151. 152. 153. p. 53. numero 1. 26. 33. 41. Tandem, Chriſti anima noſtris æqualis, & conſubſtantialis fuit, ergo & rationalis. Theophilus Alexandrinus. *Nulli dubium, noſtras animas, & animam Salvatoris unius eſſe ſubſtantiæ.*

Matt. 26. 41. *Luc.* 23. 46. *Joan.* 12. 27. & 13. 21.

D. Cyril. p. 51. n. 152.

D. Athanat. p. 4. n. 58.

Cur verbum rationalem animam aſſumpſerit.

8. *Abaſſ.* Quæ rationum momenta præponderant, ut animam Chriſto rationalem adſcribamus? *Rom.* Illud primum. Verbum perfectum hominem aſſumpſit, ut dictum eſt cap. 6. num. 4. ergo propriam illius formam, quæ eſt anima rationalis, debuit aſſumere; *hâc enim ademptâ*, inquit Divus Athanateus, *homo informis nominatur, & totus ſolvitur; animâ quæ corporis naturam retinebat, deficiente.* Secundum. *Dei perfecta ſunt opera*, non autem ſemeſa, & dimidiata; Si autem Verbum ab anima rationali ſibi adjungenda, ſumpto corpore, abſtineret, *media aſſumptionis diſpenſationem implêſſe crederetur*, ut ait Theophilus Alexandrinus. Et qui *totum hominem ſalvum fecit in die ſabbati*, totam naturam humanam in ſe ipſo non ſalvâſſe argueretur. *Nam*, ex Divo Joanne Chryſoſtomo, *quidquid non aſſumpſit ex homine, non ſalvavit. In terra naſcitur perfectus homo; homo totus, ut ſanaret totum hominem.* Vide ſuprà cap. 7. num. 2. Tertium. Chriſtus eſt *agnus Dei, qui tollit peccata mundi, & ſemel in fine ſeculorum apparuit ad peccati deſtitutionem.* Mundi autem peccatum eſt in primis Adæ prævaricatio, & contagio originalis, in quam ille non ſolùm corpore, ſed præcipuè rationali animâ ſe præcipitem dejecit. Quare *ſi dimidia tantùm ex parte Adamus lapſus eſt* (ait Divus Gregorius Nazianzenus) *dimidiatum quoque ſit, quod aſſumptum eſt, & quod ſalutem accipit; ſi autem totus peccavit, toti quoque uniatur, ut omni ex parte ſalutem conſequatur.* Alibi: *Omnia pro uno illo generis noſtri principe in unum coierunt; anima nimirùm propter eam, quæ præcepto divino minimè paruit; caro propter eam, quæ animæ cupiditati obſecuta eſt, ſimúlque condemnata.* Quartum. Peccatum ex animæ rationalis conſenſu in corpus derivatur; utpote *quæ*, inquit idem Pater, *in Adamo non ſolùm peccaverit, ſed & prima affecta fuerit, quemadmodùm Medici in morbis loquuntur.* Opus ergo fuit, ut ille Medicus, qui de cœlo advenerat, *ut contritis corde mederetur*, animam priùs ſanaret, & ſimile per ſimile repurgaret. Quintum. Anima, cùm corporis forma ſit, ipſius eſt contubernalis; cùm autem ſpiritualis, & Dei ſimilitudine conſignata, aliquam cum Verbo, quod & ſpirituale eſt, & naturalis Patris imago, habet cognationem; *ideò illius interventu*, ut tradit D. Nazianzenus, *Deus carni junctus eſt; ac res inter ſe diſjunctæ; atque diſſidentes per interpoſitæ rei cum utraque eorum affinitatem, & cognationem copulatæ.* D. Auguſtinus: *Per*

D. Athan.

Deut. 32. 4.

Joan. 7. 23.

D. Joannes Chryſoſt. hom. de Nativ.

Joan. 1. *Heb.* 9. 26.

Orat. 1.

Iſai. 61. 1.

ſpiritum

Digitized by Google

spiritum animam, per animam corpus suscipiens, toto homine assumpto, ab omnibus eum infirmitatibus, nulla sui contaminatione, liberavit.

Intellectum habet Christi anima. D. Chrys. p. 8. n. 5.

9. *Abass.* Est in Christo nuda ratio, an suis ornata potentiis? *Rom.* Ut illum perfecta humanitas, sic etiam perfecta ratio comitatur, ut ait Divus Joannes Chrysostomus; quæ perfecta non esset, si suis potentiis, nempè intellectu, & voluntate, quæ rationales sunt facultates, esset denudata. De intellectu, quæ est potentia cognoscitiva, ait Isaias: *Isai. 11. 2.* *Requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus.* D. Matthæus: *Matth. 22. 18.* *Cognita autem JESUS nequitia eorum.* D. Marcus: *Marc. 8. 17.* *Quo cognito ait illi JESUS.* D. Lucas: *Luc. 5. 22.* *Ut cognovit autem JESUS cogitationes eorum.* Divus Joannes: *Joan. 6. 15. & 10. 14.* *JESUS autem cùm cognovisset, quia venturi essent.* Alibi: *Cognosco oves meas*; & pluribus aliis locis. D. Athanateus: *D. Athan. p. 4. n. 53.* *Sumpsit perfectam carnem, quæ habet animam, & intelligentiam.* Metoligon: *Metolig.* *Non sumpsit carnem sine anima, sed animam intellectualem.* D. Heraclis: *D. Procl. p. 5. n. 27.* *Sumpsit corpus, & animam, & intellectum.* Divus Epiphanius: *D. Epiph. p. 3. n. 13.* *In hoc declarat conunctionem animæ, & corporis hominis, quem Dominus induit, ut sit in ipso cognitio vera, & intellectus.* Divus Gregorius Nazianzenus: *D. Greg. Naz. p. 2. n. 3.* *Verbum unitum est substantiæ carnis, in qua est anima intellectualis.* Divus Cyrillus: *D. Cyril. p. 52. n. 153.* *Sumpsit carnem valdè perfectam, quæ habet animam rationalem, & intelligentiam.*

Voluntatem habet Christi anima. *Is. 53. 7.* *Ps. 39. 8.* *Heb. 10. 7. 10* *Luc. 22. 42.*

10. *Abass.* Idémne de voluntate, quod de intellectu, constat? *Rom.* De Christo dixit Isaïas: *Oblatus est, quia ipse voluit.* David, & Paulus: *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam: Deus meus, volui.* Et infrà: *In qua voluntate sanctificati sumus.* In Evangeliis: *Non mea, voluntas, sed tua fiat.* Et iterùm: *Non quod ego volo, sed quod tu.* Ubi verò probatum est, Christi animam rationalem esse, atque intellectu præditam, obtentum est, esse voluntate instruendam. *Si dixerimus*, ait D. Cyrillus, *Marc. 14. 36.* *ipsum mortuum fuisse carne, quæ habet animam rationalem, erit mors illius voluntaria.* Alibi: *D. Cyril. p. 48. n. 47.* *Sumpsit carnem mortalem, & passus est in ea voluntariè.* Vide aliorum Patrum dicta cap. proximo n. 16.

Aliquæ passiones appetitus in Christo repertæ.

11. *Abass.* Num appetitus sensitivus, & illius passiones Christi animam percellunt? *Rom.* Uterque appetitus concupiscibilis, & irascibilis tam rationalis, quàm merè sensitivus Christi animæ est insitus; eámque aliquæ ipsius passiones maculâ, & reprehensione carentes consectantur. *Cùm enim susceperit animam*, inquit Divus Aforosius, *susceperit & animæ passiones.* Nam in appetitu rationali concupiscibili fuit desiderium, & gaudium. *Desiderio*, inquit, *desideravi hoc Pascha manducare vobiscum.* Alibi: *Luc. 22. 15.* *Gaudeo propter vos, ut credatis.* In irascibili *Joan. 11. 15.* turbatio, Zelus, metus, & tristitia. Joannes: *Joan. 11. 33.* *Infremuit*, inquit, *spiritu, & turbavit* *Joan. 12. 27.* *semetipsum.* Alibi: *Nunc anima mea turbata* *Joan. 2. 17. 18.* *est.* Alibi: *Zelus domus tuæ comedit me.* D. *Marc. 14. 33* Marcus: *Cœpit pavere, & tædere.* Sunt autem præfati actus appetitus rationalis, quia sola ratio desiderii, gaudii, turbationis, metus, & tristitiæ causas prævidet, & dignoscit. Divus Gregorius Thaumaturgus: *D. Greg. Thaum. p. 3. n. 6.* *Turbatio*, inquit, *& tristitia corpus non est carnis, sed animæ; animæ autem rationalis.* D. Cyrillus: *Si caro non habet animam, neque rationem, quomodò ei convenit suscipere cordis turbationem; & non convenit ei agnoscere quidquam ejus justitiæ, qua superventura ipsi est? Ego dico, quòd hæc operatio est animæ rationalis, quam convenit ista suscipere; quia habet rationem, quæ ei declarat, quid sibi sit superventurum.* *D. Cyril. p. 52. n. 150.*

Eæ solæ passiones, quæ peccati suspicione carent, in Christi anima sedem inveniunt.

12. *Abass.* Sæpè doces, Christum mundum fuisse ab omni peccato, quod esse non posset, si appetitus passionibus pungeretur; hæ enim plerumque solent esse peccati pedisequæ, vel illius incentrices. *Rom.* Passiones appetitus, ubi fræna laxantur, in præcipitia impellunt; ubi autem contrahuntur, virtutum, & meritorum sunt conciliatrices. Nec omnis motus appetitûs peccatum est, nisi cùm ratio inordinatis illius excursionibus connivet. Si enim omnis zeli, atque iræ motus damnabilis esset, Psaltes minimè præciperet: *Irascimini, & nolite peccare.* Si omne desiderium, & concupiscentia noxæ esset, fruſtrà moneret Apostolus: *Ps. 4. 5.* *Carnis curam ne feceritis in desiderio.* Iterùm: *Rom. 13. 14.* *Desideria carnis non perficietis*; quia prima concupiscentiæ titillatio culpâ vacat, nisi consensu consummetur. Non ergo generatim passiones omnes Christus induit, sed illas tantùm, ut ait D. Cyrillus, *in quibus nulla delicti suspicio invenitur*; vel, ut vestri loquuntur, illas, *quæ maculam non habent*; quales sunt turbatio, metus, & tristitia, quæ nullam in eo, qui ipsis affectus est, culpam supponunt. Imò illæ, quæ cæteros homines, vel ob excessum, vel ob defectum aliquo nævo contaminant, ità in Christo fuêre anticipato rationis imperio frænatæ, ut nusquàm potuerint à recto justitiæ tramite declinare. Non enim licenter vagabantur, sed eò tantùm porrigebantur, quò illas Verbum excurrere sinebat. Nam in aliis hominibus passiones rationem præveniunt, & aliquandò obruunt; at in Christo illas suo gubernaculo subjiciente semper ratio præcessit. Quamvis enim aliquâ turbatione commotus fuerit, illam non ab externa aliqua impressione passus est, sed in se ipso ad pandendam humanitatis suæ veritatem, & odium contra peccatum (quod Lazari, & reliquorum hominum mortis causa extitit) testandum, suscitavit. Ideò Joannes ait: *Infremuit spiritu, & turbavit se ipsum.* Alii homines turbantur, non ipsi se turbant. *Turbatus sum*, inquit David, *& non sum locutus*; non se ipsum turbavit, sed aliundè turbatio invasit. At Christus *turbavit se ipsum*, quia turbationi, ut in pugnam contra hostes descenderet, arenam concessit. Etsi autem alibi fateatur, *animam suam turbatam esse*, sicut idem David: *In me conturbata est anima mea*, monet tamen D. Athanateus, ordinem verborum attendendum; non enim dicit absolutè: *Turbata est anima mea*: Sed: *Nunc anima mea turbata est*: Quorsùm particulam, nunc, præmisit?

Digitized by Google

præmisit? *Illud nunc*, inquit Athanateus, *tunc fuit, cùm voluit.* Turbatio igitur ex voluntate, non ex aliquo inopinatæ rei occursu proveniebat. Tandem, passiones Christi animæ valvas non confregêre, vel irrupêre; sed tantùm pulsârunt; ut verè dici possit, ipsas vixdùm suborientes, antequàm finem conspicerent, primis in assultibus oppressas. Quocircà notat D. Hieronymus cordatè ab Evangelista dictum: *Cœpit pavere, & tædere*; quia tædium, metus, tristitia, & aliæ passiones ortum tantùm in Christi anima, non autem consummationem vendicârunt; undè non passiones, sed propassiones dicendas arbitratur; quasi passionum tantùm meditamenta, & indicaturam. *Marc.* 14. 33.

Animæ sensitivæ affectiones in Christo reperiuntur.

13. *Abass.* Præter eas passiones, seu propassiones, quæ gradus rationalis sunt consectatrices, suntne aliæ affectiones, vel operationes, quæ gradui sensitivo addicantur? *Rom.* Cùm anima rationalis sensitivam, & vegetatricem virtute contineat, ut dictum est lib. 2. cap. 16. numero 5. & 6. aliquæ operationes Christo sunt cum animantibus, quæ sensitiva tantùm pollent animâ, communes. Eæ sunt: fames, sitis, fatigatio, somnus, & similes. Nam fames, est alimenti calidi, & sicci: Sitis frigidi, & humidi appetitio; fatigatio vitalium spirituum, ex laboris assiduitate, defectio; Somnus sensibilium operationum quies, seu privatio. Quæ affectiones in solis rebus animatis sedem figunt. De fame Divus Matthæus; *Posteà esurit.* De siti Divus Joannes: *Da mihi bibere.* Iterùm: *Ut consummaretur Scriptura, dicit: sitio.* De lassitudine idem: *JESUS autem fatigatus ex itinere.* De somno: *Ipse verò dormiebat.* Cùm enim affectiones istæ maculam non habeant, & in homine locandæ essent, quamvis in peccatum non laberetur, eas à se Verbum non censuit alienas. *Nam quæcumque ipse sua voluntate in natura formaverat*, ait Divus Athanateus, *ea in se ipso recepit; ut nativitatem ex fœmina, incrementum ætatis, numerum annorum, laborem, esuriem, sitim, somnum, dolorem, & resurrectionem; ut ubi seminata fuerat corruptio, inde incorruptibilitas oriretur.* Divus Gregorius Nyssenus: *Creavit sibi carnem, quæ æqualis fuit nostræ in susceptione infirmitatum: Famis, sitis, & fatigationis per suam voluntatem.* Idem relatus à Severo hæretico: *Quia factus est sicut nos in omni tempore absque peccato, participavit, quæ substantiæ nostræ conveniunt, & sustinuit famem, quia fames peccatum non est.* Divus Epiphanius: *Invênit omnia, quæ inveniunt animam, & corpus; quæ sunt fatigatio, fames, sitis, fletus, & tristitia. Verè sitiit, ut cognoscamus in corpore ejus esse animam rationalem. Et fatigatus est, cùm iter faceret, ad declarandam veritatem humanitatis.* Divus Cyrillus: *Fuit tentatus sicut nos, absque peccato tantùm. Esuriit, sitiit, fatigatus est, dormivit, comedit, & bibit, flevit, contristatus, & turbatus est.* Alibi: *Nescimus, Verbi substantiam habere [illegible] substantia sua, sed [illegible] nem; sicut dictum [illegible] fatigatum esse ambula[illegible] rum est, quam tradit [illegible] Ex ordine esse, ut ubi Verbum [illegible] ferat, ea in se ostenderet, [illegible] corporis.* Divus Heraclis: *[illegible] stantiam in Christo fatemur [illegible] tur de passionibus, quæ substantiam [illegible] quuntur.* Divus Cyrillus in Epistola [illegible] dica ad Nestorium, & p. 55. n. 54.

Matth. 4. 2. *Ioan* 4. 7. & 19. 28. *Ioan.* 4. 6. *Matth.* 8. 24. D. Athanas. lib. de Inc. Christi. D. Epiphan. P. 3. n. 4. D. Cyril. P. 3. n. 12. *Heb.* 4. 15. P. 52. n. 53.

Christus.

14. *Abass.* Aliquæ vegetatricis tantùm animæ operationes à Christi anima processerunt? *Rom.* Illæ duæ: nutritio, quâ cibum, & potum in suam substantiam convertebat; & accretio, quâ corpus sursum, & in latera extendebat. Tunc enim vera est comestio, cùm alimentum in mandentis substantiam transmutatur; & ideò phantastica est in Angelis, teste Raphaële ad Tobiam: *Videbar*, inquit, *vobiscum manducare, & bibere; sed ego cibo invisibili, & potu, qui ab hominibus videri non potest, utor.* Cùm autem Christus verum corpus gereret, verè quoque cibo alebatur. Divus Agnateus: *Verè crevit, & verè comedit, & bibit.* Divus Athanateus: *Comedit, & bibit sicut nos.* Alibi: *Lac suxit ex uberibus sanctissimæ Virginis Mariæ.* Divus Basilius: *Esuriit, & sitiit, & non in phantasmate; & ulteriùs comedit, & bibit.* Divus Epiphanius: *Quandò comedit, & bibit, notum fecit opus suum, quòd verè incarnatus est.* Comestionem verò, & corporis accretionem non divinitati, sed humanitati adscribendam capite 20. numero 9. indicabimus. *Tob.* 12. 19. D. Ignat. P. 2. n. 1. D. Athan. P. 4. n. 22. & P. 14. n. 24. D. Basil. P. 5. n. 15. D. Epiph. P. 3. n. 1.

Voluntas in Christo omnes actiones naturales dirigebat.

15. *Abass.* Has vegetantis, & sentientis animæ affectiones quod discrimen à similibus aliorum hominum operationibus secernebat? *Romanus.* In aliis hominibus circa nutritionem, accretionem, somnum, famem, atque sitim nulla est voluntatis efficacia, sed sola naturæ necessitas invalescit. *Quis* enim *cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum?* At Christi affectionibus prævia semper ipsius voluntas imperitabat; ut de rationalibus dixi numero 12. Nam per quadraginta dies famem continuit, ipsisque exactis; eamdem laxavit. *Neque enim humanitas*, inquit Divus Joannes Damascenus, *suopte nutu ad naturales actiones, & passiones prosiliebat; nec rursùs à rebus molestis refugiebat, sed Verbo volente; & ipsi dispensante, quæ pati congruebat.* *Matt.* 6. 27. *Matth.* 4. 2. D. Joannes Damas.

Anima Christi non est creata ante alias.

16. *Abass.* Illud postremum rogito. Quandò creata Christi fuit anima, ipsíque indita? *Romanus.* Christi anima ex dictis numero septimo æqualis, & consubstantialis fuit aliorum hominum animabus. Ut ergo illæ à principio creatæ non sunt, ut contra Origenis errorem libro quarto, capite decimo ostendimus, neque anteà creantur, quàm corporibus ritè præparatis inferantur, ut

Digitized by Google

Hebr. 2. 17. ibidem num. 7. ità neque Christi anima; *debuit enim per omnia fratribus similari.* Qua de re Canon ille in quinta Synodo generali vulgatus fuit. *Si quis dicit, aut arbitratur, animam Christo fuisse prius, & unitam esse Verbo divino, antequàm incarnaretur; anathema sit.* D. Athanat. p. 15. n. 113. D. Athanasius: *Confundantur illi, qui arbitrantur, fuisse Verbo carnem, antequàm incarnaretur ex sanctissima Virgine Maria Domina nostra; & animam carnis suæ fuisse in eo antequàm incarnaretur.* Theophilus Alexandrinus: *Nec carnem deduxit de cœlo; nec animam, quæ priùs substiterit, & ante carnem ejus condita esset, suo corpori copulavit, sicut Origenis nituntur docere discipuli.* Vide quæ de corpore diximus cap. superiori, num. 6. & 7. cui statim, ubi creata fuit, eo ordine, de quo actum cap. 3. n. 7. & 8. est immissa.

CAPUT IX.

Enumerantur perfectiones, quas Christus habuit in anima, & duabus ipsius potentiis intellectu, & voluntate.

Enumerantur gratiæ, quæ sunt in Christo.

1. *Abass.* Elatâ voce confiteor, & prædico, verâ carne, & rationali animâ Christum fuisse imbutum. *Rom.* Confitere etiam, & prædicato, eumdem in anima, & duabus ipsius potentiis intellectu, & voluntate, omnium gratiæ tam quæ dicitur unionis, quàm Capitis, quàm habitualis, quàm gratis datæ; nec non omnium virtutum, & scientiarum ornamentis condecoratum.

Gratia Unionis, & habitualis.

2. *Abass.* De Unionis gratia, si rectè memini, lib. 1. cap. 2. n. 14. 15. 18. 19. 20. 21. de gratia habituali ibidem num. 17. & 18. egisti. Nunc, quæ sit Capitis gratia, expone. *Rom.* Unionis gratia (ut summatim repetam) est intima increatæ divinitatis cum humanitate conjunctio, & permeatio; quæ, ut ibidem, & hoc libro cap. 3. n. 5. & 10. ostensum fuit, dicitur unio secundùm naturam, sivè essentialis; quòd duas naturas, & essentias inter se firmissimè nectat, & constringat. Habitualis autem gratia accidentalis est, extra Verbi, & humanæ naturæ essentiam constituta. Gratia autem Capitis & gratiam Unionis, & habitualem, facta optima ex utraque mixtione, comprehendit. Illam enim habet Christus tamquam Caput omnium hominum, & Angelorum: *Ipsum*, inquit Paulus, *dedit caput super omnem Ecclesiam, quæ est corpus ipsius.* Et alibi: *Ipse est caput corporis Ecclesiæ.* Quatenùs, scilicet, in omnes Angelos, & homines sanctos sibi veluti viva membra cohærentes dona supernaturalia diffundit. *Quoniam in ipso*, ut ibidem tradit Apostolus, condita sunt *universa, in cœlis, & in terra: visibilia, & invisibilia.* Alibi: *In laudem gloriæ gratiæ suæ, in qua gratificavit nos in dilecto Filio suo.* Divus Petrus: *Per quem maxima, & pretiosa nobis promissa donavit, ut per hæc efficiamini divinæ consortes naturæ.* Divus Joannes: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus, & gratiam pro gratia:* Ideſt, pro Christi gratia, seu ex ipsius gratia, suam quisque gratiæ portionem fuimus consecuti, ut exponunt Divus Chrysostomus, Theophylactus, & Toletus. Sic Apostolus: *Gratia Dei, & donum in gratia unius hominis JESU Christi in plures abundavit.* Hominum autem, & Angelorum Caput Christus esse non posset, nisi gratia Unionis iis esset superior, & habitualem gratiam ad largitionem in promptu haberet; nemo enim id, quo caret, potest cum aliis participare.

Gratia Capitis.

Eph. 1. 22. Coloss. 1. 18. Eph. 1. 16. Col. 1. 16. Eph. 1. 6. 2. Petr. 1. 4. Joan. 1. 16. D. Cyril. lib. 1. in Joan. cap. 20. 21. Rom. 5. 15.

Impeccabilis est Christus, ex vi gratiæ Unionis.

3. *Abass.* Quid hæ gratiæ Christo contulerunt? *Rom.* Plurimos effectus; quorum potior est, ut ipsius animam reddiderint ullius peccati tam originalis, quàm actualis morsibus impenetrabilem. *Habet enim animam rationalem*, inquit Divus Gregorius Nazianzenus, *& mundus est ab omni peccato.* Isaias, Divus Petrus, & omnes Apostoli in Didascalia: *Peccatum non fecit, neque dolus inventus est in ore ejus.* Divus Paulus: *Est sanctus, innocens, impollutus, segregatus à peccatoribus.* Ipse: *Quis ex vobis arguet me de peccato?* Et iterùm: *Venit enim princeps hujus mundi, & in me non habet quidquam.* Quæ duo posteriora testimonia non solùm de facto, sed etiam de possibili sunt intelligenda; ut nemo ipsum de peccato arguere, nec mundi princeps minimam saltem sui juris fimbriam, aut filum possit in eo invenire; quod à singulis hisce gratiis, & in primis ab Unionis gratia dimanavit. Si enim gratia Unionis, secundùm Divum Thomam, & ipsamet divinitas, ut dictum est lib. 1. cap. 2. num. 23. & secundùm Divum Gregorium Nazianzenum, ibidem num. 21. allegatum, ipsam essentialiter, vel (ut loquitur Divus Paulus) *corporaliter* humanitati adnectit, eámque totam ungentis præsentia illinit; si ullum peccatum Christi animam fœdaret, illius deformitate divinitas ipsa, & Verbum respergeretur. Ideò *neque insitum ex natura*, inquit Divus Athanasius, *neque opere patratum statuere possumus in opifice peccatum. Nam Verbi Incarnatio secundùm Dei naturam facta nostrorum delictorum susceptibilis non fuit.* Et Divus Cyrillus: *Ipse quidem peccati victor est, quia divinitatis ejus substantia nunquàm mutatur.* Quibus verbis rationem reddit, cur Christus ab omni peccato sit alienus; quòd nempè ex vi hypostaticæ unionis compos sit divinitatis, ad cujus præsentiam citiùs peccatum extabescit, quàm fumus à vento diffletur, aut cera à facie ignis colliquescat.

Impeccabilis est Christus, ex vi gratiæ Unionis. D. Greg. Naz. p. 1. n. 56. Isai. 53. 9. 1. Petr. 2. 22. Hebr. 7. 26. Joan. 8. 46. Joan. 14. 30. D. Thom. 3. p. q. 6. a. 6. & q. 7. a. 11. D. Greg. Naz. Col. 2. 9. D. Athanat. lib. de Inc. Christi. D. Cyril. p. 52. n. 126.

Gratia habitualis omne peccatum à Christo excludit.

4. *Abass.* Habétne eamdem virtutem gratia habitualis? *Rom.* Habet, ut conjuncta gratiæ Unionis. Si enim de quovis justo à Deo per gratiam nato ait Divus Joannes: *Omnis, qui natus est ex Deo, peccatum non facit, quoniam semen ipsius* (ideſt gratia) *in eo manet; & non potest peccare, quoniam ex Deo natus est*; multò minùs peccare is posset, qui ex ipsa impeccabili Dei essentia est egressus; & à quo Deus datam semel gratiam nequit propter ullum demeritum auferre,

1. Joan. 3. 9.

Digitized by Google

ferre, ut dictum cap. 3. num. 6. Capitis etiam gratia, cùm sit gratiæ Unionis, & habitualis conditura, peccati afflatum à peccati redemptore ob eamdem causam excussit. Qui enim venerat, *ut animam suam daret redemptionem pro multis*, quomodò illam pateretur sub peccati servitute detineri? *Qui apparuit, ut dissolveret opera diaboli, & peccatores salvos faceret*, quo jure hoc præstare posset, si similibus ipse esset flagitiis coopertus, & præligatus? *Apparuit*, inquit Joannes, *ut peccata nostra tolleret, & peccatum in eo non est*; hoc est, quia peccatum in eo non est, hominum ideò peccata expiavit.

Matt. 20. 28 *1. Joan.* 3. 8. *2. Tim.* 1. 15. *1. Joan.* 3. 5.

5. *Abass.* Si Christus peccatorum particeps non fuit, nec homo verus fuisse videtur, cùm hæc hominibus naturaliter agnascantur, & ipse debuerit *per omnia fratribus similari*. *Rom.* Cùm Divus Paulus alio loco hominum similitudinem Christo adscripsit, peccata simul ab ipso dimovit. *Tentatum*, inquit, *per omnia pro similitudine absque peccato*. Quam expositionem Patres approbârunt. Divus Gregorius Thaumaturgus: *Factus est nobis similis in omni opere, excepto peccato tantùm*. Divus Athanateus: *Approximavit sibi opus carnis, præter peccatum tantùm*. Divus Joannes Chrysostomus: *Susceptio illius est omnium, quæ conveniunt carni, excepto peccato tantùm*. Alibi: *Suscepit omnia, quæ sunt hominis, excepto peccato tantùm*. Theophilus Alexandrinus: *Factus est noster consanguineus in omni opere nostro, absque peccato*. Nec ideò Christus homo fuit diminutus, sed aliis perfectè similis, cùm humanam naturam plenam, perfectámque induerit, ut ostensum cap. 6. num. 9. Illius autem plenitudo, & perfectio in eo visitur, ut dictum ibidem, num. 4. quòd particeps fuit omnium, quæ Deus in primo homine plantavit; nempè corporis, & animæ, & omnium realium ipsorum proprietatum. Peccata verò sunt instar zizaniorum, quæ inimicus homo superseminavit in medio tritici; nec ad naturæ constitutionem, sed deformitatem, & eversionem conducunt. Undè peccatum ab optimis Theologis definitur: *Dictum, vel factum contra naturam hominis, quà homo; seu rationalis est*. Quamvis enim peccata corporalia naturæ humanæ, quatenùs sensitiva est, lenocinentur illi, quatenùs rationalis est, obluctantur.

Non est Christus homo diminutus, quòd peccator non fuerit. *Hebr.* 2. 17. *Heb.* 4. 15. D. Greg. Thaum. p. 3. n. 8. D. Athan. p. 15. n. 144. D. Joannes Chrysost. p. 2. n. 10. p. 10. n. 4. *Matth.* 13. 25.

6. *Abass.* Divus Paulus Christum peccato subditum insinuat. *Christus*, inquit, *nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum*. Et alibi: *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit*. *Rom.* Eadem, quibus niteris, testimonia omne peccatum à Christo propulsant. Peccatum enim, ut Deus, non noverat; sed ut homo, factus est etiam peccatum, & maledictum; non naturæ suæ in illa conversione, ut dicetur cap. 17. n. 7. Sed pœnæ nostris peccatis, & maledictis debitæ assumptione. Quia, ut ait D. Cyrillus, *factus est in similitudinem carnis peccati, & inter iniquos reputatus*. D. Athanateus: *Christus intravit in maledictum propter nos, quin maledictum ei appropinquaret; sed placuit ei portare maledictum nostrum, ideò ait: Factus pro nobis maledictum*.

Explicatur, quomodò Christus factus sit peccatum, & maledictum. *Galat.* 3. 13. *2. Cor.* 5. 21. D. Athan. p. 15. n. 109.

D. Afrosius: *Quia peccata nostra suscepit, & maledicta, dictus est peccatum, & maledictum*. Hinc alibi dixit idem Apostolus, *habitu inventum ut hominem*. D. Epiphanius: *Ex voce, ut homo, significatur à peccato immunitas*. Cùm enim quis se peccatorem vult indicare, hominem profitetur; ut D. Petrus: *Exi à me, quia homo peccator sum, Domine*. Judæi apud Joannem: *Nos scimus, quia hic homo peccator est*. Ergo Christus, ut homo, peccator videbatur, sed non erat. D. Afrosius clariùs. *Pulchrè ait Apostolus: In similitudinem hominum factus, non in similitudine carnis, quia in carne eâdem est, sed quia sine peccato erat solus, omnis autem homo in peccato, in specie hominis videbatur*. Tandem, peccatum dicitur illud sacrificium, quod ad scelerum expiationem offertur, & cùm Christus pro hominum peccatis, *sicut ovis ad occisionem ductus sit, & in eo Deus iniquitatem omnium nostrum*, multis dignam maledictionibus posuerit, peccatum ipse, & maledictum nuncupatur. Et in Psalmo ait: *Deus, Deus meus, respice in me verba delictorum meorum*; idest, hæc verba ideò mihi congruunt, quia hominum peccata mea feci, ut illa expiarem.

D. Epiphan. in Anchorato. *Luc.* 5. 8. *Ioan.* 9. 24. D. Ambros. Epist. 47. *Isai.* 53. 6. 7. *Ps.* 21. 2.

7. *Abass.* Finita fuit, an ullo carens termino Christi gratia? *Rom.* Unionis gratia ex parte Verbi humanitatem ungentis; & divinitas instar olei eamdem imbuentis infinita est; quia non creatum aliquod ei donum applicat, sed illud, *quod majus omnibus est*, & ipsum fontem gratiæ, ac sanctitatis. *Non enim ad mensuram*, inquit Joannes Baptista, *dat Deus spiritum*; Filio utique; nam de aliis ait Paulus: *Unicuique data est gratia secundùm mensuram donationis Christi*. Et infrà: *Secundùm operationem in mensuram uniuscujusque membri*. Alibi: *Divisiones gratiarum sunt*. Undè addit: *Pater diligit Filium, & omnia dedit in manus ejus*. Si enim amoris magnitudini donorum exhibitio respondet, par est, ut infinitam Patris erga Filium dilectionem infinita gratiæ effusio, & ipsa divinitatis communicatio subsequatur. Quâ de causâ dixit D. Gregorius Nazianzenus, Christum non operatione fuisse unctum sicut aliquem ex Sanctis, & Prophetis, qui etiam dicti sunt Christi, *sed tota ungentis præsentia. Quia in ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, idest, *per esse substantiæ*, ut exponit D. Cyrillus. Capitis etiam gratia, quatenùs eamdem verbi Personam, divinitatem, eámque dignitatem attingit, cujus merito ipsum hominibus, *potestatem filios Dei fieri* elargitur, nullo fine circumscribitur. Sola habitualis gratia creatam Christi animam induens meta constringitur. Non enim potest non habere terminum, & temporis, & magnitudinis, quod creationis limitibus coërcetur, & demenso animæ vasculo includitur. Tanta tamen est hujus creatæ Christi gratiæ amplitudo, ut nullus hominum, vel Angelorum illam adæquare possit, & omnium in unam molem collectorum divitias longo transcendat intervallo. Hanc enim gratiæ supellectilem Dei Filius homo effectus exigebat. *Gratia Dei*, inquit Lucas, *erat in illo*, idest, *ejusmodi gratia ordinatus erat, quæ Deum decebat*; ità D. Cyrillus. Qui sensus est eorum verborum:

Unionis, & Capitis gratia est infinita, habitualis finita. *Ioan.* 10. 29. *Ioan.* 3. 34. *Eph.* 4. 7. 16. *1. Cor.* 12. 4. *Ioan.* 3. 35. D. Greg. Naz. Orat. 36. n. 94. *Coloss.* 2. 9. D. Cyril. p. 52. n. 82. *Ioan.* 1. 12. *Luc.* 2. 40. D. Cyril. p. 52. n. 56. *Ioan.* 1. 14.

Digitized by Google

Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre, plenum gratiæ, & veritatis. Nam Christus eo gratiæ, & veritatis apparatu stipabatur, qualem naturalis Filii Dei majestas exposcebat. Sic D. Basilius.

D. Basil. p. 4. n. 14.

8. *Abass.* Quæ sunt illæ gratiæ, quas dixisti gratis datas, & sedem in Christo habuisse? *Rom.* Gratiæ, de quibus dictum hactenùs, duobus indiciis internoscuntur; alterum, quòd gratis à Deo donentur; alterum, quod vim habeant sanctificandi. At illæ, quæ gratis datæ solummodò dicuntur, hoc posteriori effectu carere possùnt, cùm in iis connumeretur prophetandi, & miracula patrandi munus. Et tamen aliquibus, qui in die judicii dicturi sunt, *Domine, nonne in nomine tuo prophetavimus, & dæmonia ejecimus, & virtutes multas fecimus?* Se responsum daturam veritas ait: *Quia nunquàm novi vos. Discedite à me qui operamini iniquitatem.* At sanctificantem gratiam semper vel æternæ gloriæ debitum, vel vera ipsius excipit retributio. *Nam gratia Dei*, inquit Paulus, *vita æterna.* Gratiæ autem gratis datæ, etsi non semper animam sanctitate oppleant, multùm conferunt Ecclesiæ utilitatibus, & dignitati. Eæ verò novenario numero continentur, & ab Apostolo in prima ad Corinthios hoc ordine recensentur. Sermo sapientiæ; sermo scientiæ; fides; gratia sanitatum; operatio virtutum; prophetia; discretio spirituum; genera linguarum; interpretatio sermonum.

Enumerantur gratiæ Christo gratis datæ.

Matth. 7. 22. 23.

Rom. 6. 23.

1. Cor. 12. 8. 9. 10.

Sapientiæ sermo.

9. *Abass.* Singillatim harum gratiarum differentiam, & quomodò in Christo refulserint, propone. *Rom.* Sapientia, quæ prior est gratiâ, continet rerum per altissimas causas cognitionem. Quam in Christo repertam testatur Divus Lucas: *Puer autem crescebat, & confortabatur, plenus sapientia.* Corpore crescebat, & confortabatur, non autem sapientia, cujus habuit à primo conceptionis instanti plenitudinem. Eam tamen, cùm opportunitas exigeret, sermonibus exerebat. Nam, *unigenitus, qui est in sinu Patris, ipse enarravit.* Iterùm: *Quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Iterùm: *Quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis.* Nulla verò altior est causa, quàm illa, quæ sibi tamquàm proprium nomen Altissimi vendicavit, cujus ex penetralibus Christus suum sermonem extraxit. Ut meritò homines ignari apud Matthæum mirati interrogarent: *Vnde huic sapientia hæc, & virtutes?* Undè? Ex sinu, & ore Altissimi. Ipsa enim Sapientia clamat: *Ex ore Altissimi prodivi.*

Luc. 2. 40.

Ioan. 1. 18. Ioan. 8. 38. Ioan. 15. 15.

Matt. 13. 54.

Sermo scientiæ. Coloss. 2. 3.

10. *Abass.* Quis est sermo scientiæ? Scientia veras rerum causas rimatur; in Christo autem erant *omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ absconditi*; undè *abscondita à constitutione mundi*, quæ Philosophis omnibus fuerant ignota, eructabat, ut audientes stupefacti dicerent: *Nunquàm sic locutus est homo.* Tantâ verò illius sermo energiâ pollebat, & lingua venustate rorabat, ut meritò David dixerit, *gratiam in illius labiis diffusam*; & Salomon, *myrrha* distillationibus effluere; & quotquot aures ipsius concionibus commodabant, testimonium illi darent, & *mirarentur in verbis gratiæ, quæ ab ipsius ore procedebant.* Fides, quæ tertia est gratia, non donum illud significat, quo obscurè revelatis assentimur (illud enim, ut inferiùs videndum, à Christo exulabat) sed eam firmitatem, quâ certò assequebatur, sibi à Patre, quidquid posceret, vel optaret, exhibendum, ut indicant illa verba: *Pater gratias ago tibi, quoniam audisti me. Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Quarta, est gratia sanitatum, quâ morbos depellebat; quæ tam excellens in Christo fuit, ut dicat Lucas: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Quinta, est operatio virtutum, & miraculorum, quam vel ipsi adversarii negare non potuerunt. *Quia*, inquiunt, *facimus, quia hic homo multa signa facit?* Et Herodes: *Virtutes operantur in eo*; quasi ipse nihil esset, quàm purum, ac perpetuum theatrum miraculorum. Sexta, est prophetiæ donum, ob cujus eminentiam nemo non clamabat. *Propheta magnus surrexit in nobis.* Septima, est discretio spirituum, quâ Christus tamquàm gladio ancipiti secum colloquentium cogitationes, & cordis destinata dissecabat. Ideò, *opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* Octava, est donum linguarum, quo licèt Christum usum in Evangeliis non prodatur, cùm solùm inter Hebræos gentiles suos prædicaverit, dubium non est, quin si vellet, proclive illi foret, linguam in quælibet idiomata flexibilem diducere; siquidem linguarum donum suis discipulis, & aliquibus viris Apostolicis, ut sancto Francisco Xaverio Indiæ Apostolo concessit; nec difficile illi esset sibi addicere, quod aliis largiebatur. Ultima, est interpretatio sermonum, quæ vernaculam habet Sacrarum litterarum expositionem, à qua Christus in synagoga Nazareth, Isaïæ librum evolvens, prædicationis suæ periodum est auspicatus; & ipsa Resurrectionis die ab eo munere non est feriatus, cùm duobus discipulis iter facientibus facundum se comitem adjungens, *& incipiens à Moyse, & omnibus Prophetis* Sacræ Scripturæ interpretem agebat.

Cant. 5. 13.

Luc. 4. 22.

Fides.

Ioan. 11. 41. 42.

Gratia sanitatum.

Operatio miraculorum. Ioan. 11. 47.

Matt. 14. 2.

Prophetia.

Luc. 7. 16.

Discretio spirituum.

Ioan. 2. 25.

Genera linguarum.

Interpretatio sermonum.

Luc. 4. 16. 17.

Luc. 24. 27.

11. *Abass.* Quæ virtutes Christi animam exornârunt? *Rom.* Omnes; sivè Theologicæ, sivè morales, sivè speculatrices, sivè operatrices, quæ nullâ imperfectione ipso indignâ fædantur; Earum verò aliquæ sedem in ipsius intellectu, aliæ in voluntate delegerunt; sola enim gratia, ut in hominibus, & Angelis, solium in ipsa animæ essentiâ collocavit. Inter virtutes Theologicas speculatrices intellectûs contubernales primatum Fides Theologica obtinet, quæ obscuræ Dei revelationi innititur; & ideò Christi animam non attingit, quia semper Deum clarè intuetur. Quo ex capite Spes etiam Theologica voluntatis domestica, quoad obtinendam claram Dei visionem, quâ semper fruebatur, à Christo abfuit. *Spes enim, quæ videtur*, ait D. Paulus, *non est spes. Nam quid videt quis, quid*

Virtutum genera.

Fides, & spes in Christo non fuit, sed sola charitas.

Ps. 44. 3.

Rom. 8. 24.

Digitized by Google

quid sperat? At circa corporis sui gloriam, in quam animæ beatitudinem refundi non patiebatur, ut tormentorum pro nobis adeundorum capax esset, spes in illo vigebat. *Luc.24.26.* *Hæc enim oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam suam.* *Heb.1.9.* Et: *Videmus JESVM propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.* Nam *proposito sibi* corporis sui *gaudio sustinuit Crucem, confusione contempta.* Charitas Theologica tam erga Deum, quàm erga homines majores nullibi flammas, quàm in Christi voluntate excitavit. Dè sua erga Patrem dilectione ipse testatur: *Ut cognoscat mundus, quia diligo Patrem.* *Ioan.14.31.* De hominum amore Joannes: *Qui dilexit nos, & lavit nos a peccatis nostris in sanguine suo.* *Apoc.1.5.*

Scientia infusa ordinis naturalis Christo adfuit.

12. *Abass.* Quæ virtutes speculatrices Christi animam inſederunt? *Rom.* Omnes illius intellectum incoluêre scientiæ nomenclaturâ sub quadruplici gradu comprehensæ. Relictâ sapientia increatâ, quam natura à Patre suo hausit, in qua neque defectus esse potest, neque profectus (*infinitus enim thesaurus* est illius.) Primus gradus scientiæ creatæ, est illa, quæ infusa dicitur; ejusdem quidem generis cum scientia ab hominibus propria exercitatione per naturales species acquisita, sed modo tantùm differens; quia illam Deus in primo conceptionis articulo perfectiùs Christo indidit, quàm Angelis, vel Adamo, vel Salomoni. Hanc scientiam in Christo Evangelistæ, & Apostoli omnes agnovêre, cùm confessi sunt: *Nunc scimus, quia scis omnia.* Et iterùm: *Domine, tu omnia nosti.* *Matth.12.42.* Imò ipse: *Regina austri venit à finibus terræ audire sapientiam Salomonis, & ecce plus quàm Salomon hic.* *Marc.6.2.* Non autem fuisse labore per intervalla comparatam testati sunt, qui dixêre: *Undè huic hæc omnia? Et quæ est sapientia, quæ data est ei?* Et iterùm: *Quomodò hic litteras scit, cùm non didicerit?* Fortior autem probatio est in Christi responsione: *Mea doctrina non est mea, sed ejus qui misit me.* Nam dum ait: *mea doctrina*, illam ostendit in suo pectore demorari; dum addit, *Non est mea*; illam à Patre sumpsisse.

Scientia experimentalis in Christo.

13. *Abass.* Quis secundus est gradus scientiæ? *Rom.* Illa, quæ dicitur experimentalis, quam Christus primo scientiæ infusæ gradu iis, quos exercebat, actibus acquirebat; sicut spectatæ scientiæ Medicus, cùm antèà artis præcepta, & medicamentorum vim speculativè calleat, illa ægrotantibus admovens, notitiam aliam comparat, quæ licèt certior non sit, majorem tamen ipsi confert firmitudinem. De hac dixit Apostolus: *Non habemus Pontificem, qui non possit compati infirmitatibus nostris.* Et iterùm: *Didicit ex his, quæ passus est, obedientiam.* Et Isaïas: *Butyrum, & mel comedet, ut sciat reprobare malum, & eligere bonum.*

Scientia supernaturalis in Christo.

14. *Abass.* Quis tertius est gradus? *Rom.* Scientiæ supernaturalis; cùm Christi intellectus supernaturalibus speciebus illuminatus gratiæ, & gloriæ mysteria naturæ ordinem superantia attingebat. De his enim speciatim illa sunt intelligenda: *Quod vidi apud Patrem, loquor.* *Ioan.8.38.* *Quæcumque audivi à Patre meo, nota feci vobis. Domine, ad quem ibimus? Verba vitæ æternæ habes. Nunquàm sic locutus est homo.* Eâdem scientiâ supernaturali multa Christus assequebatur, quæ licèt in se ipsis naturalia sint, naturalis scientiæ, propter alias circumstantias, objectum defugiunt. Qualia sunt, absentia, futura, & cordium cogitationes. Nam absentis Lazari mortem agnovit: *Lazarus, inquit, amicus noster dormit, sed vado ut à somno excitem eum.* *Joan.11.11.* Futuram discipuli proditionem, & ruinam prædixit: *Unus ex vobis tradet me. Antequàm gallus cantet, ter me negabis.* *Marc.14.18.* Et plura alia; sicut de cordium arcanis. Divus Matthæus: *Cum vidisset JESVS cogitationes eorum, dixit: Ut quid cogitatis mala in cordibus vestris?* *Matt.16.34.* D. Joannes: *Ipse autem JESVS non credebat semetipsum eis, eo quòd nosset omnes; & quia opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine. Ipse enim sciebat, quid esset in homine.* *Ioan.2.24.25.* Iterùm: *Sciebat enim ab initio IESVS, qui essent non credentes; & quis traditurus esset eum.* *Ioan.6.65.*

Scientia beata in Christo.

15. *Abass.* Quis ultimus est gradus? *Rom.* Scientiæ beatæ; cùm Christus gloriæ lumine illustratus, & essentiæ divinæ instar speciei intelligibilis illapsu ditatus Deum, & omnia creata in ipso contemplabatur. De hac enim ait: *Quod scimus, loquimur; & quod vidimus, testamur. Ego, quod vidi apud Patrem, loquor.* Et: *Nemo novit Filium, nisi Pater; neque Patrem quis novit, nisi Filius.* Hanc, & supernaturalem, & infusam Deus in ipsa conceptione simul cum gratia Christi animæ summa profusione impendit. Quòd tunc gratiam Deus infuderit, probant illa Angeli verba: *Quod nascetur ex te sanctum*; sanctitas enim gratiæ est effectus. Si ergo Christus in ipsa nativitate sanctus fuit, gratiam in eadem comparavit. Hæc verò nativitas, conceptio fuit, tum quia intra matris alvum in ea natus est; tum quia tantam perfectionem gratiæ, & mentis adeptus, ut virilem maturitatem tunc obtinuerit, Jeremia prædicente: *Fœmina circumdabit virum.* Virum utique, non infantulum, vel ut aliæ matres, embryonem. Et Isaïas: *Egredietur virga de radice Jesse, & flos de radice ejus ascendet* (quod completum est in Christi conceptione) *& requiescet super eum spiritus sapientiæ, & intellectus; spiritus consilii, & fortitudinis; spiritus scientiæ, & pietatis; & replebit eum spiritus timoris Domini.* Quæ septem sunt Spiritus sancti dona, quæ sicut Christianorum mentibus in Baptismate, sic Christo in conceptione assederunt. Quæ, ut illi fuit ex Virginis matris substantia egressio, ità in mundum ingressio, de qua Paulus ait: *Ideò ingrediens mundum dicit: Hostiam, & oblationem noluisti, corpus autem aptasti mihi.* Deindè subjicit, sponte Christum suum corpus in sacrificium obtulisse, & homines *ea voluntate sanctificasse.* Qui sanctitatem hominibus promeruit, jam tunc temporis potiebatur libertate, quâ sublatâ, meritum non constat; sicut neque libertas absque perfecta ratione, & judicii plenitudine. Vide dicta cap.3. n.3.

Omnes scientias, præter experimentalem, Christus in conceptione accepit.

Luc.1.35. *Isai.11.1. & 2.3.* *Ps.39.7. Heb.10.5. & 10.*

Digitized by Google

Cur Christus statim, ubi natus est, non expeditè loquebatur? *Isai. 8. 4.*

16. *Abass.* Inculcatam proximè doctrinam, quatenus statuisti, Christum in conceptione tantâ gratiâ, & scientiâ donatum, ut augmentum posteà non admitteret, oppugnat primò illud Isaiæ testimonium: *Antequàm sciat puer vocare patrem, & matrem.* Nam qui patris, & matris nomina ignorabat, & infantili lingua balbutiebat, minùs posset cognitione altiora, & remotiora penetrare. *Rom.* Ex eodem testimonio probatur liquidò, ipsum fuisse omni scientiâ instructum. Cùm enim Propheta dixisset: *Antequàm sciat puer vocare patrem, & matrem*, subjunxit: *Auferetur fortitudò Damasci, & spolia Samariæ coram Rege Assyriorum.* Non enim poterat Damasci, & Samariæ arces, neque Regem Assyriorum debellare, qui ad acies ordinandas, & bellica tormenta admovenda militari peritia non valeret. Infantilis autem balbuties non ex ignoratione, sed ex consilii magnitudine proveniebat, cùm ad mysterii veritatem pertineret, ut ipse eadem spatia percurreret, quæ cæteri infantes; ne, si statim ex utero egressus loqueretur, puer aliquis ventosus, & personatus, imò terriculum crederetur. Divus Epiphanius: *Sapiens*, inquit, *qui docet homines scientiam, & linguas infantium fecit disertas, sustinuit hæc omnia propter nos, ut humanam consuetudinem servaret.* Alibi: *Si loqueretur, quandò natus est, nemo crederet conceptionem ejus, & nativitatem in carne; sed putarent illum esse phantasma.*

D. Epiph. p. 2. n. 1. *Ps. 93. 10.* *Sap. 10. 21.* D. Epiph. p. 4. n. 1.

Quomodò Christus in Sapientia, & gratia proficiebat. *Luc. 2. 40. 52.*

17. *Abass.* Secundò, eamdem doctrinam valenter quatiunt illa verba. Divi Lucæ: *JESUS autem proficiebat sapientia, & ætate, & gratia.* Vides manifestam gratiæ, & scientiæ accretionem? *Rom.* Nec in scientia naturali infusa, nec in supernaturali, nec in beata quidquam Christus profecit. De his enim dicitur suprà eodem capite: *JESUS autem crescebat, & confortabatur plenus sapientia.* Sapientiæ, quâ plenus erat, augmento non indigebat, sed corporei tantùm incrementi. In sola verò scientia experimentali, ex sententia Divi Thomæ, & aliorum Scholasticorum, additionem in dies admittebat. Vel etiam proficiebat cujuscumque scientiæ manifestationem, sicut *lux solis splendens*, ut ait Sapiens, *procedit, & crescit usque ad perfectam diem*; cùm in se ipsa non augeatur, sed tantùm ad nos propiùs accedat. Divus Gregorius Nazianzenus: *Proficiebat* inquit, *Sapientia, non quòd hæc in illo incrementum caperet (quid enim eo, quod à principio perfectum erat, perfectius esse posset?) Sed quòd hæc paulatim detegeretur, & eluceret.* Hic idem erat in gratia profectus.

D. Thom. 3. p. q. 12. a. 2. *Prov. 4. 18.* D. Greg. Naz. Orat. 20.

Cur Christus interrogationibus ignorantiam simulabat? *Joan. 6. 5. & 11. 34. Matt. 16. 13. Joan. 6. 6.*

18. *Abass.* Tertiò, Christus multa ignorabat, quorum cognitionem variis interrogationibus aucupabatur; ut de Lazari tumulo: *Ubi posuistis eum? Undè ememus panes, ut manducent hi? Quem dicunt homines esse filium hominis?* & similia. *Rom.* Domini mentem, cùm illas interrogationes fereret, nullius ignorantiæ caligo obtegebat. Cùm enim à Philippo quæsivit: *Undè ememus panes?* mox Evangelista adjicit, ipsum experiundi gratiâ percunctatum: *Hoc autem dixit tentans eum; ipse enim sciebat, quid esset facturus.* Nec egebat se à discipulis de variis hominum erga se opinionibus edoceri; nam *opus ei non erat, ut quis testimonium perhiberet de homine, ipse enim sciebat, quid esset in homine*; sed eos interrogat, ut occasione errorum alienorum, cujusvis erroris fibras ab ipsorum mentibus evellat. *Cùm sciret*, inquit D. Cyrillus, *quid responsuri essent discipuli, eos rogat, ut cùm referrent, quæ alii dixerunt, ipsorum Fides confirmaretur.* Eum autem, qui absens sciebat, Lazarum objisse, quomodò latere posset, ubi conditus jaceret? sed ut discipulos erudiat, & verum hominem se comprobet, quærit: *Ubi posuistis eum?* Nam & Deus, qui omnia novit, primum parentem rogat: *Adam, ubi es?* Et Cainum: *Ubi est Abel frater tuus?* non quòd nesciret, sed ut illos ad confessionem & peccati resipiscentiam invitaret. Tandem, hæc verba omnia, & affinia, non sunt divinitatis, quam nihil effugit, sed humanitatis, cujus est proprium rerum ignoratione præpediri. D. Athanateus: *Percunctatur humanitùs, ubi Lazarus situs sit, sed tamen excitat eum prorsùs divinitùs.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Quærit ubi positus sit Lazarus; homo enim erat; sed Lazarum à morte ad vitam excitat; Deus enim erat.* D. Cyrillus: *Rogat secundùm humanitatis dispensationem, cùm ipse noverit omnia.* Alibi: *Interrogat de Lazaro: Ubi sepelistis eum? Ut locum faciat principio humanitatis, quæ non cognoscit abscondita.*

D. Cyril. p. 27. n. 1. *Joan. 2. 25.* *Gen. 3. 9. & 4. 9.* D. Greg. Naz. Orat. 35. D. Cyril. p. 27. n. 2.

Judicii diem quomodò dicatur, Christum ignorare. *Marc. 13. 32.*

19. *Abass.* Quartò, Christus disertè apud D. Marcum extremæ diei ignorantiam profitetur: *De die illa*, inquit, *& hora nemo novit, neque Angeli cœlorum; neque Filius.* Quid ità dilucidum, & *testatum? Rom.* Themistius Theodosii Patriarchæ Alexandrini sectator Agnoitarum hæresim instituit, docens Christum supremi diei, & aliarum rerum ignorantiâ laborasse. Sed cùm ipse alibi fateatur: *Omnia, quæcumque habet Pater, mea sunt*; & Pater familiarem habeat illius diei notitiam, tenendum est, eamdem cum Filio communicasse. Qui ostenta illum præcessura, & pœnam, ac præmia subsecutura, & tandem quidquid in ea est agendum; usque ad subselliorum numerum, & concepta sententiæ verba, prænovit, & prædixit, credibile non est ipsummet horæ articulum ignorasse. Verè tamen dicitur, non novisse; quia talis notitia ipsi ratione humanitatis minimè congruebat; Sicut Regis, & vilioris fœminæ filius negare potest regnum sibi maternæ stirpis intuitu deferendum, quamvis alioqui ex paterni sanguinis prærogativa debeatur. Divus Athanateus: *Homo factus non erubuit propter carnem, ex natura istarum rerum insciа, ignarum se fateri; ut ostenderet, se ejus conscium, uti Deum, sed tamen carnaliter ignorare.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Eccui dubium esse potest, quin horam quidem, ut Deus, cognitam habeat, ignoret autem, ut homo?* Divus Cyrillus: *Etsi hoc non cognoscat secundùm*

D. Athanat. Orat. 4. contr. Arian.

Digitized by Google

secundùm humanitatem, sed cognoscit secundùm divinitatem. Dici etiam posset, Christum, quà Deus est, diem judicii compertum non habuisse, quia illum nec vi ipsius scientiæ increatæ à se ipso noscebat, sed Patris largitate, qui simul cum divina natura omnem in ipsum scientiam profudit. Quo etiam jure dicebat, *suam doctrinam, & sermonem non esse suum; à se ipso nihil facere*, & plura alia, quæ in hanc sententiam lib. 3. cap. 11. n. 7. explicavimus.

Ioan. 7. 16. & 14. 24. & 5. 19.

Virtutes morales, quæ peccati vicinâ carebant, in Christo repertæ.

20. *Abass.* Restat adhuc de moralibus Christi animæ virtutibus agendum? *Rom.* Intellectum prudentia, voluntatem justitia, fortitudo, & temperantia perficiebant. Ob prudentiæ quippe magnitudinem stupebant omnes *super prudentia, & responsis ejus.* Ob justitiæ æquitatem *nulli fraudem fieri* admonebat; & Deo, quæ Dei essent: & Cæsari, quæ Cæsaris, reddi jubebat; nec regni sui munia ex carnis affectu, sed juxta meritorum gradus dividebat. Fortitudinè testata est fæpiùs infracta constantia, quâ se Pharisæorum, & Principum vitiis opposuit; *qua firmavit faciem suam, ut iret in Jerusalem*, cùm tamen probè sciret, ibi se Cruci affigendum; & quâ suis se persecutoribus ad necem conquisitus objecit. Temperantiam illibata castitas, & inedia quadragenaria. Sed quia inter has virtutes in hominibus aliquæ censentur, quæ peccatum aliquod jam perpetratum corrigunt, vel perpetrandum antevertunt, eæ omnes à Christo quoad eum effectum removendæ: Ideò pœnitentia non est in eo, quatenùs illatam Deo injuriam resarcit, sed quatenùs peccatum detestatur; neque temperantia, vel continentia, quatenùs admissæ crapulæ, vel libidini adversantur, sed quatenùs sensibus, ne in illas præcipitentur, frænos imponunt. Idcircò pudori non erat, virtutes illas exercere, quæ cùm nullâ peccati labe inficiantur, indices sunt erga Deum, vel etiam hominum subjectionis. Hinc dicebat: *Hoc mandatum accepi à Patre meo. Qui misit me, ipse mihi mandatum dedit. Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et illud: *Factus est obediens usque ad mortem.* Quæ omnia, docente D. Basilio, *dixit secundùm dispensationem, quam fecit in carne.* Indè etiam erat, quòd Patrem *oraret, adoraret*, & parentibus *subditus esset.*

Matth. 22. 21. & 20. 23.

Luc. 9. 51. Ioan. 18. 4.

Ioan. 10. 18. & 12. 49. & 14. 31.

Philip. 2. 8.

D. Basil. p. 4. n. 22.

Luc. 6. 12. Ioan. 4. 22. Luc. 2. 51.

CAPUT X.

Christus simul verus & perfectus Deus, & homo; consubstantialis, & æqualis Patri, & hominibus indicatur.

Christus non est Deus seorsim, & homo seorsim.

1. *Abass.* In disjunctis adhuc laborem impendisti priùs ostendens, Christum fuisse verum, & perfectum Deum, posteà verum, & perfectum hominem; ad cujus asserti confirmationem verum corpus, & rationalem animam illi adjecisti; ad conjuncta nunc, quæso, progrediare, Deum cum homine componens. *Rom.* In primis Christus non est Deus seorsim, & homo seorsim. D. Gregorius Thaumaturgus: *Si quis dixerit de Christo, quòd sit homo perfectus seorsim, & Verbum Dei seorsim separatum; & non credit, ipsum unum esse; sicut scriptum est; anathema sit.* D. Athanateus: *Ecce manifesta est nequitia & ruina eorum in condemnationem, qui dicunt, & cogitant, Verbum habitasse in homine, qui fuit seorsim ex Maria*: D. Basilius: *Non facimus hunc Filium duos, neque dicimus divinitatem esse in substantia sua, & humanitatem in substantia sua*; idest, seorsim. D. Gregorius Nyssenus: *Ne faciatis Filium meum seorsim, & carnem, quam sumpsit seorsim.* D. Abolidis: *Non habet caro ejus substantiam seorsim separatam à divinitate, neque divinitas ab humanitate.* Infrà: *Non separatur Verbum à carne in substantia sua divina, quæ erat ante humanitatem; neque amovetur in alium locum seorsim.* Theodotus Ancyranus: *Si cogitas, Verbum fuisse seorsim in alio loco; ergo tu ipse fuisti destructor unionis.* D. Gregorius Nazianzenus: *Non separamus Deum Verbum ad humanitate sua.* D. Joannes Chrysostomus: *Non dico, quòd sit homo sejunctus tantùm in sua persona; quia non est separatus à Dei Verbo, ut sint duo filii; Filius Dei, & filius hominis. Non dividimus eum, neque facimus in duos unum hominem ex Maria seorsim tantùm; & Verbum Dei seorsim tantùm.* Quod alibi sæpè repetit, ut p. 3. num. 22. p. 20. num. 9. p. 32. num. 12. p. 47. num. 12. 13. p. 48. num. 57. p. 52. num. 19. 42. p. 54. num. 1. p. 55. num. 27. 66.

D. Greg. Thaum. p. 3. n. 11.

D. Athanas. p. 15. n. 138.

D. Basil. p. 3. n. 4.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 16.

D. Abolid. p. 1. n. 11. & 35.

Theodor. p. 3. n. 3.

D. Greg. Naz. p. 4. n. 2.

D. Joannes Chrysost. p. 8. n. 4.

2. *Abass.* Optimè negativam stabilisti; Christum, scilicet, non esse Deum, atque hominem seorsim; nunc, quæso, affirmativam roborato. *Rom.* Tuis optatis ex pleno satisfacit D Irenæus totâ p. 2 cujus initium: *Sicut nobis Sacri libri dicunt, Christum esse hominem, ità dicunt esse Deum; & sicut nobis indicant, esse carnem, ità & esse Spiritum.* Multa deindè graviter, & sapienter subnectit. D. Athanateus: *Ipse dicitur homo, cùm sit Filius Dei, & iterùm dicitur filius hominis, cùm sit cœlestis.* Infrà: *Hic est unus solus; ipse Deus, & homo.* Similiter p. 4. num. 41. 42. p. 8. num. 4. p. 11. num. 1. 2. 3. p. 15. num. 149. D. Basilius: *Cùm Angelus ad pastores ait: Natus est nobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus, clarè significat, quòd Filius, qui erat ante mundum, natus est, cùm esset homo.* D. Gregorius Nyssenus: *Est Deus, & homo simul. Iste est Deus, qui erat à principio, & ante tempora, & nunc factus est homo.* D. Feliquis: *Qui non credit, esse unam Personam ex tribus Personis: Verbum Deum, & hominem simul; anathema sit.* D. Abolidis: *Credo nativitatem ex cœlo unius è Sanctissima Trinitate, & humanitatem ejus ex Sanctissima Virgine Maria; cùm esset Deus, & homo simul.* D. Ephrem: *Ex te, ô Beata Virgo, nobis Deus exiit, & homo.* D. Heraclis p. 1. per totam, & p. 3. *Unus est IESUS Christus, verus Deus, &*

Christus est simul Deus, & homo.

Luc. 2. 11.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 21.

D. Felix. p. 1. n. 4.

D. Abolid. p. 4. n. 5. & p. 9. n. 19.

D. Ephrem. p. 2. n. 2.

Digitized by Google

Theodot. p.1.n.7. D. Epiphan. p.8.n.9. *Pſal.*76.3. *Ioan.*20.17. D. Joan. Chryſoſt. p.8.n.9.& p.10.n.3.6. p.11.n.3. p.13.n.5. D. Cyril. p.5.n.2.

homo ſimul. Theodotus : *Natus eſt ex Virgine, ritu quem ipſe conſtituit ; & eſt Deus ; & homo.* D. Epiphanius Thomam Apoſtolum ſic loquentem inducit : *Interrogavi de Deo manu mea, ne errem ; cùm ſit Deus, & homo.* D. Joannes Chryſoſtomus : *Eſt ſimul Filius Dei, & filius hominis.* Alibi : *Aſcendo ad Patrem meum, & Deum meum ; quia ego Deus, & homo ſimul, & unus ſum.* D. Cyrillus : *Verbum prius erat Deus, & poſtea homo factus eſt, ut ſciamus, ipſum Deum, & hominem, unum eſſe.* Lege eumdem p. 1. num.8. p.3. num.4. p.9. num.1. p. 10. num. 5. 13. p.21.n.16. p.22. num.24. p.33. num. 3. 4. p.47. num.40. 60. 61. p.48. num. 38. p.51. num.16. p.52. num.75.164. p.55.num. 15. 19. Vide Patres citatos cap. 5. numer. 6.

Chriſtus eſt Deus, & homo ſimul, quia divinitatis & humanitatis eadem eſt perſona.

3. *Abaſſ.* Quæ eſt cauſa, cur Chriſtus ſimul Deus, & homo ſit ? *Rom.* Eadem, quæ tradita eſt illo cap. 5. num.5. quòd humana Chriſti natura creatam perſonam non vendicet, ſed Verbum ſit utriuſque naturæ hypoſtaſis ; de qua in Sacris litteris & divina, & humana ; & ſublimia, & humilia prædicantur. Idem enim eſt Dei Filius, & David, & Abraham. D. Marcus : *Initium Evangelii JESU Chriſti, Filii Dei.* D. Matthæus : *Liber generationis JESU Chriſti, Filii David.* D. Paulus : *De Filio ſuo, qui factus eſt ei ex ſemine David ſecundùm carnem.* Iterùm : *Ex quibus eſt Chriſtus ſecundùm carnem, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.* Idem eſt, qui, ut homo, crucifigitur ; & qui, ut gloriæ dominus, reſurgit. *Ecce*, inquit, *aſcendimus Ieroſolymam, & Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum ; & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum ; & tertia die reſurget.* D. Paulus : *Si enim cognoviſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Apud Joannem : *Solvite templum hoc* (quod hominis eſt) *& in tribus diebus excitabo illud* ; quod eſt Dei, qui ſolus templum habet. Undè addit Evangeliſta : *Ille autem dicebat de templo corporis ſui.* Alibi : *Nemo aſcendit in cœlum, niſi qui deſcendit de cœlo, Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Concordat D. Paulus : *Qui aſcendit, ipſe eſt & qui deſcendit.* Alibi : *Nunc quæritis me interficere, hominem, qui veritatem vobis locutus ſum, quam audivi à Deo :* Ibidem. *Quod vidi apud Patrem, hoc loquor.* Infrà : *Antequàm Abraham fieret, ego ſum.* Apoſtolus. *Et quidem, cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* Infrà : *JESUS Chriſtus heri, & hodie, & ipſe & in ſecula.* In Apocalypſi : *Ego ſum Alpha, & Omega : principium, & finis. Dominus Deus, qui eſt, & qui erat, & qui venturus eſt.* Et infrà : *Ego ſum primus, & noviſſimus.* Et infinita alia, quæ longum eſt percenſere.

Marc.1.1. Matth.1.1. Rom.1.3. Matth.26. 18.19. 1.Cor.2.8. Ioan.2.19. 21. Eph.4.10. Heb.5.8. & 13.8. Apoc.1.8. 17.

Chriſtus ſimul Deus verus, & homo verus. D. Abolid. p.2.n.9.

4. *Abaſſ.* An, ut Chriſtus & ſimul Deus, & homo : ità verus Deus, & verus homo ? *Rom.* Affirmat D. Abolidis : *Prædicamus*, inquit, *eſſe Deum verum, & hominem verum.* D. Heraclis : *Factum eſt Verbum Dei homo verus, & non reliquit ex eo ſubſtantiam ſuam ; ſed cùm eſſet Deus, factus eſt homo ſine mutatione.* Alibi : *Hic eſt unus tantùm, Deus, & homo verus.* Joannes Jeroſolymitanus : *Nobis convenit credere, Chriſtum JESUM eſſe unum Deum ; & factum eſſe hominem verum.* Ità etiam eſt totus Deus, & totus homo. Patres Nicæni : *Confitemur totum Deum, & totum hominem.* D. Abolidis : *Nos verò dicimus, totum Filium eſſe de cœlo propter divinitatem ; & totum ex muliere propter humanitatem.* D. Heraclis : *Ipſe totus in cœlo, ipſe totus in terra.* D. Gregorius Nazianzenus : *Vt per eumdem totum Deum ſimul, atque hominem, totus homo in peccatum lapſus refingatur.*

D. Joan. Jeroſol. p.1.n.18. D.Heraclis p.5.n.12. D. Greg. Naz. Orat. 51.

Chriſtus ſimul perfectus Deus, & homo.

5. *Abaſſ.* Ut verus, & totus Deus, & homo, an ſic perfectus Deus, & homo ſimul ? *Rom.* Simul eſt perfectus Deus, & homo ; quia ſimul habet divinitatis, & humanitatis plenitudinem ; ſic D. Athanateus : *Cùm Deus natura eſſet, homo efficitur, ut in utramque partem omninò perfectus eſſet.* D. Gregorius Nyſſenus : *Habet omnia, quæ ſunt divinitatis ; & habet omnia, quæ ſunt humanitatis.* Iterùm : *Quidquid eſt divinitatis, illi eſt in divinitate ſua prima ; & præterèà quidquid humanitatis, præter peccatum tantùm, habet in ſubſtantia humanitatis, quam ſumpſit ex nobis.* D. Abolidis : *Prædicamus, eſſe Deum perfectum in carne ; & eſſe hominem perfectum in ſpiritu.* Nataliſan : *Vnus eſt Deus perfectus, æqualis Patri in divinitate ; & eſt idem homo perfectus in perfecta nativitate ex Virgine ; æqualis carni noſtræ humanæ.* D. Ephrem : *Perfectus eſt ex perfecto, homo ex homine : ex Sanctiſſima Virgine Maria ; qui eſt Deus de Deo.* Infrà : *Perfectus eſt in ſuo proprio, & ulteriùs perfectus eſt in eo, quod ſumpſit.* D. Epiphanius : *Ipſe perfectus eſt à Patre, & verè fecit ſibi perfectum hominem.* Infrà : *Eſt perfectus in cœlo, & in terra ; quia perfectus eſt ſurſùm, & deorſùm.* D. Gregorius Nazianzenus : *Non eſt mutatio inter has duas ſubſtantias, ſed perfectæ ſunt in omni opere.* D. Cyrillus : *Quòd Chriſtus perfectus Deus eſt impaſſibilis ; & homo perfectus paſſibilis.* Alibi : *Qui eſt Deus perfectus, & homo perfectus.* Alibi : *Sicut eſt perfectus in divinitate, ità etiam perfectus eſt in humanitate.*

D. Abolid. p.3.n.6. Vitalis p.1.n.4. D. Ephrem. p.5.n.10. 15. D.Epiphan. p.7.n.9. & p.8.n.5. D. Greg. Nazianzen. p.1.n.53. D. Cyril. p.3.n.41. p.14.n.1. & p.24.n.1. & p.48.n.39.

Chriſtus Deo, & hominibus conſubſtantialis.

6. *Abaſſ.* Si Chriſtus eſt ſimul Deus perfectus, & homo perfectus, ſimul erit æterno Patri, & Beatiſſimæ Virgini matri, & hominibus conſubſtantialis ? *Rom.* Conſubſtantialia ſunt, quæ eamdem ſubſtantiam æqualiter participant ; cùm ergo Chriſtus æquè ſit conſors divinæ naturæ, atque Pater ; & æquè humanæ, ac Beata ipſius Mater, & cæteri homines ; & Patri, & Matri, & hominibus eſt conſubſtantialis, & æqualis. D. Athanateus : *Quis Fidelium non confiteatur, Dei Verbum, quod advênit, & ex Virgine prodiit, eſſe Patri conſubſtantiale ; idemque ex ſemine Abrahæ oriundum, ejus Filium recenſeri ?* D. Gregorius Nyſſenus : *Hic eſt unus tantùm ex ſubſtantia divinitatis meæ ; & eſt ex veſtra ſubſtantia ex parte humanitatis.* D. Cyrillus : *Vna ſubſtantia eſt cum*

D. Athanaſ. lib.1.de Incarn. Chriſti. D.Greg. Nyſſ.p.1. n. 6. D. Cyril. p.24 n.1. ex Epiſt. 27.28.

Digitized by Google

cum Patre in divinitate; & una substantia est nobiscum in humanitate. In textu Græco, & Latino: *Eumdem Patri consubstantialem secundùm divinitatem; nobis item consubstantialem secundùm humanitatem.* Alibi: *Dei Genitrix Sancta Virgo peperit mirabiliter unum Christum, similiter carnis nobiscum participem, & nobis consubstantialem; qui etiam est consubstantialis Patri secundùm divinitatem.* Quibus in locis vester Interpres suo more posuit æqualem pro consubstantiali, sicut & p. 48. *Si perfectus Deus, & perfectus homo, idem ipse intelligetur, & consubstantialis Patri secundùm divinitatem, qui nobis consubstantialis est secundùm humanitatem.* D. Heraclis: *Quemadmodùm est Patri consubstantialis secundùm deitatem, sic idem secundùm carnem Beatæ Virgini probatur esse consimilis.* D. Maximus Taurinensis: *Credamus illum & nostræ naturæ consortem, & paternæ substantiæ coæqualem.* Paulus Emesenus Alexandriæ coram D. Cyrillo: *Emmanuelem nobis Virgo peperit, secundùm divinitatem Patri coëssentialem; secundùm humanitatem verò eumdem nobis coëssentialem.* D. Leo Magnus: *Unum cum Patre in substantia, quæ nunquam fuit minor Patre; unum cum Matre in corpore, quod creavit.* Alibi: *Unigenitus Dei, & Filius hominis esse dignatus est, ut homousion Patri Deus, idest, unius substantiæ; idem homo verus, & secundùm carnem Matri consubstantialis existeret.* Alibi: *Ipse est caro, qui Verbum; & sicut unius cum Patre substantia, ità unius cum Matre natura.*

D. Procl. Epistol. ad Armen.

D. Max. hom. 1. de Epiphan.

Paulus Emesen. hom. 2.

D. Leo Magn. serm. 5. de Nativit.

7. *Abass.* Optima protulisti documenta de consubstantialitate; Ede, quæ habes de æqualitate. *Rom. Unus est unigenitus cum Deo Patre*, inquit D. Abolidis, *cui æqualis est; & ità dicimus, esse æqualem filiis hominum.* D. Heraclis: *Tu immortalis secundùm æqualitatem tuam cum Patre; & tu mortalis secundùm æqualitatem tuam nobiscum.* Iterùm: *Deus, & homo verus, & verè æqualis est. Patri; & iterùm factus est æqualis nobis sine peccato.* Joannes Jerosolymitanus: *Deus Verbum, qui est æqualis Patri, factus est homo æqualis in carne.* D. Cyrillus: *Æqualis Patri in divinitate sua; & nobis quidem æqualis est in humanitate. Hic unus Deus, & homo.* Consentiunt ex Hæreticis Theodosius p. 2. num. 15. Joannes Alexandrinus num. 17. Deonaceos p. 3. num. 5. 7. 11. p. 4. num. 13. Gabriel Alexandrinus num. 7. 8. 9. Cosmos p. 1. num. 8. p. 2. num. 5. Macarius num. 5. Athanateus num. 9. Zacharias p. 1. num. 7. Senuteon p. 2. n. 22.

Christus æqualis Patri, & hominibus.

D. Abolid. p. 5. n. 4.

D. Heraclis p. 1. n. 5. & p. 5. n. 7.

Joan. Jeros. p. 1. n. 17.

D. Cyril. p. 55. n. 40.

8. *Abass.* Æqualitati adjunge similitudinem. *Rom.* Satis sit illud testimonium D. Augustini, quod cæmentum esse potest cunctorum sequentibus capitibus dicendorum. *Non ego in Christo ad susceptam carnem perpetuitatem divinæ generationis extendo; nec immensam deitatem corporei ortus ætate concludo. Quia idem in divinitate auctor est rerum, qui in carne redemptor est hominum. Idem impassibilis in se, qui passus in corpore. Dùm sic utriusque naturæ proprietatem verè ex utraque gignenti similis natus expressit, ut veram carnem suscepisse eum constet ex Matre; & non differentem deitatem constet habere ex Patre. Quibus in unam Personam, incomprehensibili Mediatoris dispensatione conjunctis, servavit singulis propria, sed conjunxit propriis aliena.*

Christus similis Patri, & hominibus.

D. Augustin. lib. contr. Felicia. Arian. cap. 10.

CAPUT XI.

Quid natura, quid persona nomine in hoc mysterio intelligendum; & de alterius ab altera in eo distinctione.

1. *Bass.* Si Christus perfectus est in divinitate, & perfectus in humanitate; si consubstantialis, æqualis, & similis Patri, & hominibus; duas habet perfectiones, duas consubstantialitates, duas æqualitates, duas similitudines. Non est ergo unicus, sed duplex. *Rom.* Tuæ quæstioni rectè satisfacit D. Athanateus, dicens: *Appellabitur perfectus Deus, & perfectus homo; non quòd divina perfectitudo in humanam perfectitudinem transeat; neque quòd duæ perfectitudines seorsim sint constituendæ; sed secundùm rationem existendi sine defectu plenam, & integram* (ideſt, secundùm subsistentiam, & personalitatem, in qua consistit existentiæ integritas, & plenitudo, ut diximus lib. 2. cap. 8. num. 6.) *ut unus sit utriusque per omnia; idem & Deus, & homo.* Unus ergo est Christus, licèt habeat duarum naturarum perfectiones, quia eadem est utriusque persona; sed tua ista quæstione in tumultuosum, & decumanis fluctibus sæviens duarum naturarum pelagus tuam cymbam conjecisti. Verùm, quia in eo sub nomine substantiæ infames scopuli, & plurium ossibus albi delitescunt, alter remus aquas, alter tibi radat arenas, expendenti cum D. Aforosio, naturæ nomen omni suspicione carere, cùm Sacris sit in litteris, & Auctoribus usitatum; dum Paulus ait, quosdam esse deos, *sed non naturâ*; homines *naturâ esse filios iræ*: D. Petrus: eos per gratiam effici *divinæ consortes naturæ*; & D. Jacobus: *Omnis natura bestiarum, & volucrum, & serpentium, & cæterorum domantur, & domita sunt à natura humana.* A quibus locis omnibus vester Interpres naturæ nomen ablegavit. Nam primò habet: *Iis, qui non sunt dii, serviebatis.* Secundò: *Eramus filii iræ.* Tertiò: *Ut per hæc efficiamini divinitatis participes.* Quartò: *Omnis enim creatura bestiarum, & serpentium domita est à creatura humana.* Quem imitatus Interpres Haymanot Abbau, licèt divinitati naturæ nomen quinque locis accommodaverit; apud D. Agnateum, & Cyrillum n. 3. citandos; nullibi illud humanitati (quasi dirus aliquis anguis sub herba lateret) apud Catholicos auctores attribuit, substantiam semper appellans. Quod videre est in Epistola D. Athanatei ad Epictetum p. 15. in qua Sanctus

Duæ in Christo perfectiones, sed unitæ in eadem persona.

D. Athan. lib. de Incarn. Christi.

D. Ambros. lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 8. *Galat. 4. 8. Eph. 2. 3. 2. Petr. 1. 4. Jacob. 3. 7.*

Digitized by Google

ctus Pater quindecies naturæ nomen apposuerat; sicut & D. Cyrillus novies in Epistola 8. ad Nestorium, quæ habetur p. 11. & 21. & plusquàm vicies in decima, cujus fragmenta p. 17. 18. 19. & 20. circumferuntur. At vester Interpres ubique substantiam suppositi; apud quem in solo Philateo hæretico semel p. 2. n. 7. inveni dicendam unam Christi naturam.

Naturæ nomen expeditum est substantiæ flexuosum.

2. *Abass.* Cur naturæ nomen inhias, vocabuli substantiæ fastidiosus? *Rom.* Naturæ nomen expeditum est, substantiæ flexuosum, & intricatum. Natura enim id tantùm significat, quod pluribus individuis ejusdem generis, vel speciei commune est; substantia, & communia, & individua. Undè gratia perspicuitatis, ut dixi lib. 2. cap. 7. num. 4. divisa fuit in primam, & secundam: sivè in hypostasim, & usiam. Nam primæ substantiæ sunt individua, sive hypostases, quæ secundis subjiciuntur; & in substantiis rationalibus personæ dicuntur; secundæ usia, & naturæ communes, quæ in primis, sivè individuis, sivè personis existunt. Incautus autem, vel malignus Interpres, ubicumque in usiæ, vel hypostasis; seu in primæ, vel secundæ substantiæ nomina incurrit, indistinctè vertit substantiam, imperitis ansam præbens, ut quod Patres de usia, sivè natura asserunt, in hypostasim, sivè personam invertatur. Hinc profectum, ut ubicumque scriptum erat, Tres esse hypostases Trinitatis, verterit, Tres esse substantias; quod est omninò Arianismum profiteri. De quo non est, cur modò agam, cùm abund id præstiterim lib. 1. cap. 11. à num. 7. ad 17.

Quid duarum naturarum nomine in hoc mysterio intelligendum.

3. *Abass.* Ex dictis eo loco satis agnovi, quantum sit periculi in usu indiscreto nominis substantiæ; sed quid in hoc mysterio naturæ, vel substantiæ nomen significet, indicato. *Rom.* Cùm dicimus, duas Christo substantias inesse, divina coutinet ipsam divinæ essentiæ communitatem, æqualiter à Verbo, atque à Patre, & Spiritu sancto participatam; quam Sancti Patres naturæ nomine declarant. Nam D. Agnateus: *Natura*, inquit, *Trinitatis est una, quæ est una divinitas.* D. Athanateus: *Verbum Dei Patris habet substantiam, naturam Patris.* Alibi: *Qualis est majestas naturæ Patris, ac Filii.* D. Cyrillus: *Quis est insanus, qui dicit, quòd natura, quæ excellsior est omnibus naturis, passa est.* Alibi: *Ità credimus, esse Deum substantialem, & ipsam habere imperium omnium creaturarum in sua natura.* Natura verò humana est caro habens animam rationalem, ut ait idem Pater p. 47. num. 55. p. 48. num. 56. Epistola 10. n. 53. Cùm ergo humanam naturam Christo attribuimus, nihil aliud, quàm verum corpus, & animam intelligentiæ compotem illi assignamus.

D. Ignat. p. 1. n. 11. D. Athanas. p. 4. n. 48. & p. 14. n. 16. D. Cyril. p. 53. n. 51. & p. 55. n. 11.

Hæretici inter naturam & personam discrimen inficiantur.

4. *Abass.* Video, quid naturæ nomine exprimatur; quid tandem sub notione personæ cogitandum? *Rom.* Magno hîc nisu oculorum acies intendenda, ut discrimen inter Christi Personam, & naturam in hoc mysterio agnoscatur; *hoc enim demùm Hæreticos in errorem induxit*, inquit D. Joannes Damascenus, *quòd naturam, & personam idem esse arbitrentur. Quas* (addit Epiphanius Presbyter in septima Synodo) *inter se differre vera Ecclesiæ Catholicæ alumni contendunt.* Ne igitur se Hæreticorum albo subtrahant, naturam cum persona confundunt: Zacharias in sua Epistola num. 13. Athanateus num. 7. Mennas num. 13. Denoaceos p. 4. num. 13. Senuteon p. 1. num. 13. & quotquot Synodum Chalcedonensem, & D. Leonem carpunt, utpotè duarum substantiarum, seu naturarum propugnatorem; ii sunt: Benjamin num. 10. Joannes Alexandrinus num. 19. 23. Cyriacus à num. 18. ad 26. Athanateus num. 6. Mennas num. 11. Philateus p. 2. num. 5. Senuteon p. 1. num. 19. 20. & generatim, qui pugnant pro unica substantia, quos cap. 16. num. 4. suis nominibus referemus.

D. Joann. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 3. Epiphan. in 7. Synodo, act. 6.

Patres substantiam absolutè pro persona non usurpant. Benjamin. n. 11. Mennas. n. 13.

5. *Abass.* Memini sic dicere Abbâ Benjamin: *Patres nostri hoc in loco substantias appellavere personas*; Mennam autem sic: *Patres in hoc personam vocant substantiam Filii.* Ergo idem est natura, & persona. *Rom.* Si Patres personas intelligunt, cùm dicunt (nullibi tamen dicunt) Christum duas substantias non habere, ex integro concordamus. Nullus tamen Patrum Filii personam dixit substantiam, sive usiam; sed omnes hypostasim; quòd est substantia separata, sivè singularis. Quod probatur, quia iidem Patres locis cap. 24. referendis ponunt in Christo expresse duas substantias; si ergo secundùm eos, idem est substantia, & persona, triumphat Nestorius, duas in eo personas Patrum testimonio confirmans.

Impossibile non est substantiam sine persona reperiri. Deonac. p. 4. n. 13.

6. *Abass.* Deonaceos Antiochenus sic argumentatur, *Non invenitur substantia sine persona, sive in terra, sive subter eam. Rom.* Si validum esset illud argumentum, probaret etiam, Verbum carnem non esse factum; nec in Eucharistia panis, & vini accidentia substantiæ fulcro carere; quia neque in terra, neque subter eam reperitur ullum accidens extra gremium alicujus substantiæ conquiescens, nec præter Dei Verbum ulla substantia spiritualis carnem sibi copulavit. Aliquid enim divinæ potentiæ tribuendum est, quod neque in terra, neque subtùs eam unquàm sit visum. *Demus*, inquit D. Augustinus, *Deum aliquid posse, quod nos fateamur, investigare non posse. In talibus rebus tota ratio facti est potentia facientis.* Aliter falsum esset, quod de hoc mysterio vaticinatus est Jeremias: *Novum creavit Dominus super terram.* Nec verax est Deonaceos; nam in terra, & subtus eam plurimæ inveniuntur substantiæ sine persona; nempè omnes irrationales; & super terram, imò in ipso cœlo illa, quæ est summè rationalis. Nam divina natura est substantia, & ità præter Patres num. 3. citatos, eam vocant D. Deonaceos Areosfagos num. 15. D. Gregorius Thaumaturgus p. 1. num. 27. p. 3. num. 24. D. Gregorius Armenius p. 1. num. 7. Tercentum decem, & octo Patres

D Augustin. Epist. 3. ad Volus. Jer. 31. 22.

p. 1.

Digitized by Google

p. 1. num. 1. 2. 3. D. Athanateus p. 4. num. 47. p. 13. num. 1. p. 14. num. 10. 21. p. 15. num. 8, 11. 28. 29. D. Basilius p. 1. num. 2. 8. D. Heraclis p. 3. num. 11. Hæc autem substantia, quæ est divinitas, est sine persona. Nam, ut ait Concilium Toletanum sextum, *Constat, naturam Trinitatis unam esse, non tamen personam.* Similiter Basilius Antiochenus, licèt hæreticus: *Non est una persona trium Personarum, sicut una divinitas Personas conjungit.* Vel si substantia, & persona sunt omninò idem; aut dicendum, unam tantùm esse in Deo personam, sicut est una natura; aut tres substantias, sicut totidem sunt Personæ. Undè tibi liceat, ejusdem Deonaceos insaniam admirari, qui ait: *Nos equidem certò scimus, substantias Dei Verbi, quæ verè unitæ sunt, divinitatem, & humanitatem sine mistione, esse personas, & non substantias in sua propria specie.* Certiùs nos scimus, ô Deonaceos, te nihil scire. Si enim divinitas, & humanitas sunt personæ, & non substantiæ, discrimen inter personam, & substantiam intercedit; duæque visuntur in Mysterio Incarnationis personæ; ac proindè secundùm tuam priorem assertionem, substantiæ.

Concil. Toler. VI. in confess. Fidei. Basil. Antioch. n. 3. Deonaceos p. 2. n. 11.

7. *Abass.* Perpende illa verba Senuteon: *Quomodò dicunt Christum Dominum duas substantias, aut duas personas, aut duas facies, & faciunt quatuor personas in Trinitate.* Alibi: *Si verò est substantia sine persona, & persona sine substantia, sicut blasphemi, & insipientes dicunt, non esset opus mirabile.* *Rom.* Quòd nos blasphemos, & insipientes prædicet, modestè patimur, cùm eum Magistrum habeamus, qui Samaritanus, dæmoniacus, & blasphemus sit vocatus. Nos autem duas personas, & facies Christo non affingimus, nec Trinitatem augemus, cùm duas substantias confitemur; quia humana substantia non separatim in propria, sed in Verbi Persona subsistit. Insipienter autem ab eo dictum: *Si substantia esset sine persona, & persona sine substantia, non esset opus mirabile*; cùm mirabile non sit opus Incarnationis, nisi aliqua ex duabus substantiis maneat absque propria persona. Quid enim mirum, si divina substantia agnatam sibi Verbi Personam vendicet? Aut si humana in humanam suopte impetu procurrat? Id naturale est, & usitatum. Quòd autem substantia aliqua propriâ personâ spolietur, & in alia subsistat, id insolens est, & plenum miraculi. Nam ex Theodoto Ancyrano, *quod præter consuetum naturæ cursum fit, id miraculum vocatur.* Et ex Basilio Antiocheno: *Miraculum est opus, quod non invenitur; & quod non invenitur, est super substantiam.* Licèt autem absolutè negemus, dari personam sine substantia, quia hæc illius est fundamentum, eóque sublato corruit, quidquid superædificatur; Deo tamen concedimus, ut possit alicui substantiæ propriæ personæ resultantiam retardare, illámque in alienæ thoro collocare; quod præstitit in Christi humanitate, propriæ subsistentiæ fluxum impediens, & illius loco Verbi Personam subjiciens. Quòd ità est admirabile, ut meritò dixerit D. Leo Magnus: *Utramque substantiam in unam convenisse Personam, nisi Fides credat, sermo non explicat.* Damus tamen Benjamino, & Mennæ, Deonaceo, & Senuteoni, nusquàm reperiri substantiam sine persona, cùm illo salis grano: seu propria, seu aliena.

Senuteon blasphemiæ reflluntur. Seduteon p. 1. n. 13. & p. 2. n. 4. Ioan. 8. 48. Theodor. Ancyr. Orat. 2. Basil. Antioch. n. 23. D. Leo serm. de Nativit.

8. *Abass.* Nullane duarum in Christo substantiarum idem est cum persona, an aliqua est, & non altera? *Rom.* Utraque natura verè Christo unita est, sed neutra earum sic est idem formaliter, & adæquatè cum persona, ut quod de persona dicitur, dicendum sit de substantiis; & è converso. Si enim divinam naturam cum Verbi Persona conferamus, certum est rationis distinctione invicem secerni. Nam ratione divinitatis, *Ego, est Pater*, inquit Christus, *unum sumus*; sed ratione subsistentiæ, seu personalitatis, *Alia est Persona Patris, alia Filii*, ut ait D. Athanateus. Unum autem, & aliud opponuntur; quia ubi datur aliud, & aliud, ibi numerus, non unitas. Et divina natura tribus Personis communicatur, non Filii Persona aliis duabus. Secunda etiam Persona generatur; eadémque, & prima spirant, non autem natura. Qua de re plenius egi lib. 3. cap. 2. At multò major est distinctio, quæ humanitatem à Verbi Persona, quàm quæ divinitatem ab eadem secernit. Humanitas enim ante Incarnationem Verbo unita non fuit, & post unionem potest ab eadem per Dei potentiam avelli, & alteri personæ applicari, ut infrà num. 15. Divinitas autem re idem est cum Verbo, nec potest unquàm ab eo separari. Accedunt & alia signa distinctionis.

Nulla duarum naturarum in Christo est idem adæquatè cum Persona Verbi. Ioan. 10. 30. D. Athanas. in Symbol.

9. *Abass.* Quænam isthæc sunt signa? *Rom.* Quatuor, ex Patrum monumentis; quintum ex Aristotele, deprompta. Primum est; Christum substantiam hominis, non personam assumpsisse. Quòd substantiam assumpserit, tradunt, D. Deonaceos Areosfagos p. 1. num. 9. & 11. D. Gregorius Nyssenus p. 1. num. 12. p. 3. num. 5. D. Ephrem p. 3. num. 38. D. Joannes Chrysostomus p. 5. n. 7. Hanc verò substantiam in eodem post unionem perseverare, monstrabimus cap. 16. num. 6. Quòd autem personam non assumpserit, definivit Concilium Toletanum Undecimum in confessione Fidei: *Deus Verbum non accepit personam hominis, sed naturam; & in æternum Persona divinitatis temporalem accepit substantiam carnis.* D. Cyrillus, ubi vester textus habet, p. 21. *& non sumpsit solam formam, ut esset ei additamentum,* sic dicit in originali: *Asserimus autem, Verbum, dum carnem animâ rationali perfectam, (non secundùm voluntatum, sententiarúmque consensionem; neque rursùm per humanæ personæ assumptionem; sed secundùm hypostasim) inexplicabili, incomprehensibilique modo sibi univit; & hominem factum, & hominis Filium appellatum.* Infrà sub finem sic vester textus: *Siquis dixerit, factam fuisse unionem in divisione personarum tantùm, Scriptura non dicit, Verbum sibi uniisse personam hominis*

Verbum hominis naturam, non personam assumpsit. Concil. Tolet. XI. D. Cyril. p. 21. n. 6. D. Cyril. Epist. 8. ad Nestorium. Ibid. n. 37.

Digitized by Google

D. Cyril. ubi ſuprà.

hominis tantùm, ſed dicit: Verbum caro factum eſt. Sed primitivus ità: *Non enim Scriptura dicit, Verbum hominis perſonam ſibi aſſociaſſe, ſed carnem factum eſſe.* Undè validiſſimum argumentum educitur; Chriſtus hominis ſubſtantiam aſſumpſit, non perſonam; ergo non eſt idem hominis ſubſtantia, & perſona.

Alia ſigna diſtinctionis naturæ à perſona.

10. *Abaſſ.* Quæ ſunt alia tria ſigna diſtinctionis? *Rom.* Secundum (quod re coincidit cum ſuperiori, & ſolis verbis differt) jam ſuperiùs inculcavi cap. 6. num. 3. Verbum non hominem, ſed humanitatem aſſumpſiſſe. Tertium cap 4. num. 12. & 13. Verbum non in homine, ſed in corpore habitâſſe. Quartum ibidem num. 14. non hominem, ſed carnem, vel humanitatem induiſſe. In quibus omnibus locutionibus hominis nomen perſonæ, humanitatis vocabulum naturæ cognitionem importat.

D. Dionyſ. Alexand. Epiſt. contr. Paul. Samoſat. apud Turrian. *Heb.* 2. 14. 16.

Nam humanitas, inquit D. Deonaceos Alexandrinus, *non eſt nomen perſonæ, ſed naturæ; ſicut neque vocabulum corporis eſt nomen perſonæ, ſed ſubſtantiæ corporeæ.* Eodem modo dixit D. Paulus, *ſemen Abrahæ apprehendiſſe, & communicaſſe carni, & ſanguini*, quæ nomina omnia naturæ, non perſonæ invehunt notionem.

Signum diſtinctionis inter perſonam, & naturam ex Ariſtotele.

11. *Abaſſ.* Quod ſignum diſtinctionis ex Ariſtotele? *Rom.* In Metaphyſica tradit Philoſophus, in rebus compoſitis non idem eſſe quidditatem, & rem cujus eſt quidditas; quia quidditas ſolam definitionem continet, quæ non explicat quidquid eſt in re, ſed ſolam eſſentiam, ultra quam ſunt alia plura, quæ ad rem ſpectant. Ut in Petro ultra quidditatem, quæ exponitur corporis, & animæ intellectualis participatione, vel animalis rationalis nomine, ſunt alia multa conſectaria, quæ perſonam comitantur. In Chriſto igitur quidditas ipſius divinæ naturæ, & propriæ Relationis enuntiatione abſolvitur, humana natura extra quidditatem, non tamen extra divinæ Perſonæ complexum remanente.

Ariſtotel. 7. Met. c 5. text. 19.

Fonſec. ibid. q. un. ſect. 3. §. itaque declarat.

Humanitas eſt pars perſonalis, & inſtrumentum Verbi.

12. *Abaſſ.* Quænam igitur in Chriſto vera eſt diſtinctio perſonæ, ac ſubſtantiæ? *Rom.* Perſona Verbi à duabus naturis ipſi copulatis diſtinguitur tamquàm totum à duabus ſuis partibus; & humanitate tamquàm ab ipſius organo, & inſtrumento. Nam divinitatem, & humanitatem ſuas ipſius partes vocant D. Deonaceos Alexandrinus, D. Athanateus, Gregorius Nazianzenus, & Cyrillus. D. Athanateum dicentem *carnem eſſe partem Dei Verbi* (non quidem eſſentialem, ſed perſonalem) allegat Deonaceos Antiochenus. Quod licèt expreſsè in ejus libris non invenerim, reperi tamen ab eo ſcriptum. *Verbum, cùm Deus natura eſſet, hominem effectum, ut in utramque partem perfectum eſſet*; ideſt, ſecundùm divinitatem, & humanitatem; & ſæpiùs ab eodem Chriſti carnem, *Dei carnem* appellatam. Quod oſtendi ſuperiùs cap. 7. num. 5. Apertiùs D. Nazianzenus *vocat divinitatem partem præſtantiorem, & non adſpectabilem; humanitatem partem aſſumptam, & in oculorum aſpectum cadentem.* Eamdem Dei Verbi organum dicit idem D. Athanateus, per quam ſuam energiam exerebat. Nec tarò D. Cyrillus, qui in libro ad Imperatorem Theodoſium: *Pulchrè*, inquit, *per utramque partem diſpenſationis ſacramentum perfecit; carne ſua tamquam organo quodam ad carnis opera, naturaleſque egritudines uſus; anima rursùs ad humanas, inculpataſque affectiones.*

Deonaceos Antioch. p. 2. n. 3. D. Athan. lib. de Incarn. Chriſti.

D. Greg. Naz. Orat. 36. & 51.

D. Athanaſ. Orat. 4. contra Arian. D. Cyril. lib. ad Imper. Theodoſ. & lib. 10. Theſ. cap. 7.

Perſona eſſe non poteſt quidquid ſe habet, ut pars, & inſtrumentum.

13. *Abaſſ.* Quid indè infers, quòd humanitas pars ſit, & Verbi inſtrumentum? *Rom.* Infero, humanitatem in Chriſto ſubſtantiam tantùm eſſe, ſeu naturam; non verò perſonam. Natura enim purâ rei eſſentiâ contenta eſt, cui perſona nihil aliud addit, quàm ſubſiſtentiam, quæ eſt modus quidam realis, ut explicatum lib. 2. cap. 8. num. 5. naturæ rationali tribuens jus quoddam, & dignitatem, ut ipſa per ſe, & in ſe ſubſiſtat, atque operetur; ut lib. 3. cap. 3. num. 3. & 4. qua in Chriſto caret humanitas, cùm in Verbo ſubſiſtat; & nunquàm primò, ac principaliter à ſe ipſa, ſed ſemper, & ad omnes actiones naturales à Verbo moveatur. Quod ipſi confert quatuor illa munera, quæ aliis ſubſtantiis præſtat ſubſiſtentia, de quibus eo cap. 8. à num. 10. ad 18. Ipſam enim determinat; completè à quavis alia ſubſtantia ſeparat; quamvis naturalem communicationem abſcindit; & omnem ipſius operationem antecedit, ac moderatur. Quidquid verò ſe habet, ut pars, & inſtrumentum, eſt incompletum, indeterminatum, communicabile, & totius, ac principalis agentis virtute indigens, ut compleatur; & ideò perſona eſſe non poteſt; quia hæc eſt ſubſtantia completa, & ultimò terminata. De quo ibidem n. 21. & lib. 3. cap. 3. n. 5. Undè manus, caput, & alia membra nec corpori connexa, nec ab eo diſſecta, perſonæ eſſe poſſunt, quia ſemper totius corporis fulturam, & perfectionem anhelant.

Chriſtus non eſt homo diminutus, quòd humanâ perſonâ careat.

14. *Abaſſ.* Si humana Chriſti natura dignitate illa in ſe ſubſiſtendi, & jure actiones ſuas eliciendi, moderandique privatur, dici poterit imperfecta, & incompleta; & ipſe ab humana integritate diminutus. *Rom.* Cujuſque rei integritas, & diminutio penes eſſentiales perfectiones conſideratur, ut dictum cap. 4. & 6. Chriſtus autem nihil habet vel in divina, vel in humana natura attenuatum, & imminutum. Et ut tantùm de humana agamus, Apoſtoli in Didaſcalia: *Credimus*, inquiunt, *Chriſtum non fuiſſe imminutum in humanitate in re ulla.* D. Ephrem: *Chriſtus non eſt homo diminutus.* Infrà: *Natus eſt in eſſe carnis ex Sanctiſſima Virgine Maria, & non eſt unitus in medietate ſubſtantia.* D. Epiphanius: *Qui eſt perfectus à Patre, implevit diſpenſationem, quæ non habet diminutionem.* D. Joannes Chryſoſtomus: *Non deſpexit tenuitatem ſubſtantiæ noſtræ, & non fecit ſibi diminutionem, quando induit membra.* D. Cyrillus: *Non eſt minoratus ab hominis menſura, niſi in peccato tantùm.* D. Afroſius: *In utroque perfectus, & ſine mutabilitate*

Didaſcal. p. 1. n. 12. D. Ephrem. p. 4. n. 6. & p. 5. n. 5. D. Epiph. p. 7. n. 7. D. Joan. Chryſoſt. p. 5. n. 8. D. Cyril. p. 51. n. 34. D. Ambroſ. lib. 3. de Fide, cap.

Digitized by Google

D. August. de Prædestin. Sanct. c. 15.

tate divinitatis, & sine humanæ imminutione naturæ. Cùm ergo homini nomen à natura proveniat, & Christus integram habeat humanam, dici non potest homo diminutus. Illa verò, ratione Personæ increatæ, in tantam gloriam evecta est, ut altiùs, teste D. Augustino, non potuerit elevari.

Qui differat humana natura in Christo posita à se ipsa, si in alia persona reperiretur?

15. *Abass.* Ob oculos mihi, quantùm possit fieri, propone, quo pacto sit in Verbo natura humana; & quid differat à se ipsa, si maneret in propria persona. *Rom.* Si humanitas illa singularis, ubi ex corpore, & anima rationali in Beatæ Virginis utero perfecta fuit, communi cæterorum hominum viæ relinqueretur, suam ex se subsistentiam esset editura, quæ ipsi personæ nomen, dignitatem, & illas proprietates, quæ tactæ sunt num. 13. largiretur. Sed quia illa dignitas pueri hominis, qui naturâ est iræ filius, & peccati servus, censum non transgreditur, humanitati, ut dictum est cap. 3. num. 7. & 8. unionis frænos Verbum injecit, suæ illam Personæ & ad subsistendum, & ad operandum adstringens; ut quæ humani juris in se ipsa tamquàm domina suarum actionum futura erat, Verbi Personæ juri in æternum subdita, &, illius, ut ità dicam, ancilla permaneret. Personam verò quid juris esse lib. 3. cap. 3. n. 3. & 4. ostendimus. Ergo humana natura in Christo locata, à se ipsa (si suam subsistentiam emitteret, & humanæ personæ nomen indueret) differt tamquàm ancilla à domina, & tamquàm pedisequa à Regina. Ut igitur eadem est mulier, si modò ancilla sit, & pedisequa, & statim in dominam, & Reginam evehatur; & idem homo sive ex servo in Regem, sive ex Rege in servum immutetur; quia dignitas addita, vel adempta rei essentiam non evertit; ità eadem est natura, cùm propria subsistentia, tamquàm diademate coronatur; & cùm illa privatur, & alterius personæ famulatui addicitur. Simile exemplum affertur à D. Paulo: *Quanto*, inquit, *tempore hæres parvulus est, nihil differt à servo, cùm sit dominus omnium; sed sub tutoribus, & actoribus est.* Nam pupillus jus quidem habet ad paternam hæreditatem; non tamen illius administrationem, quæ est penes tutores, & curatores, quibus ipse ad tempus subditur; à qua servitutis specie ipsum plenè liberat emancipatio, sed non in alium hominem convertit. Ità Christi humanitas est sub Verbo, tamquàm actore, & curatore, quod dominium omnium ipsius facultatum sibi arrogavit; & ad quod omnia, quæ per ipsam, & in ipsa fiunt, referuntur; si autem suo ipsa juri relinqueretur, libera suarum operationum administratione, velut emancipata, uteretur. Non tamen alia esset, si alii personæ adstringeretur, quàm nunc est verbo mancipata, ut ostendunt illa Verba D. Athanatei: *Sicut proprium Verbi esse dicimus corpus, ità & corporis passiones, etiam si non contingant secundùm ipsius divinitatem; sicut si alterius esset corpus, alterius dicerentur passiones.* Et illa D. Cyrilli: *Caro autem ipsius est, & non alterius.* Alibi: *Suam dicit Deus Verbum, quæ sunt carnis propria, quia ipsius est corpus, & non alterius.* Alibi: *Assumptum corpus ità sibi associavit, ut non jam alterius cujuspiam, sed suum ipsius proprium sit, & esse intelligatur.* Ubi Patres hi manifestè docent, illud, quod nunc est Christi corpus, posse alteri personæ adhærere. Non ergo idem est natura, & persona, siquidem eadem natura potest diversis personis copulari.

Humanitati à Verbo sustentatæ tantùm jus quoddam, & dignitas deest.

Galat. 4. l. 2.

Alia non esset, quàm nunc est, Christi humanitas, si in propria persona subsisteret.

D. Athanat. serm. 4. contr. Arian.

D. Cyril. p. 4. n. 1. & lib. de Incarn. cap. 7. & in Exegesi ad Valerian.

CAPUT XII.

In illud verbum Symboli: Unicum, Dominum nostrum; *& una in Christo Persona, eáque composita ex divinitate, & humanitate absque divisione, & separatione ostenditur.*

Unus est Christus.

1. *Bass.* Personam in Christo agnosco; id quæro, an sit una, vel duplex? *Rom.* Symbolum prædicat: *Unicum, Dominum nostrum.* Ipse: *Magister vester unus est Christus.* D. Paulus: *Unus Dominus IESVS Christus, per quam omnia.* Alibi: *Unus Deus, unus & mediator Dei, & hominum, homo Christus IESVS.* Ex Patribus D. Athanateus: *Est homo in carne, & Filius Dei in divinitate; & est unus tantùm.* D. Gregorius Nyssenus: *Hic est unus tantùm ex substantia divinitatis meæ; & est ex vestra substantia ex parte humanitatis.* D. Abolidis: *Credamus unum Dominum, qui descendit de cœlis, & natus est ex Virgine.* D. Heraclis: *Unus est IESVS Christus, verus Deus, & homo simul.* D. Aforosius: *In ipso sunt duæ substantiæ, & est unus solùm.* Theodotus Ancyranus: *Deus Verbum unus est, & glorificatur apud omnes in divinitate sua; & patitur sicut homo in humanitate sua.* D. Epiphanius: *Unus est Dominus noster IESVS Christus, idem Dominus, idem Rex, idem, qui mortuus est in carne.* D. Gregorius Nazianzenus: *Hic est unus, & substantia divinitatis ejus non migravit in substantiam humanitatis ejus.* D. Joannes Chrysostomus: *Si diximus, quòd unus est verè Dei Filius, etiam cognoscimus conjunctionem ejus, qui est ex nobis sine divisione, cum Verbo per unionem, quæ explicari non potest.* D. Cyrillus: *Unus tantùm Dominus noster IESVS Christus; ipsum adoramus, nec relinquimus extra esse divinitatis propter carnem.* Similiter p. 15. num. 5. p. 21. num. 32. p. 22. num. 1. p. 34. n. 18. 26. p. 47. num. 40. 41. 53. 54. p. 51. num. 49. p. 52. num. 75. 102.

Matth. 23. 10. 1. *Cor.* 8. 6. 1. *Tim.* 2. 5. D. Athanat. p. 1. n. 15. D. Greg. Nyss. p. 2. n. 6. D. Abolid. p. 1. n. 21. D. Heraclis p. 3. n. 7. D. Ambros. p. 2. n. 3. D. Theod. p. 3. n. 1. D. Epiphan. p. 11. n. 8. D. Greg. Naz. p. 1. n. 37. D. Joan. Chrysost. p. 8. n. 7. D. Cyril. p. 9. n. 1.

Unus est Christus, quia non dividitur in duos.

2. *Abass.* Cùm Christum unum asserimus, quid de ipso affirmamus? *Roman.* Non tam affirmamus, ut diximus de Deo lib. 2. cap. 4. num. 7. quàm negamus ipsum in duos divisum. Nam unitas est indivisio, seu negatio divisionis in plura ejusdem nominis, & rationis. Ut unus est Petrus, una

Digitized by Google

Petri dexteram, una anima; quia in alium Petrum, aliam dexteram, aliam animam dividi non possunt. Sic unus est Christus, unus Dei Filius, & unus homo; quia illius in duos Dei Filios, vel homines impossibilis est divisio. D. Athanat. p.15.n.149. D. Athanasius: *Non dividimus Filium à Verbo, tamquàm sit alius.* D. Basil. p.3.n.4. D. Basilius: *Non facimus hunc Filium, duos.* D. Greg. Nyss. p.2. n.17. D. Gregorius Nyssenus: *Ne dividatis unum, qui non dividitur.* D Abolid. p.1.n.11. Divus Abolidis: *Est una substantia* (dic hypostasis) *& una persona, & non est in eo, quod dividitur in duo.* D. Heraclis p 1. n.2. P.3.n.20. D. Heraclis: *Unum, qui non mutatur, neque dividitur, duos non dicimus:* Alibi: *Non convenit mutare illum, qui unus est, in esse duorum; & divisum in duo, non dicitur unum, sed duo. Et ita Dominus IESVS Christus est unus, & non dividitur in duos.* Theodotus Ancyranus: *Quæ utilitas est nominis, Unius cùm illum duos faciant?* D. Gregorius Nazianzenus: *Postquàm factus est unus, non dividitur.* Iterùm: *Nunquàm separatur in esse duorum; neque in esse duorum hominum.* Divus Cyrillus: *Nunquam convenit, unum solum IESVM Christum Dominum nostrum dividere, neque efficere eum duos.* Alibi: *Non dividitur Dominus noster IESVS Christus in duos, Verbum Dei, quod factum est homo.*

Theodot. p.4. n.4. D. Greg. Naz. p.1. n. 8. & p.4.n.22. D. Cyril. p.21.n.37. P.34.n.19.

Quæ divisio in Christo prohibeatur.

3. *Abass.* Qui intelligunt Patres, cùm Christum in duos dividendum non esse decernunt: divisionem in duas personas, an in duas substantias, an simul in substantias, & personas? *Rom.* Vester Interpres non solùm in Scriptoribus Hæreticis divisionem in duas personas vetuit (in quo rectè senserunt) sed eam prohibitionem in duas substantias in Catholicis Patribus est mentitus; ut in Agnateo p. 2. num. 2. D. Abolidi p.1. num. 17. 18. 41. 52. D. Heracli p. 1. num. 2. p.3. num.8. D. Joanne Chrysostomo p.1. num. 14. Cùm Patrum non sit de duabus substantiis, seu naturis, sed de duabus hypostasibus interdictum. Moneo tamen, si divisionis nomen pro separatione accipiatur, nos illam neque in duas personas, neque etiam substantias admittere; quia divinitas, & humanitas post unionem in Christo non separantur, ut lib. 6. cap. 9. num. 2. ostendendum. Theodotus Ancyranus: *Quod*, inquit, *unitum est, nequaquàm duo, sed unum nominatur.* Si autem divisio sumatur pro distinctione, quatenùs divinitas non est humanitas; neque humanitas est divinitas; non esse rejiciendum; sicut in Trinitate monuimus lib. 3. cap. 4. num. 6. Quia duæ istæ naturæ, ut cap. 19. videndum, suas in unione differentias conservant; non tamen separantur. At earum personæ non solùm distinctionem sortiuntur, sed omnimodam separationem. Ideò illi soli Christum in duos dividunt, qui duas personas in eo; vel Deum seorsim, & hominem seorsim ponunt; vel carnem à Verbo separant; hæc enim divisio alium, & alium: vel alium cum alio reddit, quod huic mysterio repugnat. At qui duas substantias, seu naturas invicem unitas asserunt, carnem à Verbo non sejungunt, sed unam cum ipso, tamquàm Dei carnem, & tamquàm partem cum suo toto faciunt; pars autem cum toto non alium, & alium; sed aliud, & aliud reddit; & in re omninò eâdem aliud, & aliud reperitur.

Theodot. Ancyran. Orat. 3. de Nativit.

Christum in duos dividunt, qui duas in eo personas constituunt.

4. *Abass.* Cur Christum in duos dividunt, qui duas personas in eo ponunt? *Rom.* Quia persona, ut dictum est lib. 2. cap. 8. num. 3. & 12. est substantia completa, & à quavis alia separata. Ergo duæ personæ sunt duæ substantiæ separatæ. Ergo absolutè duæ; nam separatio pluralitatem inducit. D. Gregorius Nyssenus: *Ne faciatis Christi Personam duas personas; & ne dividatis unum.* D. Abolidis: *Non agnoscimus divisionem unius faciei; nec separamus cœlestem à terreno.* Metoligon: *Non dividitur in duas personas, & non dicitur duo.* D. Joannes Chrysostomus: *Si Christus habet duas personas, filius duplex est.* D. Cyrillus: *in illa hora mansit Christus in una substantia* (corrige hypostasi) *Deus, & homo, quin dividatur in una persona.* Alibi: *Si quis dividit personas post unionem Christi. &c. anathema sit.* Iterùm: *Si quis dividit verba puri Evangelii, & Apostolorum in duas personas, vel aspectus. &c. anathema sit.* Alibi: *Illi autem dividunt personas post unionem.* Eadem divisio sequitur, si Deus seorsim, & homo seorsim constituatur; uterque enim seorsim positus, est substantia separata. Duæ autem substantiæ separatæ, sunt duæ personæ. Sic D. Gregorius Thaumaturgus infrà cap. 24. num. 55. D. Basilius: *Ne negemus, sicut Photinus, & Sabellius, qui dixerunt: Recessit divinitas ejus in unum locum; & crucifixerunt carnem ejus tantùm.* Theodotus Ancyranus: *Impossibile est simul, & custodire unitatem, & utrumque seorsim considerare.* Infrà: *Magi ei, qui videbatur, thus obtulerunt tamquam Deo, non separantes naturam à natura, nec opinione sequestrantes, quod miraculo semel unitum est.* D. Cyrillus agens de Nestorio: *Multis*, inquit, *divisionibus divisit seorsim humanitatem, quam peperit Sanctissima Virgo Maria Domina nostra; & iterùm ex alia parte divisit Verbum, & Filium, qui est à Deo.* Alibi: *Dicunt in sua insipientia, esse hominem separatum per se, & conjunctum cum Deo Verbo; sed non per veram unitionem; & faciunt Deum Verbum seorsùm, & Christum seorsùm in partitione, & divisione.* Recurre ad dicta cap. 10. n.1.

D. Greg. Nyss. p.2. & 14. D. Abolid. p.1.n.2. Metolig. n. 5. D. Joan. Chrysost. hom.11.in Marc. D. Cyril. p.3.n.4.& p.20.n.6.8. & p.51.n. 26.31. Divisio etiã datur, cùm divinitas,& humanitas seorsim ponuntur. D. Basil. p.5.n.17. Thodot. Ancyr. Orat. 3. de Nativit. *Matt.*2.11. D. Cyril. p.47.n.12. P.51.n.25.

Similis erit divisio, si caro à Verbo separetur.

5. *Abass.* Egregiè quidem de Deo seorsùm, & homine seorsùm; cùm enim Deus, & homo nomina sint personarum, si seorsùm constituantur, non unus, sed duplex erit Christus. Quod non indè sequi videtur, si caro à Verbo separetur; cùm, ut sæpè dixisti, caro, & humanitas, non personæ sint nomina, sed naturæ. *Roman.* Idem omninò sequitur, si caro à Verbo seponatur, quod sequeretur, si Verbum in alteram partem, in alteram homo

Digitized by Google

homo dissecaretur; quia hîc viget dictum Deonaceos Antiocheni cap. 11. num. 6. relatum. *Non invenitur substantia sine persona*; propria scilicet, vel aliena, ut ibidem exposuimus. Si autem Verbum, & humanitas separarentur, hæc propriam personam esset emissura. Cùm autem D. Abolidis ait: *Caro caro est, non substantia per se ipsam tantùm*, loquitur de carne Verbo unita, non autem de sejuncta; ideò addit: *Neque convenit esse divisam, quasi sit substantia per se ipsam tantùm sine Salvatore; nec separatur ab ea Verbum in substantia sua divina, qua erat ante humanitatem; & non amoveatur in alium locum seorsum.* Ergo si caro seorsum à Verbo constituatur, jam caro Verbi non erit, nec una cum eo; sed erit caro vulgaris, & substantia per se sicut manus, dum corpori conjuncta est, una est cum eo; si autem à corpore decutiatur, manus est per se, nec jam ad corpus spectans; quia, ut jam monui lib. 3. cap. 3. num. 5. ex Aristotele, *unum sunt, quæ sunt sub eadem forma*; ut omnia membra corporis, dum eâdem animâ rationali informantur; sed manus abscissa sui jam corporis formam ignorat. Similiter unum sunt, quæ potentiâ divisibilia sunt, dum ità permanent; ut manus, & brachium; caput, & cervix. Si autem actu dividantur, jam plura sunt, non unum; ut manus, & caput obtruncatum; quia, ut ibidem ait Philosophus, *actus separat.* Similiter, dum caro est sub Dei forma per veram unionem, & non re, sed potentiâ tantùm separabilis, una est cum Verbo; sed ubi ab eo separata illius formam amittit, aliam formam, & subsistentiam habebit, cujus ratione purus homo evadet. Ergo tantumdem est carnem à Verbo separare, ac Deum seorsim, & hominem seorsim collocare.

D. Abolid. p. 1. n. 31.

Ibid. n. 32.

Aristotel. 7. Met. c. 13. text. 49.

Probatur auctoritate Patrum.

6. *Abass.* Utilitati mihi esset, si Patres aliquos idem sentientes audivissem. *Rom.* Aures morigeras sequentibus adjunge. Divus Athanateus: *Nos carnis gratia a Deo non segregata, neque in aliam personam divisa istud dicimus; eò quòd impossibile sit, Dominum gloria nudum hominem esse.* Vide eumdem cap. 11. num. 1. Divus Abolidis: *Non habet caro ejus substantiam separatam à divinitate in aliam partem; neque divinitas habet substantiam separatam ab humanitate in aliam partem.* Divus Gregorius Nyssenus: *Ne dividatis ipsius divinitatem ab humanitate ne sit mala divisio adversus illum, qui non dividitur: Nec dividatis humanitatem à divinitate, quia post unionem non dividitur. Ne arbitremini, in Deo esse hominem divisum à divinitate, sed credite esse unum solum. Ne faciatis Filium meum seorsùm, & carnem, quam sumpsit, seorsùm.* Theodotus: *Dicant igitur nobis, qui separant humanitatem à Deo Verbo, & dividunt illum, qui fuit unus, & dicunt, unum Christum esse duos, & verbo tantùm unum dicunt.* D. Gregorius Nazianzenus: *Christus ab aliis ut Deus honoratur, atque confunditur* (intelligit Sabellianos) *ab aliis, ut caro contemptu habetur, atque separatur.* (intelligit Arianos) D. Cyrillus: *Illi dicunt, passum esse in substantia humanitatis, quasi dividentes eam à substantia Verbi, cùm dicunt, eam seorsim separatam; & confitentur duos.* Alibi: *Sunt qui dicant, Verbum, quod est à solo Patre, seorsim per se esse, & efficere opus, quod convenit divinitati; & humanitatem, quam sumpsit ex Virgine, esse aliam exclusam à Deo Verbo.*

D. Abolid. p. 2. n. 12.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 10. 11 12. 13. 14. 15. 16. 17.

Theodot. p. 4. n. 5.

D. Greg. Naz. Orat. 37.

D. Cyril. p. 48. n. 57.

P. 22. n. 2.

In Christo non est alius, & alius; sed aliud, & aliud.

7. *Abass.* Quidnam est illud, quod dixisti, superiores divisiones efficere alium, & alium; quod huic mysterio repugnat? *Rom.* Divisiones illæ duas personas inducunt; & ubi illarum pluralitas concurrit, locum habet *Alius*, & *Alius*; at ubi plurium substantiarum distinctio sine divisione intercedit, datur *Aliud, & Aliud.* Ut alius est Petrus, alius Paulus. In Petro autem, & Paulo aliud est anima, aliud corpus; aliud caro, aliud sanguis; non alius, & alius. Undè illa est regula D. Gregorii Nazianzeni. *In Deo est alius, & alius, non aliud, & aliud; in Christo aliud, & aliud: non alius, & alius.* Quia in Deo *alia est Persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti*, ut ait Divus Athanateus; sed nulla illarum habet aliud, & aliud, quia in omnibus eadem est natura. At in Christo aliud est divinitas, aliud humanitas; sed ipse non est, alius in divinitate, & alius in humanitate. D. Gregorius Thaumaturgus. *Si quis dixerit: Alius est qui passus est, alius impassibilis; anathema sit.* Infrà: *Si quis dixerit: Alius est Dei Filius, qui erat ante mundum, & alius Filius Mariæ &c. anathema sit.* D. Athanateus: *Qui dicit; Filium Dei alium esse ab homine, qui natus est ex Maria; anathema sit.* Alibi: *Dixerunt, alium esse filium Christum, & alium Dei Filium, qui est ante sæcula.* D. Gregorius Nyssenus: *Hic unus non fuit duo; alter Filius meus, alter Filius Mariæ. Non est alius, qui natus est in antro; & alius, quem Magi adoraverunt; non est alius, qui baptizatus est; & alius, qui non est baptizatus.* D. Abolidis: *Prædicamus, non esse duos: alium divinum verè hominis gestatorem; & alium hominem mortalem, qui non est de cœlis à Patre.* Theodotus: *Quis est, qui dicit, unum liberum, & alium servum? Unum passibilem, & alium impassibilem?* D. Gregorius Nazianzenus: *Si quis credit in duos filios, alium ex Deo, alium ex Virgine cadat à nativitate, quam electi prædicaverunt.* D. Cyrillus de Diodoro: *Scribit, alium fuisse filium unigenitum in substantia sua, quem Sanctissima Virgo Maria, Domina nostra, peperit; & alium esse Verbum Dei Patris, quod est ab ipso, & per ipsum.* Alibi de Nestorio: *Credunt duos esse filios; alium, qui operatur; alium, qui non operatur.* Divus Felix Pontifex Romanus: *Credimus, hunc æternum Dei Filium, & Verbum; non autem hominem à Deo assumptum,*

D. Greg. Naz. Orat. 51.

D. Athan. in Symbol.

D. Greg. Thaum. p. 3. n. 13. 16.

D. Athan. p. 1. n. 14. p. 15. n. 21.

D. Greg. Nyss. p. 2. n. 2. 3. 4.

D. Abolid. p. 2. n. 7.

Theodot. p. 4. n. 4.

D. Greg. Nazianzen. p. 4. n. 13.

D. Cyril. p. 47. n. 4.

P. 51. n. 55.

D. Felix. apud D. Cyril. lib. ad Reg.

Digitized by Google

ità ut sit alius ab illo. Vide testimonia capitis 5. n. 3. & 6.

Alius cum alio non est Christus.

8. *Abass.* Quid illud : non esse alium cum alio ? *Rom.* Si Christus non est alius, & alius, quia hæc nomina duas personas inferunt, nec etiam est alius cum alio, quia eadem ex hoc dicto incommoda oriuntur ; & præpositio *cum*, ut videndum num. 10. non veram partium unionem, sed extrinsecam duorum conjunctionem importat ; ut apud Marcum : *Apparuit illis Elias cum Moyse.* Apud Matthæum : *Statim invenietis asinam alligatam, & pullum cum ea.* Duplex ergo est Christus, si est alius, vel unus cum alio. Divus Athanateus agens de Paulo Samosateno, & ipsius sectatoribus : *Vinxerunt,* inquit, *hominem cum Deo ; & fecerunt servum cum Domino.* Divus Abolidis : *Si quis dixerit de Christo Domino, esse hominem de cœlo à Patre, superadditum illi, quem peperit Sanctissima Virgo Maria, anathema sit.* Divus Gregorius Nazianzenus : *Unus est visibilis, & invisibilis ; nec sunt unum cum alio ; sed ambo unum sunt.* Divus Cyrillus, & Concilium Ephesinum. *Si quis audet, & dicit : convenit nos adorare hominem, qui ascendit in cœlum cum Deo, ut glorificetur cum ipso, & dicatur Deus cum ipso, tamquàm unus cum alio &c. anathema sit.* Similiter p. 21. num. 32. p. 4. num. 41. p. 55. num. 12. Si autem D. Petrus de Christo dixit : *Quoniam Deus erat cum illo, idcircò ità prolatum est,* inquit Divus Cyrillus, *quia Deus Pater erat cum Filio. Nam ego in Patre & Pater in me est* ; vel si Dei nomen ibi sumatur pro Verbo ; quia Deus Verbum erat, & habitabat in Christo, id est in ipsius carne ; quo pacto cap. 4. num. 13. explicavimus illa Pauli Verba, *In quo habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter,* & illa, *Deus erat in Christo mundum reconcilians sibi.*

Marc. 9. 3. Matth. 21. 2.

D. Athan. p. 2. n. 7.

D. Abolid. p. 2. n. 14.

D. Greg. p. 4. n. 26. D. Cyril. p. 20. n. 15.

Act. 10. 38.

Ioan. 14 11.

D. Cyril. in Exegesi ad Valerian.

Coloss. 2. 9. 2. Cor. 5. 19.

Qui duas naturas asserunt, carnem à Verbo non separant, sed unam cum ipso faciunt.

9. *Abass.* Quorsùm ulteriùs addidisti, eos, qui duas naturas invicem unitas asserunt, carnem à Verbo non sejungere, sed unam cum ipso facere ? *Rom.* Qui duas naturas in Christo asserunt, veram inter ipsas unionem, de qua agendum cap. 18. agnoscunt. Ergo illas unum inter se faciunt. Sic enim Patres loquuntur : Divus Abolidis : *Divinitas, & humanitas unum sunt.* Infrà : *Amba unum facta sunt in unione.* Infrà : *Præterea unum nomen illis convenit, qua convenerunt in unione.* Ayocandius : *facta est una caro cum divinitate, & communicavit divinitas cum humanitate in una unione.* Divus Epiphanius : *Duo unum fecit.* Infrà : *Carnem unam secum fecit ; & fecit omnia in unione.* Divus Cyrillus : *Duæ substantiæ fuerunt unum in unione.* Cùm autem prædicti Patres duarum naturarum unitatem unioni semper acceptam ferant, veram unionem intelligunt. *Sola enim vera unio,* inquit D. Cyrillus, *facit unum.* Ergo qui duas naturas prædicant, unionem confitentes, carnem à Verbo non sejungunt.

D. Abolid. p. 1. n. 17. 41. & 45.

Ayocand. p. 1. n. 7. D. Epiph. p. 8. n. 10. D. Cyril. p. 14. n. 8.

P. 48. n. 29.

10. *Abass.* Quamvis caro à Verbo non sejungatur, aliud ipsa est à Verbo, ut sæpè inculcas. Ergo duo hîc sunt ; si duo : ergo non una persona. *Rom.* Dualitatem invehant duo tota completa, & perfecta, non totum suæ parti, vel pars suo toti copulata. Nam pars cum toto, & totum cum parte unum per se efficiunt, ut docet Divus Cyrillus. *Exempli gratiâ,* inquit, *si fortè dicamus, cohonorari animam hominis cum suo corpore ; si quis honor certè fieret à quopiam erga unum hominem, qui est ex utrisque ; vel si quis diceret, animam cum suo corpore esse unum animal rationale, non propterea in duos homines unum dividit ; videtur autem potiùs non ignorare ea, ex quibus est ; hoc est, ex quibus compositum est naturaliter. Quandò autem dico : Petrus, & Ioannes coappellantur homines ; vel Ioannes cum Petro in templum ascendit ; non jam præpositio* cum *unum quiddam significat. Non enim Ioannes compositus est cum Petro, neque ad hominis constitutionem uterque quidquam confert.* Sic Divus Cyrillus ; qui alibi addidit, solere aliquandò Scripturam de una persona tamquàm de duabus loqui, & eamdem proportionem *cum* inter res, quæ unum sunt, interponere. Ut cùm David ait : *Meditatus sum nocte cum corde meo.* Isaias : *Sed & spiritu meo in præcordiis meis de mane vigilabo ad te.* Numquid aliud est David, aliud ipsius cor ? Aliud Isaias, aliud ejus spiritus, & præcordia ? Nequaquàm. Sed unum est cor cum Davide ; unus spiritus, & præcordia cum Isaia. Et cùm Paulus ait : *Scimus, quoniam si homo noster exterior corrumpatur, tamen is, qui intus est, renovatur de die in diem* : Numquid in uno quoque homine duplex est homo ; alter interior, alter exterior ? Absit : sed homo exterior est corpus, interior anima, quin ex nominum divisione inter animam, & corpus unio dissolvatur. *Sic,* ait Divus Gregorius Nazianzenus, *Quamquam Deus, & homo, dua natura sunt, quemadmodùm anima, & corpus, non tamen duo filii, nec dii. Quemadmodùm nec hic quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam, & externam hominis partem appellaverit.* Sola ergo personarum, non autem substantialium partium dualitas Christi obstat unitati.

Totum cum parte, & pars cum toto unum sunt, non duo.

Vide cap. 4. n. 17. D. Cyril. n. 8. Anathematismo contra Orientat. & in Expos. 3. Anathem.

Scriptura aliquando de una re, tamquàm de duabus loquitur.

Ps. 76. 7. Isai. 29. 9.

D. Cyril. lib. ad Regin. & lib. de Incarn. cap. 12.

2. Cor. 4. 16.

D. Greg. Naz. Orat. 51. *2. Cor. 4. 16.*

11. *Abass.* Undè hanc in Christo colligis personæ unitatem ? *Rom.* Christus in Sacris litteris unus asseritur, ut ostensum est num. 1. & de eo, tamquàm de uno tam divina, quàm humana prædicantur ; ut cap. 10. num. 3. & 5. At non est unus veritate substantiæ, quia duas habet, ut patet ex dictis ; & ex dicendis à cap. 14. usque ad 26. pleniùs constabit. Ergo unus est unitate personæ, quam cap. 18. explicabimus. Ità definiêre plura Concilia : Quartum Carthaginense sub illis verbis :

Personæ unitas in Christo.

Concil. Carthaginens. IV.

Simul

Digitized by Google

simul in Christo dua naturæ : id est Deus, & homo ; una Persona, unus Filius, unus Christus. Toletanum Primum in regula Fidei : *Duabus dumtaxat naturis, idest, deitatis, & carnis in unam convenientibus omninò Personam ; ideſt, Dominum nostrum* JESUM *Christum.* Ephesinum generale : *Si quis in duas Personas, vel hypostases, dividit eas voces, quæ in Apostolicis, & Evangelicis scriptis continentur. &c. anathema sit.* Quinta Synodus generalis : *Si quis in mysterio Christi introducere conatur duas subsistentias, vel personas ; anathema sit.* Antiqui Patres in vestro Libro adstipulantur : D. Gregorius Thaumaturgus p. 2. num. 3. 5. D. Athanateus p. 1. num. 3. 4. 6. 8. 9. 11. p. 8. num. 1. 2. D. Basilius p. 3. num. 6. D. Gregorius Nyssenus p. 2. numer. 14. D. Feliquis p. 1. num. 4. & p. 3. num. 1. D. Abolidis p. 1. num. 22. 25. 30. 31. p. 2. num. 15. Metoligon. num. 5. D. Gregorius Nazianzenus p. 1. n. 38. 43. 44. 45. D. Joannes Chrysostomus p. 8. n. 3. D. Cyrillus p. 3. n. 4. p. 17. n. 8. p. 18. n. 1. p. 20. n. 6. 8. p. 26. n. 1.

Concil. Tolet. I.

Concil. Ephes. Can. IV.

D. Cyril. p. 20. n. 9.

V. Synod. general. Can. 5.

Quia una est persona divinitatis, & carnis, Trinitas manet Trinitas, nec fit quaternitas.

D. Augustin. lib. de Fid. ad Petrum, cap 17.

D. Hilar. lib. 9. de Trinit.

12. *Abass.* Una illa Christi Persona propria est divinitatis, an etiam humanitatis ? *Rom. Ne dubitet*, inquiunt Divi Augustinus, & Fulgentius, *Deum Verbum carnem factum unam habere carnis, divinitatisque Personam.* D. Hilarius commilito D. Athanatei adversus Arianos : *Hæc demonstranda à me paucis fuerunt, ut utriusque naturæ Personam tractari in Domino* JESU *Christo meminissemus.* Ità tamen propria est illa Christi Persona divinitatis, & humanitatis, ut eadem sit cum divinitate per identitatem, cum humanitate per unionem. Quæ vera est causa, cur Verbo homine facto, Trinitas in quaternitatem non transierit ; commigraret autem, si haberet duas personas, alteram divinitatis increatam, alteram humanitatis creatam. D. Gregorius Thaumaturgus : *Persona Filii est nostra communicatio, quia unus est ex duobus ; scilicet, ex divinitate, & humanitate simul ; & duo unum fecit ; & non est additamentum, quod adjiciatur divinitati, sed tres sunt in Personis.* Infrà : *Qui addit appendicem super Sanctam Trinitatem propter humanitatem Verbi, separatus est à nobis.* D. Athanateus contra Samosatenses : *Pro una Persona Domini nostri* JESU *Christi confitentur duas personas, & duas facies ; & pro eo, quòd convenit credere in Sanctam Trinitatem, crediderunt in quaternitatem.* Infrà : *Adorant quaternitatem pro Trinitate.* Alibi : *Trinitas non est quaternitas propter Incarnationem Verbi ex Sanctissima Virgine Maria, Domina nostra ; quoniam univit eam sibi in una facie.* Falsò autem adjecit Interpres, *& in una substantia*, quod non invenitur in originali : Infrà. *Trinitas semper permanebit in suo ternario ; & assumptione carnis à Verbo ex Domina nostra, Sanctissima Virgine Maria, non est additamentum, neque imminutio in Trinitate ; sed semper est perfecta in unione divinitatis suæ, & in ternario facierum in perfectis Personis.* D. Basilius : *Quando Verbum, quæ est unà trium, Personarum, sumpsit carnem ex Sanctissima Virgine Maria, non sunt separatæ, neque factæ sunt quatuor, sed semper permanet Trinitas in ternario.* D. Joannes Chrysostomus : *Nos in Trinitatem credimus, non in quaternitatem ; quia non credimus, duas in Christo esse personas ; quia si Christus habet duas personas, filius duplex est ; ergo quatuor persona sunt.* D. Heraclis : *Unus est Filius, unus est Dominus ; Trinitatem námque unius essentiæ confitemur ; quartam nullatenùs admittentes in Trinitate personam.* Alibi : *Si alius est Christus, alius item Dei Verbum, jam non Trinitas in divinis erit, sed quaternitas.* D. Augustinus : *Agnoscamus geminam substantiam Christi ; divinam, quâ æqualis est Patri ; humanam, quâ major est Pater. Utrumque autem simul, non duo, sed unus est Christus ; ne sit quaternitas, non Trinitas Deus.* Alibi : *Unam ostendit esse Personam in utraque natura, hoc est Dei, & hominis ; ne si duas faciat, quaternitas incipiat esse, non Trinitas.*

D. Greg. Thaum. p. 1. n. 5.

n. 32.

D. Athanas. p. 2. n. 4. 11.

P. 15. n. 119. & 125.

n. 125.

D. Basil. p. 5. n. 24.

D. Joan. Chrysost. hom. 11. in Marc.

D. Procl. in Epist. ad Armenios, & Orat. de Nativit.

D. August. tract. 78. in Joan.

Lib. de serm. Arian. cap. 7.

13. *Abass.* Unica isthæc Christi Persona, simplex est, an composita ? *Rom.* Dixi lib. 2. cap. 2. num. 4. Simplex illud esse, quod nihil habet duplicati ; compositum, quod habet plurium rerum concursum. Simplex igitur erat Christi Persona, cùm in principio *Verbum erat apud Deum* ; sed cùm *caro factum est*, illius, & proprietatum accessione composita evasit. D. Deonaceos Areosfagos : *Quod in Verbo divino unum est, & simplex, humanitatis assumptione, ad id s quod concretum est, venit.* D. Gregorius Nazianzenus : *Qui nunc homo est, anteà compositionis expers erat.* Composita autem non ex duabus personis ; quia illa compositio est impossibilis, ut ostendendum capite sequenti ; sed ex duabus naturis (quæ sunt partes componentes, ut cap. 11. num. 12.) in sua integritate persistentibus, ut sit *unus ex utroque*, ut ait D. Gregorius Nazianzenus ; & alibi : *Hæc duo unam Personam efficiunt ; id tamen non naturâ fit, sed ipsorum coitione.* D. Augustinus : *Deo sic conjungi potuit humana natura, ut ex duabus substantiis fieret una Persona.* Alibi : *Unitas Personæ Christi ex utraque natura constabat.* Hinc ergo omninò pendet, quòd Christus unus sit, ut tradit D. Cyrillus in Epistola ad Afasis, his verbis Antiochenos defendens: *Naturarum differentiam assignant, attamen unum tantùm Dominum, & unum solùm Christum agnoscunt ; eò quòd re ipsa unus sit tantùm, unaque solùm ejusdem Persona* ; de quo iterum cap. 18.

Christi persona composita ex duabus naturis.

Ioan. 1. 1.

Ioan. 1. 14.

D. Dionys. de Eccles. Hierarch. cap. 3.

D. Greg. Naz. Orat. 35.

D. Ioannes Damasc. 3. de Fid. cap. 7.

D. Greg. Orat. 1. & 36.

D. August. lib. 4. de Trinit. cap. 17.

Idem lib. contr. serm. Arian. cap. 8.

D. Cyril. Epist. 29. ad Acacium.

Digitized by Google

CAPUT XIII.

Nestorii hæresis proponitur; & ex duabus personis unam fieri non posse, ostenditur.

Hæretici, qui Christum in duos divisere.

1. *Abass.* Quinam fuêre Hæretici, qui Christum in duos divisêre? *Rom.* Impius hic error priùs venenatum caput sub [a] Cherinto, & Ebione exeruit, Christum purum tantùm hominem asserentibus; [b] sub Theodoto Byzantio, [c] Artemone, & [d] Paulo Samosateno, Episcopo Antiocheno adolevit. E quibus prior illum sola justitiæ auctoritate à cæteris hominibus secernebat; secundus Prophetis excellentiorem prædicabat; tertius alterum cælestem, alterum terrenum apertè duabus personis biformem faciebat; confirmatus est sub Photino Episcopo Sirmensi, quem D. Hilarius Ebionem sæpè appellat, quòd eadem cum Ebione sentiret; ipsiusque sequaces dicti Homuncionistæ, quòd in Christo nihil majus homine agnoscerent. Sed ultrà Ebionem Photinus addebat, Christum usque ad Baptismum nudum hominem fuisse, sed in eo suis operibus divinam perfectionem, attigisse. Tandem invaluit hic error sub Diodoro Tarsensi; & sub Nestorio Episcopo Constantinopolitano fuit propagatus.

[a] Baron. tom. 1. an. 57. & 60.
[b] tom. 2. an. 196.
[c] Ibidem.
[d] Ibidem an. 265. 266. tom. 3. an. 357.
D. Hilar. de Synod.

Nestorii errores.

2. *Abass.* Omnes Nestorianæ hæreseos fibras, quæso, radicitùs evellas. *Rom.* Diodorus Tarsensis virulenta aspidis ova fovit, & excusit, quæ Nestorius ipsius auditor sinu excepit, & evulgavit. Perpendens enim, de Christo nunc excelsa, & divina; nunc abjecta, & humana enuntiari, in animum induxit, omnia in eamdem personam cadere non posse, sed divina in Dei Verbum, ac Filium; humana, in Christum (quem dicebat Mariæ filium) ac proindè in duas personas divisit. Unde inferebat, Beatissimam Virginem, non Dei, sed Christi, sivè hominis matrem vocandam. Simul autem conspiciens Sacras litteras, & Patres de Christo, quasi de uno loqui, ut Dei Filium cum Christo, sive homine colligaret, & ex duabus personis unam concinnaret, duodecim adulterinæ unionis modos excogitavit, quorum nullo id, quod nitebatur, potuit attingere.

D. Cyril. Epist. ad Successum.

Nestorii errores ex D. Cyrillo ipsius antagonista colligendi.

3. *Abass.* Optabam, ut mihi singillatim ii modi unionis proponerentur, & errores detegerentur. *Rom.* Erroris ansam, nempè difficultatem applicandi uni, eidemque Christo sublimia, & infima cap. 37. amputabo. Beatissimam autem Virginem non puri hominis, sed Dei Matrem suspiciendam lib. 6. cap. 4. demonstrabo. Istius verò capitis duplex est provincia; prior, ut ostendam, Personam in Christo non duplicari; secunda, unam ex duabus nulla ratione posse conflari. Sed quia D. Cyrillus, ceu David alter, Philistæum obtruncavit, ex ipsius tantùm armariis probationes desumemus. Nam Epistola 1. ad Successum ità loquitur de Diodoro: *Arbitratus est, & scripsit, alium fuisse filium in substantia sua, quem Sanctissima Virgo Maria, Domina nostra, peperit; & alium esse Verbum Dei Patris, quod est ab ipso, & per ipsum.* Infrà de Nestorio: *Divisit unigenitum, qui dividi non potest, in duos, dicens; quod homo conjunctus fuit Verbo Deo nomine, gloria, & honore tantummodò, & omninò divisit verba Evangelii, & prædicationem Apostolorum, & dixit: Est, quod dicatur de homine, & notam faciat hanc humanitatem; & quod dicatur de Deo, & declaret divinitatem. Et multis divisionibus dividit seorsim humanitatem, quam peperit Sanctissima Virgo Maria, Domina nostra; & iterùm ex alia parte dividit Verbum, Filium, qui est est à Deo.* Alibi: *Dicit: Est, quod dicatur de solo Dei Verbo; & est, quod dicatur de filio, qui est ex Maria, quod sit alius à Verbo seorsim.* Alibi: *Non dividimus eum, neque facimus eum duos; unum hominem ex Maria seorsim tantùm; & Verbum seorsim tantùm, sicut eum esse arbitrati sunt illi homines.* Infrà: *Sunt homines, qui non ità credunt; sed dicunt in sua insipientia, esse hominem separatum per se, & conjunctum cum Deo Verbo, qui processit à Patre, in gloria, & potestate; non per veram unionem, sicut nos credimus.* Infrà: *Qui ità non credunt, dividunt unum Dominum nostrum in duas personas post unionem.* Contra quos vibrantur excommunicationes tertii, & quarti anathematismi Concilii Ephesini œcumenici apud D. Cyrillum p. 20. n. 6. 7. & 8. & militant, quæ dicta sunt capite superiori n. 4. 5. & 11.

D. Cyril. p. 47. n. 4. ex Epistol. 1. ad Success.
P. 22. n. 18.
P. 51. n. 17.
n. 25.
n. 31.

Non malè sensit Nestorius, cùm duas substantias in Christo posuit, sed cùm eas separavit.

4. *Abass.* Arbitror, Nestorium non solùm damnatum, quòd duas personas, sed etiam quòd duas substantias in Christo collocaverit. *Rom.* Quas quidem substantias, ut personas in Christo Nestorius agnovit, tamen ob illarum duplicationem, sed, judice, & narratore D. Cyrillo, ob malam collocationem aberravit. Illas enim veræ unionis exortes fecit, alteram ab altera sejungens, & quamque suæ personæ seorsim positæ affigens. Nam p. 3. *Quidam*, inquit, *propter suam insipientiam duas substantias in Christo ponunt, dicentes: Divinitatem esse separatam ab humanitate, quando esuriebat, & sitiebat.* Parte 22. *Nestorius, non agnovit Fidem Incarnationis, sed dicit duas substantias, & dividit eas inter se; & facit Dei Verbum seorsim ex una parte, & ex alia hominem, cui Dei Verbum unitum est.* In libro ad Imperatorem Theodosium: *Unum Christum in duos secernunt, & crassa quadam separatione inter hunc, & illum inducta, utrumque seorsùm, ac quasi per se subsistere contendunt; & alterum quidem (eum nimirùm, qui ex Virgine natus est) perfectum hominem; alterum rursùm, ipsum Dei Verbum esse dicunt. Sed hi sanè neque quid inter Dei, & carnis naturam intercedat, satis distinguunt; neque intra solos discrepantium naturarum terminos consistunt. Nam si inter solas naturas secernerent,*

D. Cyril. p. 3. n. 22. & p. 22. n. 12.
D. Cyril. lib. ad Imperat. Theodos.

Christum in duos Nestorius divisit.

Digitized by Google

nerent, à veritate non aberrarent. Alia enim carnis, alia rursùs Verbi eſt natura. At hìc ſe ſe non continent, verùm ulteriùs progreſſi alterum ſeorſim, ac per ſe tamquàm merum hominem conſiderant; alterum verò ut verum, naturalémque Deum, Filium nominant. Quibus verbis nihil planius; nec verò illa deteriora ex Epiſtola ad Eulogium, quorum partem citat Benjamin in ſua Synodica: *Non omnia*, inquit Cyrillus, *quæ Hæretici dicunt, fugienda, ac repudianda ſunt; multa enim confitentur ex iis, quæ nos quoque aſſerimus. Exempli cauſa, cùm Ariani Deum Patrem omnium Conditorem, ac Dominum eſſe dicunt; num ideò conſequens eſt, ut ejuſmodi confeſſiones averſemur? Sic & de Neſtorio quoque, licèt duas naturas eſſe dicat, carnis, & Verbi differentiam ſignificans (eſt enim alia Verbi, alia carnis natura) attamen unionem nobiſcùm non confitetur. Nos illas adunantes, unum Chriſtum, unum eumdem Filium, unum Dominum confitemur.* In Exegeſi ad Valerianum: *Aiunt: Licèt duas hypoſtaſes ſeparemus, unam tamen Perſonam agnoſcimus. Si de naturis id dicerent, res quæſtionis expers foret. Quivis enim diligens ſpeculator facilè intelligit, carnem alterius eſſe ſubſtantiæ à Verbo, quod ipſi conjunctum eſt.*

D. Cyril. Epiſt. 30. ad Eulog. Benjamin hæret.

D. Cyril. in Exegeſi ad Valerian.

5. *Abaſſ.* Conſpicor, D. Cyrillum, & Orthodoxos à Neſtorianis, non in duarum naturarum negatione, ſed in mutua ipſarum unione diſcrepare. *Rom.* Ipſum ſcopi centrum transfixiſti. Nam D. Cyrillus, & Orthodoxi duas naturas ſe invicem vera, & eſſentiali unione complectentes in eadem Verbi Perſona collocant; Neſtoriani illas in diverſis perſonis conſtituunt, eaſque unione quadam exotica, & artificiali, quam vocant auctoritatis, dignitatis, & conjunctionis (qualis eſt inter domum, & habitatorem; inter veſtem, & veſtitum, & ſimiles) tamquàm nodo quodam devinciunt. Quocircà de Samoſatenſibus eadem multò antè, quæ poſteà Neſtorius, docentibus ait D. Athanaſius: Pro *Incarnatione habitationem fabricati ſunt; & pro unione, & connexione inter ſe creaverunt opus humanum; & pro una Perſona Domini noſtri JESU Chriſti confitentur duas perſonas, & duas facies.* Infrà: *Vinxerunt hominem cum Deo, & fecerunt ſervum cum Domino:* Ubi nota unionem habitationis, vinculi nodi, vicinalis conjunctionis, & ſi quæ ſunt pares, nequaquàm poſſe unam ex duabus perſonis concinnare.

Non in duarum ſubſtantiarum poſitione, ſed in falſa illarum unione aberravit Neſtorius.

D. Athanaſ. p. 2. n. 2. 3. 7.

Rejiciuntur omnes modi Neſtorianæ unionis.

6. *Abaſſ.* Illos duodecim unionis modos, quos Neſtorius invexit, quæſo, percenſeas, ut videamus, an aliquis eorum ipſius prævaricationi opituletur. *Rom.* Singulos priùs ſingulis anathematiſmis D. Cyrillus in Concilio Alexandrino: poſteà centum, & quinquaginta Patres in Epheſino vulneraverunt. Quorum primus erat, Verbum hominem perfectum, in quo habitaret, elegiſſe; & inter eos talem unionem interceſſiſſe, qualis eſt inter habitatorem, & domum, quæ inhabitatur. Secundus eam unionem ponit, quæ eſt inter veſtem, & veſtitum. Tertius illam, quæ eſt inter eum, qui portat, & rem, quæ portatur. Undè dicebat, Chriſtum eſſe hominem Deo indutum; Deum portantem; & à Deo inhabitatum. Sed omnes hi modi inepti ſunt ad veram unionem efficiendam, ut oſtendimus cap. 4. num. 13. 14. Si enim unio inhabitationis, indumenti, & vecturæ ſufficeret, omnes juſti unam, & eamdem cum Deo perſonam ſortirentur; de omnibus enim, quoad inhabitationem ait Apoſtolus: *Neſcitis, quia templum Dei eſtis, & ſpiritus Dei habitat in vobis?* Quoad indumentum: *Quicumque in Chriſto baptizati eſtis, Chriſtum induiſtis.* Quoad vecturam; *Glorificate, & portate Deum in corpore veſtro.*

1. Per inhabitationem.

2. Per indumentum.

3. Per vecturam.

1 Cor. 3. 16.

Galat. 3. 27.

1. Cor. 6. 20.

7. *Abaſſ.* Quodnam quartum eſt Neſtorianæ unionis vinculum? *Rom.* Quartò dicebat Neſtorius, aſſumptum hominem Deum dici ſecundùm auctoritatem, & dignitatem; quòd Verbum Dei nomine ipſum donaverit. Quintò, ſecundùm æqualitatem honoris; quòd eum ſibi gloria coæquaverit. Sexto, ſecundùm adorationem; quod eamdem patiatur ſecum coadorari. Verùm hi etiam modi ſunt inutiles; nominis enim æqualitas nec Moyſem, nec alios juſtos, ad quos Deus: *Ecce*, inquit, *conſtitui te Deum Pharaonis.* Et iterùm: *Dii eſtis, & filii Excelſi omnes*, ad divinam gloriam, ſed tantùm ad participationem valdè diſtantem evexit. Iſaiæ etiam æqualis eſt Jeremias in munere Prophetico, & Joannes Andreæ in Apoſtolico, ſicut Chriſtus Deus, & homo. Nec tres Angeli unus ſunt redditi, quòd eos Abraham pronus in terram adoraverit; de quibus etiam modis egimus cap. 4. n. 3. & 15.

4. 5. & 6. Secundùm auctoritatem, æqualitatem honoris, & adorationis.

Exod. 7. 1.

Pſ. 81. 6.

Gen. 18. 2.

8. *Abaſſ.* Tres alios modos attinge. *Rom.* Septimum adulterinæ unionis modum Neſtorius fingebat, per conjunctionem, ſivè appoſitionem; quòd homo ille ſemper eſſet Deo addictus. Hunc ità abominatus eſt D. Cyrillus, ut de eo dixerit Epiſtola 10. *Magis autem conjunctionis nomen perhorreſcimus, quia non poteſt ſignificare unitionem.* Qui ſi ſatis eſſet, omnes homines dii dicerentur; de omnibus enim ſcriptum eſt in Actis Apoſtolorum: *Quamvis non longe ſit ab unoquoque noſtrum: in ipſo enim vivimus, & movemur, & ſumus.* Et lapidum acervus, unus lapis dici poſſet. Octavus eſt per amoris affectum, quòd homo ille Deum ſummè diligat, & ab eodem diligatur. Affectio tamen quamtumvis magna ſit, veram non affert unitatem. *Nam multitudinis credentium erat cor unum, & anima una*; & ſimpliciter erat multitudo. Et cùm *conglutinata eſſet anima Davidis anima Jonathæ*, David, & Jonathas duo erant homines re diſjuncti. Nonus copulæ per gratiam; quòd homo ille plus cæteris hominibus Verbo per gratiam cohæreret. Sed neque illa connexio ſufficit; quamvis enim dicat Apoſtolus: *Qui adhæret Deo, unus ſpiritus eſt*, quivis tamen juſtus Deus non eſt.

7. Modus per conjunctionem.

D. Cyril.

Act. 17. 27. 28.

Octavus per amorem.

Act. 4. 32.

1. Reg. 18. 1.

9. Per gratiam.

1. Cor. 6. 17.

9. *Abaſſ.* Modos reliquos abſolve. *Rom.* Decimus modus eſt ſecundùm ſubjectionem & ſubordinationem, qualis eſt inter domi-

10 Secundùm ſubjectionem.

Digitized by Google

num, & servum; quòd Verbum Deus sit, & Dominus Christi, hîc autem tamquàm servus. At quomodò servus, cùm in ejus *nomine omne genu flectatur*; Et Thomas clamet: *Dominus meus, & Deus meus*? Nullo enim modo sit dominus potest cum servo componi, ut idem homo & dominus sit, & sui servus. Undecimus per subordinationem operationis, quatenùs ille homo operandi virtute ad agendum à Verbo incitatur. At ex agente, & organo, quod ab illo movetur, unum non conflatur. Nec Christus alienâ virtute, sed propriâ miracula patrabat; dicebat enim: *Volo, mundare. Imperabat ventis, & mari.* Et: *Virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Ultimus eam unionem invehebat, quæ est inter Apostolum, & eum, à quo mittitur; inter Sacerdotem, & eum, à quo inungitur. Dicebat ergo Nestorius, Christum dictum Apostolum, & Pontificem, quòd à Verbo mitteretur, & ungeretur. At sicut dixit Christus, *Alius est, qui seminat, alius, qui metit*; ità alius est, qui mittit Apostolos, & Sacerdotes consecrat; alius, qui mittitur, & consecratur. Undè colliges, Nestorium tam pertinaciter in dissuenda, & discindenda Christi unione satagentem, Patrum judicio, illum esse Antichristum, de quo Divus Joannes: *Omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est, & hic est Antichristus.* Nam manifestè scissionis auctor fuit, cùm modis omnibus, quos insanè excogitavit, fœdos separationis hiatus inter Deum, & hominem; divinitatem, & humanitatem; veram autem unionem nunquàm induxerit.

Phil. 2. 10. *Joan.* 20. 28.

11. Per subordinationem operationis.

Matth. 8. 3. 26. *Luc.* 6. 19.

12. Per unionem, quæ est inter missum, & mittentem.

1. *Joan.* 4. 3.

10. *Abass.* Ex nostratibus Theodosius, Deonaceos, & Athanateus: omnes Antiocheni; & ex Alexandrinis Gabriël, Philatheus, & Zacharias Jehah tradunt, unam in Christo esse Personam ex duabus compactam, quamquàm hic, num. 5. duas personas sine confusione impudenter in Christo esse nugetur. *Rom.* Censoriâ dignus animadversione videris, quòd tam paucos numeres. Omnes enim, qui docent, naturam idem esse cum persona; & contendunt in Christo esse unam substantiam ex duabus conflatam (quorum duces sunt Macarius num. 13. Athanateus num. 7. Mennas n. 13. Senuteon p. 1. num. 13. & Deonaceos p. 4. num. 13.) unam quoque personam ex duabus coalescentem inducere tenentur. Cui insaniæ valentissimi adversùs Nestorium bellatores, D. Cyrillus, Heraclis, & Theodotus constanter obstiterunt. Nam D. Cyrillus ubique negat, inter duas hypostases unionem naturalem dari posse, ità ut verè una persona cognominentur. Nam p. 20. num. 7. affert tertium Canonem Concilii Ephesini sæpè citatum: *Si quis dividit personas post unionem JESU Christi; & infert hoc per dignitatem, vel glorificationem, & non per unionem substantialem; anathema sit.* Sed meliùs in originali: *Si quis in uno Christo post unionem dividit hypostases, eáque dumtaxat conjunctione inter se nectit, quæ est secundùm dignitatem, vel auctoritatem, & potestatem; & non potiùs ea, quæ est secundum naturam em unionem: anathema sit.* Cui, quod ad unionis modum attinet, consentit idem Canon p. 51. num. 22. Ubi sanctus Doctor veram unionem inter duas hypostases non agnoscit, sed approximationis tantùm conjunctionem, tamquàm sutilem inter duos pannos lineæ nexum; inter duas tabulas commissuram, aut conglutinationem; & inter duos lapides incrustationem. Alibi: *Siquis dixerit, factam fuisse unionem in divisione personarum tantùm*, &c. Veriùs in autographo: *Non est dividendus in duos filios unus Dominus JESUS Christus. Proderit autem nullo modo rectæ Fidei rationi ità dicere, licèt personarum unitionem quidam divulgent.* Singillatim verò duobus locis in Exegesi ad Valerianum dicentes ex duabus hypostasibus unam personam subsultasse, acriter refellit. Dilucidè D. Heraclis: *Unus est Filius, & non dividuntur substantiæ in duas personas; sed mos horribilis facit duas personas unam personam.* Ubi nota, Divum Proclum non duas substantias damnare, sed earum divisionem.

Hæretici Alexandrini, & Antiocheni unam personam ex duabus faciunt.

Theodos. Antioch. n. 7. Deonac. p. 2. n. 9.

Athan. n. 6. Gabriël. n. 6.

Philat. p. 2. n. 6. Zachar. Jehah n. 2. D. Cyrill. ubique hunc errorem retundit.

P. 20. n. 7.

P. 51. n. 22.

P. 11. n. 3. ex Epist. 2. ad Nestorium.

D. Heraclis P. 5. n. 11.

11. *Abass.* Quemdam audivi eo testimonio utentem, ut probaret ex duabus personis unam fieri posse, & eum morem à D. Heracli horribilem, idest, sacrum, & religiosum appellari. *Rom.* Maturiùs veritatis ille decoctor saperet, si eum morem horribilem, hoc est, formidabilem, & execrabilem agnosceret; quo pacto Ægypti *tenebræ horribiles* in Exodo vocantur; & apud Prophetas *dies Domini magnus, & horribilis*; sic horribilis mos est, duas personas in unam conformare. Similiter enim dixit D. Cyrillus contra Nestorium: *Horribile est & illud dicere, quod ille, qui assumptus est, ei, qui assumpsit, coappellatur Deus.* Et infrà: *Magis autem conjunctionis nomen perhorrescimus.* Et p. 47. *Non est bonum dici, carnem terrenam perveniisse ad divinitatem per mutationem, quia hoc fieri horrendum est.* Ità planè horrendum est, unam personam ex duabus subsilire.

D. Heraclis contra protervos exponitur.

Exod. 10. 22. *Ioël.* 2. 31. *Malach.* 4. 5.

D. Cyril. Epist. 10.

P. 47. n. 68.

12. *Abass.* Quid Theodotus huc congessit? *Rom.* Non pauca testimonia. Oratione prima in Concilio Ephesino adversus eamdem belluam: *Ubi est, qui huic mysterio nominis unitatem affingit: unum Christum nominans, re ipsa autem duos ponens: alterum servum, alterum Dominum; alterum patibilem, alterum impatibilem? Quorsùm, si duæ res subsistunt, unum tantùm utrique nomen indimus?* Et Orat. 3. *Confitemur non duos, sed unum; non tamquàm unum dicamus, duplicem verò intelligamus. Neque enim oportet contrarium esse sermoni intellectum. Intelligimus duos, & confitemur unum. Quod enim dispensatione, & miraculo conjunctum est, id neque sermo separat, neque intelligentia. Si qua verò cogitatio separet; quod conjunctum est, dissolutum intellexit; & falsus evadit intellectus, separans utique, quod semper conjunctum est. Oportet ergo sermoni consentientem habere intellectum; unum dicere Christum, eumdem Deum,*

Theodoti Ancyrani optima testimonia. Orat. 1. de Nativit.

Orat. 3.

Digitized by Google

Deum, & hominem. Ergo unum intellige. Quòd ſi dixeris quidem unum, duos autem intellexeris, ſermoni tuo repugnantem habebis intelligentiam. Ne ergo dicas duo per aliquam differentiam ſeparata. Si enim unieris ſermone, ſenſu noli ſeparare. Si verò ſenſu ſeparaveris, unitatem negaſti. Ne ergo ad naturas diviſas orationem deducas, Deo ſummam mirificante unitatem.

Ex duabus perſonis una effici non poteſt.

13. *Abaſſ.* Cur, qui ex duabus perſonis unam facit, ſecundùm Theodotum, Chriſtum nomine tantùm unum, re autem duos commentatur? *Rom.* Cùm aliquid fit ex duobus, illud, quod fit, totum manet; illa, ex quibus fit, illius partes. Si ergo ex duabus perſonis in Chriſto fit una, duæ illæ totum eſſe deſinunt, & partes ſunt unius, quæ excitatur. *Oportet enim*, inquit Philoſophus, *id, ex quo aliquid fit, non permanere, ſed mutari.* Si verò partes ſunt, jam perſonæ non ſunt; quia perſona eſt quid totum completum, perfectum, & terminatum; ut oſtenſum lib. 2. cap. 8. à num. 3. Falsò ergo dicitur, fieri unam perſonam ex duabus, quia jam perſonæ ſtatum amiſerunt. Secundò, Unum ex multis, vel duobus fieri non poteſt, niſi unio intercedat; at inter duas perſonas nequit vera unio commeare. Nam vera unio ſolùm datur ex Philoſopho, ubi aliquid eſt inſtar potentiæ, aliud actûs vicem ſubit. Ex actu enim, & potentia unum conflatur, ut in phyſicis, ex materia, & forma; in hominibus, ex corpore, & anima rationali; ex membris, & corpore; cùm materia, corpus, & membra ſint potentia; anima, & forma ſint actus. At in duabus perſonis nihil eſt, quod ſubeat rationem potentiæ, cùm utraque ſit in actu; *actus autem ſeparet.* Illud verò in actu eſſe dicitur, quod habet propriam operationem, & à quovis alio ſeparatum eſt; quas duas proprietates quævis perſona nanciſcitur. Tertiò, & ultimò. Ex duabus rebus, quæ vel ultimatè, vel in certo genere ſint terminatæ (de quo egimus lib. 2. cap. 11. num. 2.) ſuum terminum ſervantibus, unum effici non poteſt ſub eodem, quo ipſæ cenſentur, nomine. Ut ex duobus palmis, & lapidibus, ſi duo maneant, unus reddi nullâ vi, vel arte poteſt; quia ſi duo redderentur, vigeret contradictio, ut ſimul eſſent unus, & non eſſent unus; eſſent duo, & non eſſent duo. Quod omninò contingeret, ſi ex duabus perſonis una pullularet; quæ una tantùm nomine, re autem duplex futura eſſet.

Ariſtotel. 7. Metaph. c. 7. text. 16.

Ariſtotel. 7. Metaph. cap. 13. text. 49. Fonſec. Ibidem.

Si ante unionem humana Chriſti perſona exiſtebat, purus homo eſſet: & Beata Virgo mater hominis, non Dei.

14. *Abaſſ.* Quod creatis viribus denegatur, Dei omnipotentiæ ne auferamus, ut unam ex duabus perſonam educat. *Rom. Illud, ex quo aliquid fit*, ſecundùm Philoſophum, *illius effectioni præexiſtit*; ut lutum amphoræ, ferrum gladio, aurum annulo. Si ergo in Chriſto facta eſt una perſona ex duabus, illæ duæ iſtius molitionem præcedere debuerunt. Ergo ante unius conflaturam in divinitate, divina; & in humanitate, humana perſona exultabat. Quis humanam iſtam produxit? Beatiſſima Virgo, an alia fœmina? Si alia; ad illam, non ad Beatiſſimam Virginem maternitatis Chriſti gloria referenda. Si Virgo Beatiſſima, triumphat Neſtorius; cùm Dei mater non ſit, nec Deum, ſed purum tantùm hominem divinæ poſteà perſonæ adventu honorandum effuderit: Quælibet enim perſona eſt ſubſtantia ſeparata, ut lib. 2. capite 8. num. 12. & ipſe Chriſtus, Deus natus non eſſet, ſed temporis progreſſu, juxta errorem Photini, & Apollinaris à nobis damnatum cap. 4. numero 10. Verbo unitus, ex homine in Deum proveheretur; Deuſque eſſet promotione, non naturâ. Si autem re ipſa duæ perſonæ illius, quæ una dicitur, conſtitutionem præceſſerunt; Quæro, an ambæ, vel aliqua illarum in ipſa unione extabuerit, vel ambæ incolumes perduraverint?

Si humana perſona in Chriſti humanitate præceſſit, illam Deus corrumpere poterat, non tamen divinam. *Pſal.* 101. 26. 27. 28. *Heb* 1. 12. D. Greg. Naz. Orat. 39. D. Cyril. p. 34. n. 22. & p. 55. n. 1.

15. *Abaſſ.* Supponamus, aliquam ex iis perſonis extabuiſſe. *Rom.* Verbi Perſona perire nunquàm potuit, de qua D. Paulus illud Davidicum interpretatur: *Opera manuum tuarum ſunt cœli: ipſi peribunt, tu autem permanebis.* Et infrà: *Tu autem idem ipſe es.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Dei Filius hominis quoque Filius & eſſe, & vocari ſuſtinet, non quod erat, immutans (neque enim mutationem admittit) ſed id, quod non erat, aſſumens.* Divus Cyrillus: *Verbum Dei non convertitur, neque mutatur.* Alibi: *Verbum Dei vivum eſt, immutabile, & inconvertibile à ſua ſubſtantia; quia Deus eſt, & habet Perſonam perfectum.* Sola ergo humana perſona, Deo vaſtante, perire poterat, cùm illi ſit in promptu rebus creatis plenitudinem, quam largitus ante fuerat, auferre; ſicut in duabus aquæ amphoris, ſi in unam conjiciantur, accidere lib. 2. cap. 8. num. 16. oſtendimus. Si autem illam abſtulit, priùs dederat; quia privatio habitum ſupponit. Si autem priùs vigebat humana in Chriſto perſona, recurrunt omnia incommoda, quæ ſuperiori numero aſſignavimus.

Se ipſum Deus negaret, ſi ex duabus perſonis unam efficere tentaret.

16. *Abaſſ.* Cùm igitur Dei omnipotentia maximè ex contrariorum poſitione innoteſcat, illi concede, ut unam perſonam ex duabus omninò immutatis excudat, ne impotentem noſtri arbitrentur. *Rom.* Docui lib. 4. cap. 1. num. 6. quædam Deum non poſſe, quæ ſi poſſet, non eſſet omnipotens; illa nempè, quæ admiſſa ipſius naturam everterent, aut veritatem dedecorarent; nam ex Paulo, *negare ſe ipſum non poteſt.* Et: *Impoſſibile eſt mentiri.* Naturæ enim ſuæ decoctor, & mendaciorum faber eſſet, ſi ex duabus perſonis in ſua incolumitate perſiſtentibus unam fruſtrà moliretur. Si enim ſunt duæ; ideò ſunt, quia Deus utriuſque eſt Creator, & conſervator; dum autem illas conſervat, ſuum eſſe tuentur; quo excidere non poſſunt, niſi ipſe ſuum retrahat concurſum. Si verò illas ſimul ut duas, & unam conſervaret, ſimul eſſet beneficii collator, & præproperus retractator; quia duæ eſſe non poſſent, niſi Deus unicuique ſuum auxilium impenderet; nec rursùs una, niſi illud ab aliqua ipſarum revocaret; quod alienum eſt ab ipſius ingenio. *Dat enim omnibus affluenter, & non improperat.* Improperaret

2. *Tim.* 2. 13. *Heb.* 6. 18.

Jacob. 1. 5.

Digitized by Google

raret autem, & suam naturam improperiis objiceret, si quid daret, & illicò præriperet.

Mendax etiam Deus esset, si idem tentaret.

17. *Abass.* Assequor, quo pacto se ipsum Deus negaret, si duas personas simul duas, & unam esse moliretur; quo tamen pacto mendaciorum esset architectus? *Rom.* Nihil Deus operatur, cujus effectionem verbum in ipsius mente non præcedat; *ipse* enim

Ps. 148. 5. *dixit, & facta sunt.* Si ergo Deus facit, ut sint duæ personæ, non potest non dicere in corde suo, sunt duæ; etsi, ut una tantùm sit; non potest etiam non asserere, unam esse. Si autem simul præstet, ut duæ sint una: & una duæ, sequitur, eum contradictoria simul affirmare; quia simul essent una, & non essent una; essent duæ, & non essent duæ, contra gemina illa axiomata eo loco stabilita: *Impossibile est idem simul esse, & non esse.* Et: *Impossibile est mentiri Deum.*

D. Greg. Naz. Orat. 36. *Nec enim Deus*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *efficere potest, ut quod est, non sit; & ut bis duo sint quatuor, & simul decem.* Si autem id aggredi tentaret, hilum non proficeret; sed id tantùm assequeretur, ut mendaciorum contextor putaretur. Ne ergo putes, probrosum esse Deo, si omnia, quæ contradictionem involvunt, efficere non possit; neque enim illum id arguit imbecillitatis esse mancipium, sed justissimum naturæ rerum à se conditarum, ac veritatis suæ propugnatorem.

CAPUT XIV.

Eutychetis hæresis, illiusque progressus describitur.

Eutycheti causa fuit errandi inter naturã, & personam differentiæ ignoratio.

1. *Abass.* Nestorio obtruncato, gladium hæresi Eutychianæ jugulandæ devoveto. *Rom.* Faciam libenter, cùm Lernæum, & fatale Æthiopiæ monstrum fuerit Eutyches Cœnobiarcha Constantinopolitanus, Valentini, & Appollinaris hæresum instaurator; non tam litterarum, quàm spectatæ simplicitatis opinione commendabilis; qui non infimum locum tenuerat inter eos, qui graviter adversus Nestorium Ephesini Concilii tempore decertaverant. Illi tamen accidit, quod teste D. Basilio,

D. Basil. Epist. 41. ad Maxim. evenire solet imperitis arborum consitoribus, & altoribus, cùm, ut plantam aliquam obliquè excrescentem corrigant, ità in aliam partem inflectunt, ut non rarò frangant. Sic Eutyches, ut Nestorium duas substantias seorsìm divulsas, & totidem personas in Christo somniantem plenè detestaretur, non solùm personæ cum Ecclesia Catholica, sed & substantiæ in eo confessus est unitatem; ex eodem cum Nestorio fonte suum errorem hauriens, & differentiam inter naturam, & personam non agnoscens; quia ut ille hallucinatus est credens, ubi sunt duæ naturæ, duas necessariò personas confessuras; sic iste, ubi unica datur persona, credidit, non posse duplicis substantiæ surculos turgescere.

Hæc hæresis est bellua septiceps, & deuûm cornuum. *Apoc.* 13. 1.

2. *Abass.* Istius hæresis ortum, & progressum indicato. *Rom.* Belluam se vidisse refert D. Joannes, *è mari ascendentem habentem capita septem, & cornua decem; & super capita, & cornua, nomina blasphemiæ.* Meritò belluæ hæresis Eutychiana comparatur, quia nihil in ea mite, nihil condocefactum; sed omnia in Catholicorum carnificinam, & animarum exitium efferata, & belluina. E mari dicitur ascendisse propter inconstantiam, & crebram errorum fluctuationem. Septem capita septem sunt potiora deliria Eutychetis. Decem cornua ramosa plures illius asseclæ moribus, & doctrinâ tortuosi. Nomina blasphemiæ diversæ sunt hæreses, quarum auctores ipsi, & alii eorum sequaces extiterunt. Primum ergo Eutychianæ hæreseos caput fuit, asserere in Christo ante unionem duas naturas viguisse. Secundum, in unione, seu Incarnatione duas illas naturas, unam factam. Qui duo errores patent ex Epistola Flaviani Patriarchæ Constantinopolitani ad D. Leonem, & ex actis Latrocinii Ephesini relatis in Concilio Chalcedonensi. Tertium, solam divinitatis naturam in Christo remansisse. Sic D. Leo Epist. 13. 14. 22. 52. 66. Quartum, eamdem divinitatis naturam passibilem fuisse. Idem Epist. 52. 62. 83. 97. Quintum, humanam naturam in divinam fuisse conversam, & mutatam. Sic Deonaceos Antiochenus, p. 1. n. 13. Sextum, corpus Christi phantasticum fuisse; quod erat consequens, si ab eo humana natura exulabat. Sic Theodosius, Severus, & Deonaceos. Septimum, Christi corpus non fuisse hominibus, neque Beatæ Virgini consubstantiale; & per eam quasi per canalem, quin aliquid ex ea sumpserit, transiisse. Sic Flavianus in superiori Epistola, & acta prædicti Conciliabuli. Quibus assertionibus Eutyches totum Incarnationis mysterium ità eludebat, ut Flaviano suæ Fidei confessionem ab eo exigenti decurtatum Symbolum obtulerit, illis verbis mutilatis: *Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria Virgine.*

Prima hæresis Eutychetis. Secunda. Inter Epist. D. Leonis Epist. 8. & 9. Concil. Chalcedon. act. 1. Tertia. Quarta. Quinta. Sexta. Theodos. Alex. p. 2. n. 17. Severus. p. 1. n. 21. Deonac. Antioch. p. 1. n. 13. Septima. Flavian. in Epistola superiori. Concil. Chalcedon. act. 1.

3. *Abass.* Quod primum fuit istius belluæ cornu? *Rom.* Dioscorus Patriarcha Alexandrinus, qui nullam ipse hæresim procudit, sed nefanda Eutychetis dicta, & gesta imperialis, & popularis auræ captandæ gratiâ approbavit, & propugnavit. Undè tibi in proclivi fuerit, Alexandrinorum, & Antiochenorum levitatem, & inconsiderantiam deridere, qui cùm, locis suprà adductis, Eutychetem ut hæreticum fugillent, Dioscorum tamen, ut sanctitate conspicuum venerentur; nec illam Apostoli sententiam perpendant: *Qui talia agunt, digni sunt morte:* Rom. 1. 32. *Et non solùm, qui ea faciunt, sed etiam, qui consentiunt facientibus.* Imò in ipsum gravior culpæ portio recurrit; futurum enim erat, ut Eutychetis furor tepesceret, aut sopiretur, nisi Dioscorus auctoritatis suæ fomitem illi subjecisset. Tumultuati enim in Dioscori gratiam Alexandrini, eam sectam induxerunt

Primum Cornu Dioscorus. Baron. to. 6. an. 449. D. Joannes Damas. lib. de hær. V. Ægyptii.

Digitized by Google

duxerunt, quæ dicta est Ægyptiorum, seu corrupto vocabulo, Cophtorum,

Secundum.

4. *Abass.* Quodnam secundum? *Rom.* Secundum cornu quadrifidum erupit: Timothei Æluri, Patriarchæ Alexandrini; Petri Mogi, ipsius successoris; Petri Gnaphei Antiocheni, & Philoxeni (qui alio nomine dictus est Xenaias, à Timotheo in Episcopum Hierapolitanum electus) petitionibus formidandum. E quibus prior sæpissimè grassatus in Proterium, & cæteros Catholicos, ipse sibi tandem mortem veneno conscivit. Sub secundo Acephali Alexandriæ cœperunt, de quibus lib. 7. c. 24. num. 3. Tertius passionem in omnes Trinitatis personas invexit, solemni trisagio: *Sanctus Deus, sanctus fortis, sanctus immortalis:* Addens: *Qui passus es pro nobis.* A quo, sequacibus ideò nomen inditum Theopaschitarum, idest, Deum passibilem dicentium, quorum meminit Theodosius Alexandrinus; Et aliorum antiquiorum, qui dicti sunt Theomachi, Divus Agnateus. Posterior caput fuit Iconoclastarum; quia primus Sacris Christi, Beatissimæ Virginis, & Sanctorum imaginibus omnem venerationem abrogavit.

Baron. to. 6. anno 457. & 474. & 482.

Theodos. p. 2. D. Ignat. p. 1. Baron. ibid. an. 485.

3. Julianus, & Cayanus, & Barsanius.

5. *Abass.* Quodnam tertium? *Rom.* Tertio cornu bestia quasi telo tricuspide desæviit: Juliano, Episcopo Halicarnassæo incorruptibilium auctore; quòd Christo corpus incorruptibile adscriberet; Gaiano (qui Theodosio Alexandriâ pulso suffectus) ejusdem erroris; & tandem Barsanio, consectatoribus; de quibus capite 7. numero 16.

Baron. tom. 7. an. 519.

4. Severus, Theodosius, Timotheus, & Conon. Baron. to. 7. an. 513. 518. 535. 536.

6. *Abass.* Quodnam quartum? *Rom.* Quartum Cornu Severo Episcopo Antiocheno, Acephalorum anteà dispersorum collectore: Theodosio, Timotheo, & Cononе Alexandrinis quadrisulcum evasit. Severus ob infamia scelera Antiochiâ fugatus Alexandriam se recêpit, & in ea hæresim Corrupticolarum, de qua suprà cap. 7. numero 16. (asserentium, Christi corpus inevitabili necessitate corruptioni subjacere) instituit; Cui tres sequentes se cum toto suo Satellitio adjunxerunt. Et illa quatuor sunt cornua, de quibus Zacharias: *Hæc sunt cornua, quæ ventilaverunt Judam*, idest, Ecclesiam *per singulos viros.*

Zach. 1. 21.

5. Themistius cum Petro ab Apamea. Baron. to. 7. an. 519. 535.

7. *Abass.* Quodnam fuit quintum? *Rom.* Quintum cornu bipartitum fuit in Themistium Alexandrinum Theodosii Diaconum, & Petrum ab Apamea. E quibus ille, ut Christum corruptioni, sic etiam ignorantiæ obnoxium dicebat; ideóque institutor fuit hæresis Agnoitarum, de qua suprà cap. 9. numero 19. Iste conservatâ nefarii Dioscori effigie, cæterorum Divorum imagines altaribus deturbavit. Sextum, Anthimus Patriarcha Constantinopolitanus, qui exteriùs ovinâ pelle Romanam Sedem, quasi verus Catholicus fefellit, cùm intùs, ac totus lupus esset Eutychianus. Septimum, Joannes Philoponus, Philosophus, seu, ut alii malunt, Grammaticus Alexandrinus, qui, ut docet Cyriacus in sua epistola, tres

6. Anthimus. Baron. to. 7. an. 535. 536.

7. Philoponus. Baron. to. 7. an. 535. Cyriac.

divinitates, ac deos prædicabat; Et ideò auctor habetur Tritheitarum; nec non Monophysitarum; quia & primus omnium unam in Christo naturam ex duabus compositam est commentus.

8. *Abass.* Quodnam octavum? *Rom.* Cornu istud in quatuor est mucrones exacutum: Cyrum Patriarcham Alexandrinum, Sergium, Paulum, & Pyrrhum Constantinopolitanos Monothelitarum antesignanos; qui ut unam tantùm Christo naturam, sic unam voluntatem assignârunt. Nonâ lunâ, & penitùs exitiabili natus est Jacobus, à Syris gentilibus suis dictus pro deridiculo Zanzâlus; in quem, veluti in sentinam, Severi, Theodosii, Themistii, Petri Gnaphæi, Philoponi, & aliorum Hæreticorum fæces confluxerunt; & sibi, ac suis Jacobitis (quorum fit mentio apud Joannem Antiochenum, eóque nomine Zacharias Jehah impudenter gloriatur) ex versi colo ribus omnium errorum centonibus, eam tunicam consarcinavit, de qua David: *Induit maledictionem sicut vestimentum*; Et infrà: *Fiat ei sicut vestimentum, quo operitur, & sicut zona, quâ semper præcingitur.*

8. Monotelitæ. Baron. to. 8. an. 629. 630. 633. 681.

9. Jacobus Syrus. Baron. to. 7. an. 535.

Joan. Ant. p. 2. n. 2. Zachar. n. 1. 11. 12.

Ps. 108. 18. 19.

9. *Abass.* Quod ultimum frementis, & sanguinem semper anhelantis belluæ caput? *Rom.* Ille gurges, illa vorago, illud mundi barathrum Mahometus; qui Christianam priùs religionem coluit à Sergio Monacho corruptore Monophysitarum fallaciis mancipatus, ejusque posteà consilio se Prophetam à Deo missum anno salutis humanæ sexcentesimo vigesimo octavo mentitus, infamem sectam condidit fabulis scatentem, & popello carnis licentiâ blandientem; cujus plausu Arabiæ primò regnum invasit, & deinceps tanto furore suum ignem in varias Provincias disjecit, ut à D. Joanne Damasceno, qui non multò post in Sina Arabiæ monte sanctam, & admirabili doctrinâ excultam vitam egit, dictus fuerit Præcursor Antichristi. Undè noris, cum secta Eutychiana vastitatem in mundum erupisse.

10. Cornu Mahometus. Baron. to. 8. an. 629.

D. Joan. Damasc. lib. de hær. in fin.

CAPUT XV.

Ostenditur, falsò Eutychetem docuisse, Christum duas naturas ante unionem habuisse.

1. *Abass.* Cùm primum belluæ Eutychianæ caput fuerit ventosa duarum naturarum in Christo ante unionem architectatio, illius eversionem invadito. *Rom.* Immane quantùm à veritate dissideat vecors ista contra rationem, Patres, & Sacram paginam commentatio. Quam levi halitu difflabis, si mente volvas, quod dictum est cap. 3. num. 1. 2. & 3. & cap. 6. num. 6. & cap. 7. num. 9. & 10. Beatissimæ Virginis uterum fuisse unionis duarum naturarum officinam; & Verbum non aliundè, quàm ex ea carnem mutuatum; *quia Deus Verbum*, ait

Cùm unio facta fuerit in utero B. Virginis, ante illam Christus duas naturas habere non potuit.

Digitized by Google

ait Divus Athanateus, *unitus est, quandò induit carnem honorabilem.* Quo cæmento jacto, tribus rationibus hunc errorem labefactabo. Prima sit. Si Christus ante unionem habuit duas naturas; antequàm in augustissimam Virginis Matris alvum illaberetur, nactus est non solùm divinitatem (de qua non potest esse controversia) sed etiam humanitatem; proindéque jam tunc, & Deus, & homo fuit. Si jam tunc homo erat, quorsùm, ut homo fieret, in terram descendit? Quorsùm immaculatæ Virginis fit mentio, si carnem, quam ab ea quærebat, anteà habebat? Vel si à principio illam ab ipsa accepit, à principio etiam fuerat illius nomen inculcandum. Quod est validissimum D. Irenæi, Athanatei, & Aforosii, de quo cap. 16. n. 5. argumentum. Quid opus illi erat unione, qui divinitatem, & humanitatem ante illam unitas possidebat? Si dicas solum corpus, vel solam animam, seclusâ ipsorum unione, tunc induisse, non solùm in hæresim Apollinaris, & Origenis damnatas capite 7. numero 6. & cap. 8. num. 16. incidisti, sed id, quod probare nitebaris, nempè Christum duas naturas ante Incarnationem circumtulisse, pernegasti; cùm nec anima sine corpore, nec corpus sine anima perfectum humanæ naturæ gradum sortiatur.

D. Athan. p. 15. n. 44. D. Ambros. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6.

Si Christus habuit duas naturas ante Incarnationem, non venit in consummatione seculorum. Galat. 4. 4. Hebr. 9. 26.

2. *Abass.* Quæ secunda est ratio? *Rom.* Si Christus ante Incarnationem duarum naturarum surculus gemmavit; vel eos habuit ab æterno; vel ab aliquo tempore signato; vel saltem aliquo momento antequam uteri Beatissimæ Virginis Sacrarium dedicaret. Si homo fuit ab æterno, mendax est Paulus, qui dixit: Deum, *cùm venit plenitudo temporis, Filium suum factum ex muliere misisse; ipsumque semel in consummatione seculorum apparuisse.* Si aliquo tempore, nobis quodnam illud fuerit, demonstretur. Sed quodcumque tempus, vel momentum assignetur, quod carnis ex sanctissima Virgine assumptionem præcedat, quæro, à quo sit edita illa humanitas: à solo Deo, an etiam ab aliqua fœmina? Si à solo Deo, matrem ille homo non habuit super terram, sicut & Adam; cùm tamen Christus matrem in cœlo, & patrem in terra ignoret, ut capite 3. numero 12. Si ab aliqua matre; cùm hæc Beata Virgo non fuerit, quæ illum adhuc non conceperat; nec ipsa Dei, imò nec hominis genitrix; nec ille Dei Filius, sed purus homo crederetur. *Confundantur*, inquit Divus Athanateus, *qui arbitrantur, Verbo carnem fuisse, antequàm incarnaretur ex sanctissima Virgine Maria.* Nec verò ipse *se exinanivisse, & humiliasse*, sed potiùs exaltâsse diceretur, cùm ex insita ignobilitate ad Verbi æqualitatem perveniret. Sic enim ratiocinatur Divus Cyrillus; & exinanitionem exponit *hominum similitudinem, quam priusquàm homo fieret, secundùm naturam suam non habebat.*

D. Athan. p. 15. n. 113. Nec se exinanivit, & humiliavit.

D. Cyril. lib. ad Reg.

3. *Abass.* Optimæ isti rationi tertiam subjunge. *Rom.* Si duæ ante unionem Christo naturæ, duæ etiam secundùm Eutychetem (qui personam à natura non discernit) personæ affuerunt, & ipse Nestorium defugiens in ipsius est placita relapsus; si verò tunc humanitas propriam personam bajulavit, meri hominis cancellos Christus non transcendit; & posteà ad divinam æqualitatem convolavit, contra id, quod statutum fuit cap. 4. numero 10. & 14. Si verò tunc humanitas non in propria, sed in Verbi persona conquievit, nullum erit inconveniens, si in eâdem post unionem recumbat; & nunc etiam duæ in Christo naturæ efflorescant. Quod si ità factum, multò ante unionem Incarnationis mysterium perfectum fuit; nec in illius exhibitione mundo novitas illa affulsit, de qua Jeremias: *Novum creavit Dominus super terram: Fœmina circumdabit virum.*

Si Christus, subjunge.

juxta Eutychetem, habuit duas naturas ante unionem, duas etiam personas habuit.

Jer. 31. 22.

4. *Abass.* Quid de hac re Patres sentiunt? *Rom.* Omnes conveniunt, divinam naturam tantùm Verbo ante Incarnationem adfuisse. Quod probant ea testimonia, quibus lib. 2. cap. 14. num. 5. & hoc lib. cap. 7. num. 6. probavimus, Verbum carnem nec à principio, neque ante unionem habuisse. Ultra quæ ait D. Agnateus: *Habetis Medicum JESUM, ante secula Unigenitum, & Verbum; posteà verò hominem factum ex Maria Virgine; Verbum enim caro factum est; incorporeus in corpore.* D. Athanateus: *Joannes dixit: In principio erat Verbum. Quid autem dicturus erat? In principio erat homo? At illud minimè in illum congruebat, neque verum erat.* Alibi: *Christus factus est Verbum, cùm Deus esset antequàm homo.* D. Abolidis: *Non separatur Verbum à carne in substantia sua divina, quæ erat ante humanitatem.* D. Hilarius: *Natus Unigenitus Deus ex Virgine homo, & secundùm plenitudinem temporum in semetipso provecturus in Deum hominem, hunc per omnia Evangelici sermonis modum tenuit, ut se Filium Dei credi doceret, & hominis Filium prædicari admoneret.* Infrà: *JESUS Christus, & homo, & Deus. Et neque cùm homo, tunc primùm Deus.* D. Gregorius Nazianzenus: *Est primus, & novissimus; quia est Deus, & Verbum ante humanitatem suam; & postquàm incarnatus, & natus est ex Virgine, est idem.* Alibi: *Id, quod erat, vacuavit; id, quod non erat, assumpsit.* Alibi: *Hic, quem nunc aspernaris, quondam supra te erat; qui nunc homo est, compositionis expers erat.* D. Heraclis: *Deus Verbum, qui factus est homo.* Alibi: *Homo secundùm veritatem dicitur Christus; sed homo factus est, quod priùs non erat, nisi tantummodò Deus.* Theodotus Ancyranus: *Hoc, quod erat permanens; assumpsit, quod non erat.* D. Aforosius: *Hoc in se obtulit Christus, quod induit; & induit, quod ante non habuit.* D. Augustinus: *Deum verum verum hominem fuisse non ambigamus; non enim amisit, quod erat, sed capit esse, quod non erat, ut perfectus sit in suis, & verus in nostris.* D. Cyrillus: *Antequàm homo esset, habebat perfectam gloriam divinitatis in sua substantia.* Alibi: *Verbum erat, antequàm nasceretur ex Virgine in carne.* Alibi: *Quandò*

Patres unam tantùm naturam in Christo ante unionem agnoscunt.

D. Ignat. Epist. 14. ad Ephes. Joan. 1. 1. 14.

D. Athan. Orat. 3. contra Arianos. Lib. de Incarnat. Christi.

D. Abolid. p. 1. n. 34.

D. Hilar. lib. 9. de Trinit.

D. Gregor. Naz. p. 1. n. 34. Apoc. 1. 18.

Orat. 34.

Orat. 35.

D. Heraclis p. 1. n. 4. & in Epist. ad Armen.

Theodot. Orat. 1.

D. Ambros. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6.

D. August. Serm. 125. de Tempor.

D. Cyril. p. 5. n. 7. P. 47. n. 22. P. 48. n. 6.

sumpsit

Digitized by Google

sumpsit humanitatem ex muliere, & factus est
P. 50. n. 1. *caro sicut nos, permansit in propriis.* Alibi:
In Scripturis, quæ sunt Dei verba, antequàm
Hebr. 1. 3. *ipse homo esset, dicitur lux, imago Personæ*
Patris, & alia similia; & postquàm factus
P. 51. n. 16. *est homo, dicitur Christus, IESUS, altare,*
& pacificator. Alibi: *Antè quidem, cùm*
Verbum nondum factum esset homo, sine carne
erat; postquàm autem incarnatum est, est Deus,
P. 55. n. 71. *& homo simul.* Alibi: *Ego primùm homo non*
eram; sed illud tantùm, quod convenit sub-
stantiæ divinitatis. Quibus ex testimoniis colliges, unam tantùm divinitatis naturam Verbo ante unionem ab æterno astitisse.

Prophetæ de Christo, & ipsius mysteriis, tam quàm de re futura sunt vaticinati.

5. *Abass.* Si qua tibi suppetunt ad tuam sententiam roborandam Sacrorum librorum testimonia, illorum præparcus ne existas? *Rom.* Ex Veteri instrumento pauca seligam, in quo plerumque de Christo, tamquàm de re futura sermo inseritur; ut in Genesi: *Salutare tuum expectabo Domine.* Gen. 49. 18. Isaïas: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium.* Isai. 7. 14. Jeremias: *Fœmina circumdabit virum.* Jer. 31. 22. Et ne sim longior, de Prophetis omnibus ait Divus Paulus: *Quod antea promiserat per Prophetas* Rom. 1. 2. 31. *suos in Scripturis sanctis de Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Prior ergo fuit promissio, eámque posteà secuta est in temporis plenitudine rei pollicitæ repræsentatio. Et Divus Petrus: 1. Petr. 1. 10. 11. *De qua salute exquisierunt, atque scrutati sunt Propheta, qui de futura in vobis gratia prophetaverunt; scrutantes in quod, vel quale tempus significaret in eis spiritus Christi, prænuntians eas, quæ in Christo sunt, passiones, & posteriores glorias.* Futuram gratiam Apostolus Christi adventum appellat; de Messia enim Hebræi omnes tanquàm de re futura loquebantur. Undè illa interrogatio: *Tu es, qui venturus es, an alium expectamus?* Matth. 11. 3. Et illa assertio: *Hic est verè Propheta, qui* Joan. 6. 14. *venturus est in mundum.* Quæ phrasis ità in Scripturis est usitata, ut Divus Paulus, se adhuc sub lege concludens, Christum, qui jam sui corporis hostiam in Cruce obtulerat, vocet. *Pontificem futurorum bonorum;* Heb. 9. 11. cujus miracula, Resurrectionem, & Ascensionem Petrus dicit posteriores glorias; posteriores, scilicet, comparatione illius, quæ ab æterno ante Patrem radiavit, de qua ipse per Zachariam: *Post gloriam æternæ,* Zach. 2. 8. scilicet, generationis, *misit me ad gentes* carnis amictum operimento. Et tam priorem illam, quàm posteriores glorias ipse Patri recenset, cùm ait: *Clarifica me Pater* Joan. 17. 5. *claritate*: Vester textus: *Glorifica me Pater ea gloria, quam habui, priusquàm mundus esset, apud te.* Et per Vatem: *Ego ipse, qui* Isai. 52. 6. *loquebar, ecce adsum.* D. Cyril. lib. de Incar. cap. 2. *Locutus est*, inquit Divus Cyrillus, *per Prophetas, ut incorporale adhuc Verbum; advênit autem corporaliter.*

Novi Testamenti testimonia. Joan. 1. 1.

6. *Abass.* Aliquid etiam ex novo Testamento delibato. *Rom.* Hinc aquilina Joannis pluma, & acumen auspicatur: *In principio erat Verbum: & Verbum erat apud Deum, & Deus erat Verbum.* Sed non contentus tantâ perspicuitate, adjecit: *Hoc erat in principio apud Deum.* Quorsùm tanta expressio, & prædictorum confirmatio? Ut hominibus firmam fidem ingerat, Verbum ab initio sinceram tantùm Patris cogitationem sine carnis admistione resplenduisse. Nam *antequàm Christus in mundum veniret*, inquit Divus Gregorius Magnus, *homo non erat*, D. Greg. Magn. lib. 9. Epist. 61. *sed Verbum Patris, & Deus verus.* Donec tempus illud accessit, in quo *Verbum caro factum est.* Et in principio prioris Epistolæ: 1. Joan. 1. 1: 1. Joan. 1. 2. *Annuntiamus vobis vitam æternam, quæ erat* 1. Joan. 5. 20. *apud Patrem, & apparuit nobis.* Vita æterna Joan. 1. 18. est Filius, de quo infrà: *Hic est verus Deus,* 2. Joan. 7. *& vita æterna.* Erat autem *apud Patrem*, seu *in sinu Patris*, dum corpore vacabat; cùm autem illo se obtexit, tunc *apparuit nobis.* In secunda Epistola: *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, JESUM Christum venisse in carnem; hic est seductor, & Anti-Christus.* JESUM Christum in carnem venisse non confitetur, qui dicit, eum duas naturas ante unionem gestâsse. Si enim humanæ naturæ jam tunc compos erat, non in carnem venit, sed in carne, sicut & in divinitate. Nam qui Romæ est, vel Jerosolymæ, non dicitur Romam, vel Jerosolymam venire; Sed qui aliundè ad easdem accedit. Divus Joannes Chrysostomus. *Qui non habet carnem,* D. Joan. Chrysost. p. 14. n. 4. *venit in carnem sanctam, & illam non inquinavit, sed amplius mundavit.* Vide D. Deona- D. Dionys. de Divin. ceon Areopagos infrà cap. 24. num. 20. 24. nom. cap. 1. 26. Seductor ergo, & Antichristus fuit Eu- Epist. 4. ad tyches, qui, ne Christus in carnem veniat, Cajum. duas naturas ante unionem in ipso somniavit.

Testimonia D. Pauli.

7. *Abass.* Sùntne alia testimonia superioribus similia? *Rom.* Pro infinitis tria Divi Pauli sufficiant. Primum ex secunda ad Corinthios: 2. Cor. 8. 9. *Scitis gratiam Domini nostri JESU Christi, quoniam propter nos egenus factus est, cùm dives esset, ut illius inopia vos divites essetis.* En illum priùs divitem opulentiâ divinitatis, & posteà egenum exilitate humanitatis. Divus Athanateus: *Ille priùs, ut* D. Athan. lib. de Humana. Nat. cont. Apol. *Deus, opulentus; postmodùm inops factus est,* De Salut. Christi adv. cont. Apoll. *ut homo nobis omnibus similis redditus.* Alibi: D. Greg. Naz. Orat. *Quomodò Dei Verbum pauper esse potuit? In-* 38. de Nativit. *dè nimirùm, quòd pauperrimam naturam as-* P. 5. n. 13. *sumpserat.* Divus Gregorius Nazianzenus: Theodot. Ancyr. Orat. 3. *Qui locupletes alios fecit, eget; carnis enim* D. Cyril. *meæ paupertatem subjit.* Quæ verba in vestro p. 52. n. 10. libro p. 5. non ità rectè sunt exarata. Theodotus Ancyranus: *Qui dives erat divinitate, pauper fit humana paupertate.* Divus Cyrillus: *Qui dives est in divinitate, factus est pauper propter nos voluntate sua. Humanitas autem valdè pauper est.* Infrà: *Si hominis substantia à principio esset, quomodò ergo dicitur, ipsum pauperem factum esse semel secundo? Hoc dicere convenit de unigenito Filio Dei, quòd pauper factus sit propter nos, factus sicut nos, cùm dives esset.* In eodem libro: *Nequaquàm huc evecti essemus, nisi dives ut Deus, pauperem, atque inopem naturam nostram induisset. Neque enim homo, cùm suapte natura pauper sit, inops fieri rectè dicitur.* Pannosus ergo Eutyches similem sibi Christum finxit, etiam antequàm illum

Digitized by Google

Beata Virgo pannis & amoris, & egestatis suæ indicibus obvolvisset.

Secundum ex Epist. ad Philippenses. Cap. 2. 7.

8. *Abass.* A secundo testimonio, si superiori par sit, ne abstineto. *Rom.* Illud contra omnia belluæ capita, & cornua falcatus est gladius: *Qui cum in forma Dei esset*, inquit Apostolus, *non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens.* Divus Thomas: *Ait, cùm in forma Dei esset; ergo prius in forma Dei erat, quàm formam servi acciperet, quâ minor est Patre; quia non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Patri.*

D. Thom. ibidem in comment.

D. Greg. Thaum. P. 3. n. 23.

Divus Gregorius Thaumaturgus: *Siquis dixerit de carne Christi, quòd existebat prius cum divinitate ipsius; & non credit, ipsum fuisse in forma Dei, qui erat ante mundum; & posteà tempore novissimo caput suum voluntate sua inclinasse, & sumpsisse sibi formam servi, sicut scriptum est; anathema sit.* Divus Athanateus: *Ipse Deus in carne, qui sumpsit formam servi.* Alibi: *Cùm esset Deus, homo factus est, ut salvet credentes in hominis forma.* Divus Cyrillus: *Formam servi accepit, cùm esset in gloria; quia Dominus est, & non servus, qui exaltetur ad gloriam Domini; sed accepit formam servi, cùm esset in una æqualitate cum Patre. Nec factus est homo prius, & posteà invenit divinitatis divinitatis.* Alibi: *Cùm esset omnium Dominus in substantia divinitatis suæ, descendit, & induit formam servi.* Alibi: *Relicta excellentia homine majore, ad hoc, ut homo fieret, descendit.*

Phil. 2. 6.

D. Athanat. P. 1. n. 38. Lib. de Incarnat. Christi.

D. Cyril. P. 5. n. 9.

P. 5. 1. n. 64. Epistol. ad Monach. Ægypti.

Exinanitionis vis expenditur.

9. *Abass.* Numquid ad idem institutum probandum vim aliquam habet illud verbum, *Exinanivit semetipsum? Rom.* Incredibilem habet efficaciam. Nam plenum, & inane secundùm D. Thomam opponuntur, cùm non detur inanitas, nisi ubi anteà fuit plenitudo. At in Verbo Patri placuit, *omnem plenitudinem inhabitare*, & indè in omnes redundare. Ergo, cùm Christus dicitur exinanitus, anteà divinitate exundans indicatur. Non tamen, quòd illam à se abjecerit, & in totum abdicaverit, sed quòd *tota divinitas toti humanitati, non pars parti sit copulata*; Sic enim interpretatur Elias Cretensis illa verba D. Gregorii Nazianzeni: *Huc tendit exinanita deitas.* Et illa: *Id, quod erat, vacuavit; id, quod non erat, assumpsit.* Et illa: *Qui plenus est, vacuatur, & exhauritur, ut plenitudinis ipsius ego particeps efficiar.* Divus Heraclis: *Exinanire se voluit, formam servi accipiens, nullam tamen circumscriptionem suæ deitatis admittens.* Divus Cyrillus: *Non prius vacuus fuit, & posteà ad perfectionem ascendit; sed cùm esset Deus in gloria ineffabili, humiliatus est.* Alibi: *Quomodò exinanitus est, si secundùm naturam homo existens, nostro more ex muliere natus est?* Alibi: *Quis ille est, qui semetipsum exinanivit? Nam si, ut illi statuunt, est homo per se seorsùm, quomodò, aut qua ratione in exinanitionem dejectus est?* Igitur duo verba superiora egregiè ostendunt, Christum antequàm homo fieret, solius divinæ naturæ sublimitate fuisse decoratum.

D Thom. in cap. 2. Epist. ad Philip. Coloss. 1. 19. & 2. 9. Ioan. 1. 16.

D. Greg. Naz. Orat. 1. Ubi Elias Cretens. Orat. 31. Orat. 38. D. Procl. Epist. ad Armen. D. Cyril. P. 5. n. 7.

Epist. ad Monach. Ægypti. Lib. ad Reg.

Tertium ex

10. *Abass.* Tertium ne supersedeas adjungere. *Rom.* Christum in mundum ingredientem (quem ingressum in conceptione factum docui capite 7. numero 1.) Patri dixisse: *Corpus aptasti mihi*, refert Divus Paulus. Quod apertè demonstrat, eatenùs illi humanam naturam non adfuisse; Et inferiùs addit: *Quam initiavit nobis viam novam, & viventem per velamen, idest, per carnem suam.* Novam ergo sibi viam, nec anteà tritam Verbum constravit; imò novum viæ nomen ipse comparavit, cùm factus est homo. *Ipse enim*, inquit Divus Athanateus, *est via, quæ ad Patrem ducit. Via nimirùm corporeum quiddam est, quod visui subjacet; quod est ipse Dominus homo.*

Epistola ad Hebræos.

Heb. 10. 5. 6. Hebr. 10.

Ioan. 14 6.

D. Athan. in Expos. Fidei.

11. *Abass.* Non pauca Scripturæ testimonia, quæ toto hoc Opere attigisti, innuunt Verbum, antequàm mundus crearetur, & post illius molitionem, multò ante Beatæ Virginis nativitatem, & ipsius Verbi ex eâ conceptionem, corpus sibi adseruisse, duabúsque proindè naturis germinâsse. Hinc est, quòd Sapientia dicit: *Dominus creavit me in initio*, seu juxta vestros Codices, *principium viarum suarum*; quòd ipse nominatur *primogenitus omnis creaturæ; primus, & novissimus; Agnus ab origine mundi occisus; ante Abraham, & Ioannem factus; qui est, & qui erat; heri, & hodie. Rom.* Nullum ex hisce testimoniis sanctorum Patrum libros volutantibus terrorem incutit. Nam aliqua ex illis, juxta Canones cap. 27. tradendos (qui omnia, quæ de Christo in Scripturis dicuntur, uni Personæ applicant, sed juxta naturarum diversitatem distinguunt) divinæ Personæ, ac naturæ antiquitatem exprimunt; qualia sunt, *qui erat*; quòd ipse fit *primus*; quòd *hesternus*, quòd ante *Abraham.* Quæ autem creationem, sivè effectionem indicant; cujusmodi sunt, *Creavit me in initio; primogenitus omnis creaturæ*; & *Agnus ab origine mundi occisus*; non temporis, sed dignitatis, & prædestinationis primatum important; quia Christi Incarnatio fuit scopus, in quem divinus intellectus Caput hominum, & Angelorum ipsum constituens primùm collimavit; & plerumque primum est intentioni, quod ultimum executioni; Et quod à Deo præordinatur, non minùs certum, & fixum permanet, quàm si jam fuisset anteactum. Ideò dictum: *Creavit me*: Et *Agnus, qui occisus est ab origine mundi.* Nam quomodò creatus, & cæsus, si nondùm natus? Sed creatus, & cæsus in Dei præordinatione. Hic enim est Agnus, *qui à Deo præcognitus fuit ante mundi constitutionem*, ut ait Divus Petrus, *manifestatus autem novissimis temporibus*; atque ità fuit primus in præcognitione, novissimus in manifestatione. *Alioquin*, si jam ante mundum, vel ab illius primordiis existeret, *oportebat eum*, secundùm Paulum, *frequenter pati ab origine mundi*; cùm semel tantùm in illius consummatione sanguinem profuderit. Prætereà, omnia illa propheticè dicuntur; Prophetis autem, quod futurum est, pro transacto reputatur. De quo dixi abundè libro 1. capite 1. numero 10. & 11. Illud autem

Explicantur Scripturæ loca, quæ contrarium innuunt.

Prov. 8. 22. Col. 1. 15. Apoc. 1. 17. & 22. 13. Ioan. 1. 30. & 8. 58. Apoc. 1. 8. Heb. 13. 8.

D. Athan. Orat. 3. contra Arianos. D. Cyril. lib. 5. Thes. cap. 8.

1. Petr. 1. 20.

Heb. 9. 26.

Joannis

Digitized by Google

Joannis Baptistæ : *Post me venit vir, qui ante me factus est*, non significat, Christum conditum ante Joannem, sed ipsi, cùm esset tempore posterior, antelatum. Nam cùm Angelus Sanctissimæ Virgini de futuro dixit : *Ecce concipies, & paries* : de ipsius matre de præterito adjecit : *Elisabeth cognata tua concepit filium in senectute sua, & hic mensis est sextus.* Sic ergo ante factus, sicut de lapide angulari dictum fuit : *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes, hic factus est in caput anguli.* Undè, cùm Joannes dixisset ; *qui ante me factus est*, addidit : *quia prior me erat* ; quasi causam reddens, ideò sibi prælatum, quòd prior esset æternitatis prærogativa.

Joan. 1. 30.

Luc. 1. 31.

Luc. 1. 36.

Ps. 117. 22.

CAPUT XVI.

Confutatur secundus error Eutychetis asserentis, in unione factam esse unam naturam ex duabus.

Hujus erroris membra dividuntur.

1. *Abass.* Validiùs fabuloso Hercule primum Eutychianæ belluæ caput detruncasti : machæram nunc distringe in secundum, quod protervè sibilat, in unione unam redditam naturam ex duabus. *Rom.* Cùm nefas sit, inauditâ causâ quemquam damnari, antequàm aliis nitar probationibus, audire vellem ex Eutychete, vel alio ipsius vicario, quænam sit illa natura, quæ una est reddita ex duabus in unione ? Num sit tertia quædam ex ambarum commistione resultans, quæ nec divina sit, neque humana ? Num solùm divina ? Num solùm humana ? Num simul divina, & humana, quæ sit eadem numero substantialiter, & adæquatè ? Num diversa numero, sed eidem æqualis, & consubstantialis ? Nec enim video, quid ultra hanc quadripartitam divisionem possit excogitari.

Tertia natura in Christo esse non potest.

2. *Abass.* Quid vetat ex divinæ, humanæque naturæ complexu tertiam quamdam soboleſcere ? *Rom.* Id renuunt D. Ephrem, & Cyrillus citandi cap. 22. n. 12. ad fin. Et cap. 24. num. 124. & 426. Ubi enim ex aliquarum rerum conjunctione tertium aliquid resultat, vel datur earum mixtio, & interitus, vel mutatio ; quod in Christo Fides rejicit, ut videndum cap. sequenti, num. 2. 3. 9. 10. Vel si res illæ non intereant ; ut corpus, & anima in animalium compositione, res composita non est aliqua componentium, sed quidvis aliud. Atque ità Christus nec Deus esset, nec homo, sed aliquid tertium, & peregrinum ; cùm tamen nihil sit, præter divinitatem, & humanitatem ; ac proindè Deus, & homo : Divus Gregorius Nazianzenus : *Deus*, inquit, *& homo, duæ naturæ sunt.* Divus Augustinus : *Agnoscamus geminam in Christo substantiam ; utrumque autem simul non duo, sed unus est Christus.* D. Joannes Damascenus : *Duæ naturæ unus Christus est ; & unus Christus duæ naturæ.*

D. Greg. Naz. Orat. 51.
D. August. Serm. 58. de Verb. Dom.
D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 19. & lib. 4. c. 7.

3. *Abass.* Si ex duarum naturarum copula quædam tertia non resultat, solam humanam, vel solam divinam Christo concedere mens perhorrescit. *Rom.* Audi D. Augustinum disputantem contra Apollinaris hæresim suo tempore jam gliscentem ; nondùm enim Eutychiana eruperat. *Omnimodis detestanda sunt venena Orientalis erroris, qui impia novitate præsumit asserere, Filium Dei, ac Filium hominis unius esse naturæ. In alterutra enim parte, vel qui solùm hominem fuisse dixerit, negabit Conditoris gloriam ; vel qui solùm Deum, negabit misericordiam Redemptoris ; & solùm hominem, aut solùm Deum cogetur dicere crucifixum.* Eo antiquior D. Hilarius : *Hæc confessionis tenenda est ratio, ut sicut Dei Filium, ità & filium hominis meminerimus ; quia alterum sine altero nihil spei tribuit ad salutem.* Quorum assectator D. Leo Magnus : *Salvator*, inquit, *humani generis JESUS Christus, condens eam Fidem, quæ & impios ad justitiam, & mortuos revocat ad vitam, ad hoc discipulos suos doctrina monitis, & operum miraculis imbuebat, ut idem Christus, & Unigenitus Dei, & hominis Filius crederetur. Nam unum horum sine altero non proderat ad salutem ; & æqualis erat periculi, Dominum JESUM Christum, aut Deum tantummodò sine homine, aut sine Deo solùm hominem credidisse. Cùm utrumque esset pariter confitendum ; quia sicut Deo vera humanitas, ità homini inerat vera divinitas.* Elegantiùs alibi : *Quid tam adversatur Prophetis : tam repugnat Evangeliis : tam denique est Apostolicis rebelle doctrinis, quàm in Domino JESU Christo ex Maria Virgine genito, & sempiterno Patri intemporaliter coæterno unam, & singularem prædicare naturam ? Quia si hominis tantùm intelligenda est : ubi est, quæ salvat, deitas ? Si tantùmmodò Dei : ubi est, quæ salvatur, humanitas ?*

Solam divinam, vel humanam naturam Christo adscribere, ruinosum. D. August. Serm. 3. de Ascensione.

D. Hilar. in cap. 16. Matth.

D. Leo Serm. de Transfig.

Serm. 6. de jejunio septimi mensis.

4. *Abass.* Cœlestia planè verba ! Verùmtamen ipsemet capite 14. numero 2. in tertii capitis errorum Eutychetis elatione dixisti, ipsum divinam tantùm naturam in Christo reliquisse. *Rom.* Mendacem me esse non sinerent Eutychetis discipuli, qui unionem ponunt in una substantia divina : Cyriacus, Athanateus Antiochenus, Christodulus, Philateus, & Senuteon, qui expressè ait : *Non addidit substantiæ suæ invisibili substantiam hominis.* Cùm tamen dicat Divus Cyrillus : *Caro ejus non existebat, anteà simul cum substantia divinitatis, sed de novo illam creavit, & extrinsecùs induxit.* Et alibi : *Quandò homo factus est, & quandò apparuit, nihil additum fuit, nisi humanitas tantùm.* Imò eumdem errorem corruptus Translator induxit D. Agnateum p. 1. num. 13. inter centum decem, & octo Patres p. 1. numero 21. in D. Athanateum, p. 1. numero 21. 38. 40. 46. Divum Gregorium Nyssenum, p. 4. num. 13. D. Cyrillum, p. 2. num. 15. 18. 19. 32. 35. 37. Cùm tamen prædicti Patres, nullo excepto, substantiam humanam in Christo fateantur, ut videbis in eorum testimoniis à nobis allegatis capite 6. numero 2. & 4. & cap. 7. num. 11. 12. 13. 14. & num. 5. sequenti allegandis.

Solam divinam naturam Christo Eutyches tribuebat.

Cyriac. p. 1. n. 31. 32. Athan. hær. n. 2. Christodûl. p. 1. n. 1. Philat. p. 2. n. 3. Senuteon. p. 1. n. 7. p. 2. n. 6. 8. 15. 17. 19. 21. D. Cyril. p. 44. n. 1. & p. 52. n. 137.

Digitized by Google

Si Verbum humanam naturam non accepit, frustrà de cœlo descendit.

5. *Abass.* Quid ergo secundum illud, & tertium Eutychianæ belluæ caput contundit, & probat, Christum non solâ fuisse divinæ naturæ præstantiâ glorioſum, sed etiam humanæ pondere retardatum? *Rom.* Si Verbum in terram descendens, & in Virginem illapsum humanam ex ipsa naturam non est mutuatum, frustrà se illius alvo inclusit. D. Irenæus: *Supervacuum ejus esset in Mariam descensus; quid enim in eam descendebat, si nihil ab ea sumere incipiebat?* Et Divus Athanasius: *Si Verbum corpori est consubstantiale; superflua est Mariæ mentio, & usus.* Præterea, si Verbum humanâ se naturâ non amicivit, neque homo processit, neque mortuum est, & passum; ut argumentantur iidem Patres infrà cap. 24. n. 40. & 98. Verbum autem humanam naturam assumpsit; de qua locutione cap. 2. num. 11. *Formam servi accepit; in carne habitavit; corpore se induit; habitu inventum est, ut homo; Semen Abrahæ apprehendit.* Si autem naturam humanam non habet, formam servi non assumpsit, sed consumpsit; nullibi habitavit; nulla se veste contexit; non semen Abrahæ, sed ventum apprehendit; fumosque vendunt, cùm verum hominem prædicant ipsius Apostoli, & Evangelistæ. Cùm autem in Dei forma priùs esset, dici non potest, ipsam apprehendisse. *Non enim se ipsam*, inquit Divus Athanasius, *deitas apprehendit.* Et Divus Aforosius: *Aliud est, quod assumit, & aliud, quod assumptum est.* Tandem, si in Christo una divina natura reperiretur, in ea pati non posset, ut docent Patres citati; aut dicendum, eam fuisse conceptam, natam, circumcisam, fatigatam, Cruci affixam, mortuam, & sepultam. Quæ licèt omnia Apollinaris, & Eutyches absorbeant, concedere tamen Orthodoxi cum tota Scriptura, & sanctis Patribus (quos citabimus lib. 6. cap. 8.) reformidant. Hæc enim in solam humanam naturam quadrant, quæ in Christo cum divina à primo conceptionis articulo in æternum perseverat.

D. Iren. lib. 3. c. 32.

D. Athan. Epist. ad Epictet.

Philip. 2. 7. *Col.* 2. 9. *Heb* 10. 5. In Vers. Æthiopica. *Hebr.* 2. 16.

D. Athanas. ubi suprà. D. Ambros. de Inc. Dom. Sacr. cap. 6.

Humana natura in Christo à conceptione in æternum perseverat.

6. *Abass.* Hoc si probaveris, palmam, & adoream comparasti. *Rom.* Exaturatus esse posses iis, quæ dixi cap. 3. num. 6. Sed ne te à præsenti convivio jejunum dimissum queraris, pauca fercula inducam. Quorum primum sit illud D. Joannis: *Omnis spiritus, qui confitetur, JESUM, in carne venisse, ex Deo est. Et omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Antichristi æqualiter fuêre Nestorius, & Eutyches. Nestorius enim, ut dixi cap. 13. num. 9. Christum solvit, eum dividens in duas personas, quas vera nunquàm potest unio conciliare; Eutyches verò alteram ab eo naturam eradens; quia quod unum est, & simplex, suâ solitudine contentum odit unionem, diligit solutionem. Quo testimonio Apostolus velut offâ scitè conditâ secundum belluæ caput, sicut primum eodem cum unius litteræ additiuncula (de quo cap. superiori n. 6.) in soporem collocavit. Ibi enim dicebat: *venisse in carnem*, quam priùs non habebat; hic *venisse in carne*, quam assumpsit, & conservavit. *Deus erat*, inquit Divus Augustinus, *& mori non poterat; ideò venit in carne, ut pro nobis moreretur.* Quam mortem nititur abnegare, qui solam divinam naturam vult sartam, & tectam cum Eutychete. Patrum missus nunc excipe. Divus Agnateus: *Natus est homo Deus Verbum in corpore. Affixus est Cruci in vera carne.* Infrà: *Verbum in carne habitavit.* Alibi: *Ego verò non modò in carne venisse ipsum cognosco ex nativitate, & crucifixione ejus, sed etiam post Resurrectionem scio eum in carne fuisse.* Divus Deonaceos Areosfagos: *Est præterea distincta nostra in JESU, perfecta, immutabilisque essentia.* Infrà: *Ex nobis omninò, & verè essentiam Deus Verbum assumpsit.* Vide eumdem cap. superiori numero 6. Divus Athanateus: *Ipse Deus in carne, qui formam sumpsit servi, & fuit cum hominibus, & mortuus est in carne.* Alibi: *Verbum tulit passionem in humanitate, & semper in æternum permanebit indutum carne nostra.* Alibi: *Si Deus Verbum non extitit in carne, quomodò dictus est Emmanuel, quod interpretatur nobiscum Deus?* Infrà: *Cùm esset in carne, conviciati sunt ei, & crucifixerunt eum.* Alibi: *Habet humanitatem sibi adjunctam deitas illa, quæ in mundum advenerat.* Alibi: *Non ideò, quia homo factus est, desiit esse Deus; neque quia Deus subsistit, abdixit se ab eo, quod humanum est.* Absit: *Sed potiùs, cum Deus esset, assumpsit carnem, & in carne existens, deificat carnem.* Alibi: *Verbum ità caro factum est, ut Verbum semper remanserit, sed tamen carnem haberet, in qua passionem, & mortem susciperet sub humana specie.* Divus Epiphanius: *Sedet ad dexteram Dei, & non dimisit à se ipso carnem.* Divus Aforosius: *Ego me metipsum sanctifico pro ipsis; ut agnoscas, quòd & sanctificatur in carne pro nobis, & divinitate sanctificat.* Alibi: *Quæro, quid sit: Formam servi accipiens? Sine dubio perfectionem naturæ, & conditionis humanæ, ut esset in hominum similitudine. Et pulchrè non carnis dixit, sed hominum similitudinem, quia in carne eâdem est.* Divus Joannes Chrysostomus: *Non Angelorum substantia illum suscepit, sed nostra substantia.* Infrà: *Cucurrit post eam, donec illam invênit, & apprehendit, & illa ipsum suscepit.* Infrà: *Descendit ad nos, & sumpsit substantiam nostram.* Infrà: *Qui nos ità amavit, sibi nos fecit; & caro ipsius à nobis non recedit.* Alibi: *Invênit carnem sanctam istius Virginis, & unitus est ipsi.* Infrà: *Exivit homo, & non despexit tenuitatem substantiæ nostræ.* Infrà: *Creatum lucratum est ingentem gloriam, cùm fuit vestis Creatoris.* Infrà: *Intravit in carnem meam, ut ego suscipiam sermonem illius. Sumpsit sibi carnem meam, & dedit mihi spiritum suum. Et dedi, & sumpsi. Ipse sumpsit sibi carnem meam, ut illam elevaret; & dedit mihi spiritum vitæ.* Infrà: *Cùm esset Deus, factus est homo, & vicit inimicum in substantia nostra.* Alibi: *Apparuit Deus Verbum in forma hominis.*

1. *Joan.* 4. 2. 3.

D. Augustin. tract. 6. in cap. 4. 1. Epist. D. Joannis.

D. Ignat. Epist. 8. ad Philip. & Epist. 10. ad Smyrnenses.

D. Dionys. lib. de Divinis nom. cap. 1.

D. Athan. p. 4. n. 56.

P. 7. n. 3.

P. 15. n. 128. 129.

Lib. cont. gregal. Sabel. Orat. 4. cont. Arian.

Lib de Inc. Christi.

D. Epiphan. p. 8. n. 16.

D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 4. & lib. 7. Epist. 47.

Joan. 17. 19. *Philip.* 2. 7.

D. Joan. Chrysost. p. 2. n. 3. 6. 12. 27.

P. 5. n. 1. 7. 10.

N. 19.

N. 24.

Theophilus

Digitized by Google

Theoph. Alex. n. 13. Theophilus Alexandrinus : *Quandò pervenit ad formam alienam, benedixit super substantiam hominum.* Divus Augustinus : *Cùm in forma Dei sacrificium cum Patre sumat, cum quo unus est Deus, tamen in forma servi sacrificium maluit esse.* Divus Cyrillus : *Est Dominus in forma servi, & in ipsa perfecit divinitatem in imagine paupertatis nostræ. Et cùm sit in infirmitate carnis, est Dominus virtutum ; & cùm sit in statura filii hominis, habet altitudinem omnium creaturarum.*

D. August. lib. 10. de Civit. Dei, cap. 20.

D. Cyril. P. 4. n. 3.

P. 5. n. 9. vi. Alibi : *Qui est ante doctores, natus est in carne, & paulatim crevit, sicut caro ; cùm perfectus sit.* Infrà : *Suscepit infirmitatem in carne, quam assumpsit.* Alibi : *Mors, qua mortuus est in carne, in substantia nostra est.*

P. 9. n. 14.

P. 19. n. 3.

Apoc. 1. 5. Alibi : *Cùm existens in carne esset primogenitus mortuorum.* Alibi : *Dicimus, carnem, quæ habet animam rationalem, unitam esse illi, quandò Verbum incarnatum est.* Infrà : *Verbum Dei factum est homo in substantia carnis ; & purissima Virgo Maria peperit illum in carne.* Alibi : *Scimus, Verbum sumpsisse formam servi, & apparuisse in carne, & in illa certavisse, & in ea passum esse pro nobis.* Alibi : *Ipse est Deus ante Incarnationem ; & præterea est persistens in opere suo in eo, quod in ipso factum, cùm perduret cum ipso semper in æternum.* Alibi : *Semper ergo permanebit in divinitate sua, & non mutatur ex eo, quòd carnem sumpserit.* Alibi : *Si verò Christus substantiam nostram pauperem non induit, cùm sit dives in divinitate sua, non conveniret substantiam nostram esse in hoc honore.* Infrà : *Tunc dixit hoc Verbum : Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ? propter nostram substantiam.* Infrà : *Venit in carne Unigenitus sanctus, ut nobis demonstraret, nos participes esse ejus perfectionis ; & jejunavit in virtute, quæ decet ipsius divinitatem, & declaravit nobis carnem suam.* Infrà : *Ipse idem perseverat in divinitate sua, & ulteriùs in humanitate.* Infrà : *Manifestatus fuit apud Patrem in substantia humana ; non sicut priùs, sed apparuit, sicut homo.* Alibi : *Quomodò esset homo, nisi tantùm inducens carnem hominis ?*

P. 34. n. 22. 27.

P. 38. n. 3.

P. 50. n. 4.

P. 51. n. 10.

P. 52. n. 15.

N. 64.

Matth. 27. 46.

N. 113.

N. 118.

N. 131.

P. 55. n. 58.

Expendunturque superiora testimonia.

7. *Abass.* Non eduxisti testimoniorum nubes, sed tonitrua, sed fulmina. *Rom.* Si Christus nunc in cœlo habet, si in Cruce habuit humanam substantiam, si in ea passus est, certavit, vicit, natus est ; si ipsa illum suscepit ; si in eadem est, & existit ; quo jure dici potest solam divinam naturam in Christo effulgere, & humanam desiderari ? Quomodò *habitu, ut homo inventus*, si quidquid in ipso est hominis, fumus est, & ludibrium ? Quinam illi dies carnis, de quibus Divus Paulus : *Qui in diebus carnis suæ preces, & oblationes ad eum, qui posset illum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia* ; si ipse nec punctum in carne perennavit ? Medicinam planè, & gloriam ab humanâ naturâ semovet, quisquis illam à Christo repellit. Medicinam ; quia *id tantùm*, inquiunt Divus Gregorius Nazianzenus, & Chrysostomus, *salvavit, quod assumpsit ; id autem, quod assumptum non est, curationis exors manet.* Si ergo caro non est assumpta, nec liberata. Gloriam, quia, teste eodem Nazianzeno, *nihil majus, & honorificentius hominis humilitati contingere potuisset, quàm Deo connecti, atque ex illa mixtione Deum effici*, & ipsum sui debiti solutionem exhibere. Quem honorem penitùs abradit, qui carnem Verbo fuisse copulatam diffitetur. Fatère igitur cum Divo Aforosio : *Ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis, ut nos redimeret ex nostro ; & quod nostrum non erat, ex sua nobis divina largitate conferret. Sacrificium de nostro obtulit, ut caro, quæ peccaverat, per se redimeretur.* Et cum ipsius discipulo Divo Augustino : *Si nihil de nostro suscepit, nihil nobis præstitit. Si non in nostra carne diabolum triumphavit, se exercuit, non nobis vicit. Si non in nostro corpore resurrexit, conditioni nostræ resurgendo nihil contulit : Hæc, qui dicit, susceptæ, & assumptæ carnis non intelligit rationem, confundit ordinem, evacuat utilitatem. Si non in nostra carne peregit medicinam, solam ergo ex homine nascendi elegit injuriam. Recedat à sensibus nostris tam periculosa persuasio : Meum testor esse, quod cecidit, ut meum sit, quod resurrexit. Meum testor esse, quod jacuit intra tumulum, ut meum sit, quod ascendit in cœlum.*

D. Greg. Naz. Orat. 51. D. Chrys. hom. de Nativit. D. Greg. Naz. Orat. 36. D. Ambros. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6. D. August. Serm. 3. de Ascensione.

Phil. 2. 7.

Heb. 5. 7.

8. *Abass.* Cùm una illa Christi natura non possit esse sola divina, nec sola humana, ventilato num ex duabus una confletur, quæ substantialiter, & adæquatè sit eadem numero. *Rom.* Unius naturæ defensores, ne lapidem istum moverent, avertere debebant obfirmatæ Patrum assertiones, horribiles execrationes deterrêre, & solidissimæ rationes confirmare. Assertiones continentur suprà cap. 7. num. 3. & 4. Execrationes in Epistola Divi Athanatei ad Epictetum, quam totam sicut & librum de Incarnatione Christi huic errori evellendo dedicavit. In illa Epistola : *Quis unquàm dixit, carnem, quam Dominus sumpsit ex sanctissima Virgine Maria, fuisse à principio in æqualitate cum divinitate Verbi ?* Infrà : *Quis Christianorum audivit, Dominum nostrum non induisse carnem veram, aut quis unquàm ità existimavit ? Aut quis Hæreticus, & rebellis fuit similis istis ?* Infrà : *Numquid aliquis Christianorum ità audacter loquitur ? Nos istum cum Christianis non numeramus, sed inter Ethnicos, & rebelles.* Infrà : *Ubi hanc negationem invenerunt, ut dicerent, carnem Verbi non esse novam, neque posteriorem divinitate sua ?* Infrà : *Quomodò hi, qui duplici corde sunt, & Christiani vocantur ausi sunt hoc dicere de Domino, qui apparuit in carne ?* Infrà : *In deliramentum plusquàm omnes Hæretici inclinastis.* Alibi : *Secundùm eos caro ejusdem substantiæ erit cum Deo ; quod impium dictu est.* Alibi : *Quomodò talia dicentes, proferre non erubescitis, carnem ex semine Davidis oriundam consubstantialem*

Ex duabus naturis una fieri non potest, quæ substantialiter sit eadem numero.

D. Athan. P. 15. p. 1.

N. 3.

N. 9.

N. 11.

N. 15.

N. 43.

Libro, Unum esse Christum. Lib. de Innat. Christ.

Digitized by Google

cum Verbo esse? Stolida sunt ista, quæ garritis? Infrà: *Quodnam est istud commentum impietatis? Dicitis, carnem consubstantialem fuisse; quâ igitur ratione consubstantialis erit? An ideò dicitis, quòd caro facta est Verbum, & spiritus? Si ea, quæ naturâ divinitas non sunt, divinitas efficitur; cur igitur incusatis Arianos, qui istiusmodi opinionem de Verbo in medium afferunt?* Divus Aforosius: *Dum vos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant, & divinitatem unius esse naturæ. Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt? Jam tolerabiliores sunt Ariani, quorum per istos perfidia robur adolescit, ut majore contentione asserant, Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum unius non esse substantiæ; quia isti divinitatem Domini, & carnem substantiæ unius dicere tentavérunt.* Præterito capite numero 8. protuli Canonem Divi Gregorii Thaumaturgi juxta vestram versionem; at in textu primitivo sic habet: *Si quis dicit, carnem Domini homousion, ideſt, consubstantialem esse divinitati, &c. anathema sit.*

D. Ambros. lib. de Inc. Dom. Sacr. cap. 6.

D. Greg. Thaum. p. 3. n. 23.

9. *Abass.* Ex fulminea superiorum Patrum sententia, planum est, corpus, seu humanitatem non esse Verbo, neque divinitati æqualem, aut consubstantialem. *Rom.* Omninò sentis cum eisdem, ac Divo Cyrillo; qui duas in Christo naturas cognoscendas argumentatur; sic habet in Epistola ad Eulogium: *Admonendi sunt, ut lectioni Epistolæ D. Athanatei attendant* (intelligit Epistolam ad Epictetum, quæ in vestro libro p. 15. exhibetur.) *Cùm enim nonnulli suo tempore contenderent, ac dicerent, Deum ex propria natura corpus sibi adaptasse, multis modis evincere, ac persuadere conatus est, corpus Christi non esse Verbo consubstantiale. Quod si Verbo consubstantiale non est, alia omninò, atque alia natura sit, oportet, ex quibus unus, ac solus Christus constitutus intelligitur.* Sic ille. Rationibus nunc supersedeo, illas in cap. 25. & 26. reservans.

Qui dicit, humanitatem non esse Verbo consubstantialem, duas naturas fatetur. D. Cyril. Epist. 30.

10. *Abass.* Demus, unam illam Christi naturam non ità esse consubstantialem, ut humanâ adæquatè sit eadem numero cum divina, sed numero diversa, sicut Petrus, & Paulus invicem sunt æquales, & consubstantiales, sed numero discreti. *Rom.* Si numero diversæ sunt, duæ sunt, non una, sicut Petrus, & Paulus duo sunt. Etsi tibi hac in re annuerem, duplicis absurdi volutabro me ulteriùs convolverem. Primum esset, Deum Patrem, & Spiritum sanctum consubstantiales, & æquales Petro, & Paulo, & cæteris hominibus futuros. Secundum, quatuor personas in Trinitatem invehendas. Quibus demonstrandis nunc abstineo, pleniorem eorum tractationem cap. 21. n. 3. & 4. aggressurus. Ubi nulla ratione divinitatem, & humanitatem æquales dicendas, ostendendum.

Si una Christi natura numero sit diversa, & æqualis divinitati, duæ sunt, non una; & dantur quatuor personæ in Trinitate.

CAPUT XVII.

Divinitas, & humanitas sunt in Christo sine mutatione, transitione, confusione, conversione, & mistione; & ideò nec per Dei potentiam datur modus, quo ex eisdem fiat una natura.

1. *Abass.* Acutiùs exploremus, an aliquis fuerit modus, per quem ex duabus Christi naturis una fieri potuerit. *Rom.* Divinitas, & humanitas sunt in Christo sine mutatione; quo posito non potest una ex iisdem natura concinnari; quia ex duabus rebus una conflari non potest, nisi intercedente illarum confusione, vel conversione, vel mistione. At conversio, mistio, & confusio, præterquàm quòd divinitati repugnent, adnexam semper habent mutationem, & transitionem.

Nullus est modus, quo ex duabus naturis una fiat.

2. *Abass.* Quid est mutatio? Quid transitio? *Rom.* Mutatio, & transitio re idem sunt; quia quidquid mutatur, in alium statum transit ab eo, in quo priùs erat. Hîc autem loquimur de mutatione essentiali in naturalibus proprietatibus; nam accidentalem, seu veriùs nudalem subjisse humanam naturam, dum propriâ personâ carens, alienæ adhæsit; & divina humanam, tamquàm vestem sibi induxit, in confesso est. Undè dictum à Divo Cyrillo: *Cùm sit excelsus, & altus omni tempore, factus est homo; & hæc est mutatio, quam induit.* Sed tam divinitas, quàm humanitas nullam naturalium proprietatum mutationem sunt expertæ. Temirte habuata: *Unus est Deus, qui factus est homo sine mutatione.* D. Deonaceos Areosfagos: *Factus est in nostra substantia verè sine mutatione.* Divus Gregorius Thaumaturgus: *Quomodò dicunt, unum Christum moveri, aut converti, cùm ipse Dominus noster dicat: Ego sum, & non mutor?* Divus Gregorius Nyssenus: *Non transtulit Creator divinitatem suam in esse creatum; nec transtulit humanitatem suam creatam in esse Creatoris.* Metoligon: *Nec mutata est Verbi substantia in humanitatem, neque humanitas in substantiam Verbi; sed erunt duæ substantiæ in suo esse sine mutatione.* Ayocandius: *Communicavit divinitas cum humanitate in una unione sine mutatione.* Divus Heraclis: *Factus est homo sine mutatione.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Non est mutatio inter has duas substantias, sed sunt perfectæ in omni opere.* Divus Joannes Chrysostomus: *Sicut humanitas non transmutavit substantiam divinitatis, ità etiam divinitas non transmutavit substantiam carnis.* Divus Cyrillus: *Qui est invisibilis, factus est homo sine mutatione.* Alibi: *In formâ hominis operatus est in conjunctione duarum*

Mutatio essentialis non fuit in duabus Christi naturis.

D. Cyril. p. 52. n. 136.

Temirte habuata, n. 8.

D. Dionys. Areop. n. 12.

D. Greg. Thaum. p. 3. n. 10. *Malach.* 3. 6.

D. Greg. Nyss. p. 4. n. 19.

Metoligon. n. 10.

Ayocandius n. 8.

D. Proclus p. 3. n. 19. 25. & p. 5. n. 2.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 52.

D. Joan. Chrysost. p. 8. n. 8.

D. Cyril. p. 6. n. 8. p. 47. n. 49.

Digitized by Google

duarum substantiarum in unione, sine divisione, mixtione, & mutatione; quia caro caro est, & non divinitas. Alibi: *Nos rectè credimus, ipsum factum esse hominem sicut nos; & nunquàm exisse à divinitate sua, neque mutatum esse; sed sumpsisse sibi humanitatem; & divinitatem ipsius eamdem permansisse.*

p.52. n.90.

Transitio non datur in duabus Christi naturis. D.Abolid. p.7.n.5. D. Greg. Nazianzen. p.1.n.37. D. Cyril. p.51.n.11. n.14. n.21. n.44.

3. *Abass.* Siquæ habes de transitione testimonia, producito. *Rom.* Sic de illa D. Abolidis: *Qui transfert divinitatem in esse humanitatis, non inveniet salutem à Deo, quæ facta est in humanitate.* D. Gregorius Nazianzenus: *Divinitatis ejus substantia non migravit in substantiam humanitatis; neque humanitas in substantiam divinitatis.* D. Cyrillus: *Nec adducamus transitum inter duas substantias suæ.* Infrà: *Non transiit à sua substantia.* Infrà: *Non transmigrat ab alta substantia divinitatis.* Infrà: *Dicit Beatus Joannes Evangelista, Verbum factum esse carnem; non quidem per transitum ipsius in carnem, quia ipse est Deus, & nunquàm mutatur; sed quia participavit nobiscum in carne, & sanguine.* Undè dignoscitur, falsam esse illam, quæ Divo Cyrillo affingitur; sententiam p.22.num.11. *Filium Dei esse unam substantiam ex duabus substantiis sine transitione*; quia sine transitione alterius in alteram, vel utriusque in aliquam tertiam una ex duabus fieri non potuisset. Divinam autem in humanam transire posse, negant D. Athanateus p.1.num.18. 19. 32. p.4. num.22.42.43. p.8.num.8. p.14. num.22.25.29. p.15. num.2.7.32. 33.43. 47. 60.63.64.65.72.103.109. 110. D. Gregorius Nyssenus p.1. num.8. D.Abolidis p.1.num. 59. p.2.num.23. p.7.num.5. p.9. num.6. Natalis. num.2. D.Ephrem.p.5. num.6. D.Heraclis p.3.n.4. 12.p.4.n.1.p.5.n.12.22. D.Epiphanius p.3. n.22. p.7.n.4.15.p.8.n.15. p.11.n. 7. D.Chrysostomus p.1. num.16.p.3.num.1. 3.6.p.4. num.7.p.6. num.7. D.Cyrillus p.1. num.8. p.2.num.8.39. p.5. n.9. p.15. n.2. 3.4. p.21. num.39.p.47. num.32. p.48. n.5.p.51.n. 1.3.14.20.60.63.p.52.n.78.p.53.num.47. Humanitatem quoque in divinitatem mutatam inficiantur: Arcaos num. 3. D. Gregorius Thaumaturgus p.3. num.15. D.Athanateus p.15.num. 33. D.Abolidis p.5.n.8. D.Heraclis p. 3. num. 12. Joannes Jerosolymitanus num.17. D. Chrysostomus p.4. num. 1. D. Cyrillus p.34.num.27.p.37.num.7. 10.68.70. 73.p.51.n.4.p.53.n.25.29.55.

Ioan.1. 14. Heb.2.14. D. Cyril. p.22.n.11.

Quid sit, duas naturas esse sine confusione.

4. *Abass.* Novi, quomodò sint in Christo duæ naturæ sine mutatione, & transitione, agito nunc de confusione. *Rom.* Confusio datur, cùm res differentiis, & proprietatibus suis amissis, ità cum aliis permiscentur, ut ab iis nequeant secerni. *At Verbum factum est homo sine confusione,* inquit D. Joannes Damascenus, *quoniam utraque natura differentiam suam retinet; hoc est, divinitas, ut increata sit; humanitas creata. Divinitas, ut perpessionis sit expers; humanitas, ut in ipsam perpessio cadat; aliáque id genus.* Quod Patres intelligunt, cùm docent, duas naturas in Christo citra confusionem perennare. D. Deonaceos Areosfagos: *Ex eo, quod in divinitate abstrusum est, absoluta, ac non confusæ humanitatis nostræ assumptione, pro sua humanitate, nostri generis, ac speciei factum; & ad id, quod dividuum, concretúmque habemus, sine commutatione ab eo, quod unum est natura, profectum.* Alibi. *In naturam nostram venit, qui omnem totius naturæ ordinem, atque præscriptionem singulari modo transiit, cum immutabili, & non confusa duorum constantia.*

Vide lib.2. cap.11.n.4. D. Joannes Damas. lib.de Natura composita.

D.Dionys. de Eccles. hier.cap.3. p.3.

De Divin. nomin. c.1.

D. Justinus Martyr: *Respondete nobis, qui Christianorum religionem vos prædicare fingitis; qui duarum naturarum tollendarum causâ queritis: Quomodò Verbum ubique per se, & per essentiam suam est? Et quomodò in templo suo? Qui, ut temperatio, & confusio, corporisque in divinitatem mutatio obtineatur, has quæstiones tractatis. Qui interdùm Verbum in carnem versum, interdùm carnis essentiam in Verbum mutatum asseritis.* D. Abolidis: *Non separemus divinitatem ab humanitate, neque carnem à divinitate.* Et infrà: *Quomodò non erit eis opus perfectæ confusionis, qui hoc credunt?* D.Epiphanius: *Idem Deus, idem homo, qui non confusionem operatus est, sed duo miscuit in unum, non ad interitum cedens.* D. Augustinus: *Execramur illorum blasphemiam, qui novo sensu asserere conantur, à tempore acceptæ carnis omnia, quæ erant divinitatis in hominem demigrasse; & rursùs, quæ humanitatis erant, in Deum esse transfusa. Ut quod nulla unquàm hæresis conata est dicere, vincatur hac confusione utraque exinanita esse substantia, & deitatis, scilicet, & humanitatis; & amissio proprio statu in aliud esse mutata; ut qui tam Deum perfectum in Filio, quàm hominem confitemur, nec Deum verè, nec hominem temerè credamus.* D. Aforosius: *Suscepit, quod meum est, non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem corporis, & affingas confusionem, Manichæus esse desisti; nec tamen Ecclesiæ filius esse capisti.* D. Leo Magnus: *Non infert unitas confusionem; nec dirimit proprietas unitatem.* Iterùm: *Opera, quæ inseparabiliter facta sunt, nulla permixtione confundimus.*

D. Justin. lib.de Recta confess.

D. Abolid. p.1.n.63.

D. Epiph. in Anchorato.

D. August. serm.191. de Tempore.

D. Ambros. de Incarn.Dom. Sacram. cap.4.

D. Leo Magn.serm. 3.de Passione. serm.11.

5. *Abass.* Novi, quo jure divinitas, & humanitas vacent confusione; nunc agito de conversione. *Rom.* Conversio tunc datur, cùm aliquid, quod habet esse positivum, ac reale, esse desinit, & transfunditur in aliud, quod illa accessione mutationem aliquam nanciscitur. Ut cùm lignum in ignem convertitur, lignum esse desinit, & ignis esse incipit. Panis substantia in Eucharistia deficit, & corpus Christi, quod priùs non erat, sub illius speciebus delitescit. Sic in convivio *gustavit architriclinus aquam vinum factam*, quia aqua esse desiit, & in vinum est conversa. Si ergo in duabus Christi naturis, vel in aliqua illarum daretur conversio; aut divinitas desineret esse, quod erat; aut inciperet esse, quod non erat; quorum quidvis daretur, par damnum esset, teste D. Cyrillo: *Æqualis*, inquit, *probatur ineptia, dicere conversum esse corpus in deitatis naturam, & Verbum in carnis substantiam commutatum. Sicut enim hoc impossibile est, quia Verbum inconvertibile, & incommutabile comprobatur, ità etiam illud non est possi-*

Quid sit conversio. Vide lib. 2. cap.11.n.5.

Ioan.2.9.

D. Cyril. Epist.3.ad Successum. p.47.n.70.

Digitized by Google

bile : in deitatis essentiam, vel naturam aliquid creatum posse converti ; quia caro creata est.

Conversio in neutra natura fuit.

6. *Abass.* Patrum testimonia conversionem oppugnantia efferto. *Rom.* D. Gregorius Thaumaturgus : *Deus Deus es, & homo, tu qui in principio eras, & caro factus es, sed non in carnem conversus.* D. Gregorius Armenius : *Post Incarnationem ejus esse iterùm in gloria, & substantia divinitatis, est non esse conversum in esse humanitatis, & non esse minoratum propter carnem.* D. Athanateus : *Qui dicit, conversa est divinitas in esse humanitatis, aut permista cum ipsa, aut mutata ; anathema sit.* Alibi : *Convertimini ad aliud delirium, & dicitis substantiam illius conversam, ut esset ossa, caro, nervi, vena, & capilli.* Infrà : *Si autem dixeritis, Verbum conversum esse in esse carnis, ecce confitemini Verbum mutatum esse.* Infrà : *In hoc multùm agnovimus indigentiam intelligentiæ illorum, qui dicunt, Verbum mutatum, & conversum, ut esset ossa, & caro.* Infrà : *Possumus etiam eos confundere, qui audent, & dicunt, quia Dominus noster conversus est, & mutatus in ossa, & carnem, quia ipse non dixit : Quemadmodùm videtis, quia ego os, & caro sum ; sed dixit : sicut me videtis habere.* Natalisan : *Credo, Deum Verbum fuisse in sua proprietate immutabilem, & non conversum, factum fuisse carnem.* D. Feliquis : *Scimus, Verbum non fuisse conversum a substantia divinitatis suæ in esse humanitatis.* D. Heraclis : *Factus est caro, non conversus (quod absit) in carnem. Mansit enim divinitas omni mutabilitate superior, quia mutatio naturæ fluentis est passio.* Theophilus Alexandrinus : *Mirum in modum cæpit esse, quod nos sumus ; & non desiit esse, quod fuerat ; sic assumens naturam humanam, ut quod erat, ipse non perderet. Quamquàm enim Joannes scribat : Verbum caro factum est, idest, aliis verbis Homo factus est, tamen non est versus in carnem, quia nunquam Deus esse cessavit.* D. Aforosius : *Non, ut quidam interpretati sunt, natura ipsa mutata est Verbi, quia immutabilis semper est, sicut ipse dixit : Videte me, quia ego sum, & non sum mutatus ; sed etiam Paulus dixit : Quia JESUS Christus heri, & hodie, ipse est & in secula ; hoc est, quia non secundùm naturam mutatus est carnis, sed immutabilis etiam in ipsa mutabili conditionis humanæ substantia permansit.* Infrà : *Non est Verbi natura in carnis conversa naturam.* Theodotus Ancyranus : *Factus est homo, non mutatâ divinitate, nec motis terminis divinæ substantiæ.* Infrà : *Non ergo mutatâ substantiâ Dei factus est homo, neque conversus in naturam alienam.* D. Joannes Chrysostomus : *Perfectus homo factus est absque peccato, absque versione, & mutatione sui.* D. Cyrillus : *Non dicimus, quod caro conversa sit ex substantia sua in substantiam divinitatis ; neque quòd substantia divinitatis, quæ est ineffabilis, conversa fuerit in substantiam carnis.* Similia habet p. 21. num. 1. p. 22. num. 23. p. 34. num. 20. 21. 22. p. 47. n. 26. 39. 60. 70. 71. 72. p. 48. n. 5. 22. 24. p. 52. n. 5. 7. 8. p. 58. n. 55.

D. Greg. Thaum. apud Euthym. in Panopl. tit. 15. p. 2.
D. Greg. Arm. p. 1. n. 8.
Phil. 2. 11.
D. Athanas. p. 1. n. 30. & p. 15. n. 39. n. 42. n. 72. n. 102.
Luc. 24. 39.
Natalis. n. 2.
D. Felix, p. 1. n. 5.
D. Procl. in Epist. ad Armen.
Theoph. Alex. Epist. 1. Paschal.
Joan. 1. 14.
D. Ambros. de Incarn. Domin. Sacram. cap. 6.
Malach. 3. 6.
Heb. 13. 8.
Theodot. Ancyr. Orat. 3.
D. Joannes Chrysost. Orat. de Trinit. tom. 3.
D. Cyril. p. 17. n. 5.

7. *Abass.* Si ex eo, quòd gustavit architriclinus aquam vinum factam, superiùs docuisti aquæ in vinum conversionem, cur non eadem conversio sequetur ex illis verbis : *Verbum caro factum est ? Rom.* Animadverti lib. 1. cap. 22. numer. 14. & lib. 3. cap. 7. num. 12. verbis non esse anxiè inhærendum, nec tam illorum sonum, quàm rerum proprietatem spectandam ; idémque verbum aliam, atque aliam, pro locorum diversitate significationem induere. Si ergo faciendi verbum eamdem ubique significationem exhiberet ; & ut citato à te loco invehit aquæ in vinum conversionem, illam ubique importaret, etiam cùm dicitur in Genesi : *Inspiravit in faciem ejus spiraculum vitæ, & factus est homo in animam viventem*, corpus, atque adeò totum hominem in animam conversum intelligeretur. Imò (quod calamus exarare, & lingua efferre perhorrescit) Christus in maledictum, & peccatum conversus putaretur, eò quòd dixerit Apostolus : *Christus nos redemit de maledicto legis, factus pro nobis maledictum.* Et iterùm : *Eum, qui non noverat peccatum, pro nobis peccatum fecit.* Quo argumento, & verbis nostrum firmant institutum D. Athanateus, Aforosius, Chrysostomus, & Cyrillus. E quibus Athanateus : *Dictus est maledictum, quia ei placuit, portare maledictum nostrum. Sic etiam est, quod Joannes dicit : Verbum caro factum est ; non dixit, mutatum esse in esse carnis, sed incarnatum propter nos.* D. Aforosius : *Maledictum dictus est Dominus, non quia in maledictum conversus, sed quia nostrum ipse suscepit peccatum. Suscepit autem in carne, quam assumpsit, naturâ suâ peccato subjecta.* Undè D. Paulus : *Deus Filium suum mittens in similitudinem carnis peccati, & de peccato damnavit peccatum in carne.* Ut ergo Dominus factus est peccatum, & maledictum, non quia in peccatum, & maledictum conversus, sed quia carnem peccatrici similem sibi induxit ; sic non in eam mutatus, sed eamdem sibi uniens, factus est caro ; quod apertiùs indicat Evangelista verbis sequentibus.

Verba illa, Verbum caro factum est, non inferunt conversionem.
Joan. 2. 9.
Joan. 1. 14.
Gen. 2. 7.
Galat. 3. 13.
2. *Cor.* 5. 21.
D. Athan. Epist. ad Epictet. p. 15. n. 109.
Joan. 1. 14.
D. Ambros. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6.
D. Joan. Chrysost. serm. de Ascensione.
D. Cyril. lib. ad Regin.
Rom. 8. 3.

8. *Abass.* Verba sequentia sunt, *Et habitavit in nobis. Rom.* Eademmet omnem conversionis, & mutationis suspicionem expungunt. Nam habitator, & habitaculum invicem non convertuntur, neque permiscentur, sed aliud diversum est ab alio, ut hîc Verbum à carne, quæ ipsius est domus, & tabernaculum, ut monuimus capite 4. num. 13. D. Aforosius : *Dicendo*, inquit, *quod Verbum caro factum est, in terram utique dicitis esse conversum, quoniam caro, & ossa de terris sunt ; Scriptum est enim (dicitis) quia Verbum caro factum est ; Scriptum est, non nego ; sed considera quid sequatur : Et habitavit in nobis ; hoc est, illud Verbum, quod carnem suscepit, habitavit in nobis ; hoc est, in carne habitavit humana. Aliud est enim quod assumpsit, aliud quod assumptum est.* D. Joannes Chrysostomus : *Cùm audieris, quòd Verbum caro factum est, non conturberis, neque concidas. Non enim Verbi*

Habitandi verbum à D. Joanne adjectum omnem cõversionem excludit.
Joan. 1. 14.
D. Amb. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6.
D. Joan. Chrysost. hom. 13. in Joan.

Digitized by Google

Verbi substantia in carnem transiit ; intulit enim : Et habitavit in nobis. Quod autem inhabitat , non idem est , quod habitaculum ; sed alterum in altero inhabitat ; aliter non erit habitatio. D. Cyrillus : *Cùm carnem factum Dei Verbum dixisset , ne quisquam ex imperitia divinam naturam in carnem immutatam, existimaret , adjecit : Et habitavit in nobis ; ut cùm duo necessariò intelligas ; habitantem , scilicet , & in quo inhabitat , non existimes, in carnem naturam divinam commutatam fuisse , sed in carne habitasse , tamquàm in templo , quod ex Sanctissima Virgine Maria formavit.* Eodem modo exposuit Paulus Emessenus Alexandriæ coram eodem D. Cyrillo. Adverte tamen , non aliud esse Verbum , & Christum ; neque Verbum in Christo inhabitare ; sed Verbum in carne , quæ alia est ab eo , ut visum cap. 4. num. 13. & videndum cap. 19. num. 6. & 7. Eustathius Antiochenus : *Si in Christo plenitudo divinitatis inhabitat , aliud est , quod inhabitat , & aliud , quod inhabitatur.*

D. Cyril. lib. 1. in Joan. c. 16.

Paulus Emes. hom. 2. coram D. Cyrillo.

Eustath. Antiochen. Orat. contr. Arian.

9. *Abass.* Conversionem divinitas & humanitas in Christo ignorârunt ; numquid ità mixtionem ? *Rom.* Mixtio , secundùm Philosophum , est mistilium alteratorum unio. Juxta quam definitionem duplex mixtionis est conditio. Prima , ut quæ ad illam efficiendam confluunt , sint mistilia , ideſt, appositæ ad mixtionem materiæ; quæ facilè permeetur , atque dividatur ; & simul activa sint , atque passiva ; qualitatesque habeant partim consentientes , partim pugnantes , ut illarum amplexu coëant , istarum incursione obtundantur. Undè liquet, nec divinitatem , nec humanitatem pati posse mixtionem ; quia divinitas secundùm se totam expers est passionis , ac divisionis ; sicut & humanitas secundùm animam ; quæ ideò corpori ex elementis compacto inclusa non miscetur ; exulat enim mixtio, cùm unum quidem molle est , ac fluidum , alterum solidum , atque tenax. Quo ex capite D. Ephrem num. sequenti citandus mixtionem in aqua , & vino , concedit , in vino , & aureo poculo inficiatur. Mixtionem verò Senuteon admittit , cùm duas naturas sic unam factam docet , ut cùm aqua in urnam aliquid aquæ continentem infunditur. Secunda conditio est , ut mistilia ad mixtionem concurrentia alterationem subeant , ideſt , naturalem formam , & qualitates amittant , & in tertias immutentur , ut accidit in elementis. Quod locum non habet in divinitate , quæ est forma Dei ; & in humanitate , quæ est forma hominis ; cùm ambæ in Christo inconcussæ perseverent; nec quidquam tertium anhelent. Tandem, cùm duo conjunguntur, quorum alterum alterum valdè excedit , non datur mixtio , sed infirmioris conversio , seu cotruptio ; ut si vini gutta mari infundatur. Cùm ergo divinitas humanitatem longè exsuperet ; & hæc illius comparatione sit *quasi stilla situlæ , & momentum stateræ,* inter eas mixtio non intercedit.

Eustath. Antiochen. Orat. contr. Arian. *Coloss.* 1. 9. Mixtio duas Christi naturas non afficit.

Vide lib. 2. cap. 11. n. 5. Aristotel. lib. 1. de Generat. text. ult. Idem lib. 2. text. 49.

Senuteon p. 2. n. 11.

Aristotel. lib. 1. de Generat. cap. 10.

Isai. 40. 15.

10. *Abass.* Quinam Patres omnem propellunt à duabus Christi naturis mixtionem? *Rom.* In primis D. Deonaceos Areosfagos: *Factus est in nostra substantia verè , sine mutatione , & mixtione.* D. Athanateus : *Non est immutatus , neque permixtus.* Vide eumdem suprà num. 6. D. Gregorius Nyssenus : *Post unionem non dividitur , neque miscetur.* Metoligon : *Praterea dicimus , non esse mixtionem , neque aliam rem similem.* Infrà : *Quando dicimus , unicum Dei Filium incarnatum , & hominem factum , propter hoc non intrabit in eum mixtio.* D. Ephrem : *Perfectus in eo, quod sumpsit sine divisione , & sine mixtione. Quia quando permiscentur aqua , & vinum , corrumpitur eorum substantia ; vinum verò , & aurum quando permiscentur inter se, utrumque eorum persistit in sua propria substantia.* D. Heraclis : *Verbum unum factum est cum eo , quod formavit , sine mixtione.* Infrà : *Incarnatus est , & non est permixtus ex eo , quòd sit homo factus.* D. Epiphanius : *Non fecit mixtionem , sed duo unum fecit.* D. Gregorius Nazianzenus : *Non dividitur , neque miscetur post conjunctionem divinitatis , & humanitatis.* Alibi : *In unione sua non fuit permixtus cum carne sua.* Alibi : *O miraculum unionis , quæ non permiscetur !* D. Cyrillus : *Hanc unionem intelligimus sine mixtione.* Alibi : *Divinitas , & humanitas , quin inter se commiscerentur , convenêrunt in unionem sine divisione.* Et p. 23. num. 2. p. 24. num. 4. p. 34. num. 20. p. 47. num. 26. 39. 49. p. 48. num. 16. 22. 23. p. 55. num. 19. D. Leo Magnus : *Illa , quæ inseparabiliter acta sunt , nulla permixtione confundimus.*

Patrum testimonia. D Dionys. Areop. n. 13. D. Athanas. p. 1. n. 31. & p. 15. n. 64. D. Greg. Nyss. p. 2. n. 12. Metolig. n. 7. 8. D. Ephrem. p. 5. n. 18. 19. D. Procl. p. 5. n. 4. 11. D. Epiph. p. 8. n. 10. D. Greg. Naz. p. 1. n. 48. & p. 4. n. 5. & p. 5. n. 9. D. Cyril. p. 14. n. 9. & p. 16. n. 2. D. Leo serm. 6. de Passione.

11. *Abass.* Adverti suprà , D. Epiphanium à te prolatum num. 4. dicere : *Duo miscuit in unum.* Ergo datur mixtio inter divinitatem , & humanitatem. *Roman.* Non solùm D. Epiphanius, sed alii Patres , ut D. Chrysostomus , Nazianzenus , & Augustinus mixtionis nomine pro unione abutuntur ; sed statim cautè intelligendum advertunt. Nanzianzenus enim ait : *Hæc nova illa Dei , hominisque commixtio.* Et alibi : *Progressus Deus cum humanitate , unum ex duobus inter se contrariis , carne nimirùm , & spiritu ; quorum alterum divinitatem dedit, alterum accepit. O novam , & inauditam mixtionem !* Ubi notat Nicetas , optimus Nazianzeni scholiastes , mixturam hanc dici novam , & inauditam , quia partes ad illam coëuntes nullâ confusione percelluntur , sed integræ , illibatæque perdurant , cùm cæteras permixtiones confusio consequatur. Apertiùs infrà cap. 24. num. 182. & D. Augustinus : *In hominis persona mixtura est animæ , & corporis ; in Christi Persona mixtura est Dei , & hominis. Si tamen recedat auditor à consuetudine corporum , quâ solent duo humores permisceri , ut neuter servet integritatem suam.* Cùm igitur præter mixtionem , conversionem , confusionem , transitionem, & mutationem nullus alius sit modus , quo ex duabus naturis una confletur , planum est , dici non posse , unam in Christo

Mixtionis nomine pro nomine unionis Patres aliquando abutuntur. D. Epiph. in Anchorato. D. Chrys. p. 12. n. 15. D. Greg. Naz. Orat. 1. & 38. & 1. Paschat. Nicetas in Nazianz. D. Augus. Epist. 3. ad Volusian.

Digitized by Google

sto naturam factam ex duabus.

Partes, quæ sunt in certo genere terminatæ, in eo sunt totum.

12. *Abass.* Cum divinitas, & humanitas Christum sine mutatione, transitione, confusione, conversione, & mixtione afficiant, planum est, nullo ex iis modis unam ex iis naturam coalescere potuisse. Illam tamen concretionem Dei potentiæ reservemus. *Rom.* Sicut ex duabus personis ultimatè terminatis unam Deus exprimere non potest, ut ostensum cap. 13. num. 14. 15. 16. 17. ità neque ex duabus naturis suo in genere definitis. Sunt enim quædam substantiæ numeris omnibus absolutæ, & extremo fastigio naturaliter sibi debito coronatæ, quæ dicuntur totum absolutè, sive in omni genere, ut notatum lib. 2. cap. 11. num. 2. Eæ sunt personæ; quia ultra se, ut subsistant, & operentur, nihil exoptant. Aliæ, quæ certi generis termino potiuntur, & ideò vocantur totum in certo genere, sed ut extremæ perfectionis sint compotes, aliquid, quod ipsas deficit, & cujus sunt partes, anhelant. *Accidit enim* (ut de hac re loquens D. Gregorius Nazianzenus contra Apollinarem) *ut eadem res, quæ cum alia collata, perfecta est, alterius ratione imperfecta sit; ut collis cum monte collatus.* Quam doctrinam sic uberiùs explicat D. Joannes Damascenus. *Unaquæque res per se totum quoddam est; si autem cum toto comparetur, pars dumtaxat: Velut caput quidem per se totum est, pars autem corporis. Ad eumdem modum totum cum re alia latiùs patente comparatum, partis rationem subit: Verbi gratia, terra per se totum quoddam est, sed cum universo comparata, mundi pars dicitur.*

D. Greg. Naz. Orat. 51. ex Epist. 1. ad Cledō.

D. Joan. Damasc. lib. Physic. cap. 10.

Quod totū est in certo genere, dum tale manet, neque per Dei potentiam unum cum alia re simili facere potest.

13. *Abass.* Hæc me doctrina non latet; vellem autem illam rei præsenti coaptares. *Rom.* Res illa, quæ totum est in certo genere, si cum quavis alia, cujus ipsa pars non est, componatur, semper totum manet; pars autem solùm est, cùm ad suum totum accedit. Ut pollex cum manu collatus, illius pars est, quia ipsam cum quatuor aliis digitis componit; & ipsa in omnium collectione consistit; si autem pollicem ad indicem referas, ex ambobus in sua integritate manentibus, nequit unus digitus conflari, quia quilibet per se totum est, neque alter pars alterius, quacumque ratione copulentur. Ità divinitas, & humanitas, quæ partes sunt Personæ Christi, ut cap. 11. n. 12. in se ipsis consideratæ, totum quoddam sunt in genere naturæ; quia cùm perfectæ sint, ut cap. 10. num. 5. neutri quidquam deest ad suæ mensuræ plenitudinem; totum autem, & perfectum, ex Aristotele, reciprocantur. Ergo dum totum manent, nequit altera cum altera in ratione naturæ copulari; si enim eo pacto convenirent, alteram alterius, vel aliquis tertii partem esse, & totius dignitatem, & nomen amittere oporteret. Si verò Deus urgeret, ut simul duæ, & una essent, nihil aliud inani illa contentione obtineret, quàm ut contradictoria inveheret. Essent enim duæ, quia quælibet ipsarum totum est; & non essent duæ; quia per illam frustrationem una duabus subrogatur. Et huc recurrunt omnia absurda, quæ in simili unius, & duarum positione cap. 13. tàmquàm Syrtes vitanda prænuntiavimus. Quibus illud accedit, quòd cap. 19. demonstrandum; duas illas naturas differentiam suam servare, & alteram non esse alteram. Si una non est altera, quomodò ambæ una?

Ita se habent duæ in Christo naturæ.

Aristotel. 3. Physic. cap. 7. text. 64.

CAPUT XVIII.

Licèt divinitas, & humanitas non sint in Christo una natura, sunt tamen unum per unionem, ratione compositionis, unionis, & unitatis hypostaticæ.

Divinitas, & humanitas una non sunt, sed unum ratione unionis.

1. *Abass.* Si divinitas, & humanitas in Christo non sunt una natura, quâ Christus potitur unitate? *Rom.* Etsi divinitas, & humanitas in eamdem non demigrent naturam, *unum tamen sunt, non naturâ, sed coitione*, hoc est, unione, ut loquitur D. Gregorius Nazianzenus, eam doctriam hauriens ab antiquioribus D. Athanateo, & Justino. Hic enim ait: *Christi corpus non est Deus, sed cum eo divina dignitas, non natura communicata est.* Ille: *Non cognoscunt, Verbum carnem non sumpsisse, ut sit illi additamentum divinitatis suæ; sed esse illi carnem in unione.* Alibi: *Creatitiam hominis conditionem, non unitione Verbo propriam fieri, sed coæternam Dei naturæ fuisse, exæquatam identitate naturæ, impium est cogitare.* Et infrà: *Dei caro secundùm naturam* (verè, scilicet, non metaphorâ, vel opinione) *facta est; non quòd consubstantialis deitati Verbi, & coæterna sit; sed quòd propria illius caro per naturam facta sit; & indivisibilis ratione coadunationis.* Quo pacto licèt Pater, & Filius non sint unus, ideſt, una persona, sunt tamen *unum* ratione naturæ, in qua uniuntur. *Unio eorum*, inquit D. Athanateus, *est divinitas.* Similiter p. 14. n. 8. p. 15. num. 126. D. Basilius p. 2. n. 1. 2. 3. 4. 5. p. 4. n. 13. p. 5. n. 27. D. Gregorius Nyssenus p. 4. num. 38. D. Gregorius Nazianzenus p. 1. num. 2. 10. 16. 21. D. Cyrillus p. 2. num. 41. p. 55. num. 9. Sic quamvis divinitas, & humanitas una substantia non sint, sunt tamen unum ratione personæ, in qua copulantur.

Joan. 10. 30. D. Athanat. p. 4. n. 4.

Patrum de unione testimonia.

2. *Abass.* Istius unionis quinam alii Patres meminerunt? *Roman.* Omnes ferè. Arcaos: *Cùm carnem suam ex mortuis suscitavit, & amplius non moritur, eam fecit immutabilem, & incorruptibilem, unitam divinitati suæ.* D. Deonaceos: *Indutus substantia nostra in unione.* D. Agnateus: *Habitavit in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ propter unionem divinitatis.* D. Athanateus: *Unitum esse Verbum carni, quam sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria.* Et p. 15. num. 7.

Arcaos. n. 4. D. Dionys. Arcop. n. 10. D. Ignat. p. 1. n. 3. D. Athanat. p. 14. n. 10. 34. 36. 38.

Digitized by Google

83. 88. 92. 106. 123. 125. 128. 131. 135. D. Basilius : *Non in carne tantùm factum est hoc ; sed cùm esset ipsi unita divinitas.* D. Gregorius Nyssenus : *Post unionem illius non dividitur, neque miscetur.* D. Feliquis : *Scimus, fuisse nobis fratrem in opere novo, vestitum carne in unione.* D. Abolidis : *Ne quis dividat substantiam increatam à creata, & amba unum facta sunt* (non una) *in unione.* Metoligon : *Intelligimus unionem ejus inscrutabilem, & ineffabilem.* Ayocandius : *Credimus, veniſſe Dominum noſtrum, & conjunxisse divinitatem suam cum humanitate in una unione.* D. Ephrem : *Substantia hominis non transtulit in se substantiam divinitatis, neque prævaluit ei, quando unita est cum ipsa.* Infrà : *Non est caro, quæ adhæsit carni, sed est Deus, qui unitus est homini.* D. Heraclis : *Quando humananatus est, facta est caro ejus una cum ipso in Persona.* Quæ verba valdè notanda sunt. D. Epiphanius : *Divinitas ejus unita est carni.* Alibi : *Duo unum fecit, & fortem fecit carnem, quæ participavit divinitatem ; & fecit illam unam in conjunctione divina, & humana.* Alibi : *Carnem sibi sumpsit, & conjunxit in unione.* D. Gregorius Nazianzenus : *Verbum perfectum in Persona unitum substantiæ carnis.* Alibi : *In unione sua non fuit permixtus cum carne.* Infrà : *Nobis convenit loqui unionem Salvatoris noſtri per ineffabile mysterium.* D. Joannes Chryſoſtomus : *Creavit hominem ex Virgine, & induit, & unitus est ipsi.* Alibi : *Factus est pacificator inter utrumque, & ligavit duas substantias inter se unione.* D. Cyrillus. *Humanæ carni unitus est, postquam habitavit in utero.* Eodem modo part. 3. num. 15. 16. p. 6. num. 7. p. 7. num. 9. p. 14. num. 8. 9. part. 16. n. 1. 2. 5. p. 17. num. 1. p. 20. num. 7. p. 21. num. 4. 8. 9. 18. 35. 36. p. 22. num. 9. 10. 11. 15. 20. p. 24. num. 2. p. 32. num. 7. p. 34. num. 24. p. 42. num. 4. p. 47. num. 6. 28. p. 48. num. 9. 20. p. 51. num. 27. p. 52. num. 3. 27. 48. 72. 81. 97. 117. 161. 163. 167. p. 53. num. 19. p. 55. n. 73.

D. Basil. p. 5. n. 16. 23. 26.
D. Greg. Nyss. p. 2. n. 11.
D. Felix p. 2. n. 9.
D. Abolid. p. 1. n. 42. 44. 45. 56. 58. 60. p. 3. n. 1. 2. p. 8. n. 13. p. 9. n. 2. 12. 14.
Metolig. n. 11.
Ayocand. n. 4.
D. Ephrem. p. 5. n. 12. 18.
D. Procl. p. 2. n. 12. & p. 4. n. 2. 6.
D. Epiph. p. 3. n. 17. p. 8. n. 12. p. 9. n. 17. p. 11. n. 4.
D. Greg. Nazianzen. p. 2. n. 3. p. 4. n. 4. 23.
D. Joannes Chryſoſt. p. 4. n. 5. p. 12. n. 2.
D. Cyril. p. 2. n. 38.

3. *Abaſſ.* Sicut conglutinata est anima Jonathæ animæ Davidis ſecum colloquentis, ſic meus animus tibi de Chriſti unione teſtimonia congerenti. *Rom.* Ut tuus animus mihi arctiùs adhæreſcat, ſcias, unionem illam à Patribus veram appellari. Metoligon : *Dicimus, non hinc ſequi ſermonem mixtionis propter rem unionis ejus veræ.* D. Cyrillus : *Convenerunt inter ſe in veræ unione.* Alibi : *Quòd dicamus, esse unum per veram unionem.* Dicitur autem vera, quia verè non phantaſticè divinitas, & humanitas ſunt invicem copulatæ. D. Gregorius Nyſſenus : *Unitus est verè, & non phantaſticè.* D. Cyrillus : *Caro autem una est cùm ipſo verè.* Et quia vera non fuit hæc unio, illam ſecundùm naturam factam docet D. Athanateus ſuprà num. 1. & D. Cyrillus p. 20. num. 7. & p. 51. num. 23 & p. 52. num. 83. dicit naturalem, atque ſubſtantialem ; quia quæ à natura fiunt, vera ſunt. Non autem, quòd ex duabus ſubſtantiis una confletur, ut volunt Hæretici, qui ideò vocant unionem ſubſtantialem, & perſonalem, altero verbo alterum deſtruentes. Nam ſi est unio perſonalis, eſſe non poteſt ſubſtantialis in eo ſenſu, ut infrà oſtendemus. Ii ſunt, Deonaceos p. 3. num. 10. p. 4. num. 3. Cyriacus p. 1. num. 4. Gabriel. num. 4. Quem errorem fallax Interpres obtruſit D. Athanateo p. 8. num. 57. p. 15. num. 120. D. Abolidi p. 3. num. 3. Nazianzeno p. 1. n. 4. 5. p. 4. num. 27. D. Cyrillo p. 55. n. 76. & aliis paſſim, ut volentes affirment, unionem factam in una perſona (quod verum eſt) & in una ſubſtantia (quod inſanum) Ex eo autem, quòd vera ſit hæc unio, tria ſequuntur. Primum, quòd in Chriſto ad unionem duo concurrant ; ſitque ipſe unus ex duobus. Secundum, quòd illa duo diviſa, vel ſeparata non ſint, ſed verè connexa. Tertium, quòd illa duo firma in ſua naturali integritate, illæſáque citra mutationem, converſionem, mixtionémve perſiſtant ; ſitque proindè Chriſtus unus in duobus.

Christi unio à Patribus vera appellatur. 1. Reg. 18. 1.
Metoligon. n. 8.
D. Cyril. p. 21. n. 6. p. 47. n. 25.
D. Gregor. Nyſſ. p. 4. n. 12.
D. Cyril. p. 52. n. 78.
Appellatur etiam unio eſſentialis.

4. *Abaſſ.* Cur unionis veritas exigit, ut duo ad illam concurrant ? *Rom.* Quia, ut jam dictum cap. 2. num. 12. ex D. Cyrillo : *Ubi unitio dicitur, non unius rei declaratur convertus, ſed duarum, vel plurium ſecundùm naturam.* D. Athanateus : *Caro, & quod non habet carnem, convenerunt ſimul.* D. Abolidis : *Ipſe verò locutus est de conjunctione totius divinitatis cum humanitate.* D. Ephrem : *In ſimilitudine margaritæ pretioſæ, qua unitur ex duabus ſubſtantiis.* D. Epiphanius : *Divinitas, & humanitas unitæ ſunt ſimul in eſſe unius Domini.* Divus Gregorius Nazianzenus : *Subſtantia divinitatis, & ſubſtantia humanitatis unitæ ſunt, & factæ ſunt una Perſona.* D. Cyrillus : *In forma hominis operatus est in conjunctione duarum ſubſtantiarum.* Infrà : *Unus est homo in unione ex duobus, quæ ſunt anima, & corpus.*

Unio duo connotat. D. Cyril. Epiſt. 30.
D. Athan. p. 8. n. 3.
D. Abolid. p. 5. n. 3.
D. Ephrem. p. 5. n. 2.
D. Epiph. p. 12. n. 10.
D. Greg. Naz. p. 1. n. 50.
D. Cyril. p. 47. n. 94. n. 55.

5. *Abaſſ.* Unum ex duobus Chriſtum noſtri facilè concedunt. *Rom.* Rectè quidem cum multis Patribus. D. Gregorius Thaumaturgus. *Unus est ex duobus, ſcilicet, ex divinitate, & humanitate ſimul ; & fecit duo unum.* D. Athanateus : *Unum ex duobus conſtantem.* D. Abolidis : *Hic est unus, qui factus est ex duobus.* D. Epiphanius : *Non fecit mixtionem, ſed duo unum fecit.* D. Gregorius : Nazianzenus : *Unum ex duobus inter ſe contrariis, carne mortuum, & ſpiritu.* Alibi : *Factus est unus Meſſias ex duabus ſubſtantiis, divinitatis, & carnis.* Alibi : *Conjunxit duo in virtute.* D. Cyrillus : *Unus est ex duobus, ideſt, ex divinitate, & humanitate.* p. 22. num. 6. 10. 11. p. 23. num. 2. p. 24. num. 2. p. 32. n. 7. p. 47. num. 49. 53. 54 p. 48. num. 2. p. 52. num. 116. p. 53. num. 15. 19. 43. p. 53. num. 38. ſed ad veritatem unionis non ſufficit, ut quod unitum eſt, ſit ex duobus, quæ jam deleta, vel mutata fuerint ; ſed opus eſt, ut ſit in duobus, quæ actu perſiſtant. Quod de Chriſto ſic teſtatur D. Gregorius Nazianzenus : *Unum ex utroque per unum.* De quo n. 7. 8. 9.

Unus est Chriſtus ex duobus.
D. Greg. Thaum. p. 1. n. 5.
D. Athan. In Evang. de Sanctiſſima Deipara.
D. Abolid. p. 5. n. 3.
D. Epiph. p. 8. n. 10.
D. Greg. Naz. Orat. 38. & p. 2. n. 5. p. 4. n. 35.
D Cyril. p. 21. n. 7.

6. *Abaſſ.* Quomodò conſtat id, quod ſecundo loco dixiſti, illa, quæ ad veram unionem

D. Greg. Naz. Orat. 1. Quod unitum eſt, uõ admittit ſeparationẽ.

Digitized by Google

unionem conveniunt, non esse divisa, neque separata? *Rom.* *Quod est seorsim*, inquit D. Cyrillus, *non est unitum.* Et Theodotus Ancyranus: *Si aliquis eorum quidpiam esse cogitat in alio loco; ergo tu ipse fuisti destructor unionis.* Alibi: *Quod unitum est, nequaquàm duo, sed unum nominatur.* Si ergo hîc datur unio, duæ res dari debent, quæ illius fibula colligentur; si verò sunt colligatæ, non possunt simul esse disjunctæ, atque dissipatæ; si non sunt disjunctæ, neque dissipatæ, non sunt plures, sed unum. Unum autem non sunt in seipsis, sed in re, in qua conjunguntur; conjunguntur verò in persona; ergo sunt unum in persona, licèt in seipsis altera non sit altera. Sicut plures flores unum sunt in fasciculo; plures gemmæ unum in monili; plura membra unum in corpore, & in persona. Quâ similitudine utitur D. Paulus: *Sicut*, inquit, *corpus unum est, & membra habet multa, omnia autem membra corporis, cùm sint multa, unum tamen corpus sunt. Ità & Christus.* Eamdem usurpat D. Abolidis p. 1. num. 13.

D. Cyril. p. 48. n. 26. Theodot. Ancyr. Orat. 3. & p. 3. n. 3.

1. Cor. 12. 11.

D. Abolid. p. 1. n. 13.

7. *Abass.* Quid illud, quod tertiò addidisti: illa duo, quæ ad veram unionem concurrunt, firma, & illæsa in sua integritate permanere? *Rom.* Ubi datur vera unio, datur compositio; ubi compositio intercedit, partes, quæ illam efficiunt, incolumes perennant, juxta illam definitionem D. Joannis Damasceni: *Unio, quæ fit per compositionem, est partium inter se sine ullius exitio commeatio*; de quo lib. 2. cap. 11. n. 3. Ut in corpore, & anima, & in membris se res habet; hac enim omnia suam servant integritatem; & in homine, ac corpore sortiuntur unitatem, ut proximè dictum est. Talis est unio duarum naturarum, cùm earum nulla à sua integritate desciscat, ut ostensum cap. 17. per totum.

In unione compositionis partes integræ perseverant.

D. Joann. Damasc. lib. de Dialectica cap. 64.

8. *Abass.* Subjecisti etiam, illa unione omnem mutationem, conversionem, mixtionémque excludi. *Rom.* Ità plenè; quia cùm in unione per compositionem partes nullum sentiant interitum, mutationem quoque, conversionem, & mixtionem ignorant, in quibus vel omnes partes componentes, vel saltem aliquæ corruptione perduntur. Sic Metoligon: *Dicimus, non esse mixtionem, neque aliam rem similem; neque hinc sequi sermonem mixtionis propter rem unionis.* D. Ephrem: *Perfectus est in suo proprio; & ulterius perfectus est in eo, quod sumpsit sine divisione, & sine mixtione.* D. Gregorius Nazianzenus: *In sua unione non fuit permixtus cum carne sua.* Alibi: *O miraculum unionis, quæ non permiscetur!* D. Cyrillus. *Hanc unionem intelligimus sine mixtione.* Alibi: *Operatus est in conjunctione duarum substantiarum in unione, sine divisione, & mixtione, & mutatione. Quia caro est, & non divinitas.*

Unionis veritas omnem mutationem, & conversionem excludit.

Metoligon. n. 2.

D. Ephrem. p. 5. n. 15.

D. Greg. Nazianz. p. 4. n. 4. p. 5. n. 8. D. Cyril. p. 14. n. 9 & p. 24. n. 4. & p. 47. n. 49.

9. *Abass.* Cur ratione istius unionis absque mixtione, & conversione Christus est non solùm ex duobus, sed in duobus? *Rom.* Ex duobus tantùm sunt illa, quæ conversionem, & mixtionem patiuntur; non tamen in duobus; quia illa duo in ipsis non permanent. Sic humanum corpus est non solùm ex duobus, sed ex quatuor elementis; non tamen est in illis; quia elementa in eo actu non perdurant. At homo non solùm est ex corpore, & anima, sed in corpore & anima; quia ex iis componitur, & in ipsis actu persistit. *Singula hominum persona*, inquit D. Joannes Damascenus, *duplicem naturam habent, & in duabus naturis, hoc est, anima, & corpore censentur.* Quòd homo sit in corpore, testatur D. Paulus: *Dum sumus in corpore, peregrinamur à Domino.* Alibi: *Ego stigmata Domini mei JESV in corpore meo porto.* De anima verò in libris Regum: *Et adhuc tota anima mea in me est.* Psaltes: *In me turbatum est cor meum*; Idest, anima. Hoc ergo Patres imuunt, cùm tradunt, Christum esse in divinitate, & in humanitate.

Quid sit, esse Christũ in duobus.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de de Fide. cap. 3.

2. Cor. 5. 6. Galat. 6. 17.

2. Reg. 1. 9.

Ps. 142. 4.

10. *Abass.* Illos percurre. *Rom.* D. Deonaceos: *Factus est ex nostra substantia verè, & nihil diminutum est ex substantia divinitatis ejus.* D. Gregorius Thaumaturgus: *Imago Filii Dei veri deos nos faceret; & Filius hominis in carne, Dominus noster JESVS Christus.* D. Athanateus. *Hic est unigenitus Filius Dei in spiritu, & Filius hominis in carne.* Alibi: *Verbum non est mutatum à substantia divinitatis suæ, cùm esset in carne.* Alibi: *Cùm Deus esset, assumpsit carnem, & in carne existens deificat carnem.* Alibi: *In carne quidem Verbi passionem, & mortem confiteamur; ipsum tamen Verbum incommutabile, & inalterabile esse, Fide cognoscamus.* Alibi: *Cùm esset Deus, homo factus est, ut salvaret credentes in hominis forma.* Infrà: *Forma servi, quæ fuit in Verbo.* D. Gregorius Nyssenus: *Apparuit in carne, & est Deus.* Infrà: *Apparuit in carne propter nos, cùm esset in forma Dei; & factus est cum hominibus in forma servi.* Alibi: *Semper permanet in sua divinitate, & humanitate.* D. Aforosius: *Servemus distinctionem divinitatis, & carnis, quia in eodem utraque natura est.* Infrà: *Quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est. Quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.* Alibi: *Aliud munus è terris, aliud munus à cœlo; & utrumque unus, in utroque perfectus.* Alibi: *Sicut Deo nihil deerat, ità nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma.* D. Abolidis: *Deus perfectus in carne, & homo perfectus in spiritu; non duo filii, sed unus germanus.* D. Cyrillus: *Apparuit in similitudine nostra, & hæc est imago, per quam homo factus est.* Infrà: *Deus permanebit in humanitate, & est Dominus in forma servi; & in ipsa perfecit divinitatem in imagine paupertatis nostræ.* Alibi: *Sicut est perfectus in divinitate, ità etiam perfectus in humanitate.* Quod etiam habet in Epistola ad Joannem, & Acacium. D. Epiphanius: *Se ipsum exinanivit, non ut, quod liberum erat, in servitutem redigeret, sed ut in forma, quam assumpsit, obedientes servos liberaret.* Infrà: *In carne inter nos versatus est, non apparentiâ,*

Patrum testimonia. D. Dionys. p. 1. n. 11. D. Greg. Thaum. p. 2. n. 6. D. Athanas. p. 10. n. 4.

P. 15. n. 61.

Orat. 4. cont. Arian. Lib. de Incarn. Christi.

Idem de salut. Christi advent. contr. Apollinar. D. Greg. Nyss. p. 1. n. 6. 11. P. 2. n. 22.

D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 4. & p. 2. n. 1.

Lib. 3. c. 4. Epist. 47. D. Abolid. p. 2. n. 4.

D. Cyril. p. 2. n. 2. 3.

P. 48. n. 39. & Epist. 28. 29.

D. Epiphan. in Anchoraro. Phil. 2. 7.

Digitized by Google

parentiâ, ſed veritate. Infrà: *Cum proprio corpore ſuæ deitatis, & cum propria ſubſtantia Dei Verbi in ſubſtantia exiſtentis.* Infrà: *In ipſo corpus ſpirituale, in ipſo deitas incomprehenſibilis.* D. Auguſtinus: *Firmiſſimè tene, & nullatenùs dubites, Dei Verbum, quod caro factum eſt, in duabus naturis inconfuſibiliter permanere: una divina, altera humana.* Arnobius graviſſimus auctor, qui Divi Cyrilli tempore vivebat: *Credentes*, inquit, *Deum in Chriſto, & Chriſtum IESVM in gloria Patris ità unam deitatem habere, ſicut in duobus oculis unus eſt aſpectus; in duabus auribus unus auditus; in geminis naribus idem eſt odoratus. Ità & in his duabus ſubſtantiis Dei, & hominis unus eſt Dei Filius.* Taxare igitur Divum Leonem nemo poteſt, cùm dixit: *Qui factus eſt forma ſervi, forma Dei eſſe non deſtitit; ſed unus in utroque eſt.* Et in quadam Epiſtola: *Nec Verbum in carnem, nec in Verbum caro mutata eſt; ſed utrumque in uno manet, & unus in utroque eſt.* Et Concilium Chalcedonenſe in Fidei determinatione: *Unum, eumdemque Chriſtum, Filium, Dominum, Unigenitum in duabus naturis inconfuſè, immutabiliter, indiviſè, inſeparabiliter cognoſcendum.*

D. Auguſt. vel Fulgent. De Fid. ad Petr. cap. 16. Arnob. jun. lib. de Deo Trino, & uno. D. Leo ſerm. 7. de jejun. 7. menſis, & Epiſt. ad Julian. Concil. Chalcedon.

11. *Abaſſ.* Quod nomen peculiariter huic unioni, quæ Chriſtum reddit unum, non ſolùm ex duobus, ſed etiam in duobus, accommodandum? *Rom.* Hypoſtaticam, ſivè perſonalem. Patres nominârunt, quia facta eſt in Perſona. D. Gregorius Nazianzenus: *Subſtantia divinitatis, & ſubſtantia humanitatis unita ſunt, & facta ſunt una Perſona.* Recole ſententiam Divi Heraclis ſuprà numer. 2. allegatam. Divus Cyrillus: *Verbum unitum eſt animæ rationali, & carni in una Perſona.* Infrà: *Factus eſt unus cum humanitate in una Perſona.* Infrà: *Qui eſt Verbum, & caro perfecta, in qua eſt anima rationalis, quæ unita eſt ipſi in una Perſona.* Alibi: *Factus eſt homo in una Perſona, & in una facie, ſine diviſione omninò.* Hæc autem hypoſtaſis, Perſona eſt Verbi divini. Divus Athanaſius: *Caro unita erat Verbo Dei.* Infrà: *Caro invênit majeſtatem, & magnam amplitudinem, quam participavit in unione ſua cum Verbo.* D. Joannes Chryſoſtomus: *Quia Deus Verbum ſumpſit ex noſtra ſubſtantia perfectam humanitatem, in qua eſt anima, & ratio perfecta, in ſua Perſona.* D. Gregorius Nazianzenus: *Verbum perfectum in Perſona, unitum ſubſtantiæ carnis.* D. Cyrillus: *Quia humanitas quidem ecce facta eſt Verbi, & una cum ipſo eſt.* Alibi: *Bonum eſt dicere, veram Dei Verbi nativitatem in carne, quam ſibi univit.* Concilium Epheſinum apud eumdem: *Si quis non credit in Verbum Dei Patris, quòd ipſum ſit unum cum carne in una Perſona; & quòd Dominus noſter Chriſtus unus ſit cum carne ſua, exiſtens Deus, & homo; anathema ſit.* Græcus textus habet: *Si quis non confitetur, Dei Patris Verbum ſecundùm hypoſtaſim unitum &c.* Conſonant aliqui ex Hæreticis, unionem hanc perſonalem appellantes; ut Senuteon: *Hæc*, inquit, *caro Dei Verbi habet animam intellectualem & rationalem, & unitur in Perſona.* Similiter ii, quos allegavimus num. 3. ſed eſſentialem malo ſenſu addentes, quod rectè dixerant, everterunt.

Unio hæc dicitur hypoſtatica, ſeu perſonalis. D. Greg. Naz. p. 1. n. 51. D. Procl. D. Cyril. p. 21. n. 5. 15. 45. D. Athan. p. 15. n. 67. 125. D. Joan. Chryſ. p. 8. n. 5. D. Greg. Naz. p. 2. n. 3. D. Cyril. p. 48. n. 55. P. 52. n. 8. P. 20. n. 2. Concil. Epheſ. Can. 2. Senuteon. p. 1. n. 17.

12. *Abaſſ.* In quo differt unio perſonalis, ſivè hypoſtatica ab unione eſſentiæ? *Rom.* Unio eſſentiæ naturæ partes in ipſo tantùm ſui exordio ità arctè conſtringit, ut quacumque ipſius ſublatâ, tota dilabatur; & ſi jam perfectæ, & in ſua integritate conſtitutæ aliquid adjiciatur, ipſa pereat, & in quid tertium ſub alio nomine immutetur; ut dicendum cap. 25. num. 6. & 7. Unio verò perſonæ plures naturas ſivè perfectas, ſivè imperfectas, ſivè ſubſtantiales, ſivè accidentales, ſivè ſuam naturalem ſibi à principio innatam, ſivè aliàs poſtèà advectas copulat; quibus ſi augeatur, eas omnes ad ſe, ſuúmque nomen trahit: Si autem privetur (præter eam, quæ eſſentiam conſtituit) non idcircò labefactatur. Sic Petri perſona ipſius naturam, quæ eſt corpus, & anima (ſine quibus ſubſiſtere non poteſt) carnem, oſſa, capillos, quatuor humores naturâ diverſos, & accidentia, ad naturam non ſpectantia, copulat; quæ ſi ab eo auferantur; vel aliquid addatur; ut tertia manus, vel ſextus digitus, vel tumor inſolens; non ideò evertitur, neque mutatur. Hujus unionis definitio ex D. Athanaſeo, & Damaſceno ſic colligitur à Gilberto Genebrardo: *Unio hypoſtatica eſt illa, qua differentes eſſentias, ſive naturas in unam perſonam, eamdémque ſubſiſtentiam copulat.* Cùm ergo unio in Chriſto duas naturas Verbo: alteram divinam, ipſi eſſentialem; alteram humanam, ipſi hoſpitam, peregrinámque connectat; & ex iſtius adjectione ipſius Perſona non mutetur, & amotione nihil damni patiatur; conſequens eſt, ut & ipſa, & unitas ex ipſa conſurgens dicatur perſonalis, ſive hypoſtatica.

Unionis hypoſtaticæ definitio. D. Athan. lib. de definit. D. Joan. Damaſc. lib. de Dialect. c. 64. Genebrard. in Symb. D. Athan.

13. *Abaſſ.* Qualis eſt hæc unitas? *Rom.* *Quod unitum eſt*, ut jam dixi num. 6. ex Theodoto Ancyrano, *nequaquam duo, ſed unum nominatur.* Ergo ubi eſt unio, datur unitas; cùm verò hæc unio fit in perſona, unitas etiam vocatur perſonalis, ſeu hypoſtatica, ſecundùm ſubſiſtentiam; de qua Divus Athanaſeus: *Qui licèt Deus ſit, & homo, non duo tamen, ſed unus eſt Chriſtus: Unus autem non converſione divinitatis in carnem, ſed aſſumptione humanitatis in Deum: Unus omninò non confuſione ſubſtantiæ, ſed unitate Perſonæ.* Cujus unitatis crebra eſt mentio in Conciliis, ut in quinta Synodo generali Canon. 4. & 7. Et apud Divum Cyrillum quater in priori Epiſtola Synodiça ad Neſtorium, quæ eſt octava. Et ter in ſecunda, quæ eſt decima. Imò in prio-

Unitas hypoſtatica oritur ex hanc unionem. Theod. Ancyr. Orat. 3. D. Athan. in Symb. D. Cyrill. Epiſt. 8. & 10.

Digitized by Google

ri totam hujus mysterii explicationem confert in hanc unionem : *Si*, inquit, *unitionem secundùm subsistentiam, vel quasi impossibilem, vel quasi indecoram recusamus, incidimus, ut duos dicamus filios.* En totam radicem Christi unitatis à Divo Cyrillo, inter cæteros perspicaci mysterii Trinitatis scrutatore, in unione personali constitutam, absque illa unum intelligi non posse, contestante. Cùm ergo Christum unum dicimus, non aliam, quàm istam agnoscere debemus unitatem, sive illum dicamus unum absolutè ; ut Divus Abolidis part. 1. num. 6. Divus Cyrillus p. 2. num. 15. 31. 36. p. 3. num. 12. part. 18. num. 1. 12. p. 53. num. 41. Sivè Christum, aut Verbum unum cum carne ; ut D. Abolidis p. 1. num. 58. p. 5. num. 7. D. Heraclis p. 5. num. 3. D. Cyrillus p. 17. num. 1. p. 20. num. 3. p. 51. num. 24. 25. 29. p. 52. num. 165. Sivè unum cum Verbo Dei ; ut D. Chrysostomus p. 8. num. 23. Sivè unum cum divinitate, ut D. Epiphanius p. 4. num. 6. Sivè carnem unam cum eo, ut D. Heraclis p. 3. num. 13. D. Aforosius p. 1. num. 3. D. Epiphanius p. 8. num. 17. D. Chrysostomus p. 10. num 5. D. Cyrillus p. 2. num. 15. p. 17. num. 1. p. 20. num. 4. p. 40. num. 1. p. 47. n. 28. p. 51. num. 15. 70. p. 52. num. 165. Sivè carnem unam cum divinitate, ut Ayocandius num. 7. Sivè unam cum Verbo, ut D. Joannes Chrysostomus p. 11. num. 2. D. Cyrillus p. 4. num. 33. p. 51. num. 8. p. 52. num. 72. 29. Malè autem dixit Interpres apud D. Athanateum, unam substantiam cum carne sua. Corrige : unam hypostasim ; quia ex Verbo, & carne effici potest una hypostasis, non substantia, ut declaratum cap. 16. Optimè tamen apud D. Cyrillum, *Unus est in Persona cum carne sua* ; quia in una Verbi Persona utraque substantia suam differentiam, & proprietates sartas, tectásque tuetur.

Quocumque modo Christus unus dicatur, semper unitas hypostatica intelligenda.

D. Athan. p. 14. n. 24.

D. Cyril. p. 53. n. 59.

CAPUT XIX.

Divinitas, & humanitas suas in Christo servant differentias, & ideò esse non possunt una natura.

Differentiæ naturarum integræ manent.

1. *Abass.* Expone quid sit, utramque substantiam suas differentias sartas, tectésque tueri. *Roman.* Quid sit differentia lib. 2. cap. 9. indicavimus ; nempè, illam esse notam, quâ res ab aliis, vel à se ipsa alio, atque alio tempore secernitur. Divinitatis quidem differentiæ sunt, esse illimitatam, æternam, & increatam ; humanitatis autem, esse rationalem sensibiliter, creatam, & limitatam. Quas differentias in Christo utraque natura conservat. Nam, ut ait Divus Joannes Damascenus, *creatum mansit, quod creatum est ; increatum, quod increatum ; quod mortale est, mortale ; & immortale, quod immortale ; circumscriptum, quod circumscriptum ; & incircumscriptum, quod incircumscriptum ; visibile, quod visibile, & invisibile quod invisibile.*

Porphyrius in Isagog cap. de differenc.

D. Ioannes Damasc. 3. de Fid. cap. 3. & 8. & 21.

Patrum testimonia.

D. Dionys. Areop. de divin. nom. cap. 1.

D. Hippol. lib. de Theolog. & Incarn.

D. Feliz, p. 2. n. 2.

D. Ambros. p. 2. n. 1.

Ex lib. 2. de Fid. cap. 4. & lib. de Incar. Dom. Sacr. cap. 7.

D. Amphil. lib 1. contr. Arian.

D. Cyril. Epist. 2. ad Nestor. p. 23. n. 6. p. 22. n. 6. p. 53. n. 14.

Lib. ad Imperat. Theodos. Epist. 28. ad Joannem.

Lib. de Incarn. c. 12.

Ibid. c. 24.

2. *Abass.* Assentiuntur Patres alii Damasceno ? *Rom.* Innumeri ; & signatim D. Deonaceos Areosfagos, D. Hippolytus, Feliquis, Aforosius, Amphilochius, & Cyrillus. Quorum prior : *Est*, inquit, *distincta nostra in IESU, perfecta, immutabilisque essentia, quaque sunt ejus humanitatis essentia propria mysteria.* D. Hippolytus : *Scimus, manere semper secundùm naturam sine mutatione ipsorum substantiarum differentiam.* Et infrà : *Mysterium divinæ Incarnationis ab Apostolis, & Prophetis, & Doctoribus indicatum est, duplicem, & differentem considerationem naturalem in omnibus subire : perfectæ divinitatis, & perfectæ humanitatis.* D. Feliquis : *Nomen duarum substantiarum partitum est omni tempore in opere, & in re ; quæ sunt divinitas, & humanitas.* D. Aforosius : *Servemus distinctionem divinitatis, & carnis.* Alibi : *Non Christum divido, cùm carnis ejus, divinitatisque distinguo substantiam.* D. Amphilochius : *Discerne jam naturas Dei, & hominis.* D. Cyrillus : *Differunt quidem, quæ ad unitatem veram collatæ, natura ; unus verò ex utrisque Christus, & Filius ; non quasi differentia naturarum ablata propter adunationem.* Quæ verba confusè vester vobis Interpres obtrusit. Alibi : *Agnoscimus, ipsum esse unum ex duabus substantiis, quarum opera differunt.* Alibi : *sicut agnoscimus distinctionem duarum substantiarum, ex quibus factus est Christus, quæ sunt divinitas, & humanitas, ità illas nunquàm dividimus post unionem.* Alibi : *Asserimus concursum quemdam, & conventum suprà rationem in unione inequalium, & dissimilium naturarum.* Alibi : *Unus est Dominus IESUS Christus, quamvis naturarum differentia, ex quibus inexplicabilem illam unionem factam dicimus, neutiquam ignoretur.* Alibi : *Unum, eumdemque Christum esse dicimus, non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.* Infrà : *In Verbi natura, & humanitatis solam nobis differentiam designat diversitas naturarum. Unus enim ex utroque intelligitur Christus.*

Differentiarum munera in duabus Christi naturis.

3. *Abass.* Quid divinitati, & humanitati suæ conferunt differentiæ ? *Rom.* Primò, ut divinitas, & humanitas non sint idem. Secundò (quod re idem est, solis autem verbis diversum) ut divinitas non sit humanitas : nec humanitas divinitas. Tertiò, ut aliud sit divinitas, aliud humanitas. Quartò, ut alia sit natura divinitatis, alia humanitatis. Quintò, ut singulæ per se consideratæ sint quiddam, & quidam ; hoc, & illud ; unum, & unum ; simul autem, utrumque. Sextò, ut quædam de altera, non verò de altera dici possint. Non autem separationem duabus naturis suæ tribuunt differentiæ, sed solam, servata unione, distinctionem.

Divinitas, & humanitas non sunt idem.

4. *Abass.* Cur non sunt idem divinitas,

Digitized by Google

tas, & humanitas? *Rom.* Id, quod ab alio differt, non est idem cum illo in eo, in quo differt, ut docuimus lib. 2. cap. 9. num. 3. Si ergo divinitas, & humanitas differunt, non sunt idem. D. Agnatеus. *Verè genitus est ex Deo, & ex Virgine; verùm non simili modo. Nec enim idem est Deus, & homo.* D. Hippolytus. *Qui est idem cum Patre, nulla penitus re factus est idem cum carne propter exinanitionem.* D. Athanateus: *Impium est sentire humanitatem idem esse cum Verbo identitate naturæ, non unione.* D. Gregorius Nazianzenus: *Aliud, atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator constat. Nisi verò id, quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum aspectum cadit; & quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest.* D. Cyrillus: *Qui dicit, Verbum carnem factum esse, significat, carnem non idem esse cum Verbo.* Alibi: *Mens quidem naturarum diversitatem contemplatur; neque enim idest deitas, & humanitas.* Vide infrà n. 6. testimonium D. Joannis Chrysostomi.

D. Ignat. Epist. 5 ad Trallian.

D. Hippol. lib. de Theolog. & Incarnat.

D. Athan. lib. de Incarn. Christi.

D. Greg. Nazianzen. Orat. 51. ex Epist. 1. ad Cledon.

D. Cyril. p. 48. n. 3. Lib. ad Imperat. Theodos.

Caro non est divinitas, nec è contra.

5. *Abass.* Planè, si deitas, & humanitas non sunt idem, nec deitas est humanitas, nec humanitas deitas. *Rom.* Miles es in Patrum castris succenturiatus, illi enim ità censuerunt. Vide D. Justinum suprà cap. 7. n. 5. D. Athanateus in Epistola ad Epictetum: *Verbum, quod non fuit caro in substantia, carnis passionem sibi attribuit.* Deindè Christi verba ad Discipulos exponens: *Palpate, & videte, quia Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere*, subdit: *Ipse non dixit, quemadmodùm videtis, quia ego os, & caro sum; sed dixit: sicut me videtis habere.* Et infrà: *Non cognoscunt, Verbum carnem non sumpsisse, ut sit illi additamentum divinitatis sua, sed esse illi carnem in unione.* Ibidem notat, Nicænos Patres non dixisse carnem Verbo, sed Verbum, seu Filium Patri consubstantialem. *Patres*, inquit, *nos docuerunt, carnem non esse Verbum in substantia sua, sed carnem Verbi.* Quem iisdem penè verbis Latino idiomate expressit. D. Aforosius: *In suo tractatu Patres Nicæni non carnem, sed Dei Verbum unius dixêre cum Patre substantiæ.* Infrà: *Ostendebatur per corporis veritatem, quia caro non erat Verbum, sed caro Verbi.* D. Cyrillus: *Verbum impassibile est in divinitate sua, quia non est caro, sed in carne tantum passum est.* Alibi: *Etsi Deus factus est caro, Verbum adhuc Deus est, & non caro.* Alibi: *Si diceremus, carnem esse æqualem Verbo, & à principio; ergo conveniens esset verè dicere, ipsam elevari ad illud, ad quod ejus substantia elevatur, & nihil superesse; ipsa autem persistit caro tantùm.*

D. Athan. Epist. ad Epictetum. p. 15. n. 81.

Luc. 24. 39.

N. 104.

N. 113.

N. 76.

D. Ambros. lib. de Incarn. Dom. Sacr. c. 6.

D. Cyril. p. 21. n. 22. ex Epist. 10. ad Nestorium & p. 47. n. 50. ex Epist. 1. ad Success. p. 55. n. 56.

6. *Abass.* Si ex eo, quòd divinitas non sit humanitas, nec humanitas divinitas, consectarium est, aliud esse divinitatem, aliud humanitatem, duæ erunt in Christo personæ; alia divinitatis, alia humanitatis sicut tres sunt in Trinitate, quia secundùm D. Athanateum: *Alia est persona Patris, alia Filii, alia Spiritus Sancti.* *Roman.* Memineris traditæ à me doctrinæ suprà capit. 12. numer. 7. & lib. 2. capit. 9. ex Divo Gregorio Nazianzeno. Divo Augustino, & Vincentio Lirinensi; *In Trinitate esse alium, & alium* (quia alius, & alius personis adaptatur) *non aliud, & aliud* (quia nihil substantiale habet una Persona, quod alia non habeat) An in Christo esse aliud, & aliud (quia aliud est divinitas, aliud humanitas) *non alius, & alius* (quia non est alius Deus, alius homo, sed idem, qui simul est utrumque) Divus Hilarius: *Cùm aliud sit ante hominem Deus: aliud sit homo, & Deus: aliud post hominem, & Deum totus homo, & totus Deus; ne confundas temporibus, & generibus dispensationis Sacramentum.* Divus Ephrem: *Non est una forma hujus lapidis, sed in ipso est alia à priori. Eodem modo Filius Dei natus est in Persona.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Alterum quidem jam existens sempiternè ex sempiterno; alterum nostræ salutis causa posteà factus.* Infrà: *Progressus autem Deus cum humanitate; unum ex duobus inter se contrariis; carne nimirùm, & Spiritu; quorum alterum divinitatem dedit, alterum accepit.* Quæ verba commentatus Divus Joannes Damascenus, ait: *Dicens alterum, & alterum, duas naturas profectò indicavit.* Divus Aforosius: *Aliud est, quod assumpsit, & aliud, quod assumptum est.* D. Augustinus: *Sicut in homine aliud est corpus, & aliud anima, sic in uno Mediatore aliud Dei, & aliud hominis filius; sed idem tamen, & non alius Dei, atque hominis Filius.* Alibi: *Per hoc & minor est factus, & mansit æqualis; utrumque unus. Sed aliud est propter Verbum, aliud propter hominem; propter Verbum æqualis Patri, & propter hominem minor.* D. Joannes Chrysostomus: *Cùm audis: Et habitavit in nobis, intellige. Quod inhabitat, non idem est, quod habitaculum; sed alterum in altero inhabitat.* D. Eustathius Antiochenus: *Aliud est, quod inhabitat, aliud, quod inhabitatur.* D. Cyrillus: *Intelligitur certè tamquàm alius in alio inhabitare; idest, divina natura in humanitate, non perpessa commixtionem, aut confusionem, ut esset, quod non erat.* Alibi: *Ipse & largitur Spiritum, & accipit; sed alterum, ut Deus; alterum, ut homo.* Idem in illa verba Christi apud Joannem: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum: Cùm Deus simul, & homo sit, propter alterum sublimis, propter alterum humilis natura est.* Paulus Emesenus in homilia, quam habuit Alexandriæ, audiente, & approbante D. Cyrillo: *Audi*, inquit, *D. Joannem duas prædicantem naturas, & unum Filium: Habitavit in nobis. Aliud est habitaculum, & aliud, quod in illo inhabitat. Aliud templum, aliud habitans in illo Deus. Attende quid dicat. Non dicit: Alius, atque alius, tamquàm de duabus personis, aut duobus Christis, vel filiis; sed aliud, atque aliud, tamquàm de duabus naturis. Postquàm itaque dixit: Et habitavit in nobis, prædica-*

D. Athanas. in Symbol.

Aliud est divinitas, aliud humanitas.

D. Greg. Naz. Orat. 51. ex Epist. 1. ad Cledon. D. August. lib. 11. de Civit. Dei cap. 10. D. Vincent. Lirin. lib. contr. hæret. cap. 19. D. Hilar. lib. 9. de Trinit.

D. Ephrem. p. 5. n. 1. ex hom. de Margarita. D. Greg. Naz. Orat. 38. de Nativ. & Orat. 2. in Pasch.

D. Joan. Damasc. 3. de Fid. cap. 17. D. Ambros. lib. de Incarn. Dom. Sacr. c. 6. D. August. lib. cont. Felician. cap. 11. Enchirid. cap. 35.

D. Joan. Chrysost. in cap. 1. Joan. hom. 13.

Ioan. 1. 14. Eustat. Antiochen. contr. Arian. D. Cyril. de Incarn. cap. 14. Lib. 2. Thes. cap. 1.

Ioan. 1. 32. *Ioan.* 20. 22. *Ioan.* 20. 17. Lib. 11. in Ioan. cap. 51.

Paulus Emesen.

Ioan. 1. 14.

Digitized by Google

vitque duas naturas, tum subdidit: Et vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti. D. Vincentius Lirinensis: *In Salvatore est aliud, atque aliud; non alius, atque alius.* Divus Anselmus: *Non est alius Deus, alius homo in Christo; quamvis aliud sit Deus, aliud homo.* Quæ doctrina sumi potest ex Divo Paulo dicente: *Non omnis caro eadem caro; sed alia quidem hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia autem piscium.* Ideſt, alia est natura hominum, alia cæterorum animantium. Sic alia Dei, alia hominum natura.

Ioan. 1. 14. D. Vincent. Lirinens. cap. 19. D. Anselm. lib. de Incarn. cap. 19. 1. Cor. 15. 39.

7. *Abass.* Quidnam est hoc aliud, & aliud, in Christo? *Rom.* Non quidem alia, atque alia persona, sed alia divinitatis, alia carnis natura; quod erat quarto loco advertendum. Sic enim loquitur D. Justinus: *Ut unus homo est, sed in se duas dissimiles naturas continet; & alia quidem cogitat, alia autem, quod cogitatum est, exequitur, & perficit; ità Filius, qui unus est, & duplex natura, alia quidem ea, quæ divina sunt, efficit: alia ea, quæ humilia, abjectáque sunt, perpetrat.* Et infrà: *Unus est Filius Dominus Christus, & unigenitus; sed natura duæ; una, quæ supra nos est, nostra altera.* Divus Cyrillus loquens de Nestorianis: *Non aberrarent, si intra solos discrepantium naturarum terminos consisterent: Alia enim Verbi, alia rursùm carnis est natura.* Et in Epistola ad Eulogium: *Nestorius licèt duas naturas esse dicat, carnis, & Verbi differentiam significans (est enim alia Verbi, alia carnis natura) attamen unionem nobiscum unà non confitetur.* Et infrà: *Si corpus Verbo consubstantiale non est* (ex doctrina D. Athanatei) *alia omninò, atque alia natura sit, oportet.* Divus Vincentius Lirinensis: *In Christo altera substantia divinitatis, altera humanitatis.* Infrà: *Una divina, altera humana; una ex Patre Deo; altera ex Matre Virgine; una coæterna, & æqualis Patri, altera consubstantialis Matri.* Sayros hæreticus: *Non miscetur, qui factus est ex illis duobus: quia unaquæque substantiarum altera est.*

Alia est divinitatis, alia carnis natura.

D. Justin. lib. de Recta confess.

D. Cyril. lib. ad Imperat. Theodos.

Epist. 30. ad Eulog.

D. Vincent. Lirinens. cap. 19.

Sever. hæret. p. 8. n. 26.

8. *Abass.* Alteram carnis, alteram divinitatis naturam perspicuè hi Patres dixère; quinam iis utuntur verbis, quæ quinto loco proposuisti? *Roman.* Divus Gregorius Nyssenus: *In Christo quiddam creatum est, quiddam increatum.* Quod vester Codex sic habet: *Quia Christus increatus est, & creatus simul.* Hoc, & illud ait D. Chrysostomus: *Quia ego Deus, & homo simul; & ego unus sum; ego dico hoc, & illud.* Divus Augustinus: *A quibus homo abscedebat, Deus non recedebat; & idem Christus homo, & Deus. Ergo ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quod Deus erat.* Divus Cyrillus: *Est unus tantùm; & idem persistens, & facit hoc, & illud.* In textu originali: *Unus, idémque hoc, & illud singulariter existit.* Alibi: *Nuncupatus est primogenitus, & unigenitus; & est ipse & hoc, & illud. Quomodò? secundùm aliud, & aliud.* Divus Joannes Damascenus: *Ipse se ipsum unxit, corpus scilicet, divinitate sua ungens, ut Deus; unctus autem, ut homo. Quandoquidem ipse & hoc, & illud est.* Unum, & unum, seu unumquodque dixit Divus Ephrem: *Unumquodque eorum persistit in sua propria substantia.* Divus Cyrillus: *Unaquæque forma est in sua substantia, & proprietate.* Theodosius hæreticus: *Neque mutata fuit divinitas in esse carnis, neque caro in esse divinitatis, sed unaquæque substantia firma est in suis proprietatibus.*

Quiddam, & quiddam in Christo; seu hoc, & illud.

D. Greg. Naz. Orat. 13. p. 1. n. 1.

D. Chrys. p. 10. n. 4.

D. August. tract. 78. in Joann.

D. Cyril. p. 47. n. 43. ex Epist. 1. ad Successum.

Lib. de Incar. cap. 16.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 3.

D. Ephrem. p. 5. n. 20. ex nom. de Margarit.

D. Cyril. p. 48. n. 15.

Theodos. hæret. p. 2. n. 2.

9. *Abass.* Christum quinam ex utroque, vel utrumque appellârunt? *Roman.* Plurimi Patres, quorum antesignanus sit Divus Justinus Martyr: *In Virginis templum ingressus Dei Filius, utraque natura sumpta prodivit.* Infrà: *Est Deus, & homo: utrumque simul.* Divus Hippolytus: *Utrumque se esse demonstrans per ea, quæ utroque modo: divinè, scilicet, & humanè operatus est.* Divus Athanateus: *Idem Deus, idem homo, idem utrumque simul, ut unum quiddam, ut singulare, ut solum.* Alibi: *Rectam Fidem benè tuebimur, si quod utriusque natura proprium est, considerantes, & ab uno utrumque præstari animadvertamus.* Infrà: *Satis constat, in carne Filium, & Patris Verbum palpatum esse; & illud utrumque, quod simul palpatum est, Verbum vitæ Sacræ littera appellârunt.* Alibi: *Unus utrinque per omnia, idem & Deus, & homo.* D. Hilarius: *Inter Deum, & homines Mediatoris Sacramento utrumque unus existit; dum ipse ex unitis in id ipsum naturis, utriusque res eadem est, ut neutro careret in utroque.* Infrà: *Cùm sint utraque suis gesta naturis, unum tamen Christum* ✝ *IESVM eum memento esse, qui utrumque est.* D. Gregorius Nazianzenus: *Hinc exinanita deitas, hinc nova illa Dei, hominisque commixtio; unum ex utroque, & utraque per unum.* D. Aforosius: *Aliud munus è cælis, aliud munus à terra, & utrumque unus, in utroque perfectus.* Alibi: *Utrumque unus, & unus in utroque, ideſt; vel divinitate, vel corpore. Non alter ex Patre, alter ex Virgine; sed aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* D. Augustinus: *Utrumque Christus, ideſt; Deus, & homo.* Alibi: *Una Persona Deus, & homo; & utrumque est Deus Christus IESVS.* Alibi: *Utrumque unus.* Alibi: *Idem ipse utrumque ex utroque unus Christus. Utrumque Deus, & utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum; utrumque homo propter acceptum hominem; neque enim in illa susceptione alterum in alterum est conversum.* Theophilus Alexandrinus: *Non alter, & alter, sed unus, & idem; utrumque subsistens Deus, & homo.* D. Heraclis: *Qui ex Virgine nascitur, nec solus est; nec purus rursùm homo est; sed utrumque simul.* D. Cyrillus: *Unus ex utroque intelligitur Christus.* Infrà: *Cùm Verbum natura sit Deus, habitu inventus est, ut homo; ut in eodem utrumque intelligatur;*

Utrumque ex utroque Christus.

D. Justin. lib. de Recta confess.

D. Hippol. lib. de Theolog. & Incarn.

D. Athanas. lib. Unum esse Christum.

Orat. 4. contr. Arian.

1. Ioan. 1. 1.

Lib. de Incarn. Christi.

D. Hilarius de Trinit. lib. 9.

D. Greg. Naz. Orat. 1.

D. Ambros. lib. 3. de Fid. cap. 4.

Lib. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 5.

D. August. contr. serm. Arian. c. 7.

Epist. 57. ad Dardan.

Lib. de Inquisit. Trinit. Enchirid. cap. 35.

Lib. 1. de Trinit. c. 7.

Theoph. Alex. Epist. 2. Paschal.

D. Procl. Orat. de Nativit. Christi.

D. Cyril. Incar. c. 24. & 25.

Phil. 2. 7.

Digitized by Google

intelligatur ; & neque homo nudus, nec Verbum absque humanitate. Hoc autem utrumque iidem Patres utramque divinitatis, & humanitatis naturam nuncupaverunt, ut cap. 24. sparsim multis illorum testimoniis ostendemus.

Aliqua de una natura dicuntur, & non de altera.

10. *Abass.* Illud statuisti sextum inter duas naturas differentiæ indicium, ut quædam de altera, non autem de altera dicantur. *Roman.* Immanè quantum hoc sit differentiæ argumentum; nam de eadem re, si unica sit, & simplex, diversa affirmari non possunt; possunt autem de diversis, vel de re composita, in qua partes, ex quibus componitur, suas differentias conservent. Cùm autem de divinitate, & humanitate diversa enuntientur, planum est, eas inter se differre. Nam principium habet humanitas, non divinitas, ut cap. 1. numer. 5. indicatum. Divinitas major est, humanitas minor; ut cap. 4. numer. 22. Humanitas clarificatur, non divinitas; ut capit. 5. numer. 19. Secundùm divinitatem consubstantialis est Christus Patri, similis, & æqualis; ut ibidem numer. 4. 5. 6. non secundùm humanitatem; ratione cujus consubstantialis est, similis, & æqualis Matri, atque hominibus; imò factus, & creatus; ut cap. 6. à numer. 7. ad 14. Divinitas omnia cognoscit, nec unquàm proficit, humanitas ex se aliqua ignorat, & paulatim crescit; ut cap. 9. numer. 16. 17. 18. 19. Divinitas ubique est diffusa, humanitas ad certum locum contracta; ut capite sequenti. Beatissima Virgo Mater est carnis, non divinitatis, ut lib. 6. cap. 4. Mortua est caro, non divinitas; ibidem capit. 8. à numer. 8. Divinitas ad inferos non descendit, neque resurrexit, neque in cœlum elevata est, neque ad judicium est ventura; sed humanitas, ut ibidem capit. 10. 11. 13. & 14. sed de hac re iterùm agendum ex instituto hoc libro capit. 27.

Duabus naturis suæ differentiæ non separationem cõferunt, sed distinctionem.

11. *Abass.* Illud ad extremum numer. 3. addidisti: duabus Christi naturis suas differentias, non separationem conferre, sed solam distinctionem. *Rom.* Dixi, nec dictum pudet. Monui enim lib. 2. cap. 9. numer. 3. & 4. & lib. 3. cap. 4. num. 6. & hoc libro cap. 12. num. 3. differentias simplicitatem, & identitatem tollere, at divisionem non inducere, sed solùm distinctionem. Quod in divinis etiam contemplamur, ubi tres Personæ, quamvis reali distinctione invicem secernantur, eò tantùm, quòd divinitate copulentur, distinctionem habent, non separationem; ut diximus lib. 3. cap. 4. num. 6. Similiter duæ naturæ Verbi Personæ mancipatæ suam tuentur distinctionem, sed omnem respuunt tam à Verbo, quàm alterius ab altera, juxta modos explicatos cap 12. à n. 1. ad 6. in duas personas separationem.

Distinctio duarum naturarum in Christo est per rationem.

12. *Abass.* Undè rebus copulatis hæc distinctio incessit? *Rom.* Ex dictis lib. 2. cap. 5. n. 6. res, quæ invicem separari possunt, si defacto separentur, re distinguuntur, sicut anima, & corpus; si autem mutuâ se unione complectantur, ut eadem anima, & corpus in Petro, vel Paulo viventibus, ratione tantùm distinguuntur; quia humanæ mentis solertia morte dissolvenda, seorsimque constituenda comperiens, nec animam esse corpus, nec corpus animam dignoscit. *Homo,* inquit, D. Cyrillus, *ex diversis naturis constat: corpore nimirùm, & anima; etsi ratio, & contemplatio horum discrimen non ignorent.* Alibi: *Duas in homine cognoscimus esse naturas: animæ unam, corporis alteram; easque solâ discernentes intelligentiâ, & earum differentias contemplatione subtilissimâ contuentes, non sequestramus abinvicem, sed unius esse prorsùs advertimus.* Eodem penitùs modo, si divinitas, & humanitas in seipsis considerentur, re distinguuntur, cùm non implicet, ipsas separatim, ac solitariè consistere; sed in Christo ad unionem conciliatæ sola cogitatione secernuntur; quatenùs intellectus dijudicat, nec divinitatem humanitatem esse, nec humanitatem divinitatem. D. Justinus: *In uno Dei Filio omnem quidem actionem ab ipsius proprietate nemo sejungere potest; naturæ autem, cujus sit propriè, quod efficitur, ratione, & cogitatione intelliget.* D. Cyrillus in prima ad Successum Epistola: *Quantùm ergo pertinet ad intelligendum, solummodò id contemplandum oculis animæ, quomodò sit incarnatus. Unigenitus, duas naturas adunatas esse perspicimus; sed unum Christum Filium, & Dominum, Dei Verbum hominem factum, incarnatúmque profitemur.* Clariùs in secunda Epistola: *Licèt non sit unius substantiæ Verbum, quod ex Patre est genitum, & corpus unitam habens animam rationalem; tamen anima intellectu solo discernit unitarum differentiam naturarum.*

D. Cyril. Epist. 30. ad Eulog.

Epist. 2. ad Success.

D. Iustin. lib. de Rect. confess.

D. Cyril. Epist. 1. ad Success. p. 47. n. 52.

D. Cyril. Epist. 2. ad Success.

Duæ naturæ in Christo nec ratione dividendæ.

13. *Abass.* Si humano intellectui licet unitarum naturarum differentiam, distinctionémque agnoscere, cur non (cùm liberæ sint ipsius excursiones) alteram ab altera separare? *Rom.* Si humanus intellectus alteram naturam ab altera, interempta unione, seponat, tunc humanitas ad Verbum non attinebit, sed creatæ alicui personæ ancillabitur, duæque in Christo personæ, juxta Nestorii placitum, numerabuntur. *Impossibile est,* inquit Theodotus Ancyranus, *simul & custodire unitatem, & utrumque seorsim considerare.* Infrà: *Suscipe Fidem, & confitere, unum Dominum JESVM Christum & Deum, & hominem eumdem, neque sensibus, neque sermonibus, neque rationibus dividendum; ne ea, quæ unita sunt, rationibus separantes, dispensationem salutarem sine dubio denegemus. Nam si unitione Dei, & hominis dispensatio dignoscitur, qui unitatem dividit, dispensationem negat.* Optimè in vestro Libro: *Quòd si aliquis eorum conetur esse seorsim in alio loco; ergo tu ipse destructor fuisti unionis.* D. Cyrillus: *Si post unionem duo quædam ponere, & utrumque seorsim considerare libeat, vel etiam oporteat (certum est námque mentem nostram*

Theodor. Ancyr. Orat. 3. de Nativit. Christi.

Theodor. P. 3. n. 4.

D. Cyril. lib. ad Imperat. Theodos. n. 25.

Digitized by Google

noſtram quamdam naturarum diverſitatem hîc obſervare, & contemplari; nec enim idem eſt deitas, & humanitas) *ità id fiat, ut hæc tamen conſideratio, vel contemplatio utriuſque in unitatem concurſum non excludat.* Alibi loquens de Neſtorianis: *Contendunt*, inquit, *ubique duas ſubſiſtentes approbare naturas; ignorantes quia, quæ mentis intuitu diſtinguuntur, hæc prorsus in alteritatem, quæ ſeorsùm eſt, omnimodam, ac ſpecialem ſecerni recuſant.*

Epiſt. 2. ad Succeſſum.

Diſtinctio rationis ſufficit, ut aliquæ dicantur de una natura, non de alia. D. Greg. Naz. Orat. 36. *Eph.* 1. 17.

14. *Abaſſ.* Si duæ Chriſti naturæ in ipſo copulatæ ratione tantùm diſtinguuntur, quo pacto aliqua de altera, & non de altera affirmantur? *Rom. Cùm natura*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *animo, & cogitatione diſtinguuntur, ſimul quoque nomina* (id eſt, prædicata) *dividuntur.* Undè infert, à Paulo dictum Deum *Patrem gloriæ, & Deum Domini noſtri IESU Chriſti*; Patrem, nempè, divinitatis, Deum autem ratione humanitatis; eo modo, quo explicatum eſt capit. 4. num. 21. Multò minùs in Deo diſtinguuntur divinitas, & Perſonæ, earúmque Relationes, quàm divinitas, & humanitas; harum námque altera ab altera ſejungi poteſt divinitas, & Perſonæ, ſive Relationes nequaquàm; cùm re ſint idem. Sed obtentu diſtinctionis per rationem, quæ inter eas commeat, ut viſum lib. 3. cap. 4. num. 15. quædam de divinitate, non de Perſonis, vel Relationibus; & quædam de Perſonis, & Relationibus, non autem de divinitate affirmantur. Ut dici poteſt, divinitatem eſſe communem tribus Perſonis, non autem unam Perſonam alteri; unam perſonam generare, alteram generari; duas ſpirare, & duas procedere, cùm nihil horum valeat de divinitate prædicari. Cujus rei illa eſt ratio, quòd rectæ prædicationis fundamentum ſit identitas, de quo lib. 2. cap. 2. n. 6. Differentia autem, ut à rebus quas ſecernit, aufert identitatem, ut ſuprà num. 4. oſtenſum, ſic & prædicationem, quin ſecum invehat ſeparationem, niſi fortè ſit differentia individualis. Hinc illud proloquium toties à D. Cyrillo repetitum, de quo infrà cap. 27. num. 20. *Aliud eſt naturas poſt adunationem dirimire, aliud vocum differentiam agnoſcere.* Realis námque diremptio unitatem naturarum labefactat; inducta per cogitationem diſtinctio, ſarta, tectáque unitate, ſolam inter eas differentiam proponit.

D. Cyril. Epiſt. 19. ad Acacium & 30. ad Eulog.

Differentia individualis ſeparationem inducit.

15. *Abaſſ.* Quò illud tendit, quod proximè extuliſti: differentias ſeparationem non invehere, niſi fortè ſit differentia individualis? *Rom.* Quædam ſunt differentiæ communes, quæ dicuntur genericæ, vel ſpecificæ, quæ in omnibus ejuſdem generis, vel ſpeciei individuis agnoſcuntur. Ut in omnibus animantibus eſſe ſenſibilia; in omnibus hominibus eſſe rationales. Eſt tamen in omnibus individuis extrema quædam differentia, quæ illa ultimò definit, unicuique ſic intimè affixa, ut cum nullo alio valeat communicari; hæc dicitur individualis; non ſolùm omnia, quæ ad communem naturam ſpectant, ſed ſingulares proprietates, ipſámque ſubſiſtentiam tamquàm ſui fundamentum complectens. Subſiſtentia etenim phyſicè naturam terminat, ut explicatum eſt lib. 2. cap. 8. num. 11. & 12. differentia autem ope rationis, metaphyſicè. Hinc dixit D. Joannes Damaſcenus, ut duæ Chriſti naturæ in Verbi Perſona copulantur, ſic ipſius filiationis Relationem eſſe veluti differentiam, quâ Chriſtus, & à Patre, & à Matre, atque aliis hominibus diſtinguitur. Si enim quæras, cur ſola Chriſti natura à Verbo aſſumpta dicatur, non item aliæ, nullam aliam reddere potero rationem, niſi quia hæc peculiarem illam filiationis Verbi notam habet, ad quam nulla alia adſpirat. Ex dictis collige, ſi divinitas, & humanitas non ſunt idem, & altera non eſt altera; nec de altera dici poſſunt omnia, quæ de altera, unam eamdémque naturam eſſe non poſſe, ſed diverſas.

Verbi Relatio eſt differentia, quia ipſum à Patre; & Chriſti humanitas ab aliis diſtinguitur. D. Joan. Damaſc. 3. de Fid. cap. 3. in fine.

CAPUT XX.

Utraque natura in Chriſto ſuas ſervat proprietates; & ideò divina eſt ubique, non humana; nec ſunt una natura.

Suam proprietatem in Chriſto ſervat utraque natura.

1. *Baſſ.* Dictum affatim de differentiis; de proprietatibus aliquid mihi guttatim inſtillato. *Roman.* Ut in Chriſto utraque natura ſuam differentiam, ità ſuas illibatas tuetur proprietates. *Beata Virgo*, inquit D. Athanateus, *Deum genuit hominem factum, ſecundùm duarum naturarum proprietatem.* D. Ephrem. *Non tranſtulit ſubſtantia hominis ſubſtantiam divinitatis, neque prævaluit ei, quando unita eſt cum ipſa, ut relinqueret, quod proprium illius erat; neque invenitur in eo, quod non habuit, ſed perfectus eſt in ſuo proprio.* D. Gregorius Nazianzenus: *Conſtat, immortale eſſe quod Dei eſt; hominis, quod caducum eſt.* D. Abolidis: *Qui non poteſt in rebus diverſis unitis cognoſcere, quid ſit proprium utriuſque, incidit in diſcrepantias repugnantes; contrà verò, qui cognoſcit, & unionem ſervat, & naturam non mentitur.* D. Auguſtinus: *Subſtantiæ non ſunt confuſæ, ſed unitæ, atque in una, eademque Perſona inſeparabiles, & in ſua ſemper proprietate manentes.* Alibi: *Idem impaſſibilis in ſe, qui paſſus eſt in corpore; dum ſic utriuſque naturæ proprietatem verè ex utraque gignenti ſimilis natus expreſſit, ut & veram carnem ſuſcepiſſe eum conſtet ex Matre: & non diſſentiem deitatem conſtet habere ex Patre. Quibus in unam Perſonam incomprehenſibili Mediatoris diſpenſatione conjunctis, ſervavit ſingulis propria, ſed conjunxit propriis aliena.* Nataliſan: *Credo, Deum Verbum non fuiſſe in ſua proprietate mutatum.* D. Heraclis:

D. Athan. in Paſſion. Salvatoris. D. Ephrem. p. 5. n. 13.

D. Greg. Naz. Orat. 49. D. Julius. apud Leont. lib. contr. Acephalos.

D. Auguſt. Serm. 58. de Verb. Dom.

Lib. 1. cont. Felician. Arian. cap. 10.

Vitalis, n. 1. D. Procl. p. 5. n. 18.

Digitized by Google

raclis : *Fecit miracula sicut Deus, & sustinuit infirmitates, ut homo, quin mutaretur à propria virtute.* D. Cyrillus : *Non abjecit à se divinitas, quod proprium erat.* Alibi : *Non fuit mutatio, nec conversio, sed permansit in proprio opere, cùm esset Deus verus.* Infrà : *Mansit in propriis, cùm esset Filius unigenitus.* Infrà : *Unaquæque firma est in substantia, & proprietate.* Alibi : *Quando carnem induit, nullo modo exiit à divinitate, & in proprio semper perdurabit.* D. Vincentius Lirinensis : *Ita in unum utrumque compegit, ut manente semper in Christo singularitate unius, ejusdemque Personæ, in æternum quoque permaneat proprietas uniuscujusque naturæ ; quo, scilicet, nec Deus unquàm corpus esse incipiat ; nec aliquando corpus esse desistat.*

D. Cyril. p. 34. n. 16.
P. 48. n. 5. 6. 25.
P. 52. n. 8. 28. 32
D. Vincent. Lirin. cap. 19.

Proprietas mutari non potest.
D. Joan. Damasc. lib. de dialect.
D. Greg. Naz. Orat. in sancta Lumina.

2. *Abass.* Quidnam est, duas in Christo naturas incorruptè suis proprietatibus effloresce re ? *Rom.* Proprium cujusque rei illud dicitur, quod ità illi est affixum, ut ab ea nullo pacto disjungi valeat. *Si enim moveatur, ac loco cedat* (ut ait D. Gregorius Nazianzenus) *jam non erit proprietas. Quæ verò naturaliter diversa sunt*, teste D. Cyrillo, *ea omnia naturalibus proprietatibus inter se differunt.* Addit verò D. Athanateus, illas proprietates à naturis esse inseparabiles. Cùm ergo duæ naturæ in Christo differant, ut ostensum capite præcedenti, utraque suas habet immobiles proprietates. Divina, quòd sit æterna, quòd increata, quòd nullius loci angustiis coarctetur, humana, quòd tempore incæperit ; quòd è nihilo producta fuerit ; quòd certis definiti spatii metis includatur.

D. Basil. lib. 2. cont. Eunom.
D. Cyril. lib. 2. Thes. cap. 1.
D. Athanas. in lib. Definit.

Corporis Christi proprietas mutaretur, si ubique esset.

3. *Abass.* Posthabitis aliis utriusque naturæ proprietatibus, extremam istam de loco vellem prosequereris, ut illa gentis nostræ opinio obruatur, quæ humanitatem ad omne spatium, ad quod se porrigit divinitas, extensam, & ubique diffusam arbitratur. *Rom.* Si divinitas, & humanitas suas differentias, proprietatesque conservant ; ut divinitas, quæ interminata est, ad designati termini angustias compelli non potest ; ità neque humanitas æquis passibus in omnia spatia divinitatem comitari. D. Hipolytus Martyr : *Utrumque demonstrans se esse, & intelligi ; Deum infinitum, simul & circumscriptum hominem, substantiam utriusque perfectam habentem.* Apud vos de Christo loquens D. Gregorius Nazianzenus : *Comprehensus*, inquit, *fuit in carne, cùm sit incomprehensibilis in divinitate.* Quam doctrinam hisce verbis definivit Concilium Romanum sub Martino primo ad annum Christi 650. *Si quis non confitetur, Christum circumscriptum corpore, & incircumscriptum divinitate ; anathema sit.* Deprompta verò est illa doctrina ex Evangelio, & præcipuis vitæ Christi mysteriis.

D. Hipolyt. lib. de Theolog. & Incarnat.
D. Greg. Naz. p. 4. n. 10.
Concil. Rom. sub Martin. I.

Evangelii loca ubiquitatem Christi corpori auferentia.

4. *Abass.* Ex quibus Evangelii locis veritas ista depromitur ? *Rom.* Ex illis, in quibus dicitur, Christum in aliquem locum introiisse ; in ipso mansisse, vel indè exiisse ; fugisse, & se abscondisse ; in navim conscendisse ; transfretâsse ; ingressum Jerusalem ; in templum, in domum Marthæ, & Mariæ, Pharisæi, Matthæi, & Zachæi. Si enim omnem locum corpore occupabat, quò ingrediebatur ? Quò ascendebat ? Quò transfretabat ? Ubi se abscondebat ? Undè egrediebatur ? Ubi, vel quò fugiebat ? Nemo enim ingreditur, ascendit, navigat, & transfretat, nisi in eum locum, in quo non erat. Nemo egreditur, & fugit, nisi ab eo, in quo erat, ad eum, quem sui corporis ambit accessu. Illa præcipuè omnium Evangelistarum verba pensitato, quæ testantur, Christum, vel ipsius corpus alicubi non fuisse. Cùm enim mulieres illud in sepulchro quæritarent, apud tres priores dixit Angelus : *Non est hìc, surrexit enim.* Et inferiùs : *Præcedet vos in Galilæam.* Apud Joannem ipse, cùm Lazari mortem cap. 11. nuntiavit : *Gaudeo propter vos, ut credatis, quia non eram ibi.* Cap. 16. *Iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Cap. 17. loquens de tempore pòst Ascensionem : *Et jam non sum in mundo.* Cap. 20. *Nondùm ascendi ad Patrem meum.* Quorsùm ascenderet ad Patrem, si cum ipso ità erat corpore, sicut divinitate ? Quomodò non erat in mundo, vel in domo Lazari, vel in sepulchro, si omne spatium corpore replebat ? Quomodò præcessurus erat, si corpore cum discipulis manebat ? Vel ergo ipsum asserentem, sed alicubi non esse, mendacem deputato ; vel, quod est satius, corporis ipsius præsentiam locis omnibus denegato.

Matt. 28. 6. 7.
Marc 16. 6. 7.
Luc. 24. 6.
Joan. 11. 15.
Joan. 16. 28.
Joan. 17. 11.
Joan 20. 17.

Dici non potest, quælibet non esse in aliquo loco, si, cùm ibi sit, non videatur.

5. *Abass.* Quid si quis adstruxerit dici, Christum non fuisse in sepulchro, in mundo, & in domo Lazari, quia etsi ibi erat corpore, ab iis, qui illic aderant, non videbatur ? *Rom.* Insaniret profectò, insaniret, qui in tantum delirium prosiliret. Si enim Christi corpus non videri efficeret, ut ibi non esset, ubi non videbatur, consequens esset, ut verè diceretur, Deum nullibi esse, quia nullibi corporeis oculis usurpatur. Nam *Deum nemo vidit unquàm.* Cùm tamen ipse astruat : *Cœlum, & terram ego impleo ; nec longè sit ab uno quoque nostrum ; in ipso enim vivimus, & movemur & sumus.* Quemlibet alicubi esse, non ab alieno intuitu, sed ab intima ipsius præsentia dependet.

Joan. 1. 18.
Jer. 23. 24.
Act. 17. 27. 28.

Vitæ Christi mysteria, ex quibus probatur, ipsius corpus non esse ubique.

6. *Abass.* Quæ sunt Christi vitæ mysteria, quibus ipsius corpus ubique præsens non esse comprobatur ? *Rom.* Omnia, quæ in Apostolico Symbolo continentur. Conceptio, Nativitas, accretio, divinissimæ Eucharistiæ institutio, Crucifixio, Sepultura, in tartarum descensus, in cœlum Ascensio, ad dexteram Patris sessio, ad judicandos vivos, & mortuos reversio.

Probatur ex Conceptione.

7. *Abass.* Quid habet commune hujus mysterii ratio cum Christi Conceptione ? *Rom.* Divinæ litteræ, Fides, & Patres adstruunt, Deum, cùm factus est homo, Virginis Matris utero tamquàm muro circumductum. *Fœmina*, inquit Jeremias, *circumdabit*

Jer. 31. 22.

Isai. 7. 14. Luc. 1. 31. 42. Luc. 11. 27. *dabit virum.* Post Isaïam Lucas: *Ecce concipies in utero.* Alibi: *Benedictus fructus ventris tui.* Alibi: *Beatus venter, qui te portavit.* Quî verum esset, Christum à Beatissima Virgine utero portatum, conceptum, & obsessum, si illius corpus per totum mundi, atque cœli ambitum, & illud, quod Philosophi vocant spatium imaginarium, vastè protenderetur? Id in Temirte habuata, atque adeò in ipso vestræ Fidei vestibulo primum confitemini: *Comprehensus est in utero Virginis.* Divus Heraclis: *Cùm esset in sinu Patris sui, portatus est in utero Virginis, & natus ex ea.* In eadem Oratione: *Incircumscriptus Deus uterum inhabitat; quem cœli non capiunt, venter complexus est Virginis.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Quem locus non comprehendit, Virgo utero comprehendit.* Divus Joannes Chrysostomus: *Deus, qui non comprehenditur, inventus fuit in utero mulieris; quem cœli non capiunt, angustus illi non fuit uterus Virginis.* D. Cyrillus: *Sustinuit concipi in utero sicut nos mystério investigabili ab ullo alio, præterquàm ab ipso. In utero, sicut Filius hominis, implet omnes cœlos, & quæ sunt sub terra, veritate divinitatis.* Alibi: *Divinitas ejus implet cœlum, & terram, cùm esset in utero Virginis in forma parva sicut filius hominis.*

Temirt. habuata, n. 16. D. Procl. p. 1. n. 1. ex Orat. de Nativit. Christi. D. Greg. Naz. p. 5. n. 18. D. Chrys. p. 4. n. 5. D. Cyril. p. 2. n. 16. P. 3. n. 4.

Probatur ex Christi Nativitate.

8. *Abass.* Quomodò hoc mysterium in Christi Nativitate elucet? *Rom.* Ut conceptum dici non posset Dei Verbum, nisi ratione assumpti corporis, Virginis utero clauderetur, sic neque natum, nisi ab eodem in lucem emitteretur, ut ipsum Davidis ore ait: *Tu es, qui extraxisti me de ventre matris meæ; in te projectus sum ex utero.* Quo jure verum esset, quod ait D. Lucas: *Peperit Filium suum primogenitum*, nisi qui intra ventrem erat, *foris inventus esset, & in præsepio reclinaretur?* Tunc, teste Paulo, Pater *primogenitum in orbem terræ induxit. Quandò Unigenitus*, inquit D. Cyrillus, *factus est primogenitus, & unus è multis fratribus, tunc in terrarum quoque orbem inductus dicitur. Nam secundùm propriam naturam extra omnem Dei creaturam degebat.* Tunc etiam reclinatus est in præsepi, & pannis involutus. D. Attifos. *Qui involvit cœlum nubibus, involutus est pannis, & Rex Regum positus est in præsepio.* D. Heraclis: *Cùm esset in Matre* (genuinus textus) *idem detinebatur inter Matris brachia, & ferebatur super pennas ventorum.* D. Cyrillus: *Apparuit infans pannis involutus intra sinum Virginis, quæ ipsum peperit; gubernans omnem creaturam, & sedens ad dexteram Patris sui; quia divinitas ejus non habet numerum, neque terminum.*

Ps. 21. 10. 11. Luc. 2. 7. Cant. 8. 1. Luc. 2. 7. Hebr. 1. 6. & 10. 5. D. Cyril. lib. ad Reg. Rom. 8. 29. Luc. 2. 7. D. Atticus p. 1. n. 9. D. Procl. p. 1. n. 1. D. Cyril. p. 17. n. 6.

Probatur ex corporis Christi accretione.

9. *Abass.* Quid ad eamdem veritatem Christi accretio conducit? *Rom.* Illud tantùm crescere dicitur, quod, cùm initio pusillum sit, & exiguum locum occupet, paulatim alimenti in suam substantiam conversione in latera dilatatum, & sursùm eductum exigit ampliorem; quod peregrinum est à divinitate, & corpori vernaculum. Ideò, cùm D. Lucas ait: *Puer autem crescebat, & confortabatur*, in solum corpus illa accretio referenda. D. Athanateus: *Divina Incarnatio progressus fecit; non quidem seorsim divinâ increscente formâ, vel simul unà concrescente, sed crescente animata carne.* Divus Epiphanius: *Dicit: Puer autem crescebat, quia paulatim crescebat in sapientia, & statura.* D. Cyrillus: *Divinitas ejus non crevit paulatim, donec impleret cœlum, & terram. Quomodò crescet paulatim, qui implet omnia, quæ sursùm? Sed hoc illi imputatum est, quia est unus simul cum carne.* Alibi: *Nos vero dicimus, paulatim crescere in statura, & gratia, & sapientia, esse carnis, sicut hominis mensuræ convenit. Et de Verbi substantia dicimus, ipsam esse perfectam, & accretionem non admittere. Paulatim crevit, quod carni convenit; substantia autem sancti Verbi perfecta est.*

Luc. 21. 40. D. Athan. in Passion. Salvat. D. Epiphan. p. 2. n. 1. & p. 4. n. 1. D. Cyril. p. 3. n. 10. P. 50. n. 17.

Christi corpus in Eucharistia non est extra panem, & calicem.

10. *Abass.* Quid Sacrosanctum Eucharistiæ Sacramentum huc importat? *Rom.* Christi corpus, & sanguis divinitati in Eucharistia cohærent; nec tamen sunt ubique, sed in determinata panis, ac vini specie; ut indicant ipsius verba: *Hoc est corpus meum. Hic calix novum Testamentum est in meo sanguine.* Ubi pronomina *hic*, & *hoc* certæ quantitatis sunt demonstrativa; & verba hunc sensum reddunt. Illud, quod istâ panis quadrâ, & istius calicis ambitu continetur, est meum corpus, ac sanguis. Nam si Christi corpus, & sanguis locis omnibus adesset, frustrà ad panis, & calicis mensuram redigeretur; futiliáque essent consecrationis verba, cùm ante illa Christi corpus eundem panem incoleret. Imò ineptum foret, homines Eucharistiæ mensæ accumbere, cùm aërem attrahentes perpetuâ Dominici corporis (quo aër non poterat non esse plenus, si est ubique) communione fruerentur. Quin etiam cuique nullis etiam Ordinibus initiato, quodcumque edulium in os injiceret, ac manibus sustineret, Christi nomine dicere liceret: *Hoc est corpus meum.* Quos errores evertunt illa D. Athanatei verba: *Est panis, antequàm Sacerdos consecret; & quandò illum Sacerdos consecrat, descendit super eum Spiritus sanctus, & verè convertitur ab esse panis in esse corporis Dei Verbi. Eodem modo calix convertitur ab esse vini in esse sanguinis divini.*

Matth. 26. 20. Luc. 22. 19. 20. D. Athan. p. 14. n. 32.

Ex cruci affixione colligitur, Christi corpus non esse in omni loco.

11. *Abass.* Quid Crucis suspendium huic doctrinæ opitulatur? *Rom.* A Christo, quandò Cruci fuit applicitus, solo corpore pendente, divulsa est anima; non tamen à corpore, neque ab anima; ut neque à cujusvis alterius loci capedine divinitas. Deus enim erat, qui mortuus pendebat. Undè D. Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* D. Athanateus: *Reliquit carnem suam pendentem super lignum crucis.* Inferiùs: *In illa hora, cùm esset caro Domini suspensa super lignum Crucis, aperta sunt monumenta.* D. Heraclis: *Tu in Patre in cœlo; & tu suspensus super lignum Crucis propter nos. Tu in throno Regis ante mundum, & tu præterea confixus super lignum Crucis.*

1. Petr. 2. 24. D. Athan. p. 9. n. 5. 9. D. Procl. p. 2. n. 3.

Idem colligitur ex Christi sepultura.

12. *Abass.* Quid Christi sepultura ad hoc Mysterium? *Rom.* Si Christi humanitas per omnia loca diffunderetur, ipsius partes,

Digitized by Google

partes, quæ sunt corpus, & anima, ubique viserentur. Si autem corpus ubique occurreret, tumulo conditum esse non posset; nugatoriáque esset Judæorum diligentia, qui *munierunt sepulchrum, signantes lapidem cum custodibus.* Si autem tumulo clausum non esset, nec sepultum; ut expressè testatur Divus Athanateus contra eos disputans, qui humanitatem divinitati adæquabant. *Si hoc*, inquit, *verum esset, caro in sepulchro sepelienda non erat*; nec etiam tenendum, Christum, relicto corpore in sepulchro, cum sola anima in infernum descensurum; ibi enim in suum corpus (quod ubique esse fingitur) erat incursurus. Imò falsum omninò esset, affirmari, ipsum descendisse, cùm nemo illò descendat, aut introeat, ubi est; Christus autem secundùm Ubiquistas & corpore, & animâ erat in tartaro demoraturus; siquidem ibi futura erat (ut ubique esset) ipsius humanitas, quæ præter illa duo nihil continet. Hoc autem Scripturæ, & Patribus repugnat. Scripturæ, cùm D. Petrus dicat: *In quo*, ideſt, ut interpretatur Divus Thomas, in spiritu, de quo proximè dixerat: *Vivificatus autem spiritu. in quo et his, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit.* In carcerem autem non venisset, si ibi priùs vel animâ, vel corpore, vel utroque simul extitisset.

13. *Abass.* Quibus id Patribus repugnat? *Rom.* In primis D. Agnateo: *Ipse*, inquit, *intra sepulchrum est, & suscitat mortuos; ipse extra sepulchrum, & relinquit linteamina intra ipsum.* Divus Athanateus: *Tunc celeriter descendit Dominus in infernum in spiritu suo, & non in corpore suo.* Alibi: *Ulteriùs hæc caro in sepulchrum immissa fuit, quin separaretur à divinitate ejus; & ipsius anima descendit in infernum, quin separaretur à divinitate ejus.* Inferiùs: *Anima in inferno libertatem prædicavit, caro autem remansit apud Nicodemum, & Ioſephum: involventes eam, & operientes sindone, sicut narrat Evangelium, & omnes Patres docuerunt.* Theophilus Alexandrinus: *Nec credibile est, quòd ad inferos caro ejus descenderit.* Divus Augustinus: *Scio, ad inferos deitatem descendisse proprietate carnis.* Divus Heraclis: *Tu in sepulchro, & tu sedens super Cherubim.* In eadem Oratione: *In sepulchro concludebatur, & cœlum ut pellem extendebat.* Divus Epiphanius: *Verum fuit, animam cum divinitate descendisse in infernum, & divinitatem non esse separatam à carne, cùm esset in sepulchro tribus diebus; ut declararet veritatem sanctæ humanitatis; quia divinitas, & anima perfecerunt Mysterium in inferno.* Infrà: *Voluntate sua descendit in anima in infernum.* Alibi: *Cùm sit divinitas in carne intra sepulchrum, etiam descendit in profundum abyssi cum anima carnis.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Non deseruit Verbum carnem suam in sepulchro; nec discessit ab anima ipsius, cùm anima ejus esset in inferno; sed simul cum ipsis erat.* Divus Cyrillus: *Tota divinitas fuit cum anima in inferno, & prædicavit sanctis, qui in ipso erant; & tota erat cum corpore intra sepulchrum, quia ipse vivens est in omni loco.* Alibi: *Quemadmodùm Unigenitus cum iis, qui adhuc in carne erant, conversatus est cum carne; ità & animabus in inferno prædicavit, animam habens sibi unitam.*

Luc. 24. 12. Ioan. 20. 6. D. Athanat. p. 9. n. 4. P. 15. n. 69. N. 74. Ioan. 19. 39. Matt. 27. 59. Theoph. Alex. Epist. 1. Paschal. D. August. lib. cont. Felician. cap. 11. D. Procl. p. 1. n. 6. Ps. 103. 3. D. Epiphan. p. 3. n. 16. N. 18. P. 8. n. 6. D. Greg. Naz. Orat. p. 1. n. 6. D. Cyril. p. 3. n. 29. Lib. ad Imp. Theodos.

14. *Abass.* Quomodò Christi Ascensione idem Mysterium stabilitur? *Rom.* Ne caput istud in longius protrahamus, quæ ad Christi Ascensionem, sessionem, & in judicium reversionem spectant, ad libri Sexti cap. 13. & 14. reservamus, ubi de his ex instituto agendum. Nunc dici sufficiat, neminem ascendere, nisi à loco infimo, in quo est, ad superiorem, in quo non est; neminem sedere, nisi certo loco, ac ratione complicatus conquiescat; neminem redire, nisi in eum locum, ubi jam aliquandò fuit demoratus. Ergo nec ascendere, nec sedere, nec redire divinitati congruunt, sed tantùm humanitati.

Probatur ex Ascensione, sessione, & regressu ad judicium.

15. *Abass.* Quinque adversus tua dicta consurgunt argumenta. Primum. Ab ipso Christo pronuntiatum est: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo; Filius hominis, qui est in cœlo.* Si descendit de cœlo (ac proindè est in terra) & simul est in cœlo; ergo secundùm corporalem præsentiam est ubique. *Rom.* Imò ex iisdem verbis evincitur, secundùm corpus non esse simul in cœlo, & in terra. Nam si esset, nec descenderet, nec ascenderet. Nec alius est, qui ascendit, alius, qui descendit, sed unus, & idem. *Qui ascendit*, inquit Apostolus, *ipse est, & qui descendit*; Sed in corpus descendit, & in corpore ascendit. Divus Athanateus: *Ex se ipso in se ipsum descendit; nimirùm ex deitate sua in suam humanitatem.* Divus Cyrillus: *Nulli obscurum est, carnem Filii hominis non descendisse de cœlis, sed è Sacra Virgine sumptam. Attamen cùm utramque complectatur, & quasi in unum colligat, fit, ut utriusque naturæ proprietates familiariter sibi vendicet, & usurpet.* Ergo Filius Dei, & Filius hominis (quæ eadem est Persona) ubique est ratione divinitatis; & nunc in terra, nunc in cœlo, ratione humanitatis.

1. Argumentum in contrarium ex Joanne. *Ioan.* 3. 13. *Eph.* 4. 10. D. Athanat. Orat. 4. contra Arianos. D. Cyril. lib. de recta Eid. ad Imp. Theodos.

16. *Abass.* Ex eodem Pauli testimonio integrè prolato secundum eruitur argumentum. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos, ut impleret omnia*; hoc est, ut non minùs cœlum suo corpore, quàm mundum anteà inferciat. *Rom.* Nugacitatis plena est hæc interpretatio. Si enim Christi corpori debetur, ut sit ubique, mox ubi corpore mundum conceptus, vel natus adæquavit, non expectatâ die Ascensionis, cœlum debuit opplere. In qua tamen (cùm hæc fuerit, secundùm Bernardum, *felix clausula ipsius itinerarii*) consummata sunt omnia, quæ Prophetæ antiqui prædixerant. *Necesse est*, inquit, *impleri omnia, quæ scripta sunt in Lege, & Prophetis, & Psalmis de me.* Quibus cùm aliquem obicem, vel moram nectere vellet Maria Magdalene intempestiva pedum comprehensione, illam severè abigens, ait, *Noli me tangere: nondum enim ascendi ad Patrem meum*; hoc námque mihi restat adhuc adimplendum. Vel etiam dicito, Christum,

2. Ex Epist. ad Ephesios. *Eph.* 4. 10. D. Bernard. Serm. 2. de Ascens. *Luc.* 24. 44. *Joan.* 20. 17.

Digitized by Google

Christum in cœlum ascendisse, ut impleret omnia; donis, scilicet, omnem Ecclesiam, quæ, ut idem Paulus testatur, *est plenitudo ejus, qui omnia in omnibus adimpletur.* Undè & Psaltes: *Ascendit in altum, captivam duxit captivitatem, dedit dona hominibus.* Quæ verba etiam Paulus iis præmisit, quæ in hoc argumento objecisti.

Eph. 1. 23.

Ps. 67. 19. *Eph.* 4. 8.

3. Ex Epist. ad Colossenses.

17. *Abass.* Ne à Paulo discedamus, ipse ait, *in Christo omnes thesauros scientiæ, & sapientiæ absconditos.* Et inferiùs: *In ipso inhabitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter.* Et suprà: *Quia in ipso complacuit omnem plenitudinem inhabitare.* Si in Christo habitat divinitatis, & omnium thesaurorum plenitudo, quî credi possit, immensitatem, quæ magna pars est illorum, illius corpori defuisse? *Rom.* Habitat quidem in Christo omnis plenitudo divinitatis, hoc est, in ipsius carne, ut jam ex Patribus ostendimus cap. 4. num. 13. *Sed corporaliter,* hoc est, non immutatâ corporis ipsius naturâ, aut in divinitatem conversâ. Quod accideret, si omnem locum, quem occupat divinitas, humanitas etiam occuparet. Ipsúmque inhabitandi Verbum omnem conversionis suspicionem excludit, ut observatum capite 17. num. 8. Quia nec thesaurus cum arca, in qua servatur, nec habitator cum domo, quam incolit, confunduntur. Et quemadmodùm de arca dicere non possumus, quidquid de thesauro in ipsa recondito; nempè, ipsam esse argenteam, vel auream, vel gemmeam; neque de domo, quidquid de ipsius habitatore; Nempè, ipsam esse sapientem, & animatam; ità neque de humanitate dicere possumus, quidquid de Verbo ipsam incolente; nempè, esse omnipotentem, & immensam.

Col. 2. 3. 9. *Coloss.* 1. 19.

4. Ex Evangelio.

18. *Abass.* Quartum sit ex ipso Evangelio, ubi Christus ait: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, usque ad consummationem seculi.* Quæ promissio parum Mysterii haberet, nisi de corporali præsentia intelligeretur. Compertum enim est, secluså quavis promissione, ubique adesse divinitatem. *Rom.* Non realem hîc divinitatis præsentiam, quâ Deus rebus omnibus intimè adest, sed favoris, ac benevolentiæ pollicetur; sicut olim Hebræis: *Ambulabo inter vos, & ero Deus vester.* Multò minùs agit de præsentia corporali, quam sæpiùs se mundo subtracturum testatur, ut probant testimonia num. 4. adducta. Quibus adde illud D. Augustini: *Sic venturus est, illa Angelica voce attestante, quemadmodum ire visus est in cœlum; idest, in eâdem carnis forma, atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit. Secundùm hanc formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum est enim, ne ità divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis auferamus.* Vide ejusdem testimonium cap. 19. n. 8.

Matth. 28. 20.

Levit. 26. 12.

D. August. Epist. 57. ad Dardan.

Act. 1. 11.

5. Ex ratione.

19. *Abass.* Quintum à ratione petendum. Humanitas unita est Verbo; Verbum autem ubique est homo, & omnem locum replet; ergo & illa. *Rom.* Hoc ipso, quòd humanitatem Verbo unitam prædicas, omnem confusionem (quam ex dictis cap. 18. num. 8. unio funditùs evertit) tam ab illo, quàm ab illa procul exterminas. Si verò humanitas expers est confusionis, ad unum tantùm locum restringitur. *Nec consequens est,* inquit Divus Augustinus, *ut quod in Deo est, ità sit ubique ut Deus. Nam & de nobis verissima Scriptura dicit: Quòd in illo vivimus, movemur, & sumus; Nec tamen, sicut ille, ubique sumus.* Corpus nostrum, & singula illius membra unita sunt animæ; & licet totum corpus sit in toto, non tamen totum est in qualibet parte, sicut anima. Nec dextera, quæ eidem animæ in capite, & pedibus vigenti connexa est, in caput ascendit, vel in pedes demittitur; sed eo, quem illi natura assignavit, contenta est loco. Ubique igitur Verbum est homo, sed non ubique est humanitas; quia tam Verbum, quàm homo nomina sunt divinæ Personæ, cui est insitum omne spatium pervadere; Humanitas est substantia creata, & corporea, quam natura ad demensi spatii angustias compegit. Sic D. Dionysius Alexandrinus: *Esse ubique de toto propter unionem humanitatis cum Persona Verbi dicitur; sed corpus Christi non est ubique, sicut Christus; quia alium modum significandi habet humanitas, quæ non est nomen personæ, sed naturæ; sicut neque vocabulum corporis est nomen personæ, sed substantiæ corporeæ.* Addo tandem, non solùm ubique esse Verbum, aut Christum, quà Deus est, sed etiam quà homo, si hæc reduplicatio cadat in Personam; secùs si cadat in corpus, seu humanitatem; hæc enim à sua natura nunquàm discedit.

Ex eo, quòd humanitas unita sit Verbo, non sequitur, esse debere ubicumque illud est.

D. August. Epist. 57. *Act.* 17. 28.

D. Dionys. Alex. in Epistol. cont. Paulum Samosat.

20. *Abass.* Possétne Verbum si vellet, ad omne mundi spatium humanitatis suæ extensionem prorogare? *Rom.* Posset, si collibuisset. Ut enim omnibus placentulis Eucharisticis, quæ quotidie per totum orbem in mundam oblationem consecrantur, corporis sui præsentiam addixit, sic illam posset locis omnibus commodare. Noluit tamen electæ dispensationis gloriam atterere; ut qui se ad Virginalis uteri angustias, & reliquas humanitatis injurias abjecerat, illius etiam dimensionem minimè detrectaret, & incorruptam in se duplicem naturam vernare patefaceret. D. Vigilius Episcopus Tridentinus: *Si Verbi,* inquit, *& carnis una est natura, quomodò cùm Verbum ubique sit, non ubique inveniatur & caro? Nam quandò in terrâ fuit, non erat utique in cœlo; & nunc, quia in cœlo est, non est utique in terra; & in tantùm non est, ut secundùm ipsam Christum expectemus venturum de cœlo, quem secundùm Verbum nobiscum esse credimus in terra. Quia Verbum ubique est, caro autem ejus non ubique est, apparet unum, eumdémque Christum utriusque esse naturæ; & esse quidem ubique per naturam divinitatis suæ; & loco contineri secundùm naturam humanitatis suæ.*

Posset Verbum efficere, ut sua humanitas esset ubique, sed non decebat.

D. Vigil. lib. 3. cont. Eutych.

CAP. XXI.

Digitized by Google

CAPUT XXI.

Divinitas, & humanitas nulla in re sunt æquales; & ideò neque una natura.

Christus Patri, & Spiritui sancto æqualis, non tamen caro divinitati.

1. *Abaſſ.* Illa quæſtio remanet poſtremùm ventilanda; an Chriſti divinitas, & humanitas ſint æquales? *Rom.* Chriſtum & Patri, & Spiritui ſancto æqualem eſſe, cap. 4. num. 5. conſubſtantialem autem num. 4. indicavi. Undè non ſequitur, humanitatem eſſe Verbo, vel divinitati æqualem, vel conſubſtantialem; nam ut ſæpè monui ex D. Athanateo, & Aforoſio, *Patres Nicani non carnem, ſed Dei Verbum unius ſubſtantiæ cum Patre eſſe, dixerunt.* Verbum autem, ſeu Filius, ſeu Chriſtus, nomina ſunt perſonæ; humanitas autem, ſivè caro nomen naturæ, ut proximo capite, num. 19. Ipſum tamen perſonæ, ſivè totius, ſivè Chriſti nomen, non rarò juxta Canonem D. Cyrilli à me proponendum cap. 27. n. 10. pro parte, ſeu carne ponitur. Et ideò, cùm Chriſtus ait, *Quia Pater major me eſt*, non divinam ſui Perſonam, ſed ſolam carnem minorem, & inæqualem intelligit, de quo latè cap. 4. num. 22. Si ergo Chriſti humanitas minor eſt Patre, minor etiam eſt, & inæqualis divinitati; & ſoli aliorum hominum carni æqualis, ut oſtenſum cap. 6. n. 8. & cap. 7. n. 18.

D. Ambroſ. lib. de Inc. Dom. Sacr. cap. 6. D. Athan. P. 15. n. 27.

Joan. 14. 28.

Si caro æqualis eſſet divinitati, Pater æternus carni æqualis eſſet. *Iob.* 13. 3. *Iob.* 32. 21. *Pſ.* 88. 7. D. Juſt. de Recta conf.

2. *Abaſſ.* Quid indè infers, quòd Chriſti caro noſtræ ſit æqualis? *Rom.* Duo infero. Primum; illam eſſe non poſſe æqualem divinitati. Si enim hoc accideret, homines Deo, & Deus hominibus adæquaretur, contra id, quod Job firmavit: *Arguis verbis eum, qui non eſt æqualis tibi.* Iterùm: *Deum homini non æquabo.* Et David: *Quis in nubibus æquabitur Domino?* D. Juſtinus Martyr, ſi una in Chriſto eſt natura, abſonam hanc concluſionem indè educendam contendit: *Nihil inter divinitatem, & rem, quæ condita eſt, intercedit.* Divus Athanateus eumdem errorem ſugillans: *Longè*, inquit, *aberrant creaturam Creatori adæquantes.* Veſter Codex legit. *Valdè perditi ſunt; & comparant creaturam cum Creatore.* Alibi: *Creatitiam hominum conditionem coæternam Dei naturæ fuiſſe, exæquatam identitate naturæ, impium eſt cogitare.* Id autem, ex ſententia ejuſdem D. Athanatei, de Patris Perſona dicendum eſſet, ſi caro, & divinitas adæquarentur. *Si*, inquit, *Verbi ſubſtantia æqualis eſt carni, quæ eſt ex ſubſtantia terræ; Et Verbum ſecundùm confeſſionem Patrum noſtrorum æquale eſt Patri; & ſubſtantia Patris, quæ non habet principium, æqualis eſſet carni terrenæ.* Similiter D. Aforoſius: *Pater, & Verbum unum ſunt; ſi autem Verbum eſt ejuſdem ſubſtantiæ cum corpore, unius ergo ſubſtantiæ Verbum cum terreno corpore prædicatur.* Theophilus Alexandrinus diſputans contra Origenem, qui Chriſti animam Verbo conſubſtantialem, & æqualem aſtruebat, ſic argumentatur: *Si anima Salvatoris æqualis eſt Deo, æqualis autem Deo Filius Dei (& quod æquale Deo eſt ejuſdem convincitur eſſe ſubſtantiæ) ipſe nos diſputationis ordo perducit, ut unius naturæ animam, & Deum eſſe credamus; ut jam Factor, & factura unius naturæ ſint.* Et infrà: *Si, ut Pater, & Filius unum ſunt, ſic & anima Filii, & ipſe Filius unum erunt; unum erit Pater cum anima Salvatoris; & ipſa dicere poterit: Qui videt me, videt & Patrem.* Vide D. Cyrillum infrà num. 6. teſtimonio penultimo. Nititur autem hæc illatio communi illo Philoſophorum, & Mathematicorum axiomate: *Quæ ſunt æqualia uni tertio, ſunt æqualia inter ſe.* Cùm igitur Verbum Patri ſit æquale, caro autem Verbo, carni etiam Pater æqualis dicendus.

Joan. 14. 9. Euclid. lib. 1. axiom. 1.

Si caro æqualis eſt Verbo, quatuor dantur perſonæ in Trinitate. D. Ambroſ. lib. 2. de Fid. cap. 4.

3. *Abaſſ.* Quid ſecundò infers? *Rom.* Infero cum iiſdem Patribus, ſi divinitas, & humanitas æquales ſint, quatuor perſonas in Trinitatem invehendas; quia ut dictum eſt lib. 3. cap. 8. numero 6. ex D. Aforoſio: *Nemo æqualis ipſe ſibi ſolus eſt;* Sed æqualitas neceſſariò ad alterum tendit. Undè ex eo, quòd Filius æqualis ſit Patri, alterius ab altero diſtinctio deprehenditur. Ergo in rem noſtram Divus Athanateus: *Secundùm fidem eorum*, inquit, *Trinitas erit quaternitas, ſicut Filius æqualis eſt Patri in divinitate ſua, & non eſt Pater, ſed Filius æqualis Patri. Ità ſi caro fuit æqualis ſubſtantiæ Verbi à principio, & non fuit Verbum, ſed alia ab illius ſubſtantia, ſecundùm immundam eorum doctrinam, erit Trinitas quaternitas cum Spiritu ſancto.* Divus Aforoſius: *Cùm dicunt, carnem ejuſdem, cujus & Filius Dei erat, fuiſſe ſubſtantiæ, ipſi, quod nobis objiciunt, ineptiis vanæ aſſertionis incurrunt, ut dividant Chriſtum. Itaque quartum increatum, quod adoremus, inducunt; cùm ſola increata divinitas ſit Trinitatis.*

D. Athan. p. 15. n. 121. D. Ambroſ. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 7.

Modi omnes æqualitatis enumerantur.

4. *Abaſſ.* Ingentis gaudii, & commodi opimitate pectus meum cumulares, ſi omnes æqualitatis modos percenſeres, ut an aliquis eorum duabus Chriſti naturis congruat, dijudicares. *Rom.* Faciam non ingratis, ut gentiles tui, qui hac de re tota die tanquàm cicadæ argutantur, aliquandò conſileſcant. Illos igitur roga, qua in re æquales inhiant divinitatem, & humanitatem: num ſubſtantiâ, ſivè naturâ; an mole, ſeu quantitate; an qualitate, an potentiâ, an gloriâ, an honore, ſivè adoratione; an temporis duratione, an loci extenſione?

Lib. de Inc. Chriſti.

Divinitas, & humanitas naturâ non ſunt æquales.

5. *Abaſſ.* Quod attinet ad ſubſtantiam, ſivè naturam cap. 7. num. 3. 4. 5. & 6. fuſè probaſti, corpus; & num. 3. in fine animam; & cap. 8. num. 16. & cap. 16. à num. 7. ad 10. Humanitatem non eſſe Verbo conſubſtantialem. Undè videtur inferri, non eſſe æqualem. *Rom.* Parem cum ſummis Theologis gloriam hac illatione comparaſti. Quia *ibi tantùm*, auctore D. Cyrillo, *datur naturæ æqualitas, ubi & conſubſtantialitas.* Sublatâ igitur à duabus Chriſti naturis conſubſtantialitate, æqualitas eliminanda. D. Athanateus:

P. 15. n. 36. 37. D. Ambroſ. de Incarn. Dom. Sacr. cap. 6. *Joan.* 10. 30. Theoph. Alex. Epiſt. 1. Paſch.

D. Cyril. lib. 2. Theſ. cap. 8.

Digitized by Google

teus : *Quis unquàm dixit, carnem, quam sumpsit Dominus noster ex sanctissima Virgine Maria, fuisse à principio in æqualitate cum divinitate Verbi?* Infrà : *Ubi hanc similitudinem invenistis, ut diceretis, carnem Christi esse à principio, & æqualem divinitati Verbi à temporibus antiquis?* Infrà : *Numquid substantia Altissimi, quæ est honorabilis, à principio induit, quod est æquale substantiæ suæ?* Infrà : *Nos autem decet illos arguere, & confutare, & deprimere, qui dicunt, substantiam carnis Domini nostri æqualem esse substantiæ divinitatis Verbi in manifestatione Fidei nostræ; quia substantia carnis, cui Verbum unitum est, non fuit æqualis substantiæ Verbi à principio.* Natalisan : *Si quis dicit, carnem Domini nostri æqualem esse Patri in antiquitate substantiæ; anathema sit.* Divus Cyrillus : *Non est unum opus æquale substantiæ divinitatis, & substantiæ humanitatis.* Alibi : *Caro humanitatis nimis diminuta est præ divinitate.* Alibi : *Si diceremus, carnem esse æqualem Verbo, & à principio, conveniens esset dicere, ipsam elevari ad id, ad quod Verbi substantia elevatur, & nihil superesse. Ipsa autem perstitit caro tantùm; si autem dixerimus, ipsam superabundare, Verbum est.* Alibi : *Asserimus concursum quemdam, & conventum supra rationem in unione inæqualium, & dissimilium naturarum.*

N. 25. N. 46. N. 106. Vitalis, p. 1. n. 7. D. Cyril. p. 22. n. 8. P. 52. n. 89. P. 55. n. 35. Lib. de recta Fide ad Imp. Theodos.

6. *Abass.* Cùm lib. 2. cap. 12. num. 8. Deum quantitatis expertem asserueris, videtur illa divinitatem æqualem esse non posse humanitati. *Rom.* Tantus, quantus es, sapientiâ reputandas. Cùm enim, ex Philosopho, secundùm quantitatem res dicantur æquales, vel inæquales, ubi quantitas exulat, vera etiam æqualitas peregrinatur. Datur autem metaphorica, sicut & magnitudo. Undè cum Deo colloquens Divus Augustinus ait : *Magnus es, sed sine quantitate.* Dicit Cyrillus : *Divinitas ejus non habet numerum, neque terminum.* Quæ verba desumpta sunt ex Epistola decima, quæ sic habet : *Divinitas sine quantitate, & sine mensura est, & circùm terminationem non suscipit.* Carens igitur quantitate divinitas, æqualitatis oppositionem cum humanitate recusat.

Æqualitas quantitatis hinc abest, quia Deus quantus non est. Aristot. in Prædicam. cap. de Quantit. D. August. lib. Medit. cap 29. Manual. cap. 1. D. Cyril. p. 17. n. 7. ex Epist. 10. ad Nestor.

7. *Abass.* Ullane qualitatum æqualitate possunt divinitas, & humanitas invicem componi? *Rom.* Nulla; quia qualitas accidens est, & substantiæ nunc complementum, nunc supplementum; Deus autem nec indigus complementi, nec supplementi; cùm ipse se ipso dives sit, & fontalis omnium bonorum plenitudo. Qualitates enim vel sunt corporales, ut color, quo aliqui homines sunt similes, aut dissimiles : æquales, aut inæquales; vel spirituales, ut gratia, & sanctitas; sicut de Joanne dicitur : *Erit enim magnus coram Domino.* Et iterùm : *Inter natos mulierum non surrexit major Joanne Baptista.* Ubi autem invenitur majus, & minus, inæqualitas intercedit. Divinitas autem expers corporis, corporea qualitate humanitati æqualis esse non potest; quia qualitates corporeæ, corporeæ tantùm substantiæ, non autem spiritualis consectatrices esse queunt. Nec verò spirituales admittit, quia hæ, ut gratia, & sanctitas, externæ sunt appendices aliundè, nempè à Deo profluentes. At Deus, *sine qualitate bonus est*, ut ait Divus Augustinus; & Anna : *Non est sanctus, ut est Dominus*; quia alii Sancti sunt participatâ ab eo sanctitate, Deus autem innatâ. Non sunt igitur æquales in Christo divinitas, & humanitas gratiâ, & sanctitate, aut aliâ spirituali qualitate; quia divinitas insitâ sibi sanctitate, humanitas acceptâ à divinitate triumphat, juxta illud Joannis : *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Ubi secundùm Canonem Divi Cyrilli à me traditum cap. 4. num. 13. & cap. 27. num. 10. Christus pro sua carne tantùm ponitur; non enim Verbum sanctitatem à Patre in propria natura, sed ipsius caro vindicavit; ut præsentem locum explicans Divus Aforosius : *Scriptura*, inquit, *non dicit : quòd divinitas indigeat purificatione, sed dicit de carne.*

D. August. lib. Medit. cap. 29. Manual. cap. 1. 1. Reg. 2. 2. Joan. 10. 36. D. Ambros. p. 2. n. 8.

8. *Abass.* Æqualitatem in potentia ostendunt illa verba Danielis : *Potestas ejus, potestas æterna.* Et illa apud Matthæum : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Et illa apud Joannem : *Sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, ut omne, quod dedisti ei, det eis vitam æternam.* *Rom.* Æterna Christi potestas in cœlum, terrámque exuberans, illa est, quam cum divina substantia à Patre accepit. De qua ipse : *Pater quod dedit mihi, majus omnibus est; Pater enim*, inquit, Concilium quartum Lateranense, *ab æterno Filium generando, suam substantiam ei dedit.* Et D. Aforosius : *Dedit utique generando, non largiendo.* Eadem verò in tempore collata est Christo, sivè ejus humanitati, juxta Canonem superiori numero tactum; non per identitatem, aut conversionem, sed per unionem, quadam cum restrictione; cujus respectu aliquandò dixit : *Non potest Filius à se ipso facere quidquam.* Iterùm : *Non possum ego à me ipso facere quidquam.* Iterùm : *Sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio.* Et iterùm : *Sedere ad dexteram meam, & sinistram, non est meum dare vobis.* De quibus, ac similibus testimoniis hanc sententiam pronuntiavit D. Basilius : *Excipiamus omnia, quæ dicit in humilitate, quia sunt propter dispensationem, quam fecit propter salutem nostram.* Omnipotens ergo est Christus, quà Verbum, & Filius, cui *non ad mensuram dedit Deus spiritum*; non tamen ejus humanitas, quæ, cùm creata sit, mensuræ suæ modulo, tamquàm viduæ Elisæi vasa, continetur. Ipsa tamen instrumentum est, sivè, ut Patres vocant, Organum omnipotentiæ, quia per eam Verbum, quidquid vellet, operabatur.

Æquales non sunt divinitas, & humanitas potentiâ. Dan. 7. 14. Matt. 28. 18. Joan. 17. . Joan 10. 29. Concil. Later. IV. in confes. Fid. D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 4. Joan. 5. 19. 30. Joan. 14. 31. Matth. 20. 23. D. Basil. p. 4. n. 22. Joan. 3. 34. 4. Reg. 4. 6. D. Athan. Orat. 4. cont. Arian. D. Cyril. lib. ad Imp. Theodos.

9. *Abass.* Quid censes de gloriæ æqualitate? *Rom.* Idem, quod de potestate; æquari scilicet, non posse humanitatem divinitati, quia divinitas per essentiam est glorioſa, imò ipsa gloria. Undè Divus Stephanus in Actis : *Deus*, inquit, *gloriæ apparuit patri nostro Abrahæ.* De Christo autem, ut Deus est; Divus Paulus : *Omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESUS Christus in gloria est Dei Patris*; quia, scilicet,

Humanitas non est æqualis divinitati in gloria. Act. 7. 2. Philip. 2. 11

Digitized by Google

scilicet, à priori gloria homo factus non
D. Greg. Armen. p. 1. n. 7. discessit. Divus Gregorius Armenius: *Verbum post incarnationem iterum est in gloria, & substantia divinitatis suæ.* Divinitas etiam gloriam largitur, ut David ait: *Gratiam, & gloriam dabit Dominus*, Humanitas autem illam
Ps. 83. 12. supplicatione, & communicatione vendicavit. Supplicationem continent illa verba, *Clarifica, vel glorifica me tu Pater.* D. Athanateus: *Qui alios glorificat, dicit: Glorifica me, ut ostenderet, carnem se habere ista rerum indigam.* De communicatione, sivè acceptione D. Petrus. *Accipiens*, inquit, *à Deo Patre*
2. Petr. 1. 17. *honorem, & gloriam.* D. Cyrillus: *Accipere*
D. Cyril. p. 52. n. 135. *dicitur de mensura humanitatis; & nos agnoscimus, ipsum esse Dominum gloriæ in sua divinitate.* D. Athanateus: *In summa, id ubique advertendum est, nihil eorum, quæ dicit, se accepisse, ità accepisse, quasi non haberet; habebat enim illa semper, utpote Deus, & Verbum; nunc autem dicit, humanitùs se accepisse, ut carne ejus in ipso accipiente.* Alibi: *Quæcumque dicit Scriptura accepisse Filium, ratione humanitatis, non divinitatis loquitur.* Vide similia testimonia cap. 5. num. 19.

10. *Abass.* Admitto, gloriam Christi carni, non divinitati impensam; sed hanc æternæ divinitatis gloriæ æqualem esse contendo, *ipso dicente: Clarifica me tu Pater claritate, quam habui priusquàm mundus esset apud te.* Priusquàm mundus esset, solam divinitatis gloriam Dei Filius habebat. Ergo vel eandem omninò, vel aliam similem, & æqualem nunc Christus deprecatur. *Rom.* Divinitatis gloria semper ante mundi structuram potitus est Dei Filius; sed ut pro nobis duriùs pateretur, illius in corpus suum alluvionem (præterquàm in Transfigurationis articulo) coërcuit. Nunc igitur Patrem orabat, ut optatus tandem Resurrectionis dies illucesceret, quo suam etiam humanitatem gloria penitùs imbueret. Divus
D. Cyril. p. 3. n. 19. Cyrillus: *Non est glorificata divinitas, quoniam ipsa gloria est. Quomodò glorificabitur gloria? Sed caro, quam sumpsit ex Virgine, & suscitavit à mortuis, glorificata est, & glorificabitur.* Non tamen gloriæ æqualitatem, sed solam veritatem illa oratio inducit; sicut cùm eodem loco addit: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus.*
Joan. 17. 11. 22. Et iterùm: *Et ego claritatem, quam dedisti mihi, dedi eis, ut sint unum, sicut & nos.* Numquid omnem, quam à Patre Christus claritatem citra mensuram accepit, in discipulos suos transfudit? Absit, sed aliquam tantùm ipsius portionem. Numquid homines inter se unum esse possunt naturali, sicut Pater, & Filius, non autem charitatis, unitate? Amentissimus esset, qui id sentiret; vel homines attingere posse Patris cœlestis perfectionem ex eo, quòd
Matth. 5. 48. Christus suadeat: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; aut Dei SanctiLevit. 11. 44. tatem posse adæquare, quod ipse dicat: *Sancti estote, quoniam ego sanctus sum.* Hæ igitur, & similes aliæ comparationes, ex sententia
D. Cyril. lib. 3. Thes. cap. 1. D. Cyrilli, *non totam rem eamdem toti significant, sed aliquam similitudinem ostendunt.* Et
Concil. Lateran. 4. in conf. Fid. Concilium quartum Lateranense: *Inter Creatorem*, inquit, *& Creaturam non potest tanta similitudo notari, quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.* Congruam ergo claritatis divinæ mensuram, non totam illius amplitudinem Christus suo corpori flagitabat.

Verba Christi non inferunt æqualitatem gloriæ humanitati. Joan. 17.

11. *Abass.* Numquid æquales sunt divinitas, & humanitas honore, & adoratione? *Rom.* Nequaquàm. *Solius enim Numinis*, inquit Divus Athanateus, *est adorari.* In Lege: *Dominum Deum tuum adorabis, & illi soli servies.* Ergo adorari divinitatem increatam pium est; creatam humanitatem seorsùm à Verbo consideratam, nefarium, & insanum. Quo sensu dixit Divus Cyrillus: *Numquid audibunt extollere servum, tamquàm Dominum ad hanc dignitatem, ut illum cum isto æquent? Numquid æquabitur creatum cum Creatore?* Si autem humanitas Verbo copulata perpendatur, eâdem cum ipso adoratione prosequenda, de quo jam dixi cap. 4. n. 17. Productisque eo loco testimoniis illud addendum ex D. Athanateo: *Non creaturam adoramus.* Absit: *Sed Dominum rerum creatarum, increatum Verbum adoramus. Nam tametsi caro ipsa per se pars sit rerum creatarum, attamen Dei corpus effecta est. Neque istiusmodi corpus seorsim discriminatum à Verbo adoratione prosequimur; neque Verbum adoraturi Verbum longè à carne seponimus; sed cùm sciamus, Verbum carnem esse factum, illud jam in carne situm Deum agnoscimus.*

Divinitas, & humanitas æquales non sunt, honore, neque adoratione. D. Athanat. Orat. 4. cont. Arian. Deut. 6. 13. Matt. 4. 10. D. Cyril. p. 46. n. 2. D. Athan. lib. ad Adelphium.

12. *Abass.* Temporis diuturnitate divinitatem, & humanitatem inæquales agnosco; cùm divinitas æterna sit, humanitas in tempore producta, ut à te demonstratum cap. 4. num. 5. capite 6. num. 12. & capite 7. num. 6. Neque etiam extensione sunt æquales; cùm divinitas ubique exultet, humanitas certo loco subligetur, ut capite superiori comprobatum. *Rom.* Justiùs Areopagita sententiam protulisti; ex qua sequitur, illas nulla re esse æquales; ac proindè non unam esse, sed duas naturas. Quæ optima est D. Aforosii consequentia, verba illa expendentis: *Quia Pater major me est. Quomodò*, inquit, *Deus minor esse potest, cùm Deus perfectus, & plenus sit? Sed minor est in natura hominis; æqualis in Dei forma; minor in susceptione carnis, & hominis passione. Nam quomodò eadem posset minor esse, æqualisque natura?* Alibi: *Numquid & minor, & æqualis per eamdem naturam esse posset? Sed aliud ad divinitatem refertur, aliud ad carnem.* Divus Cyrillus: *Ubi majus, & minus in identitate ejusdem substantiæ videri potest?*

Nec tempore, nec loco æquales sunt duæ Christi naturæ. Joan. 14. 28. D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 4. Lib. 5. cap. 7. D. Cyril. in Exposit. Symboli Nicæni.

CAPUT XXII.

Duas in Christo esse naturas probatur auctoritate Divinarum litterarum.

1. *Abass.* Inæqualitatem inter duas Christi naturas acutè discipio; Nunc, quæso, quibus Sacrarum litterarum testimoniis hic binarius confirmetur, ex ipsarum promptuariis evulges. *Rom.* Quamcumque illius paginam evolvas, in Christum, & geminam illius substantiam imprudens etiam incurres. Ut enim ille *legis*, sic totius Scripturæ *finis* est,

Totius Scripturæ scopus est duarum in Christo naturarum confirmatio. Rom. 10. 4.

Digitized by Google

summa, & scopus. Quod gravissimi Patres ab eodem apud Davidem canente: *In capite libri scriptum est de me*, significatum censent. Hoc enim est velati caput, & principale Sacri instrumenti institutum. D. Athanateus: *Scopum Christianæ Fidei ante oculos ponit, eoque pro regula uterq. Scopus enim, & formula Sacræ Scripturæ est, ut sentias, in ea duplicem esse de Salvatore historiam; eumque semper & Deum, & Filium esse, quia Verbum sit, & jubar, & sapientia Patris; posteà autem propter nos, assumpta carne ex Maria Deipara Virgine, eundem hominem genitum. Quod ubique per omnem Scripturam significari deprehendes.* Sed quia Christus ipse speciatim dixit: *Necesse est impleri omnia, quæ scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me*, ex veteri Scriptura hîc tria tantùm promptuaria pandemus; indè ad Evangelia, & Epistolas Apostolicas digrediemur.

D. Athan. Orat. 4. cont. Arian.

Luc. 24. 44.

2. *Abass.* Quid in Moysis voluminibus de naturarum in Christo geminatione? *Rom.* Cùm dictum est, per Psaltem: *In capite libri scriptum est de me*, multi Genesim, quod Scripturæ primordium est; plures, quibus ego accedo, prima ipsa Geneseos verba: *In principio creavit Deus cœlum & terram*, interpretantur; *ipse* enim rogatus, quis esset, respondit: *Principium, qui & loquor vobis.* Ideò autem cœlum, & terra cæteris creaturis sunt antelata, quia Christus, teste D. Abolidi, *totus est de cœlo propter divinitatem, & totus de terra propter humanitatem.* Seu, ut ait D. Aforosius: *Aliud munus è terris, aliud munus è cœlo.* Lucem, quâ Deus prima die mundum venustavit, veræ, ac primævæ illius lucis, *quæ illuminat omnem hominem* fuisse indicem, testatur D. Justinus; quæ cùm tres dies in sua sinceritate perstitisset, quarto in solare corpus compacta fuit. *Ut*, inquit, *intelligatur, Verbum lux esse, quæ prima generata est; corpus autem solis humanum corpus, cum quo Verbum ratione quadam, quæ exprimi non potest, conjunctum fuit.* In Evæ formatione & *costa*, & *caro* interfuit; *quod magnum esse in Christo Sacramentum* exponit D. Paulus; quia in eo & costa, seu firmitas ossea est divinitatis; & infirma caro humanitatis. Tunc etiam Adamus propheticè dixit: *Adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Quod impletum, *cùm Pater*, inquit D. Gregorius Magnus, *Deo Filio suo nuptias fecit, quando hunc in utero Virginis humanæ naturæ conjunxit.* Notandum tamen solerter illud discrimen, quod idem Pater animadvertit: *Sed quia ex duabus personis fieri solet nuptialis conjunctio, absit hoc ab intellectibus nostris, ut Personam Dei, & hominis, Redemptoris nostri JESU Christi ex duabus personis credamus unitam: ex duabus quippe, atque in duabus hunc naturis existere dicimus; sed ex duabus personis compositum credi, ut nefas, vitamus.* Breviùs D. Augustinus: *Deus conjunctus est carni, & caro adhæsit Deo.* Iris, quam Deus in signum fœderis inter se, & terram posuit, juxta D. Hieronymum, figura est Christi, *qui inter Deum, & homines Mediator apparuit.* Hæc autem duplici terram cornu, & cœlum flexu contingit. Sicut & scala, cui Jacob Deum incumbentem vidit; quia, ut ait D. Augustinus, *Christus secundùm caput est in cœlo, secundùm corpus in terra.* Quid est in Exodo *ignis in rubo*, nisi divinitas in humanitate? *Rubus verò*, inquit D. Aforosius, *ardebat, & non comburebatur, quia Filius Dei hominem assumens, sicut ejus divinitas non est mutata in humanitatem, ut amitteret, quod erat; sic neque ejus humanitas per divinitatem ardens, absumpta est à divinitate; Sed ex duabus substantiis divinitatis, & humanitatis unus Christus permansit, & permanet.* Manna è cœlo demissum Dei Filius est. *Ego*, inquit, *sum panis vivus, qui de cœlo descendi*; vas aureum, in quo servatum, illius corpus, ut esset verè *manna absconditum.* Divus Ephrem: *Sicut aurea urna custodiebat manna, ità Deus Verbum humanatus est in eo, quod sumpsit, sicut aurea urna intra arcam. Quod intùs est, foris est; & quod foris est, intùs est.* In primitivo textu: *Tegitur Deus assumptione carnis, sicut manna urna aurea.* Arcam quoque de lignis Setim jussit Dominus compingi, & auro mundissimo intùs, & foris convestiri. Divus Cyrillus: *Lignum imputribile figura est corporis incorrupti. Aurum verò quasi materiis aliis pretiosius, divinæ nobis indicat substantiæ unitatem. Attende totam arcam inauratam esse auro puro intra, & extra. Adunatum quidem fuerat sanctæ carni Deus Verbum; quod est, arcam fuisse extra inauratam. Quòd verò & animam rationalem, quæ corpori inerat, propriam fecerit, ex hoc apparet, quòd & arcam intùs præceperit inaurari. Quòd autem naturæ, sivè substantiæ inconfusæ manserint, indè scimus, quòd aurum ligno adjectum, aurum mansit; & lignum quidem ornabatur, sed lignum esse non desiit.* In Numeris vaticinatus est Balaam: *Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israël; ut significatione stellæ, & hominis*, inquit Divus Joannes Chrysostomus, *in Filio Dei divinæ, & humanæ naturæ conjunctio nosceretur*; qui ait in Apocalysi: *Ego sum stella splendida, & matutina.*

Probatur naturarum geminatio ex libris Moysis.

Ps. 39. 8. Gen. 1. 1. Joan. 8. 25.

D. Abolid. p. 1. n. 26. 27.

D. Ambros. lib. 3. de Fid. c. 4.

Gen. 1. 3. Joan. 1. 9.

D. Justinus lib. de R. & confess.

Gen. 2. 21. Eph. 5. 32.

Gen. 2. 24.

D. Gregor. hom. 38. in Evangel.

Matth. 22. 2.

D. Augustin. contr. Jud. Pagan. & Arian. c. 9.

Gen. 9. 13.

D. Hieron. in cap. 1. Ezech. 1. 28.

1. Tim. 2. 5.

Gen. 28. 12.

D. Augustin. serm. 79. de Tempore.

Exod. 3. 2.

D. Ambros. in cap. 6. Apocalyps.

Exod. 16. 4. Joan. 6. 51. Apoc. 2. 17. Exod. 16. 33.

D. Ephrem. p. 5. n. 21.

Exod. 25. 10. 11. & 37. 1.

D. Cyril. lib. de Inc. cap. 10.

Num. 24. 17.

D. Joan. Chrysost. hom. de Epiphan.

Apoc. 22. 16.

3. *Abass.* Citharam Davidicam perstringito. *Rom.* In secundo Psalmo ait: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu*, quod ipsius divinitatem indicat, ut ostensum libro 3. capite 7. numero 5. sed de humanitate mox subditur: *Ego hodie genui te:* ut infrà numero 13. ad finem, & capite 24. numero 85. ex D. Selabastro. Et iterùm: *Postula à me, & dabo tibi Gentes, hæreditatem tuam.* Divus Aforosius: *Imperat, & donat, quasi Dei Filius; rogat quasi filius hominis.* In decimo octavo de divinitate: *Cœli enarrant gloriam Dei.* Et infrà: *A summo cœlo egressio ejus.* De humanitate: *Ipse tamquàm sponsus procedens de thalamo suo.* Divus Heraclis: *Beatissima Virgo thalamus fuit, in quo Verbum humanam carnem sibi desponsavit.* Divus Augustinus: *Hic Dei Filius, & hominis filius ex utero Matris. Idem ipse unus Christus, qui processit ex utero Matris, tamquàm sponsus de thalamo suo. In quo utero spirituales nuptiæ celebratæ; Deus conjunctus est carni, & caro adhæsit Deo, ut esset unus Christus, & totus homo.* Ibidem legitur: *Exultavit ut gigas ad currendam viam. Eum quasi gigantem*, inquit

Probatur ex Psalmis. Ps. 2. 7. 8.

D. Ambros. lib. 3. de Fid. cap. 2. & 3. Ps. 18. 1. 6.

D. Procl. Orat. de Nativit.

D. August. contr. Jud. Pagan. & Arian. c. 9.

Digitized by Google

D. Ambros. de Incarn. Dom. Sacr. c. 5.

inquit D. Aforosius, *sanctus David Prophetæ describit, eò quòd biformis, geminaque naturæ unus sit consors: divinitatis, & corporis.* Alludit verò ad famosos illos gigantes, quos & terrenæ, & humanæ substantiæ participes fuisse. Poætæ fabulantur. *In quadragesimo quarto,* ait Concilium Hispalense Secundum, *divina natura demonstratur ibi: Eructavit cor meum Verbum bonum; humana ibi; Speciosus forma præ filiis hominum. Divina ibi: Sedes tua Deus in seculum seculi; humana ibi: Accingere gladio tuo super femur tuum. Utraque simul illis verbis: Unxit te, Deus, Deus tuus.* Ubi priùs Dei nomen est in vocativo, ut Christus Deus intelligatur, ut notatum lib. 1. cap. 2. n. 3. ut autem homo, unctus dicitur, ut ibidem n. 4. 5. 6. & 7 In quadragesimo sexto duo verba: *Ascendit Deus in jubilo*, duas naturas ostendunt. Ascendere est humanitatis, ut dicendum lib. 6. cap. 13. n. 6. D. Cyrillus: *Ascendit certè Deus cum corpore, non in nuda deitate.* Imò unicum *ascendendi* verbum index est utriusque naturæ; non enim tantùm locum mutavit, quod est proprium corporis, sed ipse ultrò in cœlum contendit, tamquàm naturæ auctor. D. Joannes Chrysostomus: *Non dixit: Extulerunt eum, sed ipse ascendit potestate sua; quia Dominus virtutum est.* In quadragesimo nono: *Deus manifestè veniet Deus noster, & non silebit. Ideſt*, inquit D. Cyrillus, *incorporalis fuit nobiscum per carnalem generationem.* In septuagesimo primo, de divina natura: *Ante solem permanet nomen ejus*; de humana: *Deus judicium tuum Regi da, & justitiam tuam filio Regis*; nempè filio David; Psalmi enim titulus est: *In Salomonem.* De utraque: *Descendet sicut pluvia in vellus.* Quia Verbum, ex D. Epiphanio, simile est imbri è cœlo depluenti; humanitas velleri ex carne detonso. In octogesimo quarto: *Dominus dabit benignitatem*; ideſt, Verbum; *& terra nostra dabit fructum suum.* D. Epiphanius: *Verbum Dei*, inquit, *se ipsum sanctum fructum ostendit, sicut Elisabeth ait: Benedictus fructus ventris tui.* In octogesimo sexto: *Homo natus est in ea, & ipse fundavit eam Altissimus.* Ipse enim homo factus *Filius Altissimi* vocatur. In octogesimo octavo: *Ipse invocabit me: Pater meus es tu*; quod ad humanitatem, in qua Christus *primogenitus est in multis fratribus.* In centesimo nono: *Dixit Dominus Domino meo.* Ubi Christus dicitur David Dominus ob deitatem. Et mox: *sede à dextris meis*; *quod*, inquit D. Joannes Chrysostomus, *dictum est illi naturæ, cui prius dictum fuerat: Terra es, & in terram ibis.* Iterùm: *Ex utero ante luciferum genui te*; & mox: *Tu es Sacerdos in æternum.* Qui enim ex Dei utero egreditur, Deus est; Sacerdos infrà Deum, cujus minister inauguratur. In centesimo decimo septimo: *Deus Dominus, & illuxit nobis.* Quod de Christi divinitate exponit D. Athanateus, de humanitate: *Circumdederunt me ficut apes*; Et iterùm: *Lapidem, quem reprobaverunt ædificantes.* In centesimo trigesimo primo: *Surge Domine in requiem tuam, tu, & arca Sanctificationis tuæ.* Ubi arca secundùm D. Cyrillum Christi corpus est, divinitatis conceptaculum. In centesimo quadragesimo tertio: *Domine inclina cœlos tuos, & descende.* Theophilus Alexandrinus: *Non*, inquit, *ut mutaret loca, in quo omnia sunt; sed ut propter salutem nostram carnem humanæ fragilitatis assumeret.*

Pſ. 44. 2. 3. 4. 7. Concil. Hiſpal. II.

Pſ. 46. 6.

D. Cyril. lib. de Incarn. c. 9.

D. Joann. Chryſoſt. p. 7 n. 2.

Pſ. 49. 3.

D. Cyril. lib. de Incarn. c. 2.

Pſ. 71. 17. ℣. 1.

℣. 6.

D. Epiph. in Anchorato.

Pſ. 84. 13.

D. Epiphan ibid.

Luc. 2. 42.

Pſ. 86. 5.

Luc. 1. 32.

Concil. Hiſpal. II.

Pſ. 88. 27. 28.

Rom. 8. 29.

Pſ. 109. 1.

D. Joan. Chryſoſt. hom. de Aſcenſione.

Gen. 3. 19.

℣. 3. 4.

Pſ. 117. 12. 22. 26.

D. Athan. lib. Teſtim. Sacr. ſcrip.

Pſ. 131. 8.

4. *Abaſſ.* Esto jam meliùs, quàm Saul inter Prophetas. *Rom.* Pro omnibus unus satis, superque esset Isaias. Hic enim sicut Genesim Moyses, à cœlo, & terra suum vaticinium auspicatur, dicens: *Audi cœlum, & auribus percipe terra. Quia Salvator*, ut aiunt D. Gregorius Nazianzenus, & D. Heraclis, *est cœlestis, & terrenus.* Cap. 4. *In illa die erit germen Domini in magnificentia.* En divinitatem; *quia Filius*, ex Divo Athanateo, & Cyrillo à nobis libro 3. cap. 5. num. 4. allegatis, *germen est Patris. Et fructus terræ sublimis.* En humanitatem; ex D. Hieronymo, & Bernardo. Cap. 6. Carbonem memorat sumptum de altari. D. Cyrillus: *Tamquàm in imagine licet in carbone concipere adunatum quidem Deum Verbum, non tamen projecisse, quod fuerat, quemadmodùm ignis ligno affixus comprehendit quidem ipsum, quamvis lignum esse non desinat.* Cap. 7. *Vocabitur nomen ejus Emmanuel*; quod Divus Matthæus interpretatur: *Nobiscum Deus*; & Athanateus exponit: *Quia caro, in qua natus est, plena est perfecta divinitate*; Et ideò *butyrum* (quod ex carne defluit) *& mel* (quod cœleste donum est) *comedet.* Cap. 9. *Parvulus datus est nobis, & filius natus est nobis.* Filius in sinu Patris; puer ad ubera Matris. D. Aforosius. *Aliud munus è terris, aliud munus è cœlo: & utrumque unus; in utroque perfectus; & sine mutabilitate divinitatis, & sine humanæ imminutione naturæ.* Ibidem: *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus.* Et mox: *Super solium David, & super regnum ipsius sedebit*; nempè, ut genuinus illius filius. Cap. 11. *Egredietur virga de radice Ieſſe*; quæ secundùm D. Hieronymum, est Beatissima Virgo Maria. *Et flos de radice ejus ascendet, ideſt, Christus, qui dicit in Canticis: Ego flos campi. Et requiescet super eum spiritus Domini; quia in ipso complacuit, omnem virtutem divinitatis habitare corporaliter. Dominus autem spiritus est.* D. Cyrillus in solo floris nomine utramque naturam in Christo agnoscit. *Sicut*, inquit, *odor res quædam est incorporea, habet autem quaſi proprium corpus id, in quo inest, tamen unum ex utroque intelligitur lilium; ità in Christo intelligimus divinitatis naturam, tamquàm in subjecto esse corpore humanitatis.* Cap. 19. *Ascendet Dominus super nubem levem, hoc est corpus*, inquit D. Cyrillus, *nullo peccato pragravatum; quia nubes ex terra, & aqua halitu conflantur. Et ingredietur Ægyptum, ideſt, mundum.* Cap. 41. *Ego Dominus, primus, & noviſſimus.* Ex Divo

Probatur ex Iſaia.

1. Reg. 10. 12. & 19. 24.

Iſai. 1. 2.

D. Greg. Nazianz. Orat. 38.

D. Procl. p. 2. n. 2.

Iſai. 4. 2.

D. Athan. Orat. 2. & 4. contr. Arian.

D. Cyril. lib. 12. Theſ. c. 14. 15.

Iſai. 6. 6.

D. Hieron. in c. 4. Iſa.

D. Bernard. ſerm. 2. de Pentecoſt.

D. Cyril. lib. de Incarn. c. 8.

Iſai. 7. 14.

Matt. 1. 23.

D. Athan. p. 15. n. 44.

Iſai. 9. 6. 7.

D. Ambroſ. lib. 3. de Fid. c. 4.

Iſai. 11. 1.

D. Hieron. lib. 4. in c. 11. Iſaiæ.

Cant. 2. 1.

Coloſſ. 1. 19. 2. 9.

2. Cor. 3. 17.

D. Cyril. lib. de Incarn. c. 9.

Iaſ. 19. 1.

D. Cyril. in c. 19. Iſai.

Iſa. 41. 4.

Digitized by Google

D. Greg. Thaum. P. 1. anat. 8. Isai. 45. 8. 14. 15. Concil. Hispal. II.

Gregorio Thaumaturgo : *Primus ob divinitatem, novissimus ob carnem.* Concilium Hispalense : *Deitatis est : Rorate cœli de super, & nubes pluant justum ; humanitatis : Aperiatur terra, & germinet Salvatorem.* Rursùs : *Tantùm in te est Deus ; per unitatem*, inquit D. Aforosius. Addit : *Verè tu es Deus absconditus.* Quia in Christo, hoc est in Christi carne, *absconditi sunt omnes thesauri sapientiæ, & scientiæ Dei.* Cap. 53. *Brachium Domini.* (scilicet, divinitas) *cui revelatum est ? Brachium*, inquit Divus Cyrillus, *Dei Filium Scriptura nominat. Ut enim brachium toti corpori naturaliter coaptatur, sic Dei Filium ex ipso, & in ipso esse naturaliter intelligimus.* Divus Gregorius Thaumaturgus : *Est Dei virtus, & brachium quod à Patre non separatur.* Tamen paulò post vocatur ab Isaïa, *vir dolorum, & novissimus virorum.* Capite 61. *Spiritus Domini*, hoc est divinitas, *super me. Eò quòd unxerit Dominus me* ; quod ad humanitatem refertur, ut dictum lib. 1. cap. 2. n. 11. Aliæ Isaïæ, & cæterorum Vatum testimonia ponentur lib. 6. cap. 5. n. 8. 9. 10. & 11.

D. Cyril. lib. 13. Th. cap. 2. D. Greg. Thaum. P. 1. n. 26. Isai. 53. 3. Isai. 61. 1.

Probatur ex D. Matth. Matt. 1. 1. & 22. 43. Matth. 1. 20. 21.

5. *Abass.* Viam munito ad Evangelia. *Rom.* In sui cardine Matthæus vocat *filium David*, ob humanam generationem : in processu ejusdem *Dominum*, ob divinam. Ob eamdem : *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est.* Ob humanam : *Pariet autem Filium.* Ob divinam Magi dicunt : *Vidimus stellam ejus in Oriente, & venimus adorare eum.* Ob humanam Angelus : *Accipe puerum, & Matrem ejus, & fuge in Ægyptum :* Ob divinam iidem Magi aurum, & thus offerunt, myrrham, ob humanam. Ob divinam *jejunavit quadraginta diebus, & accedentes Angeli ministrabant ei.* Ob humanam *esurit, & tentatus est.* Ob divinam leprosо dixit : *Volo, mundare.* Ob humanam manum extendebat. Ob divinam dixit Centurioni : *Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.* Ob humanam : *Ego veniam, & curabo eum.* Ob divinam *Imperavit ventis, & mari.* Ob humanam *dormiebat.* Utramque D. Petri confessio expressit. Paulus Emesenus apud D. Cyrillum : *Petrus aixit : Tu es Christus, natura duplex* (altera scilicet, quæ ungit ; altera, quæ ungitur) *Filius Dei viventis. Agnovit unicam Personam.* Ob divinam, quæ judicium præcessura, & consecutura sunt, prædicit ; ob humanam, illius diem ignorat. Ob divinam, *velum templi, & petra scissæ sunt.* Ob humanam, *emisit spiritum.* Ob divinam, ait : *Data est mihi omnis potestas in cœlo, & in terra.* Ob humanam : *Sedere ad dexteram meam, vel sinistram, non est meum dare vobis.*

Matth. 4. 2. 3. 11. Matt. 8. 3. V. 15. V. 7. V. 26. V. 24. Paul. Emes. hom. 1. Alexandriæ coram D. Cyril. Matt. 16. 16. Matth. 24. 29. 36. Matth. 27. 50. 51. Matt. 28. 18. Matt. 20. 23

Probatur ex D. Marco, & Luca.

6. *Abass.* Quid Marcus, & Lucas ? *Rom.* Marcus pleraque habet communia cum Matthæo, & suum Evangelium à divinitate auspicatur : *Evangelium IESV Christi, Filii Dei.* Sed ad humanitatem, secundùm id, quod diximus capite 9. numero 19. illud attinet : *De die autem illo, & hora nemo scit, neque Angeli in cœlo ; neque Filius, nisi Pater.* Lucæ cap. 1. de divinitate : *Ave gratia plena, Dominus tecum* ; idest, *Deus Verbum*, ut vult Divus Petrus Alexand. De humanitate : *Ecce concipies in utero, & paries Filium :* Iterùm de divinitate : *Filius Altissimi vocabitur.* De humanitate : *Dabit illi Dominus Deus sedem David Patris ejus.* Iterùm de divinitate : *Undè hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me ?* De humanitate : *Benedictus fructus ventris tui.* De divinitate : *Gloria in altissimis Deo.* Iterùm : *Quia natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* De humanitate : *Pannis eum involvit, & reclinavit eum in præsepio.* Iterùm de divinitate : *Videamus hoc Verbum.* De humanitate : *Quod factum est, quod fecit Dominus, & ostendit nobis.* De divinitate : *Stupebant omnes super prudentia, & responsis ejus.* De humanitate : *Remansit puer IESVS in Ierusalem.* De divinitate : *Mirabantur in verbis gratiæ, quæ procedebant de ore ejus.* De humanitate : *Nonne hic est filius Ioseph ?* De divinitate : *Remittuntur tibi peccata tua.* De humanitate : *Lacrymis cœpit rigare pedes ejus.* De eadem humanitate cap. 8. *Mater tua, & fratres tui foris stant, volentes te videre.* De divinitate : *Quicumque fecerit voluntatem Patris mei, qui in cœlo est, ipse meus frater, & soror, & mater est.* Quasi homo *inter latrones* pendebat, sed tamquàm Deo unus ex iis dicebat : *Domine memento mei, dum veneris in regnum tuum.* Quasi Deus clamabat : *Pater in manus tuas commendo spiritum meum ;* sed quasi homo : *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me ?*

in Concil. Ephes. tom. 1. cap. 7. V. 31. V. 32. V. 43. V. 42. Luc. 2. 11. 14. V. 7. V. 15. V. 47. V. 43. Luc. 4. 22. Ibidem. Luc. 7. 38. 48. Luc. 8. 20. Matt. 12. 50. Luc. 23. 39. 42. V. 46. Matt. 27. 46

Probatur ex Evangelio D. Joan.

7. *Abass.* Quid D. Joannes ? *Rom.* Totus est in hac veritate demonstranda ; præcipuè verbis illis vulgatissimis. *Verbum caro factum est, & habitavit in nobis* ; de quibus passim in hoc libro. Ibidem de divinitate : *Unigenitus Filius, qui est in sinu Patris.* De humanitate : *Ecce agnus Dei.* De divinitate : *Rabbi, tu es Filius Dei.* De humanitate. *Tu es Rex Israël.* Ut homo *vocatur ad nuptias.* Ut Deus, *aquam in vinum convertit.* Ut Deus, & homo simul ait : *Solvite templum hoc.* Nam ex Divo Cyrillo, templum est corpus ; sed templum non esset, nisi Deus in eo habitaret. Eodem modo ait : *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo, Filius hominis, qui est in cœlo.* De quo cap. 20. n. 15. Ut homo *fatigatus ex itinere sedebat super fontem* ; ut Deus, *est fons vitæ, & aquæ salientis in vitam æternam.* Ratione divinitatis dicit : *Quæcumque Pater fecerit, hæc & Filius similiter facit* ; Ratione humanitatis : *Non possum ego à me ipso facere quidquam.* Ut Deus, *sciebat quid esset facturus ; & quinque virorum millia panibus satiavit* ; ut homo rogabat : *Undè ememus panes, ut manducent hi ?* Et oculos sublevabat, atque panes in manus accipiebat. Ut Deus aiebat : *Ab ipso sum & ipse misit me.* Milites tamquàm de homine. *Nunquàm sic locutus est homo, sicut hic homo* ; ut Deus, & homo : *Cùm exaltaveritis Filium hominis, tunc cognoscetis, quia ego sum.* Ut Deus : *Ego, quod vidi apud Patrem meum, loquor.* Mox addit : *Nunc quæritis me interficere hominem, qui veritatem vobis locutus sum.* Ut homo, *filius est Abrahæ*, ut Deus astruit : *Antequàm Abraham fieret, ego sum.* Ut Deus, *aperit oculos*

Joan. 1. 14. Joan. 1. 18. 19. Joan. 1. 49. Joan. 2. 19. D. Cyril. lib. 12. Th. cap. 15. Joan. 3. 13. Joan. 4. 6. 14. Ps. 35. 10. Joan. 5. 19. 30. Joan. 6. 6. V. 5. V. 11. Joan. 7. 29. V. 46. Joan. 8. 28. V. 38. V. 40. Matt. 1. 1. Joan. 8. 58.

Digitized by Google

Joan. 9. 6. 7. *oculos cæci nati*; ut homo, *lutum fecit ex sputo.* Ut Deus dicit: *Ego, & Pater unum sumus*; ut homo: *Quia Pater major me est.* *Joan.* 10. 30. *Joan.* 14. 28. Ut Deus: *Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi.* Ut homo: *Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum.* Ut homo: *Lazarus amicus noster dormit.* Ut Deus: *Sed vado, ut à somno excitem eum.* Ut Deus: *Ego autem sciebam, quia semper me audis.* Ut homo: *Ubi posuistis eum? & lacrymatus est.* Ut Deus: *Si quis mihi ministraverit, honorificabit eum Pater meus.* Ut homo: *Nunc anima mea turbata est.* Rursùm: *Pater salvifica me ex hac hora.* De divinitate, & humanitate: *Ego sum via, veritas, & vita.* Vita nempè immortalis; & veritas infallibilis in divinitate. Via, quæ ad Patrem ducit ratione carnis. *Via nimirum*, inquit Divus Athanateus, *corporum quiddam est, quod visui subjacet; qua est ipse Dominus homo.* De humanitate: *Clarifica me Pater*, ut ostensum capite 5. numero 19. & cap. superiori numero 10. De divinitate: *Claritate quam habui, priusquàm mundus esset apud te.* De divinitate: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* De humanitate: *Deum meum, & Deum vestrum.* De quo capite 5. numero 18. Ambas etiam in Christo naturas Divus Thomas agnovit, cùm dixit: *Dominus meus, & Deus meus.* De quo vide optima verba Divi Heraclis cap. 4. n. 359. & 390. Nam cùm homo factus est, hominum Dominus esse cæpit: *Neque enim sui existendi*, inquit D. Athanateus, *sed in nobis dominandi initium habuit.*

Joan. 11. 42. *Joan.* 12. 26. *V.* 27. *Joan.* 14. 16. D. Athanat. in Exposit. Fidei. *Joan.* 17. 5. *Joan.* 20. 17. *Joan.* 20. 28. D. Athan. Orat. 3. cont. Arian. Probatur ex D. Paulo.

8. *Abass.* Ab Evangeliis ad Apostolicas epistolas transitum maturato. *Rom.* Hinc suam ad Romanos Divus Paulus exorditur; Priùs a divinitate: *Segregatus in Evangelium Dei, quod ante promiserat per Prophetas suos in Scripturis Sanctis de Filio suo.* Tum digreditur ad humanitatem: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Capite autem nono, ordine præpostero: *Ex quibus est Christus secundùm carnem.* Posteà de divinitate subjicit: *Qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Cap. 8. *Proprio Filio non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.* Proprius dicitur, *quia Deus*, inquit Divus Aforosius, *illi Pater est proprietate naturæ; traditus utique secundùm carnem.* In prima ad Corinthios: *Si cognovissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent.* En Dominus est gloriæ, & crucifixus. *Sed crucifixus*, inquit Divus Augustinus, *non ex virtute divinitatis, sed ex infirmitate carnis.* Quæ interpretatio congruit cum ejusdem Apostoli sententia, cùm ait in secunda. *Crucifixus est ex infirmitate* (caro enim infirma) *sed vivit ex virtute Dei.* Divus Irenæus: *Crucifixus est in passione in carne, & vivit ex virtute Dei, quæ est ejus divinitas.* Et in eadem: *Deus erat in Christo. Nam propria substantia Patris Filius est*, inquit Divus Athanateus: *In Christo* autem exponit Divus Cyrillus, *in carne Christi; nam quod priùs erat, etiam carne assumpta permansit.* Cap. 8. *Cùm dives esset, propter nos egenus factus est.* Divus Gregorius Nazianzenus: *Qui locupletes alios facit, eget (carnis enim meæ paupertatem subiit) ut ipse illius divinitate diteſcam.* Ad Galatas: *Misit Deus Filium suum factum ex muliere, factum sub lege.* Divus Aforosius: *Suum cùm dicit, æternæ generationis proprietatem signavit; hunc posteà factum dicit per susceptionem carnis.* Ad Ephesios: *Deus Domini nostri IESU Christi, Pater gloriæ.* D. Hieronymus: *Quandò de eo loquitur, qui in principio apud Deum erat Verbum, appellatur Pater gloriæ; quandò autem de eo, qui dicit in Evangelio: Quid me vultis interficere hominem, qui vera locutus sum vobis? Vocatur Deus Domini nostri IESV Christi; non quòd alter sit; sed quòd unus, atque idem Filius Dei nunc divinitatis suæ, nunc nostræ naturæ loquatur affectibus.* Cap. 4. *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit.* Cujus loci expositionem vide cap. 20. n. 15.

1. *Cor.* 8. 9. D. Greg. Naz. Orat. 38. de Nat. *Galat.* 4. 4. D. Ambros. lib. 1. de Fid. c. 6. *Eph.* 1. 17. D. Hieron. in cap. 55. Isaiæ. *Joan.* 1. 1. *Joan.* 8. 40. *Eph.* 4. 10.

9. *Abass.* Celeberrima illa ad Philippenses verba peculiarem suo sibi jure vendicant tractationem: *Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualem Deo; sed semetipsum exinanivit, formam servi accipiens. Rom.* Meæ operæ pretium avarè non statuam. In eo testimonio quinque notanda. Primum. Christum Deo æqualem esse, & minorem; æqualem autem non rapinâ, sed naturâ; De quo cap. 4. num. 22. Minorem verò, quia *factus est obediens, usque ad mortem.* Obedientia námque est inferioris erga superiorem præcipientem observantia. Cùm ergo ex dictis cap. 21. n. 12. eadem natura non possit esse minor, & æqualis, duæ Christo assignandæ. Secundum. Alteram naturam habere, quâ excelsus est, & *Filius Altissimi*; alteram, quâ *humiliavit semetipsum.* Tertium. Christum, ut jam notatum cap. 15. n. 9. plenum priùs fuisse, & posteà se ipsum ad vacuitatem redegisse; nam privatio habitum supponit. Plenitudo igitur ad divinitatem, juxta D. Paulum, & Joannem referenda. Hic enim ait: *plenum gratiæ, & veritatis.* Et iterùm: *De plenitudine ejus nos omnes accepimus.* Ille: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter. Sola enim deitatis natura*, inquit Divus Cyrillus, *perfecta est, sola omnia replet.* Ipsa enim testatur: *Ostendam tibi omne bonum.* Imò advertit idem Pater, *Si Christus homo purus ante fuisset, dici non potuisse, incarnatione exinanitum.* Humanitas enim vacua est, quia ex se omni bono caret. *Scio*, inquit Apostolus, *quia non habitat in me*, hoc est, in carne mea, *bonum.*

Eph. 4. 10. Expenditur locus ad Phil. 2. 6. 7. Duæ in Christo naturæ; altera, in qua æqualis; altera, quâ minor Patre. *Philip.* 2. 8. Altera, in qua celsus, & plenus; altera, in qua humilis, & vacuus. *Luc.* 1. 32. *Philip.* 2. 7. *Joan.* 1. 14. 16. *Coloss.* 2. 9. *Exod.* 33. 19. D. Cyril. 12. Th. c. 15. & in Epist. ad Monach. Ægypti & lib. ad Reg. *Rom.* 7. 18.

10. *Abass.* Quid quartò in iis verbis observandum? *Rom.* Duas in Christo formas: alteram Dei, alteram servi eminere; *carnis enim assumptio*, inquit D. Athanateus, *illum servum effecit.* Forma quidem Dei, est ipsius natura, ut ostendimus lib. 2. cap 2. n. 9. Cùm ergo ait Apostolus: *Qui cum in forma Dei esset*, divinam Christo naturam inesse indicavit. Cùm autem adjecit, *Formam servi accipiens*; humanam non minùs verè ab ipso inductam. Eamdem enim significationem idem verbum utrobique servare debet. *Est enim forma*, teste

Duæ formæ in Christo & utraque vera. D. Athan. Orat. 3. cont. Arian.

Digitized by Google

teste D. Joanne Damasceno, *substantia à substantialibus differentiis tamquàm informata, & specificata; quòd ea totius speciei, & omnium illius individuorum forma sit, & terminus generationis.* Ideóque notat D. Thomas, Apostolum formæ, quàm naturæ nomine uti maluisse, ut Christum verum Dei, atque hominis Filium, verúmque proindè Deum, atque hominem demonstraret. Divus Athanateus: *Sicuti in forma Dei integritas deitatis Verbi intelligitur, ità quoque in forma servi intellectualis naturæ hominum substantia agnoscitur.* D. Hilarius: *In forma servi est, qui & in forma Dei est. Tam verus in forma Dei, quàm verus in forma servi. Ut verò accepisse formam servi, non aliud est, quàm hominem natum esse, ità in forma Dei esse, non aliud est, quàm Deum esse.* Divus Basilius: *Id, quod dicitur, in forma Dei esse, æquum ei asfero, quod est, in substantia Dei esse. Nam sicut formam servi suscepisse, hominis substantiam Dominum sumpsisse significat; sic, cùm in forma Dei esse dicat, divinæ substantiæ ipsi profectò attestatur proprietatem.* Quæ verba cum eodem sensu, plus, minúsve habentur in Haymanot Abbau in fragmentis D. Basilii. Divus Aforosius: *Quid est in Dei forma, nisi in divinitatis plenitudine? Disce igitur, quid sit, formam servi accepit; ideſt, plenitudinem perfectionis humanæ.* Alibi: *Quid est in Dei forma, nisi in plenitudine divinitatis, in illa perfectionis divinæ expressione? Ergo cùm esset in plenitudine divinitatis, exinanivit se, & accepit plenitudinem naturæ, & perfectionis humanæ. Sicut Deo nihil deerat, ità nec hominis consummationi, ut esset perfectus in utraque forma.* Divus Augustinus: *Quia forma Dei accepit formam servi, utrúmque Deus, & utrumque homo; sed utrumque Deus propter accipientem Deum; utrumque homo propter acceptum hominem.* Alibi: *Forma servi accessit, non forma Dei recessit. Hæc est assumpta, non illa consumpta.* Alibi: *Ubi est forma, nihil habet prorsùs minùs omninò, quàm natura.*

D. Joan. Damasc. de Dialect. cap. 41.

D. Thom. in Epist. ad Phil. cap. 2.

D. Athan. de salut. Christi adv. cont Apoll.

D. Hilar. lib. 10. de Trinit.

D. Basil. lib. 1. cont. Eunom.

D. Basil. p. 1. per totam.

D. Ambros. lib. 5. de Fid cap. 5. & Epist. 47.

D Augus. 1. de Trinit. cap. 7.

Tract. 78. in Joannem.

Lib. contr. Pascentniũ.

11. *Abass.* Quid observandum quinto? *Rom.* Duas in Christo similitudines sub formæ nomine commendari; alteram, quâ similis est æterno Patri; de qua D. Paulus: *Qui est imago Dei invisibilis.* Et iterùm: *Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Divus Gregorius Armenius: *Factus est in forma hominis verè, ut ipsum viderent fabricatores formarum, & similitudinum, & servirent similitudini divinitatis.* Divus Basilius: *De Christo IESU Domino nostro dicitur, esse Dei similitudinem.* Alibi: *Natus est ex Patre similitudo Dei invisibilis, & immutabilis, Verbum divinum.* Altera similitudo est, de qua hoc loco: *In similitudinem hominum factus.* Et alibi: *Undè debuit per omnia fratribus similari.* Divus Gregorius Armenius: *Suscepit imaginem, & similitudinem operis manus suæ, ità ut reciperet carnem hominis.* D. Athanateus: *Crucifixus est, & mortuus: depictus in imagine servi, quam sumpsit ex nobis.* D. Heraclis: *Non dixit Paulus, quòd divinitas passa sit, sed in similitudine, quam suscepit Deus ex hominibus*; ideſt, in corpore. Theophilus Alexandrinus: *Plenam similitudinem nostræ conditionis assumpsit.* Alibi: *Nec similitudo nostra in divinitatis est mutata naturam; nec divinitas in nostræ naturæ versa est similitudinem.* Diversæ autem sunt hæ formæ, & similitudines. *Non est enim* (inquit D. Selebastros, seu Silvester) *eadem imago Dei, & Angelorum* (quod etiam de hominibus sentiendum.) *Quoniam non est eadem natura.* Non tamen sunt duæ formæ, neque duæ similitudines separatæ, quæ duas personas constituant, sed uni personæ copulatæ; sicut in quolibet homine anima est Dei, corpus autem Adæ similitudo, ut docet D. Paulus: *Primus homo de terra terrenus; Secundus homo de cœlo cœlestis; igitur sicut portavimus imaginem terreni, portemus & imaginem cœlestis.* Si creata persona duas similitudines ità dissidentes sustinere potest, quin duplex reddatur, cur non increata?

Duæ similitudines; nec idò duplex est Christus.

Col. 1. 15.

Heb. 1. 3.

D. Greg. Armen. p. 1. n. 9.

D. Basil. p. 1. n. 1. & p. 4. n. 9.

Philip. 2. 7.

Heb. 2. 17.

D. Gregor. Armen. p. 3. n. 1.

D. Athan. p. 4. n. 22.

D. Procl. p. 4. n. 3.

1. Cor. 2. 8.

Theoph. Alex. Epist. 1. & 2. Paich.

D. Silvester apud Surium. tom. 6. die 30. Decemb. ex Metapr.

1. Cor. 15. 47. 49.

12. *Abass.* Solerter hunc nodum enodasti, cæteras Pauli Epistolas ne contemne. *Rom.* In hunc sensum exponit Concilium Hispalense illa Verba ad Colossenses: *Primogenitus omnis creaturæ*, quod humanitatem prodit; Sed illa mox divinitatem: *Ipse est ante omnes.* In secundo capite visitur famosum illud testimonium: *In ipso habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter*, Quod teste Divo Cyrillo indicat: *Verbum vera, perfectáque unione cum humana natura conjunctum.* De quo nihil ampliùs, cùm latè dictum sit cap. 4. numero 13. In priori ad Timotheum illud celebre exhibetur: *Unus Mediator Dei, & hominum, homo Christus IESUS.* Non enim Mediator solùm dicitur, quòd se tamquàm Advocatum, & Caduceatorem ad pacem inter Deum, atque homines firmandam interposuerit (quod sonat in vestra versione verbum [Araque:]) " Sed quòd divinam, humanámque naturam utriusque consors, instar medii termini colligaverit: *Mediator enim*, ait idem Paulus, *unius non est.* Divus Augustinus: *Mediator inter Deum, & homines oportebat, ut haberet aliquid simile Deo, & aliquid simile hominibus; ne in utroque hominibus similis, longè esset à Deo; aut in utroque Deo similis, longè esset ab hominibus; atque ità Mediator non esset.* Alibi: *Divinitas sine humanitate non est mediatrix; humanitas sine divinitate non est mediatrix; sed inter humanitatem solam, & divinitatem solam mediatrix est humana divinitas, & divina humanitas Christi; & servus meus David Princeps in medio eorum.* Divus Joannes Chrysostomus: *Ut si quispiam in arena consistens duos aliquos invicem dissidentes utraque manu extentâ conjungat; ità fecit & Christus, veteri novam; divinâ humanam naturam; suis nostra jungendo.* Vide eumdem infrà capite 24. numero 309. 318. & Divum Irenæum numero 37. & Divum Epiphanium numero 210. Divus Cyrillus: *Mediator*

Percurruntur alia loca D. Pauli.

Coloss. 1. 15. 17.

Concil. Hispal. 11. Col. 2. 9. D. Cyril. lib. ad Reg.

1. Tim. 2. 5.

Galat. 3. 20. D. August. lib. 10. Confess. cap 42.

Lib. de Ovibus. Ezec. 34. 24.

D. Joann. Chrysost. hom. 2. in Matthæum.

Digitized by Google

Mediator Dei, & hominum JESUS *Christus est, non solùm quia reconciliavit homines Deo, verùm etiam, quia naturaliter, & substantialiter & Deus, & homo est in una hypostasi. Alii etiam fuêre mediatores, ut Moyses, & Aaron.* Quomodo igitur unicus *Mediator Dei, & hominum Christus est, nisi quod nova, inauditáque in aliis mediatio ipsius sit? Quod igitur duo quædam, sicut medium, conjungit, ab utroque necessariò tangitur; & hoc modo diversa per medium conjunguntur. Est igitur Mediator Dei, & hominum Christus, quia in eo uno Deus, & homo conjunguntur. Non est tamen ipse aliquid tertium, prater Deum, & hominem, sed Deus verè, & homo verè. Ipse enim est pax nostra. Et quoniam naturaliter nobiscum conjungitur, divina substantiæ nostra natura in ipso conjungitur; & hoc modo divinæ naturæ communicamus.* Nobilis etiam ille est in eâdem Epistola locus: *Manifestè magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu*; ideſt, divinitate. D. Cyrillus: *Manifestatum*, inquit, *est in carne, quia Dei Patris Verbum caro factum est.*

Exod. 32. 10. Ps. 105. 23. Num. 16. 48. Eph. 2. 14. 1. Tim. 3. 16. D. Cyril. in Exposit. Anath. Ex Epistola ad Hebr.

13. *Abass.* Aliquid ex Epistola ad Hebræos delibato. *Rom.* 9. Nusquàm frequentiùs humanis divina sunt intersita, quàm cap. 1. per totum. Divinum est: *Locutus est in nobis in Filio; per quem fecit, & secula.* Humanum: *Quem constituit hæredem universorum.* Divinum: *Adorent eum omnes Angeli Dei*; Humanum: *Tantò melior Angelis effectus*; quia fieri, creaturarum est; *Et modicò, quàm Angeli minoratus.* Divinum: *Qui cum sit splendor gloriæ, & figura substantiæ ejus.* Humanum: *Considerate Apostolum, & Pontificem confessionis nostræ JESUM, qui fidelis est ei, qui fecit illum.* Divinum: *Ego ero illi in patrem*; Humanum: *Semen Abrahæ apprehendit*; *undè debuit per omnia fratribus similari.* Divinum: *Thronus tuus, Deus, in seculum seculi.* Humanum: *Sede à dextris meis.* Et: *sede: ad dexteram majestatis in excelsis.* Divinum: *Vivus est enim sermo Dei, & efficax.* Humanum: *Habentes ergo Pontificem magnum. Filius meus es tu: ego hodie genui te.* Humanum: *Tu es Sacerdos in æternum secundùm ordinem Melchisedech. Qui in diebus carnis suæ preces, supplicationesque ad eum, qui possit eum salvum facere à morte, cum clamore valido, & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reverentia.* Divinum: *Et quidem, cùm esset Filius Dei.* Humanum: *Didicit ex his, quæ passus est obedientiam.* Cap. 13. JESUS *Christus heri, & hodie, ipse & in secula.* D. Gregorius Nazianzenus. *JESUS Christus heri, & hodie corporaliter* (ideſt, inquit Elias Cretensis: *Secundùm humanam naturam temporis partitioni subjectam*) *idem & in secula, per deitatem tum principii, tum finis expertem.* D. Aforosius, Chrysostomus, Cyrillus, Theophylactus, Anselmus, & alii in duabus vocibus. *Heri, & hodie*, duas Christi naturas agnoscunt. *Heri*, inquit prior, *propter divinitatis æternitatem; hodie propter corporis susceptionem.*

Ibid. ℣. 6. ℣. 4. Cap. 2. 9. Cap. 1. 3. Cap. 3. 1. 2. Cap. 1. 5. Cap. 2. 16. 17. Cap. 1. 8. ℣. 3. 13. Heb. 4. 12. 14. Heb. 1. 5. & 5. 5. Cap. 5. 6. 7. Heb. 5. 8. Hebr. 13. 8. D. Greg. Naz. Orat. 36. in fine. Elias Cretens. ibid. D. Ambros. lib. 5. de Fid. c. 1.

14. *Abass.* Numquid simile alii accinunt Apostoli? *Roman. Suscipite*, inquit D. Jacobus, *insitum Verbum.* Quia Pater humanæ naturæ truncum inserto lectissimi Verbi sui surculo inoculavit. Sic Divus Ephrem infrà cap. 24. num. 135. In priori sua Epistola Petrus illa duo clarissima affert testimonia. Primum. *Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu*; quod significat ex D. Epiphanio, *suscepisse voluntate sua infirmitates carnis, quin pervenirent ad substantiam divinitatis.* Secundum. *Christo igitur passo in carne.* Ubi solerter inclusa est caro, ut passio à divinitate excluderetur. Idem D. Epiphanius: *Dictum est, Christum passum esse in carne, & non in divinitate sua, sicut confessus est Petrus Apostolus.* Qui in posteriori Epistola cùm testaturus esset, illam vocem è cœlo allatam se audiisse: *Hic est Filius meus dilectus* quæ divinitatem pandit; de humanitate, cujus proprium est accipere, ut ostensum cap. 21. num. 9. præmisit: *Accipiens à Deo Patre honorem, & gloriam.* D. Joannes in priori Epistola: *Quod fuit ab initio*, nempè Verbum incorporeum apud Patrem; *Quod vidimus oculis nostris, quod manus nostræ contrectaverunt*; nempè idem Verbum in corpore; Nam *quod tangitur*, inquit D. Aforosius, *corpus est; quod palpatur, corpus est.* Vide eumdem suprà lib. 3. cap. 3. num. 13. *Et vita* (scilicet, per essentiam: *nam hic est verus Deus, & vita æterna*) *manifestata est, & apparuit nobis*; nempè, in Incarnatione, quam apparitionem dici, cap. 2. num. 13. in fine, ostendimus. Capite secundo: *Quis*, inquit, *est mendax, nisi is, qui negat, quoniam JESUS est Christus*; hoc est, Deus, & homo; quod Christi est etymon. Capite quarto: *Omnis spiritus, qui confitetur, JESUM Christum in carne venisse ex Deo est; & omnis spiritus, qui solvit JESUM, ex Deo non est; & hic est Antichristus.* Ex quo jam superiùs cap. 16. num. 6. ostendi, eos, qui unam naturam astruunt, inficiari Christum in carne venisse, ipsúmque, altera naturâ consumptâ, dissolutum exhibere. De qnibus etiam cap. 15. n. 6. exposui illud ex secunda ipsius Epistola testimonium. *Multi seductores exierunt in mundum, qui non confitentur, JESUM Christum venisse in carnem; hic seductor est, & Antichristus.* Repetita apud eumdem verba in Apocalypsi: *qui est, & qui erat, & qui venturus est*, eodem modo exponenda, quo illa Pauli: *JESUS Christus heri, & hodie, ipse & in secula.* Humanitatis est cap. 19. *Et vestitus est veste aspersa sanguine*; Divinitatis: *Et vocatur nomen ejus, Verbum Dei.* Ut autem in Scripturæ capite, sivè principio de Christi divinitate, & humanitate commemoratio introducta, sic & in fine, dilecto Apostolo suam Apocalypsim ità claudente: *Veni Domine JESU.* Domini enim nomen divinitatis, venire autem humanitatis est consectarium.

Probatur ex Epistolis Catholicis. Jac. 1. 21. D. Ephrem. 1. Petr. 3. 18. D. Epiph. p. 3. n. 22. 1. Petr. 4. 1. D. Epiph. p. 12. n. 9. 1. Joan. 1. 1. D. Ambros. lib. 10. in Lucam. 1. Joan. 1. 2. 1. Joan. 5. 20. Cap. 2. 22. Cap. 4. 2. 3. 2. Joan. ℣. 7. Apoc. 1. 4. Heb. 13. 8. Apoc. 19. 13. 14. Apoc. 22. 20.

Digitized by Google

CAPUT XXIII.

Probatur ex Conciliis Chalcedonensi antiquioribus, Christum Dominum duas naturas habere.

Apostolicum, & Nicænum Symbola satis essent.

1. *Abass.* Jucundo me gratiæ poculo exhilarares, si ut superiori capite Sacrarum litterarum, sic nunc mihi aliquorum Conciliorum Chalcedonensi anteriorum testimonia propinares. *Rom.* Ut te ad sobriam usque ebrietatem prolueres, non alterius Concilii opus erat testimonio, quàm illius, in quo, ut dictum est lib. 1. cap. 8. num. 1. Apostoli angulari, & ad duos parietes se porrigenti duplicis naturæ lapide suum Symbolum coagmentârunt. De divina enim dixerunt: *Et in IESVM Christum, Filium ejus unicum, Dominum nostrum.* Quam Nicæni Patres nobili additamento ampliùs illustrârunt. *Et ex Patre natum ante omnia secula: Deum de Deo; lumen de lumine; Deum verum de Deo vero; genitum, non factum; consubstantialem Patri; per quem omnia facta sunt.* De humana Apostoli: *Qui conceptus est de Spiritu sancto; natus ex Maria Virgine*: Patres Nicæni: *Qui propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cœlis; & incarnatus est de Spiritu sancto ex Maria Virgine; & homo factus est.* Ubi vides (quod ostensum est suprà cap. 5. num. 6.) eumdem, qui fuit ab æterno Dei Filius, primævæ suæ naturæ humanam apposuisse. Undè frequenter ait D. Cyrillus, Symbola hæc, si rectè intelligantur, & explicentur, ad Fidei perfectionem sufficere. Multò magis additâ D. Athanatei explicatione.

D. Cyril. Epist. 10. ad Nestor. & in Exposit. Symb. Nic.

Symbolum D. Athanasii duas naturas ostendit.

2. *Abass.* Quænam hæc explicatio? *Rom.* Illa ex probatissimo ipsius Symbolo: *Est ergo Fides recta, ut credamus, & confiteamur, quia Dominus noster IESVS Christus, Dei Filius, Deus, & homo est; Deus ex substantia Patris ante secula genitus, & homo ex substantia Matris in seculo natus; Perfectus Deus, perfectus homo; ex anima rationali, & humana carne subsistens. Æqualis Patri secundùm divinitatem, minor Patre secundùm humanitatem. Qui licèt Deus sit, & homo: non duo tamen, sed unus est Christus. Unus autem non conversione divinitatis in carnem; sed assumptione humanitatis in Deum. Unus omninò non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro unus est homo; ità Deus, & homo, unus est Christus.* Quibus verbis omnia continentur, de quibus te ego toto hoc libro erudivi. Verùm, quandò te Conciliorum cura discruciat, noris ante Chalcedonense hanc veritatem à Nicæno (præter illam Symboli additionem) à Romano sub Damaso, à Quarto Carthaginensi, à Toletano Primo, & tandem ab Ephesino ducentorum Patrum contestatam.

Nicæni Concilii definitio anno 325. Habetur in Conc. Ephesino p. 3. cap. 5. Rom. impress. fol. 591.

3. *Abass.* Quid de hac veritate Concilium Nicænum? *Rom.* Illam sic adversus Paulum Samosatenum anno 325. definivit. Cùm verò ex integro consentiat cum iis, quæ à nobis per totum hunc librum sunt disseminata, indicem litterulis adjectis ad marginem texemus. *Confitemur*, (inquiunt tercentum, decem, & octo Patres) *Dominum nostrum*] *IESVM Christum ex* a *Patre quidem secundùm Spiritum, ante secula genitum; novissimis verò diebus ex Virgine secundùm* b *carnem natum. Vnam* c *Personam compositam* d *ex cœlesti divinitate, & humana carne; & secundùm, quod est homo,* e *& totum* f *Deum, & totum* g *hominem; Totum Deum etiam cum corpore,* h *sed non secundùm* i *corpus Deum. Totum* k *etiam hominem cum divinitate, sed non secundùm divinitatem hominem. Sic totum* l *adorabilem cum corpore, sed non secundùm corpus adorabilem. Totum adorantem, etiam cum divinitate; sed non secundùm divinitatem adorantem. Totum* m *increatum, etiam cum corpore, sed non secundùm* n *corpus increatum. Totum formatum, etiam cum divinitate, sed non secundùm divinitatem formatum. Totum* o *Deo consubstantialem, etiam cum corpore, sed non secundùm corpus consubstantialem. Quemadmodùm neque secundùm divinitatem coessentialis est hominibus, quamvis nobis secundùm* p *carnem coessentialis, etiam cum divinitate, existens. Etenim, cùm illum secundùm Spiritum Deo consubstantialem dicimus, non dicimus hominibus secundum spiritum coessentialem. Contra autem, cùm illum secundùm carnem hominibus coessentialem prædicamus, non prædicamus illum secundùm carnem* q *Deo consubstantialem. Sicut enim secundùm spiritum nobis coessentialis non est, qui secundùm hunc Deo consubstantialis est; ità neque Deo secundùm carnem consubstantialis est; quia secundùm hanc nobis est coessentialis. Quemadmodùm autem hæc dicta, & declarata sunt, non ad inducendam unius Personæ indivisæ* r *divisionem, sed ad denotandam* s *proprietatem Verbi, & carnis minimè confusam* t *distinctionem; ità & illa, quæ ad indivisam* u *unionem, compositionémve pertinent, prædicamus.* Undè noris, futilia illa esse verba in Haymanot Abbau: *Factus est unus cum divinitate sua in una substantia*, cùm dici debuerit; *in una hypostasi*, sivè Persona.

a Cap. 5. n. 7.
b Lib. 6. cap. 4. n. 5.
c Cap. 12. n. 1. 2. 3.
d Cap. 12. n. 13.
e Cap. 18. n. 13.
f Cap. 4. n. 8.
g Cap. 6. n. 5.
h Cap 5. n. 9.
i Cap. 4. n. 8. in fin.
k Cap. 6. n. 5.
l Cap. 4. n. 17.
m Cap. 6. n. 11.
n Cap. 6. n. 12. 13. 14.
o Cap. 4. n. 4.
p Cap. 6. n. 4.
q Cap. 7. n. 3. cap. 16. per totum.
r Cap. 12. n. 2.
s Cap. 20. n. 1. & 2.
t Cap. 19. per totum.
u Cap. 18. n. 6. 318. Patres p. 1. n. 21.

4. *Abass.* Quid Concilium Romanum? *Rom.* Anno Christi 373. Ecclesiam administrante D. Damaso, Romæ celebratum est Concilium, assistente Petro Alexandrino, D. Athanatei successore, in quo proscripta fuit hæresis Apollinaris, & inter cæteros illi Canones sanciti: *Si quis dixerit, quòd in carne constitutus Filius Dei, cùm esset in terra, in cœlis cum Patre non erat; anathema sit.* *Si quis dixerit, quòd in passione crucis dolorem sustinuit Filius Dei; & non caro cum anima, quam induerat in forma servi, quam sibi acceperat; anathema sit.* *Si quis non dixerit, carne excruciatum Dei Filium, & carne mortem gustasse, fuisseque primogenitum ex mortuis, quatenùs vita est, vivificusque Deus;*

Concil. Roman. sub Damaso anno 373.
Can. 11.
Can. 13.
Can. 14.
Apoc. 1. 5.

Digitized by Google

Deus ; *anathema sit.* Quibus Canonibus ostenditur, Christum Deum fuisse, sed carne amictum ; carne passum, non divinitate ; & carne terram, divinitate autem cœlum, & terram occupasse.

Concil. quartum Carthaginense anno 398.

5. *Abass.* Quid Quartum Concilium Carthaginense ? *Rom.* Ad illud anno 398. ducenti quadraginta octo ex tota Africa Episcopi confluxerunt, & inter eos supremum sapientiæ lumen Augustinus ; & in Fidei confessione hæc verba subjecerunt : *Incarnatio divina non in Patre, neque in Spiritu sancto, sed in Filio tantùm est ; ut qui in divinitate Dei Patris Filius, ipse fieret in homine hominis Matris Filius. Deus verus ex Patre ; homo verus ex Matre. Carnem ex Matris visceribus habens, & animam rationalem. Simul in eo amba naturæ : Deus, & homo ; una Persona, unus Christus, unus Filius.*

Concil. I. Toletanum anno 400.

6. *Abass.* An ità perspicuè Primum Toletanum ? *Rom.* Forsitan evidentiùs. *Confitemur* (inquiunt Patres anno quater centesimo collecti) *hunc Filium Dei natum à Patre ante omne omninò principium, sanctificasse uterum Virginis Mariæ, atque ex ea verum hominem sine virili semine generatum suscepisse ; duabus duntaxat naturis, idest, deitatis, & carnis in unam convenientibus omninò Personam, idest, Dominum nostrum IESVM Christum.*

Concil. Ephesinum anno 431.

7. *Abbass.* Quidnam decretum in Concilio Ephesino ? *Rom.* Anno 431. coactum fuit illud Concilium ; licèt autem præcipuè classicum cecinerit adversus Nestorium, ut duas naturas, sic duas personas in Christo ponentem ; duarum personarum assertionem ex instituto damnans, duarum naturarum in unica Persona unionem approbavit. Nam Canone primo dicit : *Si quis non confitetur Deum veraciter Emmanuel ; & propterea Dei Genitricem, sanctam Virginem (peperit enim secundùm carnem, carnem factum Dei Verbum, secundùm quod scriptum est : Verbum caro factum est) anathema sit.* Canone 2. *Si quis non confitetur, carni secundùm subsistentiam unitum Dei Patris Verbum, unúmque esse Christum cum propria carne ; eumdem, scilicet, Deum, & hominem, anathema sit.* Qui Canones cum aliis habentur in fragmentis D. Cyrilli p. 20. & 51. In quibus, & aliis decem Christum Deum, & hominem : Verbum, & carnem ducenti illi Patres confitentur. *Alia enim Verbi* (inquit D. Cyrillus, eorum Canonum auctor) *alia natura carnis est.* In eodem Concilio lectæ, & ulnis gratantibus exceptæ fuerunt duæ ejusdem D. Cyrilli Epistolæ ad Nestorium, in quarum priori visuntur illa verba : *Licèt diversæ naturæ in unum convenerint, unus tamen ex ambabus est Christus, & Filius ; non evacuata, vel ablata diversitate naturarum per conjunctionem ; sed quia simul nobis effecerunt unum Deum, & Christum, & Filium ; idest, divinitas, & humanitas per arcanam illam, ineffabilémque copulationis adunationem.* In posteriori illa : *Etsi ex duabus, iisque diversis naturis in unitatem quamdam admirabilem coaluerit, unus tamen, & solus est Christus, non autem geminus. Quemadmodùm etiam homo, licèt ex anima, & corpore constituatur, non duo tamen, sed unus est ex utroque concretus.*

Can. 1. Apud D. Cyril. p. 20. n. 1.

Can. 2. Ibid. n. 3.

D. Cyril. Epist. 30. ad Eulog.

Idem Epist. 8. ad Nestor.

Idem Epist. 10. ad eumd.

8. *Abass.* Ne tibi sit acerbum Concilii Chalcedonensis definitionem subjicere, ut pateat, num socialem tesseram cum antiquioribus servaverit, an confregerit. *Roman.* Postquàm Nicænæ, & Constantinopolitanæ Synodorum Symbola Chalcedonensis proposuit, & probatas in Ephesina D. Cyrilli Epistolas gemmis consignavit, in hæc verba prosiluit. a *Sequentes igitur sanctos Patres*, b *unum*, c *eumdemque confiteri* ad d *Filium*, e *Dominum*, *IESVM* f *Christum*, *constanter omnes docemus. Eumdem* g *perfectum in deitate*, *eumdem* h *perfectum in humanitate. Deum* i *verum*, *& hominem* k *verum. Eumdem ex* l *anima rationali*, *&* m *corpore* ; n *consubstantialem Patri secundùm divinitatem* ; *consubstantialem* o *nobis secundùm humanitatem. Per* p *omnia nobis similem absque* q *peccato* ; r *Ante secula quidem ex Patre genitum secundùm deitatem* ; *in* s *novissimis autem diebus* t *eumdem propter nos, & propter nostram salutem ex* u *Maria Virgine, Dei* x *genitrice secundùm* z *humanitatem.* y *Unum*, a *eumdem Christum*, b *Filium* c *Dominum* d *Vnigenitum in duabus* e *naturis*, f *inconfusè*, g *immutabiliter* h *indivisè*, i *inseparabiliter agnoscendum*, *nusquàm sublata* k *differentia naturarum propter unitionem, magisque salva* l *proprietate* m *utriusque naturæ in* n *unam Personam, atque* o *subsistentiam concurrentis. Non in duas* p *Personas partitum, atque divisum* ; *sed unum, eumdemque Filium Vnigenitum*, q *Deum Verbum, Dominum nostrum, IESVM Christum, sicut ante Prophetæ de eo, & Patrum nobis Symbolum tradidit.* En Chalcedonensis Synodi confessionem, quam nec minimo quidem apice à Patrum doctrina in hoc libro tradita alienam comperies, si eam cum locis ad marginem adscriptis composueris.

Concilii Chalcedonensis definitio, anno 451.

Act. 5.

a Lib. 1. cap. 10. n. 15. 17.
b Hoc lib. cap. 12. n. 1. cap. 18. n. 13.
c Cap. 5. n. 5. 6.
d Cap. 5. per totum.
e Cap. 4. n. 1. & 19.
f Cap. 4. n. 1.
g Cap. 4. n. 7. & cap. 10. n. 5.
h Cap. 6. n. 4. cap. 10. n. 5.
i Cap. 4. n. 3. cap. 10. n. 4.
k Cap. 6. n. 2.
l Cap. 8. n. 7.
m Cap. 7. per totum.
n Cap. 4. n. 4.
o Cap. 6. n. 6. 7.
p Cap. 6. n. 9.
q Cap. 9. n. 5.
r Cap. 5. n. 7.
s Cap. 5. n. 7.
t Cap. 5. n. 6. & lib. 6. cap. 4. n. 9.
u Lib. 6. cap. 2. & 3. per tota.
x Lib. 6. cap. 4. per totum.
z Ibidem n. 5.
y Lib. 5. cap. 12. n. 1. cap. 18. n. 13.
a Cap. 5. n. 5. 6. lib. 6. c. 4. n. 9. 10. 11. 12.
b Cap 5. per totum.
c Cap. 4. n. 1.
d Lib. 3. c. 9. n. 1. 12. lib. 5. cap. 5. n. 3.
e Cap. 16. n. 6. cap. 18. n. 5. 9. 10.
f Cap. 17. n. 4.
g Cap. 17. n. 2. 3.
h Cap. 11. n. 2. 3. 4. 5. 6.
i Cap. 18. n. 6. cap. 19. n. 13.
k Cap. 19. n. 1. 2.
l Cap. 10. n. 1. 20.
m Cap. 19. n. 9.
n Cap. 5. n. 5. cap. 12. n. 4.
o Cap. 3. n. 3. 6. 7. cap. 18 n. 13.
p Cap. 11. n. 2. 3. 4.
q Cap. 4. & 5. per tota.
Exod. 34. 33.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXIV.

Probatur ex Patribus Haymanot Abbau Æthiopici, Christum duas habere naturas.

1. *Baſſ.* Velamen, ſicut Moyſi, illorum oculis obtentum, molariſque lapis cordibus eſt impoſitus, qui poſt tot, támque conſona Conciliorum decreta huic veritati aſſenſum ſubtrahunt. A Scriptura ergo, & Conciliis ad Patres, ſi libet, gradiamur. *Rom.* Omnes velle percurrere, infinitæ eſſet operæ; illos ergo tantùm delibabo, ex quibus veſter Codex ſuam catenam contexuit. Sed teſtimoniis ibidem exaratis alia eorumdem Auctorum adjiciam, ut liquidò appareat, quàm protervè, atque imperitè impius Collector illis ubique obtrudat abſonam unius naturæ cantilenam. Sequar autem antiquitatis ordinem, quem ille vel non curavit, vel ignoravit.

D. Clemens Romanus, quem Abaſſini dicunt Clementos, anno Chriſti 70.

P.1.n.4. Ex lib.6. Conſtit. Apoſt.c.11. In Didaſcalia. 1. *Vnus Deus Pater eſt Domino noſtro, & Salvatori, IESV Chriſto; qui genitus eſt ante mundi conſtitutionem; Filius unicus æternus, & æqualis ipſi; Conditor omnium Exercituum, Principatuum, & Poteſtatum. Cui placuit, hominem fieri in noviſſimis diebus; & carnem ſumpſit ex Sanctiſſima Virgine Maria ſine ſemine virili. Sinu portatus eſt ſicut homo.* Inferiùs: 2. *Prætereà credimus, Chriſtum non fuiſſe imminutum in humanitate in re ulla; ſed eſſe Deum Verbum, qui factus eſt homo in veritate, & amicitias fecit inter Deum, & genus humanum; Pontifex apud Patrem.* In originali: *Chriſtum fatemur, non eſſe nudum hominem, ſed Deum Verbum, & hominem; Dei, & hominum Mediatorem, Pontificem Patris.* Iterùm: 3. Fecit ſibi carnem ex Virgine; & eſt factor omnium hominum. Alibi. 4. *Apparuit in vita, ſe Deum, & hominem in Baptiſmo declarans.*

N.11.

Originalis textus.

P.2.n.1. Ex lib.5. Conſt. Apoſt.c.6. & lib.7. c.37.

D. Agnateus, ſivè Ignatius Epiſcopus Antiochenus anno 71.

Magna in hujus Patris fragmentis eſt corruptio, & falsò invecta frequens duarum ſubſtantiarum ſugillatio; ſed adhuc ſequentes ſententiæ illis adſtipulantur.

P.1.n.3. 5. *Sedens ſuper thronum gloriæ tenet omnia. Habitavit in utero Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, Domina noſtra, propter unionem divinitatis.* Infrà: 6. *Erubeſce tu, qui dicis, quòd divinitas paſſa eſt, & mortua. Nos verò credimus, Chriſtum Deum paſſum eſſe propter nos, & propter redemptionem noſtram.* Iterùm: 7. *Verè natus eſt Dominus noſter IESVS Chriſtus; verè crevit, & verè comedit, & bibit.* P.2.n.1.ex Epiſt.8. ad Philippenſ.

N.11.

Extra Haymanot Abbau. 8. *Fuge eos, qui Chriſti paſſionem, & nativitatem ejus, qua ſecundum carnem genitus eſt, negant.* Epiſt.4.ad Mari.Caſſobol.

Alibi: 9 *Obturate aures veſtras, cùm vobis quiſpiam loquitur, excludens JESVM Filium Dei, qui natus eſt ex David, qui ex Maria; qui verè genitus eſt ex Deo, & ex Virgine; verùm non ſimili modo; nec enim idem eſt Deus, & homo. Verè aſſumpſit corpus; Verbum enim caro factum eſt.* Inferiùs: 10. *Verè genuit Maria corpus, habens in ſe Deum inhabitantem; & re vera natus eſt Deus Verbum ex Maria Virgine, veſtitus corpore obnoxio iiſdem paſſionibus nobiſcum.* Epiſt.5. ad Trallian. *Matt.*1.1. *Ioan.*1.14. Ibid.

Alibi: 11. *Qui ante omnia ſecula natus eſt ex Deo Patre, poſteà natus eſt ex Maria Virgine.* Epiſt.6. ad Magneſianos.

Alibi: 12. *Hic ipſe, qui ex muliere natus eſt, Filius eſt Dei.* Epiſt.7.ad Tarſenſes.

Alibi: 13. *Verbum caro factum eſt, & habitavit in nobis; Sapientia enim ædificavit ſibi domum, & natus eſt homo Deus Verbum cum corpore, idque ex Virgine ſine viri commercio. Verè enim natus eſt.* Et cætera, ut ſuprà num.7. Epiſt.8.ad Philip. *Ioan.*1.14. *Prov.* 9.1.

Alibi: 14. *Si quis confiteatur; quòd Deus in humano corpore habitabat, Verbum exiſtens in ipſo, ſicut anima in corpore; & propter inhabitans Verbum Chriſtum eſſe Deum; ſed non fuiſſe in Chriſto animam humanam; hic nec Dei, nec Chriſti amator eſſe poteſt.* Epiſt.9.ad Philadelph.

Alibi: 15. *Affixus eſt Cruci pro nobis in vera carne.* Epiſt.10.ad Smyrnenſ.

Infrà: 16. *An non Verbum in carne habitavit? Sapientia enim ædificavit ſibi domum. Verbum ſuum templum, quod ſolutum erat à Judæis Chriſtum oppugnantibus, tertia die excitavit.* *Prov.*9.1. *Ioan.*2.19.

Alibi: 17. *Expecta Chriſtum Filium Dei in tempore, qui omni tempore caret; impalpabilem, omnémque contactum refugientem; utpotè incorporeum, propter nos verò in corpore tangibilem, & palpabilem.* Epiſt.11.ad Polycarp.

Alibi: 18. *Habetis Medicum IESVM Chriſtum, ante ſecula Unigenitum, & Verbum; poſteà verò hominem factum ex Maria Virgine. Verbum enim caro factum eſt; incorporeus in corpore; impaſſibilis in corpore paſſibili; immortalis in corpore mortali; Vita in corruptione ut animas noſtras à morte, & corruptione liberaret.* Epiſt.14. ad Epheſ. *Ioan.*1.14.

Infrà: 19. *Deus, ut homo apparuit; & homo, ut Deus operabatur.*

Ex adductis agnoſce, impudentiſſimè illum mentiri, qui utrumque D. Ignatii fragmentum duarum ſubſtantiarum damnatione adulteravit.

D. Deonaceos Areosfagos, ſeu Dionyſius Areopagita anno 75.

20. *Eò pervenit Filius unicus, IESVS Chriſtus, ut homo fieret, & habitaret in utero Sanctiſſimæ Virginis Mariæ, & naſceretur ex ea myſterio in æternum admirabili. Qui non habet principium, factus eſt ſub tempore,* Pars unica ex lib. de Divinis nominibus cap.1.

Digitized by Google

re, indutus substantia nostra in unione. Qui est excelsus super omnes gradus, & super omne, quod existit, factus est in nostra substantia verè sine mutatione, sine mixtione; & nihil diminutus est ex substantia divinitatis. In originali. *Temporis mensuram accepit, qui æternus est; & in nostram naturam venit, qui omnem totius naturæ ordinem, præscriptionemque excedit cum immutabili, & inconfusa suorum constantia.*

Ibidem. Extra Haymanot Abbau. 21. *Est præterea in IESU distincta nostra substantia, perfecta, & immutabilis; quæque sunt humanitatis ejus substantiæ propria mysteria.* Infrà. 22. *Ex nobis omninò, & verè substantiam Deus Verbum assumpsit.* Infrà. 23. *Omnium, quæ de Deo dicuntur, clarissimum est IESU divina ex natura nostra fictio. Eum quidem viri formam, naturámque assumpsisse, mysticè accepimus.* Cap. 2. p. 2. Infrà. 24. *Ad nostram naturam pro sua benignitate venit, veréque essentiam assumpsit.* Infrà. 25. *Sine ulla mutatione, & confusione nostri factus est particeps, cùm nihil passus esset, & accepisset in summa plenitudine, & perfectione sua à summa exinanitione.*

Epist. 4. Epistola 4. ad Caium. 26. *Nos IESUM non humanitatis ratione definimus; non enim tantùm homo est, neque super naturam esse posset, si tantùm homo esset. Sed reverà homo est, qui præcipuo quodam amore hominum captus, cùm essentia præstaret, in hominum essentia factus est. Ad essentiam assumendam venit, qui omni essentia superior est. Et quæ hominis sunt, supra hominem gerèbat.* Alibi. De Eccles. Hierarch. cap. 3. p. 3. 27. *Verbũ pro sua in nos benignitate & humanitate sine sui immutatione profectum est; & nostri secum communionem, quæ unum efficit, & conjungit, benignè procuravit.* Infrà. 28. *Christum refert, immutabilem eum sciens in verè tota, & integra humanitatis nostræ assumptione.* Infrà. *Sanctificat se ipsum pro nobis Sanctissimus IESVS, nosque omni* Ioan. 17. 19. *sanctitate complet.* Infrà. 29. *Constanter humanam IESU, divinámque vitam intuere.* Alibi. 30. *Ipse IESUS, qui cælestium essentiarum auctor est, omni essentia superior, cùm sine ulla mutatione speciem, formamque nostram indutus venisset, ab eo ordine, homine dignissimo, quem ipse præscripsisset, atque elegisset, non discessit.*

D. Irenæus Episcopus Lugdunensis anno 180.

P. 1. n. 1. Parte 1. 31. *Ipse natus est ex Virgine, & passus est super lignum Crucis. Ipse est cogitatio perfecta Patris, Verbum Dei, quod* Ibid. *genitum est ab illo ante luciferum.* Infrà. 32. *Qui natus est à Patre, Deus de Deo, Rex æternus. Incarnatus est ex Virgine Sanctissima, & natus in Bethleem, & pannis involutus, & reclinatus in præsepio.* Ibid. Infrà. 33. *Tentatus est in deserto, & Deus agnitus est.*

P. 2. a. n. 1. Pars secunda tota est in hac re, ut sequens ipsius indicat exordium: 34. *Ut Sacri libri nobis dicunt, Christum esse hominem, ità esse Deum. Et sicut indicant nobis, esse carnem, indicant etiam, esse spiritum & sicut annuntiant nobis, ipsum natum esse ex Sanctissima Virgine Maria in novissimis diebus, ità etiam annuntiat, ipsum* Matth. 1. 1. & 22. 43. Hebr. 2. 16. *venisse à Deo.* Infrà. 35. *Quemadmodùm ipse est filius David, ità etiam est Dominus David; & sicut est semen Abrahæ, ità etiam est* Ioan. 8. 58. *ante Abraham.* Et plura per similes antitheses.

Extra. 36. *Hominem in se ipso recapitulans, invisibilis factus est visibilis; & incomprehensibilis; factus est comprehensibilis; & impossibilis, passibilis; & Verbum, homo.* Lib. 3. cont. hæreses. cap. 18. Infrà. 37. *Nisi Deo unitus esset homo, non potuisset non esse corruptioni; & interitui obnoxius. Oportebat enim Mediatorem Dei, & hominum per suam cum utrisque familiaritatem, & necessitudinem utrosque in amicitiam, & concordiam redigere; & Deo quidem hominem commendare, Deum autem in hominum notitiam deducere.* Ephes. 1. 10. ex Græco. a. c. 20. Gal. 4. 4. Infrà. 38. *Cùm venisset plenitudo temporis, Filius Dei Vnigenitus, qui est etiam Verbum Patris, incarnatus est, & omnem, quæ secundùm hominem est, dispensationem implevit, Dominus noster IESVS Christus,* Lib. 4. c. 66. *qui unus est; & idem.* Infrà: 39. *Qui ex Virgine natum Emmanuel prædicabunt, unionem Dei Verbi cum sua creatura declarabunt.* Isai. 7. 14. Alibi: 40. *Errant, qui dicunt, ipsum nihil ex Virgine accepisse. Si enim non accepit* Lib. 3. c. 32. *ab homine substantiam carnis, neque homo factus est, neque filius hominis.* Vide suprà capite 22. n. 8.

Metoligon, qui fortè est D. Melito Episcopus Sardensis; qui vixit anno 150. vel D. Methodius Episcopus, & Martyr anno 285.

Scriptorum Melitonis mentionem faci Eusebius Cæsariensis libro 4. Histor. Eccles. capit. 26. Methodii Divus Hieronymus de Scriptor. Eccles. Quisquis tamen fuerit Metoligon, egregiè (si quisquàm alius) de Incarnatione sensit; & unius naturæ assertione profligatâ, duarum veritatem strenuò corroboravit. Nam sic habet. Pars unica.

41. *Perditi fuêre, qui veram Fidem ignorârunt existimantes, unam substantiam esse Filii cum carne sua. Nam si esset una substantia, verè esset Filius Dei, qui natus est verè Dei Verbum in similitudine, quæ inveniri non potest.* 42. *Et quando sumpsit carnem nostram, non sumpsit eam sine anima, sed habentem animam intellectualem, & rationalem; & apparuit homo egressus à muliere.* 43. *Et in hoc opere non dividitur in duas personas, & non dicitur duo; sed unum opus ejus sine divisione, sicut antiquitùs. Et non est sine carne, nec caro ejus est in phantasmate, sed vera in unione: sine divisione, partitione,*

Digitized by Google

partitione, & mutatione. Et qui hoc non credit, manifestum nobis facit, quòd sit hæreticus. 44. *Præterea dicimus, non esse mixtionem, neque aliam rem similem, neque hinc sequi sermonem mixtionis propter rem unionis ejus veræ. Et quando dicimus, unicum Filium Dei incarnatum, & hominem factum, non intrabit propter hoc in eum mixtio, sicut illi credunt.* 45. *Nec mutata est Verbi substantia in humanitatem, neque humanitas in substantiam Verbi, sed erunt duæ substantiæ in suo esse sine mutatione. Agnoscimus ergo, quòd priùs locuti fuimus, & intelligimus unionem ejus inscrutabilem, & ineffabilem.* 46. *unius substantiæ Filii, quæ incarnata est, sicut dicimus.* Hoc totum est Metoligon fragmentum, è quo nihil rejiciendum; postrema tamen verba : *Unius substantiæ Filii, quæ incarnata est*, duas Christi naturas non impugnare, infrà à num. 107. ostendemus.

D. Gregorius Thaumaturgus anno 230.

P. 1. n. 4. Parte 1. 47. *Persona Filii est nostra communicatio, quia unus est ex duobus : scilicet, ex divinitate, & humanitate simul; & fecit duo unum.* Infrà. 48. *Qui non habet principium simul cum Patre suo in substantia, quæ non separatur, hic est, qui induit carnem nostram. Æqualis est Patri suo, præter carnem; & ipse æqualis nobis sine discretione, & mutatione.*

P. 2. n. 5. Parte 2. 49. *Nos quidem dicimus, Verbum Dei factum esse carnem propter salutem nostram, ut indueremus similitudinem hominis cœlestis, & imago Filii Dei veri deos nos faceret; & filius hominis in carne, Dominus noster IESUS Christus, Rex in secula seculorum.* Amen. In originali clariùs : *Ut deificemur ad similitudinem veri secundùm naturam Filii Dei; secundùm carnem verò, filii hominis.* Lib. de Exposit. fidei.

P. 3. n. 3. Parte 3. 50. *Natus est in Bethleem in carne, cùm sit Deus.* Infrà. 51. *Non constituit bellum in divinitate sua, sed ut declararet humanitatem suam.* N. 5. Infrà. 52. *Vicit seminatorem peccati in carne sua.* Infrà. 53. *Nobis convenit credere, ipsum Dei Filium verum natum fuisse in carne, & apparuisse super terram, & factum fuisse hominem in forma sine peccato.* N. 6. Infrà. 54. *Turbatio non est divinitatis.* Ioan. 11. 33. Idem Can. 5. 55. *Si quis dixerit de Christo, quòd sit homo perfectus seorsim* (aliàs *divisè*) *& Verbum Dei separatum seorsùm* (*divisè*) *& non credit Dominum nostrum IESVM Christum unum esse, sicut scriptum est; anathema sit.* N. 11. Ibidem Can. 7. *Si quis dixerit:* 56. *Alius est, qui passus est, & alius impassibilis; & non credit, quòd Deus Verbum, qui est impassibilis, passus est in carne, quæ non est mutata; anathema sit.* N. 13. Ibidem Can. 8. 57. *Si quis dixerit : Alius est Filius, qui erat ante mundum; & alius est* N. 16. *filius Mariæ &c. anathema sit.* N. 19. Ibidem Can. 10. 58. *Siquis dixerit de Verbo Dei, quòd sit purus homo, & sicut unus ex Prophetis; & non credit ipsum incarnatum esse ex Virgine, & factum fuisse hominem &c. anathema sit.* Aliàs : *Si quis dicit hominem perfectum assumptum esse à Christo &c.* Ibidem Can. 11. N. 23. 59. *Si quis dixerit de carne Christi, quòd existebat priùs cum divinitate ipsius, & non credit, ipsum fuisse in forma Dei, quæ erat ante mundum, & postea sumpsisse sibi formam servi; anathema sit.* In textu originali. 60. *Si quis dicit, carnem Christi consubstantialem esse divinitati; & non confitetur, ipsum in forma Dei Deum esse ante secula; & se ipsum exinaniisse; & formam servi accepisse, sicut scriptum est; anathema sit.* Philip. 2. 7. Infrà. 61. *Consubstantiale dicitur, quod est idem naturâ, & eâdem sempiternitate invariabiliter.* Ibidem Can. 12. 62. *Si quis dixerit de carne Christi, quòd sit increata; & non credit, Dei Verbum esse increatum, & incarnatum ex homine sine peccato; & apparuisse factum hominem perfectum; anathema sit.* N. 25. Infrà. 63. *Ingressus est januis clausis, ut ostenderet virtutem divinitatis suæ, & veram faceret Incarnationem suam.* Ioan. 20. 19. In originali. *Vt divinitatis operationem, & corporis veritatem ostenderet. Cùm alioqui Deus esset, homo naturâ agnoscebatur; & cùm esset alioqui verè homo, Deus tamen ex suis operibus ostendebatur. Oratione in Epiphaniam.* 64. *Dein Deus es, & homo; tu qui in principio eras; & qui caro factus es, sed non in carnem conversus.* Apud Euthym. in Panoplia tit. 15. Oratione de singulari Fide. 65. *Est Deus verus, qui cùm carnis esset expers, in carne apparuit. Non tamen duas habet personas, sed duas naturas.*

Abass. Oppositum legimus p. 2. num. 1. ubi ait : 66. *Deus verus, qui est sine carne, cùm sit verè perfectus in divinitate, non est duæ personæ, & duæ substantiæ. Roman.* Subsistantiæ nomen obliquè positum est eo loco pro hypostasi; sicut & p. 1. cùm dicitur num. 31. *Non est factus ipse duæ substantiæ sanctæ Trinitatis; una antequàm incarnaretur; & una post Incarnationem.* Ubi citra ambiguitatem sermo est, de duabus personis à Christo avertendis, quas imperitus Interpres aliquandò vocat substantias abusivè, ut ostensum lib. 1. cap. 11. num. 13. Non ergo damnat Thaumaturgus duas substantias eidem personæ copulatas. Testatur enim ibidem, ut suprà num. 49. Verbum Dei factum esse carnem. Iterùm ibidem : 67. *Verbum præbuit se ipsum humanæ carni, quam ex Maria assumpsit, manens idem ipsum, nullámque divinam mutationem, neque variationem suscipiens; copulatum cum carne ad similitudinem humanam.* Lib. Exposit. Fidei. Damnat verò duas substantias separatas eo modo, quo dictum est cap. 12. num. 3. 3. & 6. Ibidem enim ait. 68. *Sacram Fidem depravant, separatim attribuentes divinitati, quæ humana sunt; aut separantes à divinitate corpus, quòd proficiebat, & patiebatur, tamquàm per se existeret.* Duæ autem substantiæ separatæ, aut per se existentes, ut adnotatum eodem cap. num. 4. duas personas constituunt; quarum altera

Duas personas, non naturas damnat D. Thaumaturgus.

Digitized by Google

tera est Dei, altera hominis. Quod expressè reprobat D. Thaumaturgus anathematismo 7. & 8. suprà num. 56. 57. Personam autem carnis dicit hominem; sicut & nos cap. 4. n. 16. 17. 19. ubi negavimus ob duplicis personæ concursum Deum in homine habitâsse, Deum induisse, vel cum homine adorandum; cùm tamen fas sit dici, in humanitate sedem sibi elegisse; eamdem sibi ut vestem asciviſse; & ipsum cum carne, vel carnem, cum ipso adorandam. Hunc autem germanum esse D. Thaumaturgi sensum indè patet, quòd immediatè ante illa verba, quæ objecisti: *Non est duæ personæ, & duæ substantia:* Illud tamquàm totius expositionis causam præmittit. 69. *Quia nonnulli turbas nobis excitârunt, nitentes evertere nostram in Christum Fidem, non confitentes illum Deum esse incarnatum, sed hominem Deo copulatum, idcircò hanc confessionem edimus de Fide.* Et mox post eadem tuæ dubitationis verba: *Nos quidem dicimus, Verbum Dei factum esse carnem*, ut suprà num. 49. Et apertiùs anathematismo quinto, & decimo superiùs num. 55. & 58. prolatis. Imò in eâdem Fidei expositione: 70. *Unus*, inquit, *Filius ante Incarnationem, & post Incarnationem; idem homo, & Deus; utrumque tamen unum; & non alia quidem persona, Deus Verbum; alia verò homo IESUS. Sed idem, qui priùs erat Filius, unitus est carni ex Maria, constituens se ipsum perfectum, & sanctum, ac sine peccato hominem.* Non igitur improbat, veram Dei, & carnis unionem; sed extrinsecam Dei, & hominis, puri, seu perfecti, seu divisi conjunctionem. Quod significat proxima illis verbis sententia: 71. *Neque iterùm idololatriam admittimus, facientes quatuor; cùm dicimus Deum, & Filium Dei, & hominem, & Spiritum sanctum; & propterea anathematizamus omnes Hæreticos, qui hoc dicunt, & addunt hominem creatum intra gloriam divinitatis.* Cùm autem homo creatus, altera persona sit à Verbo, non autem caro, sivè humanitas; non duas substantias hujusce generis, sed illius completi, & ultimò definiti rejicit Thaumaturgus. Illæ enim verè Trinitarem vertunt in quaternitatem.

D. Feliquis, sivè Felix Pontifex Romanus, & Martyr, anno 273.

P. 2. tota. Parte 2. 72. *Intelligamus partes duarum substantiarum; & nomen duarum partitum est omni tempore in opere, & in re: qua sunt divinitas, & humanitas. Et quando ità dicimus, ne vobis videatur, nos dividere eum, postquàm unus factus est; sed certam facimus substantiam divinitatis, & substantiam humanitatis. Præterea scimus, Verbum non fuisse conversum à substantia divinitatis suæ in esse humanitatis; & habitasse in nobis; & Christum fuisse nobis fratrem in opere novo, vestrum carne nostra in unione.*

Parte 3. 73. *Credimus, esse Deum Verbum, quod habet nativitatem in carne, & passionem super Crucem.* Infrà. 74. *Cùm sit in cœlo, ipse est in terra; cùm sit invisibilis, factus est visibilis; qui fuit Dei Filius ante mundum, & novissimis temporibus habitavit in utero Sanctissimæ Virginis Mariæ.* P. 3. tota. N. 5.

Hæc deprompta sunt ex celeberrimâ Epistola D. Felicis ad Maximum Episcopum Alexandrinum, ex qua etiam D. Cyrillus sequentem sententiam est mutuatus. 75. *Credimus in unum Dominum JESUM Christum ex Maria Virgine natum. Credimus autem, hunc esse æternum Dei Filium, & Verbum; non autem hominem, à Deo assumptum, ità ut sit alius ab illo; neque enim hominem suscepit Dei Filius, ut alius ab illo existat; sed cùm perfectus Deus esset, factus est simul homo perfectus ex Virgine natus.* D. Cyril. lib. ad Regin. & in Apologia contra Orientales, Concil. Chalcedon. act. 1. D. Vincent. Litinens. c. 42.

Hinc facilè difflabis importunam unius naturæ caliginem, quam in tertia parte bis tenebrosus Collector aspersit; cùm D. Felix apertè dicat, *Christum unum esse*, non unam substantiam. Si enim sunt duæ, ut num. 72. & ipsarum *nomen partitum est omni tempore in opere, & in re*; quî fieri potest, ut simul sit una? Una quidem persona, & facies, sed non una substantia.

Divus Gregorius Armenius anno 311.

Parte 1. 76. *Qui misit Filium suum Unigenitum in mundum, lumen de lumine, vitam de vita, ut incarnaretur in forma nostra ex Sancta Virgine Maria, & nos appropinquare faceret ad divinitatem suam. Hoc est, fuisse nobis similem, & natum ex Sanctissima Virgine Maria sine semine virili. Et post Incarnationem esse iterùm in gloria, & substantia divinitatis est, non esse conversum in esse humanitatis, & non esse minoratum propter carnem.* Infrà. 77. *Quia nos amavit, factus est sicut nos, ut deos nos faceret.* Infrà. 78. *Quia gentes dilexerunt formam, & similitudinem ex lignis, quæ fabri dolaverunt, factus est verè in forma hominis, ut ipsum viderent fabricatores formarum, & similitudinum, & servirent similitudini divinitatis.* Parte 1. per totam. Philip. 2. 11.

Parte 2. 79. *Propter hoc factus est Filius tuus Unigenitus in carne, & induit formam hominis.*

Parte 3. 80. *Ut cognoscant te, & Filium tuum Unigenitum IESUM Christum Dominum nostrum, quem misisti; & induit carnem nostram; suscepit imaginem, & similitudinem operis manus suæ, ità ut reciperet carnem hominis, & traheret ad se omnes homines factus eorum consanguineus. Quia non potest homo videre faciem tuam, & vivere, factus est in forma hominis, ut homines digni fierent, qui viderent illius divinitatem, donec videamus consanguineum carnis nostræ, & glorificemus divinitatem Filii in bonitate Patris.* Exod. 33. 20.

Digitized by Google

Divus Scander Scanderarii, ideſt, Alexander Alexandrinus, anno 311.

Parte 1. 81. *Quid Deum Verbum compulit deſiderare, ut in terram deſcenderet, & incarnaretur ex Sanctiſſima Virgine; immitti in præſepium, & pannis involvi, & lac ſugere ex fœmina uberibus.*

Parte 2. 82. *Qui erat inviſibilis, apparuit; qui non comprehenditur, comprehenſus eſt; qui eſt impaſſibilis, paſſus eſt; immortalis, mortuus eſt ſuſtinendo; & cœleſtis dormivit in ſepulchro. Admiratæ ſunt omnes creaturæ, quòd propter homines paſſus ſit ille, qui non patitur; & quòd judicem condemnaverunt, & inſpexerunt in eum, qui inſpici non poteſt. Occiderunt illum, qui non moritur; & cœleſtis immiſſus eſt in mortem.*

Apud Theodoret. lib. 1. Hiſt. Eccleſ. c. 4.

Extrà. 83. Ex Epiſtola ad Gentilem ſuum. *Dominus noſter IESUS Chriſtus corpus non ſpecie adumbratum, ſed verum ex Maria Deipara ſumpſit, qui in fine ſeculorum ad delenda peccata inter homines verſatus eſt.*

D. Selabaſtros, vel Solpetrôs; qui verè eſt D. Silveſter Pontifex Romanus, anno 314.

Parte unica. Hæc diſputatio habita eſt cum Judæis coram Imperatore Conſtantino anno 315. ex Baronii ſupputatione. In ea poſt ſimilitudinem radii ſolaris, qui cùm arborem illuſtret, cum ipſa non cæditur, ſubjicit D. Silveſter. 84. *Ità Chriſtus Dominus paſſus eſt in carne, quin aliquid paſſionis divinitatem attingeret.*

Baron. t. 3. anno 315. Habetur hæc diſputatio apud Surium, t. 6. die 30. Decembris, ex Metaphraſte.

Extrà. Ex eadem diſputatione. 85. *Per hoc, quod ait: Filius meus es tu: temporis expertem, & eam, quæ eſt ante ſecula, ſignificat generationem. Per hoc autem: Ego hodie genui te; inferiorem, & temporalem.*

Pſ. 2. 7. Matt. 8. 24. Ioan. 11. 35.

Inferiùs. 86. *Non duarum naturarum in Chriſto commixtionem, neque confuſionem opinamur ô Judæi, ſed unionem: utrâque naturâ ſuas inconfuſas ſervante proprietates. Nam comedebat quidem, & dormiebat, ut homo; & flevit propter Lazarum mortuum. Ut Deus autem vivificavit mortuos, curavit paralyticos, & per mare ingreſſus eſt. Ità etiam perpeſſiones, & tentationes applicandæ ſunt carni, non autem divinitati.*

Patres Concilii Nicæni anno 325. celebrati hîc eſſent inferendi, niſi id præſtitum jam fuiſſet capite ſuperiori n. 3.

D. Athanaſeus, ſivè Athanaſius Patriarcha Alexandrinus, anno 326.

P. 1. n. 2. &

Parte 1. 87. *Hic Unigenitus eſt Deus, & Filius Dei in ſpiritu, & filius hominis in carne.* Infrà. 88. *Eſt Filius unigenitus Dei, & eſt idem, qui natus eſt ex Sanctiſſima Virgine Maria in carne.* Infrà. 89. *Eſt homo in carne, & eſt Filius Dei in divinitate; & eſt unus tamen.* Infrà. 90. *Scriptum eſt, quia Chriſtus paſſus eſt in carne propter nos, cùm non patiatur in ſpiritu.* Infrà. 91. *Qui dicit: Converſa eſt divinitas in eſſe humanitatis, aut permixta cum ipſa, aut mutata; anathema ſit.* N. 9. N. 13. & p. 10. n. 2. N. 17. 1. Petr. 4. 1. N. 30.

Parte 3. 92. *Ipſe dicitur homo, cùm ſit Filius Dei; & iterùm dicitur filius hominis. Cùm ſit cœleſtis, factus eſt terrenus voluntate ſua. Qui eſt impaſſibilis in divinitate ſua, paſſus eſt rursùm in humanitate ſua.* Infrà. 93. *Hic eſt unus ſolus; ipſe Deus, & homo.* P. 3. n. 4. N. 15.

Parte 4. 94. *Cùm ſit forma Dei, factus eſt in forma hominis.* Infrà. 95. *Ipſe Deus in carne, qui ſumpſit formam ſervi. Hic eſt Dominus gloriæ, qui mortuus eſt in carne.* Infrà. 96. *Eſt Deus, qui factus eſt homo, & apparuit in forma hominis; & non homo, in quo Deus habitet.* P. 4. n. 14. Phil. 2. 6. 7. N. 56. 1. Cor. 2. 8. N. 57.

Parte 7. 97. *Verbum Dei eſt; ſed tulit paſſionem in humanitate ſua; & ſemper in æternum permanebit indutum carne noſtra.* P. 7. n. 1.

Parte 11. 98. *Eſt Deus, & homo ſimul. Si tantùm Deus eſſet, quomodò pateretur? Et ſi tantùm eſſet homo, quomodò, quando paſſus eſt, & mortuus, alios vivificavit, & ſalvavit?* P. 11. n. 1.

Parte 14. 99. *Credimus, unitum eſſe Deum Verbum carni, quam ſumpſit ex Sanctiſſima Virgine Maria, Domina noſtra, in una ſubſtantia divina, ex utero. Non invenitur, neque mutatur à majeſtate divinitatis ſuæ.* P. 14. n. 18.

Parte 15. 100. *Vbi hi hanc negationem invenerunt, ut dicerent, carnem Verbi non eſſe novam, neque poſteriorem divinitate ſuâ?* Infrà. 101. *Nec Verbum mutatum eſt à ſubſtantia divinitatis ſuæ, cùm eſſet in carne; neque diſceſſit ab illa.* Infrà. 102. *Solum Verbum, quod ſumpſit carnem ex Sanctiſſima Virgine Maria, Domina noſtra, vir exiſtens in ſubſtantia divinitatis ſuæ.* P. 15. n. 11.

Vide plura ipſius D. Athanatei teſtimonia, quibus negat Chriſti corpus eſſe conſubſtantiale, ſivè æquale divinitati, hoc libro cap. 7. n. 3. cap. 11. n. 1. cap. 16. n. 5. 6. 9. 16. cap. 21. n. 3. & cap. 22. n. 1.

Extra Haymanot Abbau. 103. *Chriſtus non ſimpliciter dicitur, ſed in ipſo nomine, quod unum eſt, utraque natura ſignificatur & divinitatis, & humanitatis. Itaque Chriſtus & Deus, & homo appellatur, quamvis unus ſit Chriſtus.* Alibi. 104. *Ità ſit, ut Chriſtus duo pariter ſit, & unum ſingulare; unuſque item ſit, & non duo; & rursùs duo, & nequaquàm unum eſt, ſecundùm rationem duarum naturarum; & unus, non duo ſecundùm rationem ſubſiſtendi.* Infrà. 105. *Virgo virtute Altiſſimi gravida eum geſtabat, qui ex ſua propria eſſentia Dei Filius erat in unica ejus* D. Athan. lib. de Incarn. Chriſti. In Evangel. de Sanctiſſima Deipara. Ibid.

ejus divinitatis natura ; & gignit eumdem incarnatum , & hominem factum ſecundùm duarum naturarum proprietatem ; eundémque duplicem , & unum ex duobus conſtantem inconfusè, immutabiliter.

Explicantur verba D. Athanaſii ponentis nomen ſubſtantiæ pro perſona.

Abaſſ. 106. Ne tranſilias nulli non agnitam celebrem illam D. Athanatei locutionem p. 1. num. 4. p. 8. n. 1. p. 10. n. 5. & p. 13. num. 2. *Non dicimus de hoc Filio Unigenito , quòd habeat duas ſubſtantias ; unam , quam adoramus , & aliam , quam non adoramus , ſed una eſt ſubſtantia Dei Verbi , quæ incarnata eſt , quam adoramus cum carne ſua una adoratione. Roman.* Duas partes habet illa ſententia. Prima ; quæ verbis illis continetur. *Non dicimus de hoc Filio Unigenito , quod habeat duas ſubſtantias ; unam , quam adoramus , & aliam , quam non adoramus.* Secunda ; *Sed una eſt ſubſtantia Dei Verbi &c.* De prima egi hoc libro cap. 4. n. 20. & 21. ubi oſtendi, ſubſtantiæ nomen ibi pro hypoſtaſi , & perſona, non pro natura uſurpari. Quod confirmatur aliâ ſententiâ ad calcem ejuſdem primæ partis ſubjecta : *Qui docet aliam doctrinam à Dei libris , & dicit Filium Dei alium eſſe ab homine , qui natus eſt ex Maria , & facit eum filium per gratiam ſicut nos ; ità ut ſint duo ; una ſubſtantia Filius Dei , & alia per gratiam homo ex Maria Virgine ; anathema ſit.* En apertè damnat D. Athanateus Paulum Samoſatenum, & illius gregales , qui ante Neſtorium Chriſtum Dominum in duas Perſonas bipartitum finxerunt ; non eos , qui dicunt , carnem, quæ ſubſtantia eſt incompleta , ut eodem cap. 4. dictum , cum Verbi perſona adorandam.

D. Athanat. p. 1. n. 24.

Altera pars eorumdem verborum explicatur.

Abaſſ. 107. Quid de ſecunda parte ſentis ? In ea ſermo eſt de perſona , an de natura ? *Roman.* Nihil intereſt de hac , an de illa interpreteris. Sed cùm in priori parte de perſona egerit Athanateus , probabile eſt , eumdem illicò ab ea notione minimè receſſiſſe. Una igitur Dei Verbi ſubſtantia, unica eſt ipſius Perſona. Vide infrà D. Gregorium Theologum num. 157. & D. Cyrillus aliquibus locis eamdem probat locutionem. 108. *Unus* , inquit , *extitit Chriſtus , undque ejus ſubſtantia , ut quæ nil aliud ſit , quàm Verbum ipſum incarnatum.* Alibi. *Natura Verbi eſt Verbum ipſum.* Et in Epiſtola ad Succeſſum tradit , idcircò dici , unam ſubſtantiam Verbi incarnatam , *quia non dividitur in duas perſonas , ſed poſtquàm homo ex muliere proceſſit , unus , idemque Filius permanſit.* Ubi peſſimâ fide veſter Corruptor duas etiam ſubſtantias attexuit ; ſed non malâ , ſi duas ſubſtantias completas , & ſeparatas intellexit. Ità de perſona Juſtinianus Imperator præſentia D. Athanatei , & Cyrilli teſtimonia exponit.

D. Cyril. Epiſt. 30. ad Eulogium.

In reſponſ. ad Theodoret. anath. 2. Epiſt. 2. ad Succeſſ. P. 48. n. 18. Concil. V. general. in confeſſ. Imperat. Juſtiniani.

Una Verbi ſubſtantia, quæ incarnata eſt, rectè dicitur.

D. Joan. Damaſ. lib. 3. de Fid. c. 6. & 10.

Abaſſ. 109. Quid tamen , ſi ad perſonam , ſed ad naturam illa teſtimonia referantur ? *Rom.* Sic referenda cenſent D. Joannes Damaſcenus, & Leontius Byzantius. Ut ſit ſenſus , divinam naturam , non prout eſt in Patre , aut Spiritu ſancto , ſed prout eſt in ſolo Filio , incarnatam , ſeu carni unitam ; quia , ut adnotandum eſt cap. 27. num. 18. prædicationes unionem commendantes divinæ naturæ non repugnant. Ità enim loquitur D. Athanateus ſuprà n. 99. & D. Cyrillus. 110. *Natura* , inquiens, *Verbi humanitatem ſuſcepit.* Alibi. *Conveniens erat, ut incorruptibilis natura apprehenderet corruptibilem.* At ex eo , quòd dicatur una Dei Verbi ſubſtantia , non ſequitur , unam in Chriſto eſſe naturam ; non enim in eo Verbo hærent Patres , ſed addunt : *quæ incarnata eſt* : divinæ humanam ſubjungentes. Sic enim præſens dubium diſſolvit Divus Cyrillus. 111. *Si dicentes unam Verbi naturam , taceremus , non inferentes : Incarnatum ; forſitan veriſimilis eſſet eorum ratio , cùm interrogant : Ubi eſt perfectio in natura humana : aut quomodò ſubſiſtat noſtra ſubſtantia ? Quia verò perfectionis natura humana declaratio profertur per hoc , quod dicitur : Incarnata : deſinant arundineo baculo inniti , abjicientes diſpenſationem , & Incarnationem negantes.*

Leont. Byzant. lib de Sectis act. 8.

D. Cyril. lib. ad Imperat. Theodoſ. Lib. de Incarn. c. 11.

D. Cyril. Epiſt. 2. ad Succeſſ.

Abaſſ. 112. At quorsùm opus erat declarare , unam Dei Verbi eſſe naturam, cùm id nullus unquàm in dubium vocaverit ? *Rom.* Vocavit Arius , qui duas Verbo naturas tribuebat : alteram æternam , & Patri conſubſtantialem : alteram creatam , & quæ aliquandò non fuit. Fatebatur enim alium eſſe Dei Verbum , ejuſdem cum Patre ſubſtantiæ ; alium filium creatum , & à Patre ad Verbi , & Sapientiæ ſuæ normas inſtitutum ; ut teſtatur D. Athanateus , Aforoſius , Socrates , Theorianus , & Baronius. Igitur D. Athanateus , & Cyrillus , ut Arium confunderent , unam Verbi ſubſtantiam ; ut autem Apollinarem, incarnatam definière.

Una Verbi ſubſtantia, quæ incarnata eſt, dicitur contra Arium.

D. Athan. Orat. 4. cont. Arian. & lib. de Decret. Synod. Nicæn. D. Ambroſ. lib. de Incarn. Dom. Sacr. c. 6. Socrat. lib. 1. Hiſtor. c. 3. Theorian. legat. ad Armen. Baron. to. 3. anno 318.

D. Abolidis, ſivè Julius Pontifex Romanus, anno 337.

Quamvis hæc ſcripta Apollinarem magis , quàm D. Julium ſapiant , ut obſervatum lib. 1. capit. 11. numer. 2. inter denſam lolii farraginem utiles aliquæ ſpiceæ colligendæ.

Parte 1. 113. *Noſtra confeſſio erit in una ſubſtantia divinitatis , quæ eſt impaſſibilis ; & in humanitate , quæ patitur.* Infrà. *Nos dicimus totum Filium eſſe de cœlo propter divinitatem ; & præterea totum eſſe ex muliere propter humanitatem.* Infrà. 114. *Dominus venit in mundum , & apparuit in carne ; & non ſine carne. Nec ſeparemus carnem ejus creatam à divinitate creatrice.* Infrà. 115. *Nequis dividat ſubſtantiam increatam à carne , & ambæ unum facta ſunt in unione. Divinitas quidem increata eſt , caro creata. Divinitas impaſſibilis ; caro autem paſſibilis.* Infrà. 116. *Neque facimus divinitatem creatam , neque facturam ; quia eſt increata ; neque carnem increatam.* Infrà. 117. *Divinitas non ſeparatur ab humanitate ,*

P. 1. n. 24.

N. 26.

N. 36.

N. 40.

N. 52.

N. 64.

Digitized by Google

Ioan. 4. 22. Matt. 28. 9. *cùm ipse adorat in carne; & caro non separatur, quandò adoratur divinitas. Et quandò patiebatur in carne, non est separata divinitas ab illa; sed unita illi erat, & vicit mortem virtute divinitatis suæ.* Infrà. N. 73. Parte 2. n. 5. 118. *Tentatus est in carne, cùm sit Deus in virtute.*

Parte 2. 119. *Est Deus perfectus in carne, & homo perfectus in Spiritu; & non est duo: unus Filius divinus in carne, hominis gestator; & alius homo mortalis, qui non est de cœlis à Patre; sed est unus Unigenitus de cœlis, & unigenitus super terram. Et est Deus verus, & homo simul. Et in forma carnis mundum salvavit in forma similitudinis suæ.*

P. 5. n. 7. & 9. Parte 5. 120. *Non mutavit quidquam de substantia carnis in unione, sicut non est mutata substantia divinitatis.*

Apud Leont. Byzant. in lib. contra Acephalos. Extrà. 121. *Dicit: Ego pro eis sanctifico me ipsum. Si Verbum Sanctificat, quid est, quod sanctificatur? Si totum Verbum sanctificatur, quid est, quod sanctificat? Qui sanctificat, Spiritus est; Verbum autem per Spiritum sanctificat, & nequaquàm sanctificatur; Creator enim est, & non creatura. Verùm hic locum habet sanctificari, ubi habet, verum esse corpus. Ac distincta quidem sunt res; unita verò secundùm unionem carnis cum divinitate; ut non sit distinctus alter sanctificans, alter sanctificatus.* Ioan. 17. 19.

D. Ephrem Syrus, anno 365.

P. 1. n. 8. Parte 1. 122. *Suscepit corruptionem in substantia carnis, cum longè sit à corruptione in divinitate.*

Parte 5. 123. Desumpta est ex nobili homilia de Margarita, in qua sæpiùs, & apertè D. Ephrem duas naturas commendat; sed illas mendax Corruptoris stylus alicundè expunxit, alicubi sensum pervertit, sed veritatis vestigia non potuit omninò abolere. Proponam ergo verba originalia, ex quorum collatione nefarii macellarii detruncatio agnoscetur.

Homiliâ de Margarita. Extrà. 124. *Christus non est alius, nisi qui ab æterno ex Patre genitus est; & ex Maria Virgine in tempore natus. Duarum naturarum particeps est hic lapis pretiosus* (benè vester Codex: *Unitus ex duabus substantiis*) *ut ostendat, Christum, cùm Verbum sit, ex Maria Virgine natum non unicam particularem habuisse naturam; quoniam ne aliud quidem animal erat; sed perfectam habuit duplicem naturam, ne duas perdat. Neque enim in una sola natura Deus super terram est visus; neque in altera sola homo in cœlos ascendit* (quid hæc ad ineptias vestri Codicis, qui legit: *Non est unitus in medietate substantiæ, sed perfectus in una substantia operatur, quod est duarum substantiarum?*) 125. *Verùm perfectus ex perfecto, homo ex homine, Deus ex Deo, ex Virgine Christus.* 126. *Non attributa, neque permixta est caro divinitati; neque divinam naturam humana oneravit;* 127. *Non est imminuta divinitas propter humanitatis nexum, ità ut perderet quod habebat, & fieret, quod non habebat; sed perfectum habet, quod erat, & perfectum similiter, quod assumpsit.* 128. *Unio non est facta confusio. Non enim corpus conjunctum erat corpori, at homo erat hic cum deitate.* 129. *Vinum, & aqua commista perdunt naturam; at vinum, & aurum, utrumque simul commistum, constituunt hypostasim. Tegitur enim Deus humanitate, sicut manna urnâ aureâ; absconditurque Deus Verbum in humanitate, sicut in arca calathus.* Exod. 16. 33.

Inferiùs. 130. *Agnovit Mariam Matrem, impertità, atque subministratâ per eam humanitate divinitati.* Inferiùs. 131. *Attende igitur ad Margaritam, & videbis eam duas continentem naturas; speciosissima quidem est propter deitatem; at candida ob assumptionem.* Inferiùs. 132. *Adhibui parabolam, quia duplicem mihi cognitionem contulit; cognovi in ipsa naturæ conjunctionem, & deitatis potentiam.* 133. *Intelligo contrariarum rerum consensionem, ac permutationem naturalis constitutionis. Considero cœlum cum terra simul uniri.* Infrà n. 176. Eph. 2. 14. 134. *Video duos angulos, atque anfractus in unum coaluisse vinculum; obsignavit gratia concordiam; neque invenio, qua ratione, cujusque substantiam separem. Intelligo vim differentem, & Margaritæ circumferentiam.* 135. *Insevit humanæ naturæ divinitatem, ac tamquàm in ruinam quamdam, & scissuram suum incluſit Filium.* Iacob. 1. 21.

Homiliâ de Transfiguratione. Idem in homilia de Transfiguratione. 136. *Indicavit Apostolis in monte, se Dei esse Filium, & Deum ipsum; sciebant enim illum esuriisse, & comedisse; sitivisse, & bibisse; laborâsse, & requievisse; timuisse quoque, & sudâsse. Quæ omnia divinæ ejus naturæ minimè conveniebant, sed solùm humanitati. Et propterea illos duxit in montem, ut Pater voce sua Filium appellet, & in veritate ostendat, suum esse Filium, & Deum.* Matt. 17. 5. Inferiùs. 137. *Quomodò tremenda illa vox Patris eos dejecit, ità etiam vox Filii virtute divinitatis exurgere fecit; qua quidem, cùm in ejus carne habitet, eique sit unita immutabiliter, amba in una hypostasi, & in una Persona citra divisionem, & confusionem permanent.* Matth. 17. 6. Inferiùs. 138. *Unus est Deus, qui in corpore visus est in mundo; gloria ejus divinam significavit naturam, quæ est ex Patre; & corpus ejus humanam indicavit naturam, quæ est ex Matre. Amba hæ naturæ convenerunt, atque unitæ sunt in una hypostasi, sive Persona immutabiliter, & citra confusionem; Idem Unigenitus est ex Patre, & ex Maria Unigenitus. Et qui dividit, dividetur à regno ipsius; & qui confundit ejus naturas, peribit à vita ejus.* Inferiùs. 139. *Confiteor, eumdem esse perfectum Deum, & perfectum hominem, qui in duabus naturis, in una hypostasi, sive Persona unitus cognoscitur indivisibiliter, inconfusè, immutabiliter.* Inferiùs. 140. *Idem terrenus, & cœlestis, temporarius, & æternus; qui incapit, & est absque principio; expers temporis, & tempori subjectus; creatus, & increatus; passibilis, & impassibilis; Deus, & homo; in utrisque*

Digitized by Google

utrisque perfectus ; unus habens duo, & in duobus unus.

Natalisan, seu Vitalis Episcopus Antiochenus ; verè autem D. Damasus Pontifex Romanus, anno 367.

Hæc Vitalis confessio proponitur à D. Cyrillo in libro de recta Fide ad Reginas ; non est tamen ullius Pontificis Romani, qui Vitalis, aut Natalisan diceretur, sed verè Beati Damasi, qui eam confessionem edidit in Concilio Romano, ut Vitalis Episcopus Antiochenus, qui Apollinaris hæreseos insimulatus erat, secundùm illam Antiochiæ Fidei professionem coram Paulino emitteret ; de quo latiùs dictum lib. 1. cap. 11. num. 4. D. autem Damasus à vestris Scriptoribus dicitur Damalis, Dameliùs, & Domisis.

Parte unica, n. 3. 4. 5.

Parte unica. 141. *Est Dei Filius per priorem nativitatem ex Deo Patre, & factus est Filius hominis per nativitatem, quæ nunc est ex Virgine Matre ; & unus est Deus perfectus ; æqualis Patri in divinitate ; & est idem homo perfectus in perfecta nativitate ex Virgine ; æqualis carni nostræ humanæ.* 142. *Si quis dixerit, Christum JESUM Dominum nostrum tulisse carnem de cœlo ; aut carnem Domini nostri æqualem esse* (aliàs *consubstantialem*) *Patri in antiquitate substantiæ ; anathema sit.* Infrà. *Si quis audet, & dicit de Christo Domino, passum esse in divinitate, & non in carne ; anathema sit.*

N. 6.

N. 10.

D. Damasus in Epist. ad Paulinum.

Extra 144. *Confitendum, ipsam sapientiam, sermonem, Filium Dei humanum suscepisse corpus, animam, & sensum ; id est, integrum Adam, & (ut expressius dicam) totum veterem nostrum sine peccato hominem.*

D. Basilius Magnus, anno 370.

P. 1. n. 1. & 5. Ex lib. 1. contr. Eunom. Phil. 2. 6. 7.

Parte 1. 145. *Ego dico, quod de JESU Christo Domino nostro, dicitur, esse in forma Dei, explicari, esse substantiam divinitatis Dei ; & quod dictum est, ipsum induisse formam servi, hoc explicatur, quòd Dominus habitavit in substantia hominis.* Vide eumdem cap. superiori n. 10.

P. 3. n. 4. 5. 6. Ex lib. 4. contr. Eunom.

Parte 3. Quærit, cur aliquandò de Christo dicatur : *Ego hodie genui te* : aliquandò : *Dominus creavit me* ; & subdit : 146. *Capiendum verbum* (*genuit*) *de Dei Filio ; creavit*) *verò de Deo, qui formam servi accepit* (in vestro textu : *De humanitate*) *In omnibus autem istis non duo dicimus ; Deum seorsùm, & hominem seorsùm ; unus enim erat* (Ubi falsò vester textus : *sed dicimus unam substantiam, & unam Personam*) *verùm cogitatione, ac mente cujuslibet naturam consideramus.* Nec enim *Petrus duos intellexit, cùm dixit : Christo igitur in carne passo.* Perfidè vester Codex :

Ps. 2. 7.

Prov. 8. 22.

1. Petr. 4. 1.

Neque Petrus Apostolus meminit duarum substantiarum,

Parte 4. 147. *Cùm esset in carne, dixit : Non possum à me ipso facere quidquam. Et iterùm : Quia mandatum dedit mihi : Non decet propter humanitatem Filii, in qua venit propter nostram infirmitatem, imminutionem facere gloriæ ipsius, quæ est ineffabilis, & incomprehensibilis. Excipiamus omnia, quæ dicit in humilitate, quia sunt propter dispensationem carnis.* Vide infrà n. 271.

P. 4. n. 20. Ioan. 5. 30. Ioan. 10. 18. & 12. 49. & 13. 31.

Parte 5. 148. *Nos autem credimus, eum, qui non habet carnem, incarnatum fuisse ; & eum, qui non habet sanguinem, sanguini nostro participâsse ; & eum, qui est immortalis, mortuum fuisse secundùm ritum carnis.* Infrà. 149. *Quando Verbum, quæ est una trium Personarum, sumpsit carnem ex Sanctissima Virgine Maria, univit eam divinitati.*

P. 5. n. 18.

N. 13.

Homil. 25. de human. Christi generat.

Extrà : 150. *Deus in carne non ex intervallo agens, sicut in Prophetis, sed conjunctam sibi humanitatem retinens, per carnem tuam nostræ cognatam, totam ad se traxit humanitatem.* Infrà. *Et Verbum caro factum est ; nec tu motum, aut descensum divinitatis meditere ; non enim ut corpus de loco ad locum migrat. Neque item divinitatem in carnem commutatam imagineris ; non, quod immortale est, etiam est immutabile. Nigrum quidem ac frigidum ferrum est ; attamen ignitum, & cadens ignis formam subit. Et quamquàm ex eo splendeat, ignem tamen sua nigredine non inficit ; itemque ardens flammam sua frigiditate non destruit. Sic & humana Domini caro ità particeps divinitatis facta est, ut propria fragilitate illam minimè contaminaverit. Ne tamen divinitatem igni omninò similem imagineris.*

Joan. 1. 14.

Alibi. 152. *Contemplandum est, ut in uno, eodèmque Domino JESU Christo ità utriusque naturæ veritas demonstretur ; ut neque aliquid indignum, & indecens de divina illa, & ineffabili substantia sentiatur ; neque rursùs, quæ humanitùs gesta sunt, falsis illusa imaginibus æstimentur.* Alibi. 153. *Propter amicum lacrymatus ostendit humanæ naturæ communionem. Fatigatus est, non divinitate oppressa labore ; sed corpore, quæ ex natura consequuntur accidentia, patiente.*

Apud D. Leonem Epist. 97.

Orat. de Eucharist. apud Theodoret. Dialog. 2.

Joan. 11. 35. Ioan. 4. 6.

D. Gregorius Theologus, anno 370.

Parte 1. 154. *substantia divinitatis, & substantia humanitatis unitæ sunt, & facta una Persona. Et non est mutatio inter has duas substantias, sed perfectæ sunt in omni opere.* Ibidem. *Hic est unus ; & divinitatis ejus substantia non migravit in substantiam humanitatis ; neque humanitas in substantiam divinitatis ; sed in una Persona illum genuit Virgo Maria.* Infrà. 156. *Opere mirabili, quandò homo factus est, non est natus sicut homo, sed Deus factus est homo.*

P. 1. n. 49.

N. 36.

N. 40.

Parte 2. 157. *Nonne duæ substantiæ divinitatis, & humanitatis fuerunt in novo opere ? Quia substantia divinitatis est Verbum perfectum in Persona, unitum substantiæ carnis.*

P. 2. n. 3.

Parte 4. 158. *Si quis non dicit, ipsum creâs-*

P. 4. n. 54.

Digitized by Google

se sibi humanitatem, & conjunxisse duo in virtute, anathema sit.

Orat. 1. Philip. 2. 7. Infrà n. 176. 182.

Extra Haymanot Abbau. 159. *Hucusque tendit exinanita divinitas; huc nova illa Dei, hominisque commixtio; unum ex utroque, & utraque per unum. Ob hanc causam Deus, animâ intermediâ, carni conjunctus est; ac res inter se remotæ, atque dissidentes per intermedia rei ad utramque earum finitatem, & cognationem inter se constrictæ sunt.* Alibi.

Orat. 31 in dictum Evang. Cùm consummasset JESUS &c. Phil. 2. 7. Inf à n. 178.

160. *Id, quod erat, vacuavit; id quod non erat, assumpsit; non duplex factus, sed unum ex duplici natura fieri sustinens. Ambo enim Deus; nimirùm, quod assumpsit, & quod assumptum est; duæ naturæ concurrentes, non duo Filii.*

Orat. 35.

Alibi. 161. *Excelsiores voces divinitati; atque præstantiori illi, & incorporeæ naturæ, passionibusque sublimiori attribuas; humiliores autem composito, & tuâ causâ exinanito, atque incarnato; ut intelligas, quæ prioris naturæ sit ratio, quæ assumptæ humanitatis.* Infrà. 162. *Ex muliere quidem; cæterùm Virgine. Illud humanum, hoc divinum. Patris expers hìc, Matris illic.* Infrà. 163. *Baptizatus quidem est, ut homo; sed peccata sustulit, ut Deus. Tentatus est, ut homo; victoriam reportavit, ut Deus. Quærit ubi positus sit Lazarus (homo enim erat) sed Lazarum mortuum ad vitam excitat; erat enim Deus.* Alibi. 164. *Opera ipsius veritas, & judicium, quorum causâ divinitate delibutus est. Hæc enim humanitatis unctio est.* Infrà. 165. *Ut autem servi forma ad conservos, imò ad servos se se dimittit, atque alienam formam suscipit, totum me cum infirmitatibus meis in se ipso ferens.* Inferiùs tractans, tractans, cur Christus parentem suum aliquandò Patrem, aliquandò Deum appellet: Subdit: 166. *Deus dicitur, non ratione Verbi, sed partis in oculorum sensum cadentis (quomodò enim illius, qui Deus est, Deus dici queat?) Quemadmodùm Pater non humanitatis; sed Verbi respectu: Duplici quippe natura constabat. Quo fit, ut alterum de eo propriè dicatur; alterum improprie. Contrà quàm in nobis se res habet. Deus enim propriè Deus noster est, non autem propriè Pater.* 167. *Atque hoc est, quod Hæreticos in errorem induit, nempè nominum istorum conjunctio, permutatis, scilicet, inter se significationibus propter utriusque naturæ connexionem.* 168. *Argumento est, quòd cùm naturæ animo, & cogitatione distinguuntur, simul quoque nomina dividuntur. Quod ex Paulo audire licet his verbis utente: Ut Deus Domini nostri JESU Christi, Pater autem gloriæ. Vides, quomodò Christi Deus, Pater autem gloriæ dicatur.* 169. *Quamvis enim hæc duo unam Personam efficiant, id tamen non naturâ fit, sed eorum coitione.* Vide infrà numer. 195. Inferiùs. 170. *Quidquid accipere dicatur, ad humanitatem pertinet.* Infrà. 171. *Præceptum, obedientiam, exaltationem, Sacerdotium, orationem, & similia nomina perspicuum est passibili naturæ attribuenda, non naturæ immutabili, atque omni dolore, & cruciatu sublimiori.* Inferiùs. 172. *Christus dicitur propter divinitatem. Ea enim humanitatis unctio est; non operatione, ut in aliis, qui Christi nuncupantur, sanctificans, sed tota ungentis præsentia.* Inferiùs. 173. *Habes Filii appellationes, per eas incede; per sublimes, inquam, illas divinè, per corporeas autem humanè; imò prorsùs divinè.* Iterùm. 174. *Melchisedech dicitur, ut matris expers, quod ad naturam nostrâ excelsiorem attinet; patris autem expers, quantùm ad humanam, ac nostratem.* Iterùm. 175. *Illa archetypi expressio, illud immotum sigillum, illa per omnia similis imago, ille Patris terminus, ac ratio; ad imaginem suam se confert, carnémque carnis causâ gerit; & cum intellectuali anima per animam meam jungitur, ut simile per simile repurget; atque omnia humana excepto peccato suscipit.* 176. *Progressus autem Deus cum humanitate, unum ex duobus inter se contrariis: carne nimirùm, & spiritu: quorum alterum divinitatem dedit, alterum accepit. O novam, & inauditam mixturam! ô admirabilem temperationem! Qui est, fit; qui creationis expers est, creatur.* 177. *Qui nullo loco contineri potest, interventu animæ intellectualis inter divinitatem, carnisque crassitiem interjectæ, continetur.* 178. *Qui locupletes alios facit, eget (carnis enim meæ paupertatem subiit) ut ipse illius divinitate ditescam. Qui plenus est, vacuatur, & exhauritur, ut plenitudinis ipsius ego particeps efficiar.* Infrà. 179. *Missus est: verùm, ut homo. Duplici enim naturâ constabat.*

Supra 164. 183. 272. Ps. 109. 4. Orat. 38. de Nativitate Christi. Supra n. 134. & 159. 2. Cor. 8. 9. Philip. 2. 7.

Alibi. 180. *Dei Filius, hominis quoque filius & esse, & vocari sustinet; non quod erat, immutans (neque enim mutationem admittit) sed pro singulari suo erga homines amore, id quod non erat, assumens;* 181. *ut qui natura sua comprehendi non potest, comprehendatur, intermediâ carne, quasi velo quodam interjecto, nobiscum versans.* 182. *Ideò ea, quæ mixtionem nesciebant, miscentur.*

Orat. 39.

Alibi. 183. *Perfectus non modò propter divinitatem, qua nihil perfectius; sed etiam propter humanitatem divinitate delibutam, idemque effectam, quod id, à quo perfecta est; atque ut audacter loquar, divinitatis sociam.*

Orat. 42.

Alibi. 184. *De Spiritu Dei Virgo concepit, & hoc quod concepit, hoc peperit; id est, Deum carni, & animæ suæ, id est, homini, Personæ unitate sociatum; sicut ipse ait: Quod natum est ex carne, caro est; & quod natum est de Spiritu, Spiritus est:* Infrà. 185. *Vides ergo ipsum Verbum, ipsum Dei Filium venisse in Virginem, nec tamen ipso indumento carnis mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum, apud Patrem Deus.* 186. *Cùm hominem induit, non statum vertit, non ordinem perdidit, non substantiam immutavit.* Inferiùs. 187. *Quem etsi passum credimus, & sepultum, sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit.*

Orat. 42. de Fide. Joan. 3. 6. Eph. 1. 17. 1. Petr. 1. 17. Supra n. 147.

Digitized by Google

portavit. Sed quia totum ad auctorem referebatur, quidquid ille homo patiebatur, ideò mors, & passio Domini ferebatur. 188. Est autem in Christo sicut gemina, & duplex: divina, scilicet, humanaque substantia, ità una, eadémque Persona. Sed constat, immortale esse, quod Dei est; hominis, quod caducum est.

Orat. 51. quæ est Epist. 1. ad Cledonium.

Alibi. 189. Non hominem à divinitate separamus, sed unum, & eumdem profitemur; priùs quidem non hominem, sed Deum, & Filium primogenitum, ac seculis omnibus antiquiorem; à corpore, rebusque omnibus corporeis purum, & secretum; in fine autem etiam hominem, propter salutem nostram assumptum; 190. carne passibilem, divinitate impassibilem; corpore circumscriptum, spiritu incircumscriptum; terrenum eumdem, & cœlestem; visibilem, & intelligibilem; comprehensibilem, & incomprehensibilem, 191. ut per eum totum simul hominem, ac Deum, totus homo in peccatum lapsus refingatur.

Inferiùs. 192. Si quis duos filios: alterum ex Deo, & Patre; alterum ex Matre; non autem unum, atque eumdem induxerit; is ab ea quoque filiorum adoptione excidat, quæ rectè credentibus promissa est. 193. Quamquàm enim Deus, & homo duæ naturæ sint, quemadmodùm & anima, & corpus; non tamen duo filii, neque dii. Quemadmodùm nec hîc quidem duo homines, tametsi Paulus ad hunc modum internam, & externam hominis faciem appellarit. 194. Atque, ut paucis rem complectar; aliud quidem, atque aliud sunt ea, ex quibus Salvator (nisi verò id, quod cerni non potest, idem est cum eo, quod in oculorum conspectum cadit; & quod temporis expers est, cum eo, quod tempori subest) non autem alius, atque alius: Absit. 195. Ambò enim hac connexione unum sunt: Deo nimirùm humanitatem, atque homine divinitatem suscipiente. Porrò aliud dico contrà quàm in Trinitate res habet. Illic enim alius, atque alius, ne Personas confundamus; non autem aliud, atque aliud; quoniam tria, quoad divinitatem unum, & idem sunt.

1. Cor. 4. 16.

Cùm 196. duas Christi naturas sonora tuba ubique prædicet Nazianzenus, liquet, stolidam illam esse versionem, quâ in Haymanot Abbau sub ipsius nomine duæ substantiæ convelluntur p. 1. num. 38. 39. 45. 46. & p. 4. num. 19. 27. Nam cùm rerum natura non ferat, duas de eadem re contrarias doctrinas veras esse, ut idem testatur scribens contrà Apollinaristas hujus erroris assertores, non poterat ipse sibi in eadem pagina tam hostiliter adversari.

D. Greg. Naz. Orat. 45. ad Nectar.

Divus Epiphanius Episcopus Cypri anno 370.

P. 1. n. 2. 3. ex Anchorato.

Parte 1. 197. Natus est ex muliere, & sumpsit, quod nostrum est; & propter id, quod nostrum est, dicit: Ascendo ad Deum meum, & Deum vestrum; & propter substantiam divinitatis suæ, dicit: Ascendo ad Patrem meum. Infrà: 198. Deus Pater est Deus Filii propter humanitatem; & propter divinitatem suam priorem Pater. Infrà. 199. Ante mundum Pater Verbum genuit, & novissimis temporibus natum est in carne ex sanctissima Virgine Maria.

Ioan. 20. 17.

N. 7.

N. 10.

Parte 2. 200. Quandò dicit, quòd ipse inanivit, declaravit substantiam hominis, quam induit; & esse verum hominem. Et in hoc declaravit opus carnis.

P. 2. n. 39. Marc. 14. 53.

Parte 6. 201. Dominus noster sumpsit formam servi; & sanctissima Virgo Maria, Domina nostra, suscepit Verbum in se ipsa, ut ipsum conciperet, sicut luna rorem recipit, & segetes pluviam; & ipsum habitavit intra eam, & sumpsit ex illa substantiam hominis mortalem; & hoc modo apparuit fructus purus.

P. 6. n. 2. 3. 4. Philip. 2. 6. Ps. 71. 6. Isai. 4. 2.

Parte 8. 202. Non fecit mixtionem, sed duo unum fecit; & fortem fecit carnem, quæ participavit divinitatem; & fecit illam unam virtutem in conjunctione divina, & humana. Unus Christus & unus Dominus; & non est unus Christus, qui factus est duo. In originali. Non confusionem operatus est; sed duo miscuit in unum. Unus existens Dominus Christus, non duo Christi, neque Dii.

P. 8. n. 10.

Parte 12. 203. Passus est habens secum simul humanitatem; & divinitas non est passa, sed passus est in humanitate; & servavit hac duo opera perfecta in omni tempore. Dictum 204. est; Christum passum esse in carne, non in divinitate, sicut confessus est Petrus; & divinitas non est separata ab humanitate, sed divinitas, & humanitas unitæ sunt simul in esse unius Domini 205. Et Paulus Apostolus locutus est de divinitate, & humanitate simul; quòd sit Dominus gloriæ. Quòd si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.

P. 12. n. 6. 1. Petr. 4. 1. 1. Cor. 2. 8.

Extrà: Ex eodem libro Anchorati. 206. In eodem duo ostendit Scriptura: visibile, & invisibile; & propter visibile quidem dicit: Deus meus, Deus meus; propter invisibile: Pater meus; ità ut neutra locutio adversetur Verbo. Infrà. 207. Invenimus Messiam. Qui invenerunt ipsum, per comprehensibilem naturam invenerunt; hoc est, incarnatum. Nam in natura incomprehensibili inventus non fuit. Infrà. 208. Ipse Unigenitus, ut propter homines nasceretur, accepit ex nobis carnem, quò propter nos ex nobis oblatio proprio Patri Deo factus, discipulos fratres vocaret. Infrà. 209. Deus, & Pater genuit Filium sine principio, & in carne impletum est, quòd Pontificem ipsum fecit. Infrà. 210. Mediator Dei, & hominum est, quoniam in medio utrorumque est; ad Patrem quidem suum Deus existens natura genuinus genitus; ad homines verò homo naturalis genuinus ex Maria. Sic enim est Mediator Dei, & hominum; Deus existens, & homo factus; non naturâ mutatus, sed secundùm utraque ad ambo medius existens. Infrà. 211. Verbum Dei se ipsum sanctum fructum ostendit, assumens mortalem naturam. Infrà. 212. De cœlis descendit, qui in officina Virginis salutem nostram operari dignatus est. Qui ex Maria rursùs genitus est; cum deitate accepit humanam naturam perfectus existens à Patre. Infrà. 213. Carnem, & animam humanam accepit perfectus existens à Patre; & in carne inter nos versatus est, non apparentiâ, sed veritate. Infrà. 214. Verbum caro factum est;

Matt. 27. 46. Ioan. 10. 17. Ioan. 1. 45. Ioan. 20. 17. Heb. 3. 2. 1. Tim. 2. 5. Isai. 4. 2. Ioan. 1. 14.

Digitized by Google

non mutatum eò quòd sit caro : non transmutatâ deitate in humanam naturam. Infrà. 215. *Perfectè totum negotium salutis Deus ipse existens operatus est, ità ut nihil hominis relinqueret.* Infrà. 216. *Si supernè verè genitus est à Patre, etiam natus est ex Maria ; & supernè verax, & infernè.* Infrà. 217. *Deus Dominus sedens in dextera Patris, non relictâ carne, sed in unum counitâ, & in unam in totum divinitatem.* Infrà. 218. *Spiritus est, qui carnale, & divinum unit. Dominus unus Rex Christus, Filius Dei.* Infrà. 219. *Homo factus est, ideſt, perfectum hominem suscepit ; animam, & corpus, ac mentem, & omnia ; quidquid est homo præter peccatum. Non ex semine viri, neque in homine, sed in se ipso carnem effermavit, & in unam sanctam unitatem.* Ioan. 1. 14. Infrà. 220. *Verbum caro factum est, non mutationem passum, neque transmutatâ deitate in humanitatem. Unus est Dominus IESUS Christus, & non duo. Idem Deus, idem Dominus, idem Rex.*

D. Aforosius, verè Ambrosius Episcopus Mediolanensis, anno 374.

P. 1. n. 1. Ex lib. 1. de Fid. c. 6. Galat. 4. 4. Parte 1. 221. *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege. Dixit de Filio, quòd sit Deus, alius ab alio ; & non unus sicut cæteri homines, sed est tantùm Filius Dei. Et hoc posteà, quod factum est ex muliere, in carne fecit unum secum. Et caro, quam sumpsit facta est ex muliere. Et propter carnem, quam sumpsit, factus est servator legis. Et nativitas ejus ex divinitate est ante legem ; Et iterùm posteà fuit nativitas ejus in carne.* Pessimè tamen ea verba dissident à Latinis exemplaribus, quæ ità habent.

Textus Latinus, & genuinus ejusdem loci. Galat. 4. 4. *Misit* 222. *Deus Filium suum ; suum ; non unum de multis ; non communem, sed suum. Suum, cùm dicit, generationis æternæ proprietatem signavit. Hunc posteà factum ex muliere asseruit, ut factura non divinitati, sed assumptioni corporis adscriberetur ; factum ex muliere per carnis susceptionem ; factum sub lege per observantiam legis. Generatio autem illa cœlestis ante legem ; ista post legem.*

P. 2. n. 1. Ex lib. 2. de Fid. c. 4. Parte 2. 223. *Custodiamus ergo, & distinguamus divinitatem à carne ; cùm sit unus Filius Dei, dicitur de duobus, quia in ipso sunt duæ substantiæ, & est unus solùm.* Cætera ad hoc testimonium spectantia vide lib. 1. cap. 11. n. 7. Ibi enim Latinus textus proponitur.

Lib. 1. de Fid. cap. 2. Matth. 2. 2. 11. Extrà ex iisdem libris de Fide. 224. *Quid sibi mystica Magorum munera voluerunt inter abjecta præsepia, nisi ut intelligeremus in Christo differentiam divinitatis, & carnis ? Ut homo cernitur, ut Deus adoratur. Latet in pannis, fulget in stellis. Curiæ nascentem indicant, stellæ dominantem. Caro est, quæ involvitur, divinitas, cui ab Angelis ministratur.* Infrà. 225. *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum.* Ibidem. Cap. 6. Ioan 20. 17. *Separatio ista diversitatem ostendit quòd illius genitor, non Creator sit. Utramque naturam hic significare videtur in Christo & divinitatis, & carnis. Divinitatis ex Patre, carnis ex Matre ; illam ante omnia, istam ex tempore. Patrem ut Filius nominavit ; Deum ut homo nuncupavit.* Galat. 4. 4. Infrà. 226. *Non Deus factus, sed Deus Dei Filius natus est. Posteà autem secundùm carnem homo factus ex Maria est.*

Libro 2. 227. *Pater, si possibile est.* Lib. 2. c. 3. *Quandò, & in quâ formâ loquatur, adverte.* Matt 26. 39. *Hominis substantiam gessit, hominis assumpsit affectum.* Ibid. c. 4. Infrà.. 228. *Quod lectum est, Dominum majestatis crucifixum esse, non quasi in majestate sua crucifixum putemus ; sed quia idem Deus, & homo. Per divinitatem Deus, per susceptionem carnis homo, IESUS Christus. Deus gloriæ dicitur crucifixus, quia consors utriusque naturæ, ideſt, divinæ, atque humanæ ; in natura hominis subiit passionem, ut indiscretè & Dominus majestatis dicatur, qui passus est ; & filius hominis, sicut scriptum est, descendit de cœlo.* 1. Cor. 2. 8. Infrà. 229. *Per naturam hominis dixit etiam illud, de quo calumniari solent : Quia Pater major me est.* Ioan. 3. 13. Ioan. 14. 28. Vide cætera suprà capite 4. numero 9. & capite 21. numero 4. & 14.

Libro 3. 230. *Posui adjutorium super potente, & factus sum sicut homo sine adjutorio.* Lib. 3. c. 3. Ps. 88. 20. *Distingue naturas. Adjutorium caro habet, divinitas non habet.* Ps. 87. 5. Infrà. 231. *Puer datus est nobis, & Filius natus est nobis.* Isai. 9. 6. Vide suprà cap. 22. num. 4. Infrà. 232. *Considera, quòd moris est Scripturæ geminam in Christo significare substantiam divinitatis, & carnis ; ne quis aut divinitatem ejus neget, aut carnem.* Cap. 5. Infrà. 233. *Post me venit vir, qui ante me factus est. Factum esse non ad divinitatem dico pertinere, sed ad humanitatis naturam. Itaque cùm geminam in Christo proposuisset naturam, utramque intelligas : & divinitatis, & carnis ; hoc loco capit à carne.* Ioan. 1. 30. 234. *Est enim in Scripturis promiscua consuetudo, ut interdùm à divinitate Christi incipiant, & ad Incarnationis sacramenta descendant. Interdùm ab humanitate Incarnationis exordium sumant, & ad gloriam divinitatis assurgant. Ut in Prophetis, Evangelistis, & Paulo. Ergo & hic juxta memoratum consuetudinem ab Incarnatione Domini capit, de ejus divinitate dicturus ; non ut confunderet humana, atque divina, sed ut distingueret.*

Libro 5. 235. *Cùm legeris Christum dicentem : Nos adoramus, quod scimus ; & quòd Maria ipsum adoraverit, intelligere debemus, quòd non potest per eamdem naturam adorare quasi servus ; & adorari quasi Dominus ; sed potiùs, quòd ut homo inter homines adorare dicitur, & quasi Dominus à famulis adoratur.* Lib. 5. c. 4. Ioan. 4. 22. Matth. 28. 9. Infrà. Cap. 3. 236. Quid est in Dei forma ? Vide cap. 22. num. 10. Infrà. 237. *Servus homo dictus est, in quo sanctificatus est ; homo, in quo unctus est ; in quo factus sub lege.* Galat. 4. 4. Ps. 115. 16. Phil. 2. 6. 7. Infrà. 238. *Propter nos ancilla filius factus est secundùm formam hominis ; nam secundùm divinam generationem non matrem habet, sed Patrem ; nec corporalis ventris est fructus sed sempiterna Dei virtus.*

Libro de Incarnationis Dominicæ Sacramento. 239. *Quod vidimus oculis nostris, quod perspeximus, &c. Quia secundùm suam naturam eum videre non poterat, suscepit, quod est præter naturam divinitatis, ut secundùm naturam corporis videretur.* Lib. de Inc. Dom. Sacr. cap. 3. Ioan. 1. 1. Infrà. 240. *Divide quod meum est ; divide quod suum Verbi est. Ego, quod erat illius, non habebam ; &* Cap. 4.

ille,

Digitized by Google

ille, quod meum est, non habebat. Suscepit, quod meum est, ut impertiret, quod suum est; Suscepit, non ut confunderet, sed ut repleret. Si credas susceptionem, & affingas confusionem, Manichæus esse desisti, nec tamen Ecclesiæ filius esse capisti. Infrà. 241. *Gigas terræ, cùm Deus semper esset æternus, Incarnationis Sacramenta suscepit, non divisus, sed unus; quia utrumque unus, & unus in utroque; ideſt, vel divinitate, vel corpore. Non enim alter ex Patre, alter ex Matre, sed aliter ex Patre, aliter ex Virgine.* Vide caput 22. numero 3. Infrà. 242. *Idem patiebatur, & non patiebatur, moriebatur, & non moriebatur; sepeliebatur, & non sepeliebatur. Moriebatur secundùm nostræ susceptionem naturæ; non moriebatur secundùm suæ substantiam vitæ.* Infrà. 243. *Ostendebatur omnibus per corporis veritatem, quia non caro erat Verbum, sed caro Verbi.*

Cap. 5. Pſ. 18. 7.

Cap. 6.

Capite sexto ejusdem libri. 244. *Dum hos redarguimus, emergunt alii, qui carnem Domini dicant, & divinitatem ejusdem esse naturæ.* 245. *Quæ tantum sacrilegium inferna vomuerunt?* Infrà. 245. *Sunt etiam, qui in tantum impietatis prodierunt, ut putent, quòd divinitas Domini circumcisa sit, & imperfecta, de perfecta facta est; & in ligno non caro, sed illa operatrix omnium substantia divina, in carnis specie coagulata pendebat.* Infrà. 246. *Horum omnium auctores sunt, qui divinitatem, & carnem Domini unius naturæ fuisse dixerunt.* Infrà. 247. *Hi mihi frequenter Nicæni Concilii se tractatum tenere commemorant; sed in illo tractatu Patres nostri, non carnem, sed Dei Verbum unius substantiæ cum Deo Patre esse dixerunt; Et Verbum quidem ex paterna processisse substantia; carnem autem ex Virgine esse confessi sunt.* Infrà. 248. *Ex nobis accepit, quod proprium offerret pro nobis: ut nos redimeret ex nostro; & quod nostrum non erat, ex suo nobis divinâ sua largitate conferret. Secundùm igitur naturam se obtulit nostram, ut ultra nostram operaretur naturam.* Infrà. 249. *Supra conditionem Virgo concepit, Virgo peperit, ut crederes, quia Deus erat, qui novabat naturam; & homo erat, qui secundùm naturam nascebatur ex homine.* Infrà. 250. *Hoc in se obtulit Christus, quod induit; & induit, quod ante non habuit.* Infrà. 251. *Si caro in Christo omni subjacuit injuriæ, quomodò unius illam cum divinitate dicitis esse substantiæ?* Infrà. 252. *Aliud est, quod assumpsit, aliud, quod assumptum est.*

D. Gregorius Nyssenus Basilii frater anno 380.

P. 1. n. 1. Ex Orat. 13. in Cantic.

Parte 1. 253. Mendosum est hujusce partis initium ex expositione in Cantica Canticorum: *Quia Christus est increatus, & creatus, simul convenerunt in una substantia, & Persona.* Nam verus textus ità habet: *Quia enim in Christo quiddam est creatum, quiddam increatum; & increatum vocamus illud ipsum, quod æternum, est, ac seculis prius, & à quo res diversæ conditæ sunt; creatum verò, quod ob susceptam nostri causa administrationem conformatum est ad similitudinem corporis humilitatis nostræ.* Infrà. 254. *Quandò factus est caro, manifestavit gloriam suam in opere, tamquàm Deus; apparuit in carne, & est Deus Filius Unigenitus, qui est in sinu patris sui.* Infrà. 255. *Hoc Verbum, quod apparuit in carne propter nos, cùm esset in forma Dei, factum est cum hominibus in forma servi, & carnis.*

N. 6. 1. Tim. 3. 16. Joan. 1. 18. N. 11. Phil. 2. 6. 7.

Parte 2. Dicit. 256. *Hic est unus tantùm ex substantia divinitatis meæ; & est ex vestra substantia ex parte humanitatis. Ne quæratis in Incarnatione ejus patrem super terram, & ne quæratis ipsi matrem in cœlis. Ille est sine patre in terra, & sine matre in cœlo.* Infrà. 257. *Ne dividatis humanitatem ejus à divinitate, quia post unionem illius, non dividitur, neque miscetur.* Infrà. 258. *Est Deus, & homo simul. Ille est Deus, qui erat à principio, & ante tempora, & nunc factus est homo; & semper permanet in sua divinitate, & humanitate sine divisione.* Infrà. 259. *Habet omnia, quæ sunt divinitatis, & præterea habet omnia, quæ sunt humanitatis.*

P. 2. n. 6. N. 9. N. 20. N. 29.

Parte 3. 260. *Quandò descendit in communicationem nostram, cùm esset Rex Regum, & Dominus dominantium; & induit formam servi, subsannaverunt eum magnates sanguinis.*

P. 3. n. 2. Apud D. Cyril. in Apolog. ad Orient. anath. 12.

In originali. 261. *Quid pauperius sub Deo figurâ servi? Quid humilius sub Rege omnium, quàm venire in communionem pauperis nostræ naturæ?*

Apoc. 19. 16. Philip. 2. 7.

Parte 4. 262. *Quidquid est divinitatis, est in illo in divinitate sua prima; & præterea, quidquid est humanitatis præter peccatum tantùm, habet in substantia humanitatis, quam sumpsit ex nobis.* Sed ineptissimè additur à falsario: *Et facta est cum ipso una substantia.*

P. 4. n. 14.

Infrà. 263. *Vidistine, quomodò in ipso fuerint duo opera simul? Hic est Deus, & est homo. Unus est, & non duo. Non transtulit Creator divinitatem suam in esse creatum; & non transtulit humanitatem suam creatam in esse Creatoris. Ipse unus, & idem, non fuit duo. Hic est, qui induit formam servi; pauper factus est, ut per ejus paupertatem nos divites essemus.* Infrà. 264. *Est Sacerdos in æternum, qui est ovis Sacrificii; est Sacerdos sacrificans; & est susceptor Sacrificii cum Patre suo.* §. Extrà. 265. *Quoniam res duas de Christo statuimus, & sentimus; unum quidem divinum, alterum humanum; in natura quidem divinum, in administratione, ac dispensatione id, quod secundùm hominem est, consequenter sempiternum deitati attestamur, creatum verò humanæ naturæ assignamus.*

N. 18. Philip. 2. 7. 2. Cor. 8. 9. N. 24. Pſ. 109. 4. Ex lib. de Fid. ad simplicium.

Alibi. 266. *Propter quod & Deus exaltavit illum. Quis ergo exaltatus? Humilis, an excelsus? Quid aliud humile, nisi quod humanum est? Quid verò aliud excelsum præter divinitatem? Sed Deus exaltari non indiget, cùm sit excelsus. Humanitatem igitur Apostolus exaltatam dicit.* Infrà. 267. *Neque vivificat Lazarum humana natura, neque deflet sepultum impassibilis substantia; sed propriè quidem sunt hominis lacrymæ, vita autem verè vitæ est. Non pascit millia humana paupertas, neque currit ad ficum omnipotens*

Lib. contra Eunomium apud Theodoret. Dialog. 2. Philip. 2. 9. Act. 2. 33. Apud Theodoret. Dialog. 3. Joan. 11. 35. 44. Joan. 6. 10.

Digitized by Google

Matt. 21. 19. omnipotens *substantia.* Infrà. 268. *Verbum erat ante secula, caro autem extremis temporibus facta est; nec convertens contra quispiam dixerit, vel eam esse ante secula, vel ultimis temporibus factum esse Verbum.* Infrà. 269. *Si qui ex Maria natus est, cum fratribus disserit, unigenitus autem fratres non habet, quomodò inter fratres conservaretur esse Unigenitum?* Alibi. 270. *Quid prohibet quamdam divinæ naturæ unionem, & appropinquationem ad humanam naturam agnoscere, & divinitatis tamen intelligentiam in ea appropinquatione conservare, extra omnem circumscriptionem, credentes esse divinitatem, etiam si sit in hominibus?* Alibi. 271. *Descendit ergo non nudum Verbum, sed caro factum; non Dei forma, sed forma servi. Is est ergo, qui dixit, se non posse ex se aliquid facere. Non posse enim est imbecillitatis.* Alibi. 272. *Si ergo in adversantibus sibi proprietatibus horum utriusque naturæ cernitur; carnis, inquam, & divinitatis: quomodò duæ sunt una?*

Apud Theodoret. Dialog. 1. *Ioan.* 1. 18. *Rom.* 8. 29. Ex Orat. Catechet. Apud Theodoret. Dialog. 2. Orat. de Abraham. Apud Theodoret. Dialog. 1. *Ioan.* 5. 30. Lib. contra Apollinarē apud Theorianum in legation. Armen.

Joannes Jerosolymitanus, anno 390.

P. 1. n. 16. Parte unica. 273. *Deus Verbum, qui est æqualis Patri, factus est homo æqualis in carne sine mutatione in novissimo tempore propter salutem nostram; & præterea est existens semper in se ipso.* Infrà. 274. *Credimus, Christum IESUM esse unum Deum à principio, & usque in seculum; & factum esse hominem verum, cùm existat in substantia divinitatis suæ, sicut Pater ejus, & Spiritus sanctus.*

N. 18.

Theophilus Alexandrinus, anno 395.

P. 2. ex Concordia fidei. Parte 2. 275. *Natus est sicut homo ex Virgine, & factus est noster consanguineus in omni opere nostro absque peccato; & quandò pervenit ad formam alienam, & admirabilem apparitionem, benedixit super substantiam hominum.*

Epist. 1. Paschali. 2. *Cor.* 8. 9. *Isai.* 7. 14. Extrà. 276. *Cùm esset dives, pro nobis pauper factus est, ut nos illius paupertate divites essemus. Venitque in terram, & de Virginali utero, quem sanctificavit homo egressus, interpretationem nominis Emmanuel, idest, nobiscum Deus, dispensatione confirmans, mirum in modum capit esse, quod nos sumus, & non desit esse, quod fuerat; sic assumens naturam humanam, ut quod erat ipse, non perderet.* Infrà. 277. *Paulo nobiscum eadem prædicante: IESUS Christus heri, & hodie, ipse & in secula. In eo enim, quòd ait (ipse) ostendit illum pristinam non mutasse naturam, nec divinitatis suæ imminuisse divitias, qui propter nos pauper effectus plenam conditionem nostræ similitudinis assumpserat.* Infrà. 278. *Ex talibus, ac tantis assumpsit hominem, dumtaxat absque peccato, ex quantis, & qualibus nos omnes creati sumus; non ex parte, sed totus Mediator Dei,* Hebr. 13. 8. *& hominum, homo Christus IESUS; nulloque nostræ similitudinis caruit, nisi solo peccato.* 1. *Tim.* 2. 5. Infrà. 279. *Si anima Salvatoris est, quæ fuit in forma Dei, & æqualis Deo, juxta Origenis insaniam; æqualis autem Deo Filius Dei; & quod æquale est Deo, ejusdem convincitur esse substantiæ, ipse nos disputationis ordò perducit, ut unius naturæ animam, & Deum esse credamus. Quod cùm dicat, sequitur, ut nostras quoque animas non alterius à Deo naturæ esse contendat. Nullique dubium, nostras animas, & animam Salvatoris unius esse substantiæ; ut jam Factor, atque factura unius naturæ sint.* Infrà. 280. *Aliam rursùs Origenes Filio Dei nectit calumniam, & his verbis loquitur: Sicut Pater, & Filius unum sunt, ità & anima, quam assumpsit, & ipse Filius Dei unum sunt; nec intelligit,* Joan. 10. 30. *Patrem, & Filium unum esse propter communionem substantiæ, & eamdem divinitatem: Filium autem, & animam ejus diversæ, & multùm inter se distantis esse naturæ. Etenim, si ut Pater, & Filius unum sunt, sic & anima Filii, & ipse Filius, unum erit Pater cum anima Salvatoris; & ipsa dicere poterit: Qui videt me, videt &* Joan. 14. 9. *Patrem. Sed non est ità. Absit hoc ab Ecclesiastica Fide. Filius enim, & Pater unum sunt, quia non est inter eos diversa natura; anima autem, & Filius Dei & naturâ inter se discrepant, & substantia; eò quòd & ipsa à Filio condita sit nostræ conditionis, atque naturæ.*

Epistola 2. Paschali. 281. *Indivisibilis, & inseparabilis, nec in duos Salvatores quorumdam errore sejunctus. Non alter, & alter, sed unus, atque idem: utrumque subsistens Deus, & homo: dum servus videtur, & Dominus adoratur. Siquidem in humani corporis vilitate ineffabilem celabat Deum; & rursùs fragilitatem carnis divinis operibus excedebat.* Infrà. 282. *Unus Deus, unus & Mediator* 1. *Tim.* 2. 5. *Dei, & hominum, homo Christus IESUS.* Gal. 3. 20. Et iterùm: *Mediator autem unius non est, Deus autem unus est; quia unus Filius Patris, nostrique Mediator nec æqualitatem amisit, nec à nostro consortio est separatus; invisibilis Deus, & visibilis homo: formâ servi absconditus est, & Dominus gloria confessione credentium com-* 1. *Cor.* 2. 8. *probatur.* 283. *Neque enim illum privavit Pater naturæ suæ nomine, postquàm pro nobis homo, & pauper effectus est. Nec in Iordane fluvio baptizatum appellavit alio vocabulo, sed Filium Unigenitum: Tu es Filius meus dilec-* Matth. 3. 17. *tus, in quo mihi complacui.* 284. *Nec similitudo nostra in divinitatis est mutata naturam; nec divinitas in naturæ nostræ versa est similitudinem; sed manens, quod à principio erat, Deus Verbum.*

Divus Joannes Chrysostomus, anno 400.

P. 1. n. 4. Parte 1. 285. *Exiit ab illius utero Deus Verbum, qui omnia creavit, & factus est homo perfectus.*

P. 2. n. 6. Parte 2. 286. *Nostra substantia perdita erat coram Deo, & ab illo nimis elongata, & cucurrit post eam, donec ad illam pervenit, & illam apprehendit, & ipsa illum suscepit.* Infrà. 287. Heb. 2. 16. N. 8. *Per omnia fratribus assimilatus. Quid est per omnia, nisi fuisse nativitatem ejus humanam perfectam, sicut nostram; & susceptionem ipsius omnium, quæ conveniunt carni?* Heb. 2. 17. N. 18. Infrà. 288. *Ipse descendit,*

descendit, & incarnatus est ex nostra substantia, & factus est nobis summus Pontifex, & obtulit

N. 24. *carnem suam.* Infrà. 289. *Cùm dicit: Fidelis ei, qui fecit eum:*

Heb. 3. 2. *scilicet, Apostolum, & Pontificem; non est locutus de substantia divinitatis, sed secundùm ritum humanitatis.*

P. 3. n. 1. Parte 3. 290. *Ipse est Deus primus, &*

N. 3. *non est mutata ejus divinitas, cùm homo factus est.* Infrà. 291. *Qui erat impassibilis, incarnatus est in carne passibili, quin mutaretur à*

N. 4. *substantia divinitatis suæ.* Infrà. 292. *Qui attrectari non poterat, quia erat sine carne, attrectatus est modò, cùm carnem induit.*

N. 5. Infrà. 293. *Illi, quem cœli capere non poterant, angustus non fuit uterus Virginis, sed natus est ex ipsa, quin mutaretur à divinitate sua.*

P. 5. n. 8. Parte 5. 294. *Creatum lucratum fuit ingentem gloriam, cùm factum est vestis Creatoris.*

N. 20. Infrà. 295. *Intravit in carnem meam, ut ego suscipiam sermonem illius; sumpsit sibi carnem meam, & dedit mihi spiritum suum. Et dedi,*

N. 24. *& sumpsi.* Infrà. 296. *Cùm esset Deus, factus est homo; & vicit inimicum in substantia*

N. 31. *nostra.* Infrà. 297. *Sumpsit sibi Dominus humanitatem, in quâ est anima, ut per conjunctionem ipsius cum Creatore suo ipsum à diaboli spiritu removeret.*

P. 6. n. 5. 6. Parte 6. 298. *Exiit Deus Verbum in carne passibili. Non est diminuta, neque mutata divinitas sancta à sua substantia; & natus est Deus, sicut Trinitati conveniebat.* 299. *Quia homines projecerunt illum, & depinxerunt sibi idola in imagine hominum, & illa coluerunt, & Creatorem suum in amulationem provocaverunt, apparuit Dei Verbum in formâ hominis, ut mendacium oblivioni daretur, & deleretur.*

P. 8. n. 1. Parte 8. 300. *Intellige, quæ sit differentia inter substantiam Dei, & substantiam hominum.*

N. 4. Infrà. 301. *Ego verò dico, quòd non sit homo sejunctus tantùm in sua persona; & non esse separatum à Dei Verbo, ità ut sint duo: Filius Dei, & filius hominis; sed rem aperiam.* 302. *Quia Verbum sumpsit ex nostra substantia perfectam humanitatem, in qua est anima, & ratio perfecta, in sua Persona, & in*

N. 8. *ea unitum est Verbum.* Infrà. 303. *Sicut humanitas non transmutavit substantiam divinitatis, ità etiam divinitas non transmutavit substantiam carnis; Et est simul Filius Dei &*

N. 10. *filius hominis.* Infrà. 304. *Omnes virtutes cœlorum ei famulantur, qui ex nobis est; eò quòd Deus Verbum fuerit unus cum ipso.*

P. 10. n. 1. Parte 10. 305. *Dicit Paulus: Deus Do-*

Eph. 1. 17. *mini nostri IESU Christi, gloriæ Pater. Num-*

Ioan. 1. 14. *quid Christus minoratus est à gloria Patris sui? Absit. Nemo insanus hoc dicere audebit. An non dicit Scriptura: Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre? Sed significavit, ipsum esse verè hominem. Sic postquàm resurrexit, dixit: Ascendo ad Deum meum, & Deum*

Ioan. 20. 17. *vestrum.* 306. *Ut quandò audierint, non arbitrentur, solam humanitatem locutam esse, sed ipse Deus Verbum, qui factus est homo, capit, & dixit: Ascendo ad Patrem meum; & postea: Ad Deum meum, quia ego Deus, & homo simul; Et ego unus sum. Ego dico hoc, & illud; quia suscepi omnia, quæ sunt hominis, excepto peccato; & ità vocavi Patrem meum; & Deum meum, sicut convenit humanitati, quam feci unam mecum.*

P. 11. n. 1. Parte 11. 307. *Suscitans illum à mor-*

Ephes. 1. 20. N. 5. *tuis. Ne arbitremini, quòd Paulus dicat hoc de Verbo, sed propter carnem nostram, quæ est una cum Verbo. Quia Christus est Deus & homo*

Eph. 2. 13. *simul.* Infrà. 308. *Præterea dicit: Qui aliquandò eratis longè, facti estis propè. Quia substantia hominis divisa fuit à Deo in omni tempore Sanctorum, & Patrum, donec venit Deus Verbum potens in omnibus; appropinquare nos sibi fecit in carne, quam sumpsit ex nostra substantia.*

P. 12. n. 1. Parte 12. 309. *Iratus est Deus nobis,*

Ex homil. de Ascensi. *quandò in eum peccabamus, & venit Christus pacificator inter Deum, & hominem, & utrumque pacificavit. Divinitas quidem Patris est, & ipsius: humanitas autem nostra; & factus est pacificator inter utrumque, & ligavit duas substantias inter se unione.*

P. 13. n. 3. Parte 13. 310. *Quandò audieris Christi*

Ex Epistola ad Ephesios. *nomen, ne arbitreris, illum esse Deum tantùm; sed Deum, & hominem simul, cùm sit unus.*

Eph. 1. 17. Infrà. 311. *Dicit Paulus: Benedictus Deus, & Pater Domini nostri IESU Christi; & non dixit: Pater Verbi, sed Pater Domini nostri IESV Christi. Hoc dicit, quia hic unus Dei Filius ipse est simul Deus, & homo.*

P. 14. n. 3. Parte 14. 312. *Quia Deus creavit sibi templum solis justitiæ, qui est Dominus virtutum. Qui non habet carnem, venit in carnem sanctam, & illam non inquinavit, sed amplius mundavit, & creavit sanctam.*

Homiliâ de Nativitate. Extrà. 313. *In terra nascitur perfectus homo, homo totus, ut sanaret totum hominem. Quid-*

Ibidem. *quid enim non assumpsit ex homine, non salvavit. Salvavit ergo corpus, quod minus est, & quod majus est, (animam, scilicet) non salvabit?* Infrà. 314. *Verè pastores, quasi vigilantes non*

Luc. 2. 15. *dixerunt: Videamus puerum, sed videamus hoc Verbum, quod factum est. Hoc ipsum Verbum, Dominus est. Videamus igitur, quomodò hoc ipsum Verbum, ideſt, Dominus, ostenderit carnem suam. Quod enim videre non poteramus, dum erat Verbum, videamus carnem, quia caro facta est; videamus, quomodò Verbum caro factum est.*

Homil. de Epiphan. Num. 24. 17. Apoc. 22. 16. Matth. 4. 2. Ioan. 6. 10. Alibi. 315. *Balaam dicit: Orietur stella ex Iacob, & exurget homo de Israël. Vt significatione stellæ, & hominis in Filio Dei divina, & humana naturæ conjunctio noscetur. Vndè & in Apocalypsi Dominus testatur: Ego sum radix Iesse, & genus David, & stella splendida, & matutina.* Alibi. 316. *Scio esuriisse Christum, & scio de quinque piscibus, & duobus panibus quinque hominum millia satiasse; Et quædam quidem refero deitati, quædam autem assigno humanitati. Quia novi Christum de Maria natum; Et scio Christum ante omnia sæcula genitum, & apud Deum semper esse Deum Verbum.*

Homil. 2. in Matthæum. 1. Tim. 2. 5. Homil. 7. in 1. ad Tim. Alibi. 317. *Vt si quispiam in arena consistens duos aliquos invicem dissidentes extentu utraque manu conjungat; ità fecit & Christus, veteri novam; divinam naturam humanæ; suis nostra jungendo.* Alibi. 318. *Mediator utrisque eorum, quorum mediator est, debet societate conjungi. Id quippè mediatoris proprium est. Quod si unum quidem societate contingat, ab alio verò fuerit separatus, mediator dici non potest. Nisi*

igitur

Digitized by Google

igitur Christus consors sit paternæ naturæ, mediator perfectus non est. Quemadmodùm enim humanæ naturæ consortium accepit, quandò ad homines venit, ità & à Dei substantia non abscessit, quandò à Deo venit. Alibi. 319. *Nemo putet, nos dividere Christum. Solent enim existimare calumniatores, quòd in Christo duas personas faciamus: alium hominem, & alium Deum. Nos in Trinitate credimus, non in quaternitate, ut duas in Christo personas statuamus. Si enim Christus duas personas habet, filius duplex est: ergo quatuor sunt personæ. Nos ergo credimus in Patrem, Filium, & Spiritum sanctum. Nunc verò de Christo dicimus, ipsum esse Dei Filium, & filium hominis. Quidquid magnum est, refer ad Filium Dei; quidquid parvum est, refer ad filium hominis; & tamen unus Filius Dei est.*

Homil. 11. in Marcum.

Alibi. 320. *Nemo dicit Regi: Exue purpuram, quâ indutus es; vel: Surge à throno tuo, ut te adorem; sed adorat Regem super thronum sedentem, & purpurâ vestitum. Complacitum fuerat Deo Verbo, ut creatam sibi carnem nostram absque macula adunaret, & adoraretur cum Deo Verbo, quatenùs deitati adest. Et hoc significans divinus David, clamat: Exaltate Dominum Deum nostrum, & adorate scabellum pedum ejus, quoniam sanctum est. In alio eloquio dicit: Cœlum mihi sedes est, terra autem scabellum pedum meorum. Terram nos jubes adorare, ô Beate David? Quomodò Moyses legem ponit: Neque cœlum, neque terram, neque quæ in eis sunt, adoranda? Vide Sacramentum. Quoniam adunaturus erat carnem nostram absque peccato in unam carnem, caro autem nostra est ex Adam, & ex terra, juxta hoc dicit: Adorate scabellum pedum ejus. Non enim terram nos adoramus, sed Deum Verbum, qui univit sibi absque peccato carnem, quæ ex terra formata est Adæ.*

Ex homil. de Trinitate tom. 3.

Ps. 98. 5.
Isai. 66. 1.
Exod. 20. 4.

Sayrus Elæ; verè Severianus Gabalarum Episcopus, anno 400.

Severianus coætaneus fuit Divus Joannis Chrysostomi, cui hic absens Ecclesiam suam commendavit. Hujus est fragmentum, quod sub nomine Sayros in Haymanot Abbau collatum est, & à D. Cyrillo citatur libro de recta Fide ad Reginas in hæc verba. 321. *Verbum, quod supernè arcanâ quadam, inexplicabilique, atque incomprehensâ ratione ex Deo Patre ab omni æternitate nascitur; id ipsum infernè ex Virgine Maria in tempore generatur. Quò hi nimirùm, qui nati erant infernè, ex Deo renascantur denuò supernè.*

Baron. to. 5. anno. 400.

Apud D. Cyril. lib. de recta Fide ad Reg.

Extrà. 322. *Ostendens per omnia veracem & divinitatis dignitatem, & carnis dispensationem, ait: spiritus quidem promptus est, caro autem infirma, interpretatus cujus sint passiones.*

Alibi. 323. *Illud: Verbum caro factum est, non ipsum à natura sua excidisse, sed nostram naturam accepisse significat. Si enim illud: Factum est: mutationem existimas; si audieris Paulum dicentem:* 324. *Christus nos redemit à maledicto legis, factus pro nobis maledictum, ità ut naturam, & in maledictum mutationem significet, dictionem acceperis; Sicut ergo illud: Factus maledictum, nil aliud significat, quàm quòd maledictum, quod erat adversum nos, ipse in se suscepit; ità etiam illud: Verbum caro factum est, & habitavit in nobis, nihil aliud significat, quàm quòd carnem suscepit.* Alibi. 325. *O verè cœleste, & terrestre mysterium, quod videtur, & non apparet! Talis enim quoque Christus natus: cœlestis, & terrestris;* 326. *qui continebatur, & non continebatur; qui videbatur, & sub visum non cadebat.* 327. *Cœlestis secundùm naturam divinitatis, terrestris secundùm naturam humanitatis. Videbatur secundùm carnem, non videbatur secundùm spiritum.* 328. *Continebatur quoad corpus, quantùm autem ad Verbum attinet, contineri non poterat.* Alibi. 329. *Judæi de iis pugnant, quæ apparent, ignorantes id, quod non apparet; Et carnem quidem crucifigunt, divinitatem autem non perimunt. Si enim scripto, quod est verborum indumentum, mea verba non pereunt, quomodò Deus Verbum, fons vitæ, unà cum carne interiit? Passio est in corpore, impatibilitas autem in divinitate.*

Apud Gelas. lib. de Duabus natur.

Matth. 26. 41.

Apud Theodoret. Dialog. 1.

Joan. 1. 14.

Galat. 3. 13.

Orat. de Nativit. Apud Theodoret. Dialog. 2.

Orat. de signaculis, Apud Theodoret. Dialog. 3.

Ayocandius; verè D. Innocentius primus Pontifex Romanus, anno 400.

330. Cùm in hujus fragmenti titulo prænotetur, Ayocandium fuisse Pontificem Romanum, & hunc Fidei libellum ad Sayros, sivè Severianum Gebalensem proximè collocatum misisse, non potest alius esse, quàm D. Innocentius, qui tunc Pontificatum gerebat, & ità limatè de Fide scripsit, ut de eo dicat D. Hieronymus tunc vivens in Epistola ad Demetriadem: *Sancti Innocentii, qui Apostolicæ cathedræ, & beatæ memoriæ Anastasii successor, & filius est, teneas Fidem; nec peregrinam, quamvis tibi prudens, callidáque videaris, doctrinam recipias.* Indignum verò non est tanto Pontifice hoc fragmentum. Nec Ayocandii nomen magis abludit ab Innocentio, quàm Abolidis à Julio; Nataliſan à Vitali, Aforosii ab Ambrosio. Nam in nominibus Latinis, quæ Abassinis magis sunt exotica, quàm Græca, diriot ab iis solet fieri laniena. Parte unica: 331. *Quandò Deus Verbum descendit de cœlis, & habitavit intra uterum sanctissimæ Virginis Mariæ, Dominæ nostræ, & humanatus est ex ea, non attulit secum de cœlo carnem; nec divinitas ejus fuit è terra.* Infrà. 332. *Credimus, ab omnibus, quæ humanitas fecit, separatam non fuisse divinitatem, neque unâ horâ; Et venisse Dominum nostrum, & conjunxisse divinitatem suam cum humanitate in unione; Et post unionem divinitatis cum humanitate non fuisse unquàm separatam unionem in ullo opere.* Infrà. 333. *Facta est una caro cum divinitate, & communicavit divinitas cum humanitate in una unione sine mutatione, & sine divisione.* 334. *Non habuit separationem divinitas ab humanitate, cùm esset crucifixus super lignum Crucis, neque unâ horâ, neque ictu oculi.*

Ayocandius est D. Innocentius Pontifex Romanus.

D. Hieron. Epistola ad Demetriad.

P. Unicâ n. 1.

N. 4.

N. 7.

Attifos;

Digitized by Google

Attifos; verè D. Atticus Episcopus Constantinopolitanus, anno 405.

Baron.to.5. an.405.406 In Concil. Eph.tom.1. cap.5.& to. 2.cap.28.

Non fuit D. Atticus Apostolorum discipulus, ut perperam in unici fragmenti titulo affirmatur, sed D. Joannis Chrysostomi in Episcopatu Constantinopolitano successor. Hoc fragmentum adducitur à D. Cyrillo in lib. de recta Fide ad Reginas, & alibi.

Parte unicâ à n. 1. ex Orat. de Nativit.

Parte unica. 335. *Hodie susceptit Dominus noster JESUS Christus nativitatem hominis, cùm sit antiquus dierum ante dies, & horas, qui natus est à Patre, Verbum Dei,* 336. *qui aequalis est Patri, & Spiritui sancto. Cùm non humilietur in divinitate sua, humiliatus est voluntate sua, &* Phil.2. 7. *induit formam servi.* 337. *Qui non habet carnem, propter te, ô homo, carnem induit. Verbum, quod humanatum est, cujus divinitas est impalpabilis, palpatus est propter te, ô homo.* 338. *Qui non habet principium in divinitate sua, factus est caro perfecta. Qui est invisibilis, & immutabilis, carnem assumpsit, quae mutatur.*

Ex eadem Orat. apud D. Cyril. locis cit.

Extrà. 339. *Verbum, in quod secundùm propriam naturam exinanitio nulla cadit, humani generis amore homo factum exinanitur; se ipsum enim, assumpta servi forma, exinanivit.*

Epistola ad Eupsichium Apud Theodoret. Dialog. 2.

Alibi. 340. *Assumptae carnis interventu, & Dei Verbi cum genito ex Maria homine unione, fit utrumque; ut qui ex utrisque unitus erat Christus, divinitate quidem disponens, in sua impatibilis natura auctoritate maneret; carne autem cum morte conversans.*

Theodotus Ancyranus, qui disputavit in Concilio Ephesino contra Nestorium, anno 431.

P.1. n.13. Ex Orat.2.

341. *Notum tibi facimus, Deum Verbum esse Filium Dei Unigenitum, priorem omni tempore; quia qui non habet carnem in sua priori substantia cum Patre, posteà induit substantiam hominis, & natus est ex Sanctissima Virgine Maria; & substantia divinitatis ejus non habet principium.* Infrà. 342. *Ipse natus est à Patre in sua substantia; & natus est ex Virgine ritu, quem ipse sibi constituit.* Infrà. 343. *Sanctissima Virgo Maria, Domina nostra peperit Verbum in carne, & principium divinitatis ejus non est natum in ea. Absit; sed est principium apparitionis ejus in carne hominis, quandò factus est homo.*

N. 7.

N. 10.

Orat. 1.

Extrà, ex iisdem Orationibus. 344. *In humilitate Deus se se dimisit, nullam secundùm propriam naturam perpessus diminutionem. Hoc, quod erat permanens, assumpsit, quod non erat: Deus esse non destitit propter propriam naturam; quod autem tu es, id factus est ille ob suam in te benignitatem.* Infrà. 345. *Descendit ad te, non ut in inferioribus perpetuò haereat, sed ut te ad se ipsum subvehat.* Infrà. 346. *Quoniam natura Dominus erat, non rapinam arbitratus est, esse se aequalem Deo; dispensationis enim mysterium divinitatem non laesit.* Infrà. 347. *Non natura, sed unio ad id, quod pati poterat, Deum patibilem effecit. In* Marc.14.33. *naturam enim illius passio nulla cadit.* Infrà. 348. *Crucem formidabat, ut homo; nam exterioribus hominis perpessionibus assumptae naturae veritatem ostendere debebat.* Infrà. 349. *Verbum erat Deus per naturam; factum est autem caro per dispensationem.*

Philip.2.6.

Orat. 2. 350. *Invisibilis visibilem naturam sumpsit. Deus Verbum incorporea natura, perindè atque Pater ante omnia secula naturaliter existens, humanâ naturâ ascitâ, tandem per Virginem ortus, non suae divinitatis, sed suae tantùm humanitatis initium hinc sumit.* Infrà. 351. *Ex Patre natus est secundùm divinitatis naturam; ex Virgine nascitur secundùm carnis dispensationem. Hinc Deus est, hinc nascitur homo.* Infrà. 352. *Quia id factus est, quod ego, necessariò naturam meam indutus, natus est ut ego.* Infrà. 353. *Non purum tantùm hominem Judaei crucifixerunt; neque eam solam naturam, quae forinsecùs tantùm videbatur, clavis confixerunt; sed in ipsum Deum, qui in illa latitabat, unitaque natura perpessiones sibi appropriabat, impii, temerariique extiterunt.*

Orat. 1.

Orat. 3. 354. *Manens, quod erat, factus est, quod non erat. Qui cùm in forma Dei esset, non qui fuisset aliquandò; ut naturae permansionem ostenderet. Esse dicit, aequalem Deo, non fuisse aliquandò; sed semetipsum exinanivit; & illud existens, & hoc factus.* Infrà. 355. *Deus Verbum, incorruptibilis existens, naturâ impermutabilis, factus est caro.* Infrà. 356. *Qui dives est divinitate, pauper fit humanâ paupertate.* Infrà. 357. *Magi ei, qui videbatur, thus obtulerunt tamquàm Deo: non separantes naturam à natura, nec opinione sequestrantes, quod unitum est miraculo semel.*

Philip.2.6.

2.Cor.8.9.

Matth.2.11.

D. Heraclis, vel Abraclius; verè D. Proclus, primùm Cyzici, posteà Constantinopolis Episcopus, anno 434.

P.1. n.1. Parte 1. 358. *Cùm esset in sinu Patris sui, portatus est in utero Virginis, & natus est ex ea.*

P.2. n.1. Ioan.10.18. Parte 2. 359. *Tu Deus meus, & Dominus meus: Tu caelestis, tu terrestris: Tu in Patre in caelo, & tu suspensus super lignum crucis. Tu impassibilis in divinitate, & tu passibilis in carne.* 360. *Tu immortalis secundùm aequalitatem tuam cum Patre; & tu mortalis secundùm aequalitatem tuam nobiscum:*

P.3. n.2. Parte 3. 361. *O templum, in quo Deus Sacerdos fuit, & non transiit à sua substantia, sed in sua Persona induit Sacerdotium secundùm ordinem Melchisedech!* Infrà. 362. *Unus est Christus, verus Deus, & non dividitur in duas substantias* (in originali, *in duos*) *sed apparuit forma servi, & notum fuit, quod esset Deus, cum faceret opus humanitatis: Quia Deus est in substantia sua; Et quandò humanatus est, facta est caro ejus una cum ipso in Persona.* Infrà. 363. *Factum est Verbum Dei homo verus, & non reliquit ex eo substantiam suam, sed cùm esset Deus, factus est homo sine mutatione.* Infrà. 364. *Qui non habet carnem, factus est caro sine mutatione: Qui non habet principium, crevit paulatim in carne. Qui perfectus est in tota substantia sua, quem non tangit infirmitas, suscepit infirmitatem; non in eo, quod erat, sed in carne.*

N.7.

N.17.

N.25.

P.4. n.1. Parte 4. 365. *Deus Verbum factus est homo; & non est mutatus à substantia, sed fecit unionem in opere mirabili.* Infrà. 366. *Deus gloriae impassibilis, & factus est unus cum eo, quod recipit passionem; & it à suscepit crucifixionem.* Infrà. 367. *Ut per unionem fieret passio Deo Verbo.*

N. 4.

P.5. n.2. Parte 5. 368. *Quomodò Verbum Dei homo fuit sine mutatione; & quomodò unum factum est cum eo, quod formavit, sine mixtione; & suscepit Deus formam carnis sine corruptione; & non est mutatus ab eo, quod habet ex aequalitate*

Digitized by Google

N. 7. *sua cum Patre ?* Infrà. 369. *Hic est unus tantùm, & homo verus, & verè æqualis est Patri; & iterùm factus est in nobis sine peccato; & substantia divinitatis ejus non fuit creata.* Infrà. 370. *Est unus Filius, & non dividuntur substantiæ in duas personas, sed mos horribilis facit duas personas unam personam.* Infrà. 371. *Ipse verò non dividitur à Patre, eò quòd incarnatus sit, & humanatus; & non est mutatus, neque permixtus ex eò, quòd homo factus sit. Ipse totus in cœlo, & ipse totus in terra, & existit in omni loco, & non separatur substantia divinitatis ejus.* Infrà. 372. *Fecit miracula sicut Deus, & sustinuit infirmitates, sicut homo, quin mutaretur à propria virtute.* Infrà. 373. *Est Deus in eo, quod habet; & est summus Sacerdos in eo, quod factum est in ipso.*

N. 9.

N. 12.

N. 18.

N. 32.

Ex Epistola ad Armenios. Extrà. Ex Epistola ad Armenios. 374. *Non dicit Evangelista, quòd in hominem perfectum Deus est ingressus; sed factus est caro, naturæ nostræ primordia ipsa contingens.* 375. *Per id, quòd Verbum caro factum est, individuum summæ ipsius adunationis Evangelista declarat. Sicut enim singularitas in duas singularitates dividi non potest (alioquin in has divisa jam non erit singularitas, sed dualitas) ità quod est unum, juxta summam adunationem, nequaquàm in duo poterit ulla ratione partiri.* 376. *Per id autem, quòd formam servi accepit, natura divina immutabilitas intimatur.* 377. *Idcircò per hæc & deitatis incommutabilitatem, & individuum Sacramenti divinâ Scriptura testatur; quod factum est demonstrans, & quod assumpsit, insinuans. Per primum singularitatem Personæ utriusque naturæ commendans; per alterum verò incommutabilitatem substantiæ divinæ pronuntians.* Infrà. 378. *Non igitur alter est Christus, & alter Deus Verbum (quod absit) duos enim filios natura divina non novit.* Infrà. 379. *Sicut Omnipotens & quod erat, mansit propter se; & quod voluit, factus est propter nos.* Infrà. 380. *Idem ipse perficiebat miracula, & in viis sustinebat; per signa quidem divina, mansisse id, quod erat, insinuans; per passiones autem factum, quod formaverat, manifestans.* Infrà. 381. *Nec dicentes, Filium passum, ratione deitatis cum passum sentimus; divinâ siquidem natura nullam recipit passionem.* Infrà. 382. *Sic exinanire se voluit formam servi accipiens, nullam tamen circumscriptionem suæ deitatis admittens.* Infrà. 383. *Deus simul, & homo; non divisus in duos, sed unus permanens. Per id, quòd ex muliere nascitur, hominem se demonstrans; per id autem, quòd ex Virgine, Deum prorsùs insinuans.* Infrà. 384. *Homo secundùm veritatem dicitur Christus, sed homo factus est, quod priùs non erat, nisi tantummodò Deus.* Infrà. 385. *Quemadmodùm est Patri secundùm deitatem consubstantialis, sic idem sanctæ Virgini secundùm carnem probatur consimilis.* Infrà. 386. *Qui descendit, ipse est & qui ascendit. Non enim priùs ascendit, sed descendit, utpote qui non ex promotione Deus est, sed propter misericordiam, quâ indigebamus, homo dignanter est effectus.* Infrà. 387. *Ex quibus est Christus secundùm carnem. Dicit eum ex Iudæis secundùm carnem, ut insinuaret, quia non ex illo tempore, quo fuit incarnatus, existat. Dicit: Qui est super omnia Deus benedictus; Dicit: Qui est, ut eum sine initio declararet.*

Ex Epistola ad Armenios.

Ioan. 1. 14.

Philip. 2. 7.

Eph. 4. 9.

Rom. 9. 5.

388. Ex Oratione de Nativitate. *Beatissima Virgo Maria fuit impollutus, & purus ill. bate virginitatis thesaurus, decus, & ornamentum; unitarum inter se naturarum officina; thalamus, in quo Deus Verbum humanam sibi carnem desponsavit.* Infrà. 389. *Nec solus Deus, nec purus rursùm homo; sed utrumque simul.* Infrà. 390. *Apostolus Thomas in gemina natura subsistentem agnovit; agnitúmque non absque ingenti stupore hujuscemodi voce compellavit: Dominus meus, & Deus meus:* Infrà. 391. *Non hominem deificatum prædicamus, sed Deum incarnatum confitemur. Siquidem qui secundùm propriam naturam matrem nescit, nullumque secundùm dispensationem patrem in terra agnoscit, is propriam ancillam sibi in Matrem accivit.* Infrà. 392. *Unus idemque sine matre est, ut rerum Conditor, sine patre rursùm, ut homo est.* Infrà. 393. *Admiranda quædam communicatio hic intervenit; dato námque spiritu, accepit carnem.* Infrà. 394. *Si alius est Christus, alius item Deus Verbum, jam non Trinitas in divinis erit, sed quaternitas.* Infrà. 395. *Verbum caro factum est, duæque in unum simul coierunt naturæ. At id citra ullam omninò confusionem.* Infrà. 396. *Idem erat in sinu Patris, & in utero Virginis.*

Orat. de Nativitate.

Ioan. 20. 28.

Ioan. 1. 14.

D. Cyrillus Patriarcha Alexandrinus, anno 412.

Testimoniorum D. Cyrilli non inopiâ, sed copiâ laboramus; ideò ex multis pauca seligemus.

Parte 4. 397. *Est Dominus in forma servi, & in ipsa perfecit divinitatem in imagine paupertatis nostræ.* P. 4. n. 4. Ex lib. expositionis Symboli Nic.

Parte 5. 398. *Accepit formam servi, cùm esset in una æqualitate cum Patre.* P. 5. n. 10. Ex eodem libro.

Parte 9. 399. *Invisibilis apparuit, & formam servi accepit; & qui contrectari non potest, contrectatus est; & fecit carnem sibi soli; & non ipsam dividimus, quasi esset vestis; sed interùs est in ipso.* P. 9. n. 1. Ex libro de recta Fide ad Theodosium.

Parte 14. & 24. 400. *Una est substantia cum Patre in divinitate, & una substantia est nobiscum in humanitate; & unio ejus est ex duobus; & ideò unus est Dominus, in quem credimus; & unus Christus, secundùm Fidem unionis sine mixtione.* Ibidem. 401. *Est perfectus Deus, & perfectus homo, qui habet animam rationalem. Priùs natus est à Patre in divinitate; & in novissimo tempore, cùm unus tantùm esset, etiam natus est ex Domina nostra, Sanctissima Virgine Maria in carne.* Infrà. 402. *Æqualis est Patri, & Spiritui sancto in divinitate; & hic unus æqualis est nobis in humanitate; & duæ substantiæ fuerunt unum in unione.* P. 14. n. 6. & P. 24. n. 1. Ex Epist. 28 ad Joan. Antioch. P. 14. n. 2. N. 7.

Parte 21. 403. *Unus est ex duobus, id est, ex divinitate, & humanitate; Propter unionem verò non permiscemus duas substantias; Et præcipuè agnoscimus Dominum JESUM Christum Filium in divinitate, & humanitate per ineffabilem unionem.* Vide lib. 1. cap. 11. n. 12. P. 21. n. 7. ex Epist. 8. ad Nestorium.

Parte 22. 404. *Agnoscimus, illum esse unum ex duabus substantiis, quarum opera differunt. Quia non est unum opus æquale substantiæ divinitatis & substantiæ humanitatis à principio.* Infrà. 405. *Ista, quæ dicuntur de duabus substantiis,* P. 22. n. 6. Ex Epist. 29. ad Acacium.

Digitized by Google

substantiis, declarant Filium esse Deum, & hominem in perfecta unione.

P. 23. n. 4. P. 34. n. 20. 21. Parte 23. 406. *Non est duo, sed unus ex duobus.*

Parte 24. *Non dividitur unus Dominus noster IESVS Christus in duos, Verbum Dei, quod factum est homo, & factum est caro. Et non sicut Heretici stulti cogitaverunt, quòd divinitas, & humanitas invicem alia in aliam conversa sunt, & permixta; vel Deus Verbum conversum est in substantiam carnis, aut substantia carnis conversa est in substantiam divinitatis.* Infrà. 408. *Nos dicimus, quòd Verbum Dei factum est homo sine mutatione.*

Ex sermone in illud: Verbum caro factum est; lib. de Incarn. in fine.

P. 47. n. 34. Ex Epist. 1. ad Success. Parte 47. 409. *Per dispensationem voluntatis suæ voluit homo fieri, & non fuit amota ab eo substantia divinitatis ejus. Etsi demisit se ad nostram mensuram, & induit formam servi, ità etiam ipse persistit in altitudine divinitatis suæ, & substantia principatus sui.* Infrà. N. 41 410. *Non est permixtus, neque mutatus.* Infrà. N. 46. 411. *Noluit sibi ex puris, ex substantia divinitatis suæ carnem sumere; sed sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria, Domina nostra. Aliter verò quomodò factus fuisset homo, nisi sumpsisset carnem, & unionem cum illa.* 412. *Et in forma hominis operatus est in conjunctione duarum substantiarum in unione sine divisione, mixtione, & mutatione; quia caro caro est, & non divinitas. Et si Deus factus est caro, Verbum adhuc Deus est, & non caro.* Infrà. 413. *Quantùm corde cogitamus, & oculis animarum nostrarum videmus similitudinem carnis Unigeniti, dicimus, duas substantias convenisse ad unionem unius Christi.* Infrà. 414. *Et quando hoc videmus, agnoscimus, Christum Dominum esse unum, qui factus est ex duabus substantiis, quæ convenerunt inter se, & post unionem non separantur.* Infrà. 415. *Non est bonum dici, carnem terrenam pervenisse ad divinitatem per mutationem, quia hoc fieri horrendum est.*

N. 42. N. 52. N. 56. N. 67.

P. 48. n. 3. Ex Epist. 2. ad Success. N. 19. Parte 48. 416. *Qui dicit, Verbum carnem factum esse, significat non esse idem cum Verbo.* Infrà. *Non dividitur in duas personas* (falsò additum, *& duas substantias*) *sed permansit in priori opere, cùm unus sit: non sine carne, nec exclusus à carne; sed quia caro ejus est per unionem, in qua non est divisio.* Infrà. 417. *Substantia Unigeniti non est conversa in substantiam carnis, neque caro in substantiam Verbi; sed unaquæque firma est in sua substantia, & in sua proprietate.*

N. 23.

P. 51. n. 3. ex Epist. 11. anathem. Parte 51. 418. *Quando dicimus, ipsum factum fuisse hominem, non est mutata substantia humanitatis ejus in esse divinitatis, sed idem ipse est perdurans in sæculum.*

P. 52. n. 13. Ex lib. ad Reginas. 2. Cor. 8. 9. Parte 52. 419. *Qui verè est dives in sua divinitate, factus est pauper propter nos voluntate sua, & assimilatus est nobis, ut substantia hominis esset in gloria celsitudinis divinitatis in Christo IESV.* Infrà. 420. *Dicimus, ipsum Dei Verbum participasse carni, & sanguini, & factum fuisse hominem sicut nos, & permansisse in proprio opere in divinitate sua.* Infrà. 421. *Propter quid esuriit, nisi tantùm, ut declararet, quod ipse sit ex duabus substantiis; quia est Deus, & homo? Declaravit, quod ipse unitus sit bona unione. Ipse idem perseverat in sua divinitate, & ulterius in humanitate, sicut est Dominus in substantia sua.* 422. *Et si fuit in forma servi, tamen permanet in opere, in quo prius erat.*

N. 31. Heb. 2. 14. N. 116. Matt. 4. 2.

Extra Haymanot Abbau. 423. *Sicut ab operibus verus Deus cognoscitur, sic necesse erat à convenientibus homini dictis, atque operibus Caddo etiam, & passionibus, in quibus nulla delicti suspicio invenitur) ut verus homo cognosceretur.* 424. *Utrumque igitur in ipso cernimus. Interrogabat enim ut homo: Ubi Lazarus positus erat? Imperabat autem ut Deus, ut à mortuis rediret. Et Matri: Quid mihi, & tibi est mulier? ut homo dicebat; & aquam in vinum, ut Deus convertebat.* 425. *Duarum igitur naturarum suarum cognitio, & dictis, & factis necessariò facienda erat.* Infrà. 426. *Ità factus est verus homo, ut verus esse Deus non amiserit (nec enim aliter nostrum genus salvari poterat) ne quis audiens, ipsum factum esse hominem, mutatum esse Verbum Dei in naturam nostram putaret; aut aliud factum, quàm esset semper, ut tertium, quid, verbi gratia ex Deo, atque homine compositum. Hac de causa necessariò modò more hominum & loquitur, & facit sine delicto; modò ut verus Deus, ut utrumque ipse esse intelligatur.* 427. *Ideò permittebat, ut natura hominis, quæ in ipso erat, absque peccato passionibus nostræ naturæ moveretur. Operabatur autem etiam plerumque ut Deus, dicebatque ad credentes: Si mihi non creditis (quia videlicet hominem videtis) operibus credite, ut cognoscatis, quia ego in Patre, & Pater in me est. Et: Ego, & Pater unum sumus. Quæ igitur Deo conveniunt dicta, factaque, Deum verum esse demonstrant; quæ autem homini, verum hominem. Hoc enim Fidei Catholicæ præcipuum mysterium est.* Et infrà. 428. *Nos articulum esse Fidei maximum; imò fundamentum non ignoramus, verum ipsum Deum esse, ut Verbum Patris, & hominem verum, quia se ipsum exinanivit formam servi accipiens. Discernantur ergo ejus dicta, & facta; & cum audies: Ego, & Pater unum sumus, unam Patris, & Filii deitatem intellige; & Filium ex Patre nasci æternaliter credas. Et rursùs quando audis, quòd flevit, quòd timuit, quòd doluit, hominem quoque verum esse cognoscas; & naturæ hominis hæc attribuas. Mortale namque corpus assumpsit omnibus passionibus naturæ nostræ subjectum, peccato semper longè remoto.* 429. *Convenienter igitur, quoniam idem homo verus est, & Deus verus est, hominis passiones sibi attribuit propter personalem identitatem: sic dicimus etiam, Deum passum, crucifixum, mortuum, & sepultum. Quæ omnia, ut homini sibi, non ut Verbo attribuuntur.*

Lib. 10. Thes. c. 2. Ioan. 11. 34. 43. Ioan. 2. 4. 9. Cap. 3. Ioan. 10. 38. Ioan. 10. 30. Ibidem. Phil. 2. 7.

430. Capite 7. ejusdem libri. *Unus perfectò Dominus IESVS Christus, non duo; & unus hypostaticè, atque personaliter in duabus naturis. Deus enim hominem assumpsit, atque induit; & ideò Verbum dicitur caro factum.* Vide ejusdem testimonium suprà c. 22. n. 12. ex lib. 12. Thesauri cap. 10.

Ioan. 10. 30. Ioan. 11. 35. Marc. 14. 33. Cap. 7.

431. Ex libro ad Theodosium Imperatorem. *Alia carnis, alia rursùs Verbi est natura.* Quam sententiam repetit Epistola 30. ad Eulogium. Infrà. 432. *Mediatorem Dei, & hominum secundùm Scripturas dicimus constitutum esse ex humanitate nostræ simili, quæ perfecta sit juxta propriam rationem; & ex eo, qui secundùm naturam apparuit, Filio; hoc est, Unigenito. Asserimus autem concursum quendam; & conventum suprà ratione in unione inæqua-*

Lib. ad Imperat. Theodos. 1. Timoth. 2. 5.

Digitized by Google

lium, & dissimiliũ naturarũ. Infrà. 433. *Mens quidem naturarũ diversitatem contemplatur, neque enim idem est deitas, & humanitas. Simul autem de his considerationes admittit, & utriusque in unitate copulam.* Infrà. 434. *Neque spoliantes deitate humanitatem, neque humanitatem Verbo post ineffabilem, & inenarrabilem unionem; sed unum, & eumdem confitentes Christum ex duabus rebus constitutum in unum quoddam, quod ex duobus ineffabiliter apparuit, secundùm unionem, scilicet, summam, & non secundùm naturarũ conversionem, aut confusionem.*

Epist. 28. ad Joannem Antiochen.

435. Epistola 28. Ad Joannem Antiochenum. *Unus est Dominus IESVS Christus, quamvis naturarum differentia, è quibus inexplicabilem illam unionem factam dicimus, neutiquam ignoretur.* Ibidem 436. *Siquidem duarum naturarum facta est unio.* Epistola 29. ad Acacium.

Epist. 29. ad Acacium.

437. *Nam etsi duarum naturarum unionem factam prædicemus, admirabilémque disparium rerum coitionem divina dispensatione accidisse, verè agnoscamus; unum tamen Christum, & unum Filium, & unum Dominum perspicuè profitemur.* Infrà. 438. *Naturarum, vel substantiarum discrimen observandum est. Non enim idem sunt secundùm naturalem qualitatem divinitas, & humanitas.* Infrà. 439. *Duo illa, quæ inexplicabili ratione citra confusionem inter se unita sunt, mens humana neutiquam disjungit.*

Lib. de Incarnat. c. 11.

Libro de Incarnatione cap. 11. *Conveniens erat, ut incorruptibilis natura apprehenderet corruptibilem.*

Cap. 12.

Cap. 12. 441. *Non discernendum igitur unum Dominum IESVM Christum in hominem seorsùm, & Deum seorsùm; sed unum, eumdémque IESVM Christum esse dicimus; non ignorantes differentiam naturarum, sed eas inconfusas inter se servantes.*

Cap. 26.

Cap. 26. 442. *Nuncupatus est primogenitus, & unigenitus;*

Joan. 1. 18.

& est ipse & hoc, & illud. Sed quomodo? Ergo secundùm aliud, & aliud. Primogenitus enim,

Rom. 8. 29.

ut inter plurimos fratres propter humanitatem; Unigenitus porrò idem, & solus ex solo Patre natus, & Deo.

Epist. 1. ad Successum.

Epistola 1. ad Successum. 443. *Sustinuit autem etiam Crucem, carne sua mortem, non naturâ deitatis accipiens, ut primogenitus ex mortuis fieret, & iter humanæ naturæ faceret ad immortalitatis excursum.*

Rom. 8. 29. Apoc. 1. 5.

Epistola 2. 444. *Duarum námque naturarum unitionem factam prorsùs asserimus, verumtamen unum Christum, unum Filium, unum Deum rectissimè confitemur.* Ex Epistola ad Monachos Ægypti. 445. *Deus Verbum ineffabili modo ex Dei, ac Patris essentia genitum, humanâ naturâ acceptâ honore quidem illam affecit, propriam tamen excellentiam non amisit; & nihilominùs in assumpta humanitate mansit Deus.*

Phil. 2. 7.

Ex libro ad Reginas. 446. *Ubi ad exinanitionem se demisit, servilíque forma se induit, humiliatus prædicatur; sed ità ut naturæ sibi unitæ, hoc est, humanæ, paupertatem transcendens à propriæ naturæ divitiis nequaquàm deficeret.*

Matt. 4. 2.

Infrà. 447. *Ob quam causam quæso, esuriit? Ob eam nimirùm, quo aptè per utrumque Deum simul, & hominem se esse declararet. Unus igitur, idemque supra nos est, & secundùm nos est; hoc quidem secundùm humanam, illud verò secundùm divinam naturam.*

Arcaos, ignotâ patriâ, & ætate.

Arcaos, Abib, & Joannis Burles, seu Burlæi nec patriam, nec ætatem assequi potuimus; sed eos, cùm nullo errore fædentur, Catholicis Scriptoribus adnumeramus.

Parte unicâ. 448. *Quando carnem suam ex mortuis suscitavit, amplius non moritur; quia fecit eam immutabilem, & incorruptibilem, unitam divinitati suæ.* P. unicâ n. 3.

Abib, etiam ignotus.

Parte 1. 449. *Filius, Verbum Dei ex Sanctissima Virgine Maria sumpsit carnem, & apparuit in ipsa inter nos.* P. 1. n. 2.

Parte 2. 450. *Fuit velum divinitatis in illa carne, quam sumpsit ex nobis. Dicitur, ipsum mortuum fuisse in carne sua, & non in divinitate sua.* P. 2. n. 3.

451. *Mors autem ejus in carne fuit ex divisione animæ ejus à carne, quæ creata fuit. Sed divinitas separata non fuit ab ejus anima, & corpore; sed semper ipsis unita fuit.*

Joannes terræ Burles in Anathematismis.

Anathemat. 8. 452. *Si quis dicit, carnem Filii Dei esse è cœlis, & illam secum de cœlis detulisse, anathema sit.*

Anathemat. 9. *Si quis non credit, Dei Filium esse incarnatum cum anima rationali, & intellectuali sine transitione, & factum esse hominem Dei Verbum; anathema sit.*

Abass. Aure bibi attonitâ testimoniorum à te congestorum torrentem nullius falsitatis corrivatione cænosum. *Rom.* Exiis pernosces, turbidis Nili, hoc est, Ægypti, atque Alexandriæ fluentis contaminatos esse pellucidos Divorum, Agnatei, Athanatei, Abolidis, Basilii, Nysseni, Heraclis, Aforosii, Joannis Jerosolymitani, Nazianzeni, Chrysostomi, & Cyrilli fontes, ut simul ex ipsis & Salvatoris duarum naturarum liquor effluat, & tabificum unius toxicum, quod in illos perfidus aliquis venenarius induxit. Quî enim fieri potest, ut duas naturas D. Agnateus probris incesserit, cùm eas hoc capite à n. 5. ad 19. commendet? Quod latiùs præstat D. Athanateus à n. 87. ad 121. Ubi n. 104. 105. & 115. speciatim meminit duarum naturarum; sicut & duarum perfectionum cap. 11. n. 1. similiter D. Abolidis n. 113. 114. 115. 116. D. Basilius n. 147. 148. 151. 152. 153. D. Gregorius Nyssenus n. 253. 255. 256. 258. 262. 263. 265. 267. 270. 271. 272. Heraclis n. 360. 377. 385. 388. 390. 395. D. Aforosius n. 223. 225. 228. 230. 232. 233. 241. 252. Joannes Jerosolymitanus n. 273. 274. D. Gregorius Nazianzenus n. 159. 160. 176. 179. 188. 194. D. Joannes Chrysostomus n. 303. 309. 315. 317. 318. D. Cyrillus n. 398. 400. 402. 403. 404. 405. 412. 413. 416. 424. 425. 426. 430. 431. 433. 436. 440. 444. Cùm ergo hi Patres vel in ipso vestro Libro pro duabus naturis acriter decertent, nemo sanæ mentis credere potest, ipsos vel ità esse incogitantes, ut dictorum à se in eadem pagina obliviscantur; vel ità præcipites, ut sibimetipsis adversentur.

CAPUT

Digitized by Google

CAPUT XXV.

Rationibus probatur, duas in Christo esse naturas.

Ratio præstat auctoritati.

1. *Baſſ.* Ulteriùs cumulandarum auctoritatum labori parce, & rationibus aliquibus conferendis, quibus probetur, duabus Chriſtum vernare naturis, incumbe. *Rom.* Operam avarè non ſubducam, memor dictum à D. Auguſtino: *Ad diſcendum dupliciter ducimur: auctoritate, atque ratione. Tempore auctoritas, re autem ratio prior eſt. Et quamquàm bonorum auctoritas imperitæ multitudini videatur eſſe ſalubrior, ratio tamen aptior eſt eruditis.* Cudendis verò novis rationibus non inſiſtam, ſed eas, quæ ſparſæ ſunt toto hoc Opere, & hoc potiſſimùm libro, in compendium vocabo, te ad ea loca, in quibus prolixiùs diſcutiuntur, remittens.

D Auguſt. lib. 2. de Ordine, cap. 9.

In Chriſto eſt duplex forma, divinitatis, & humanitatis; ergo duæ naturæ. *Philip.* 2. 7. *Coloſſ.* 2. 9. *Ioan.* 1. 14. D. Ignat. p. 1. n. 21. *Philip.* 2. 7. D. Cyril. p. 48. n. 56.

2. *Abaſſ.* Quænam prior eſt ratio? *Rom.* In Chriſto eſt divinitas; quia *in forma Dei erat*, & in ipſo habitabat *plenitudo divinitatis*; eſt præterea humanitas; *quia Verbum caro*, ſive homo *factum eſt*. Ergo duæ naturæ. Nam *divinitas eſt natura Trinitatis*, ut ait D. Agnateus. Et *forma ſervi*, hominum natura. *Hæc* verò ex D. Cyrillo, *eſt caro habens animam rationalem*. Qualem in eo oſtendimus cap. 7. & 8. Lege cap. 11. num. 3.

A partium enumeratione probatur, non eſſe unam in Chriſto naturam.

3. *Abaſſ* Secundam pertexe. *Rom.* Quæ inſinuata eſt cap. 16. à num. 1. Si in Chriſto una tantùm natura viſitur; vel hæc eſt ſola humana, vel ſola divina, vel compoſita ex utraque. Si eſt ſola humana, purus homo erit, contra id, quod eſt ſtatutum cap. 6. num. 10. Si ſola divina, fumeum eſt totius Incarnationis opus, cùm Chriſtus hominis ſibi larvam induxerit, non naturam: neque natus ex Virgine dici poteſt, neque mortuus, & ſepultus, cùm his omnibus, atque ſimilibus divina natura ſit ſublimior. Si compoſita eſt ex utraque, vel ità eſt compoſita, ut divina adhuc maneat divina, & humana humana ſine mutatione, ut neceſſariò manere debent ex dictis cap. 17. num. 2. & ex Patribus citatis cap. 24. num. 20. 21. 44. 45. 48. 72. 76. 91. 120. 127. 154. 155. 180. 182. 202. 214. 220. 276. 277. 284. 291. 298. 324. 344. 354. 365. 368. 370. 376. 379. 407. 408. 409. 410. 412. 417. 420. 426. 441. 445. 453. Si ità manet, non ſunt una, ſed duæ. Vel ità, ut divina ſimul, & adæquatè ſit eadem numero cùm humana, & humana cum divina; vel ità, ut numero differant, ſint tamen inter ſe æquales, ut veſtratum plurimi loquuntur. Si divina ſimul, & adæquatè eſt eadem cum humana, & humana cum divina, nullum eſt inter Creatorem, & creaturam diſcrimen; cùm doceat D. Cyrillus: *Omne creatum aliud penitùs natura eſt, quàm increatum. Eſt autem*, inquit D. Athanateus, *ſola illa ſancta deitas Trinitatis increata.* Humanitas verò creata eſt, ut cap. 6. num. 12. At *creatitiam hominum conditionem* (addit eodem loco D. Athanateus) *non unitione Verbi propriam fieri, ſed coæternam Dei naturæ fuiſſe, exæquatam identitate naturæ, impium eſt cogitare.* Si autem divinitas, & humanitas inter ſe numero differant, ſint verò inter ſe æquales, quatuor perſonis Trinitas exuberabit. Si enim, quòd Filius æqualis ſit Patri, & Spiritus Sanctus Patri, ac Filio, tres Perſonæ cenſentur, quatuor ſunt numerandæ, ſi humanitas æqualis eſt divinitati. De quo actum hoc libro, cap. 12. n. 12. & cap. 21. num. 3.

D. Cyril. lib. 6. Theſ. cap. 2. D. Athan. lib. 6. de Incarnat. Verbi. carnat. Chriſti.

Si in Chriſto eſſet una natura, daretur in eo converſio, mutatio, aut mixtio.

4. *Abaſſ.* Adde, tertiam rationem. *Rom.* Si ex duabus Chriſti naturis una fieret per conſubſtantiationem, vel eſſentiæ identitatem, ambas confuſio percelleret; quod negant Patres citati cap. 17. num. 4. Si autem confunderentur, admittenda eſſet tranſitio, vel converſio, vel mixtio, quas Patres ibidem num. 3. 6. & 7. ab hoc myſterio quàm longiſſimè propellunt. Si enim tranſitio, vel converſio permitterentur, natura divina (quod fœdum eſt dictu) mutabilis redderetur, ut ibidem num. 5. Si autem mixtio; tam divina, quàm humana in tertiam quamdam migrarent, quæ neutra ipſarum eſſet; nec Chriſtus Deus, & homo, ut ibidem num. 8. Tertiam verò naturam in Chriſto ſingillatim damnant Patres citati cap. 16. num. 2.

Verbum eſſet humanitas, & humanitas Verbum.

5. *Abaſſ.* Cedo quartam. *Rom.* Si divinitas, & humanitas una eſſent in Chriſtó natura, Verbum eſſet corpus, & corpus Verbum contra id, quod ſanximus cap. 7. num. 5. & cap. 19. num. 4. & 5. divinitas eſſet mortalis, temporaria, certo loco affixa, & paſſionibus obnoxia; humanitas immortalis, æterna, immenſa, & inviolabilis. Quæ abſurda licèt Apollinariſtæ, & Eutychiani devorent, Sancti Patres ut meram inſaniam deteſtantur; de quo lib. 6. cap. 4. & 8.

Si in Chriſto una tantùm natura, una quoque foret eſſentia.

6. *Abaſſ.* Quintam propone. *Rom.* Si una Chriſti eſſet natura, una quoque illius foret eſſentia; nam eſſentiam, & naturam idem eſſe lib. 2. cap. 6. num. 5. indicavimus. Sua autem eſſentia ſic rei cuique eſt intrinſeca, ut non ſolùm eâ totâ, ſed qualibet ipſius parte ablatâ, penitùs dilabatur. *Vt ſi corpus, vel animam tollas*, inquit D. Aroſius, *totam hominis naturam ſuſtuliſti.* Si ergo humanitas ad Verbi naturam attineret, eâ demptâ, ipſius eſſentia labefactaretur; quod ſacrilegum eſt, atque blaſphemum.

D. Ambroſ. lib. de Incarn. Dom. Sacram. cap. 3.

Si una natura eſſet, humanitatis acceſſu divinitas diſſiparetur.

7. *Abaſſ.* Sextam attinge. *Rom.* Cùm natura aliqua perfecta eſt, ſi ei quidquam unione naturæ copulatur, prior eſſentia interit, & nova quædam aſciſcitur. Ut cùm vegetativæ plantarum naturæ ſenſitiva apponitur, vegetativa in animalis naturam commutatur. Hæ autem in humanam, vel equinam, ſi eidem rationabilitas, vel hinnibilitas adjiciatur. Cùm ergo divina natura ab æterno ſit perfectiſſima, ſi eidem humana naturæ unitate colligaretur, in tertiam aliquam, quæ nec divina eſſet, neque humana, tranſiret. Prætereà, tertia illa

D. Thom. 4. contr. Gent. c. 35 num. 6.

Digitized by Google

Natura illa multis individuis communis esset, non Christi peculiaris.

natura ex priori essentia, & posteriori additamento conflata, communis est pluribus individuis sub ea contentis; ut natura equina omnibus equis, humana omnibus hominibus. At ex divinitate, & humanitate copulatis nulla natura pullulat, quæ suâ communitate plura individua complectatur. Si enim Verbum Petri, vel Pauli, vel etiam columbæ, aut leonis naturas sibi sociaret, non ideò alius esset Christus, vel aliud Verbum, sed idem, quod nunc est, ob Personæ unitatem.

Ex duabus naturis perfectis una effici non potest.

8. *Abass.* Septimam subjice. *Rom.* Ex duabus rebus perfectis sivè ultimatè, sivè in certo genere, si in sua integritate perennent, in eodem genere, in quo sunt perfectæ, una fieri non potest, quæ veram servet unitatem. De perfectis ultimatè egi lib. 2. cap. 7. num. 6. & cap. 8. num. 6. 7. 12. & 17. De perfectis in certo genere, ibidem cap. 11. num. 2. & suprà cap. 17. n. 12. Quia quidquid perfectum est, totum est; totum autem, quà totum (maximè si sit ultimatum) in veram cujuslibet alterius totius unionem venire non potest. Si autem non sit ultimatum, sed in certo genere, acciri potest in compositionem alicujus rei, ad quam, tamquàm ad finem ultimatum, non ut totum, sed ut pars ipsius ordinatur; non autem in compositionem aliarum rerum, quarum respectu ipsa totum est. Cùm ergo quælibet Christi natura perfecta sit, quælibet respectu alterius totum est, nec potest cum illa ad unam naturam componendam; potest tamen cum Persona, cujus utraque pars est, coire.

Si una tantùm natura esset, Pater cælestis hominibus, & homines Patri consubstantiales essent.

9. *Abass.* Octavam perstringe. *Rom.* Res secundùm naturam consubstantiales dicuntur, ut Petro Paulus, & Paulo Petrus. Christus autem dicitur consubstantialis Patri suo, ut cap. 4. num. 4. ostensum. Est etiam consubstantialis Beatissimæ Virgini Matri suæ, & aliis hominibus, ut cap. 6. num. 6. & 7. Si ergo una est in Christo natura, in qua Patri, & hominibus consubstantialis est, Patris etiam natura, quæ eadem est cum natura Verbi, eadem erit cum natura humana; & Pater cæteris hominibus, & cæteri homines eidem erunt consubstantiales; quod absurdum vitandum ex Patribus probavimus cap. 21. n. 2.

Ubi datur unio, duæ res debent intercedere.

10. *Abass.* Nonam subjunge. *Rom.* Incarnationis opus vocatur unio, ut cap. 2. n. 12. Ubi autem datur unio, duo debent intercedere; nam unio est ex duobus, ut cap. 18. num. 4. & 5. Est autem unio, non in natura, sed in hypostasi; & ideò hypostatica nominatur, ut cap. 3. num. 4. cap. 18. num. 11. 12. Nam duæ naturæ immutabiles citra confusionem, conversionem, & mixtionem perseverant, ut cap. 17. per totum, cap. 18. n. 7. Si autem una tantùm esset natura, naturalis unio, non hypostatica diceretur; si autem naturalis esset, duæ naturæ in unam coeuntes in tertiam quandam conspirarent; & unio radicitùs extirparetur.

Duæ naturæ suas in

11. *Abass.* Decimam persolve. *Rom.* Divinitas, & humanitas in Christo suas servant differentias, ut cap. 19. num. 1. & 2. suas item proprietates, ut cap. 20. num. 1. Quarum ratione non sunt idem, sed quiddam, & quiddam, aliud, & aliud; hoc est, alia, & alia natura; & utrumque, ut cap. 19. num. 5. 6. 7. 8. & 9. Non sunt ergo una natura.

Christo servant differentias; non ergo sunt una.

Mediator dicitur Christus, quia medius est inter duas naturas. 1. *Timoth.* 2. 5. D. August. lib. de Ovibus.

12. *Abbass.* Ad undecimam vellicator. *Rom.* Christus Dei, & hominum est Mediator; non solùm, quia hominum advocati apud Patrem munere fungitur, sed quia medius est inter homines, & Deum. Quod autem medium est, aliquid de utroque extremo participat, ut D. Irenæus, Augustinus, Chrysostomus, & Cyrillus, cap. 22. num. 12. Divinam ergo à Patre, naturam, humanam à Matre participat; atque ità, ut ait ibidem D. Augustinus: *Inter humanitatem solam, & divinitatem solam mediatrix est humana divinitas, & divinita humanitas.*

De Christo contraria dici non possent, nisi duas naturas haberet. D. Thom. 4. contra Gent. c. 39.

13. *Abass.* In duodecima conquiesce. *Rom.* Hæc à D. Thoma Aquinate mutuata, cæterarum basis esse potest. De eadem re contraria dici non possunt, nisi formarum, aut partium diversitatem in se contineat. De Christo autem, & ipsius Persona, quæ una est, & eadem, contraria dicuntur. Nam æqualis est Patri, & Patre minor, increatus, & creatus, immortalitatis, & mortalis, immensus, & loco contentus, & alia infinita. Ergo dandum est in eo aliquid, cujus ratione sit æqualis, increatus, immensus, & immortalis, loco contentus, & minor. *Numquid enim*, ut diximus, cap. 21. num. 12. ex D. Aforosio, *minor, & æqualis per eamdem naturam esse posset? Sed aliud ad divinitatem refertur, aliud ad carnem.* Cùm igitur Christi Persona composita sit, ut cap. 12. num. 13. composita autem ex duobus contrariis, ut loquuntur D. Ephrem, cap. 24. n. 133. D. Gregorius Theologus, n. 159. 167. & 176. D. Cyrillus, num. 432. 435. 437. & 441. id est, ex divinitate, & humanitate, possunt de eadem contraria affirmari.

D. Ambros. lib. 5. de Fide. cap. 7.

CAPUT XXVI.

Non est in Christo una natura composita, sicut in homine ex anima, & corpore.

Monophysitarum hæresis corporis, & animæ similitudine abutitur.

1. *Bass.* Quamvis in ea, quæ à te totoque hoc libro dicta sunt, pleno assensu propendeam, potestatem facito tria tibi dubia proponendi, quæ nostratum aliqui tela rentur indeclinabilia. E quibus illud primum. Si ex eò, quòd una sit in Christo Persona ex humanitate, divinitatéque composita, contraria de eo affirmantur, & locum habent cætera, quæ præcedenti ex capite prosecutus, idem omninò continget, si composita in eo natura, sicut in homine ex corpore, & anima, statuatur. Hujus enim ratione Petrus dicitur spiritualis, & corporalis; mortalis, & immortalis. *Rom.* Non sensim in Monophysitarum placita sublaberis,

Digitized by Google

ris, sed pleno in ea sinu vela tendis. Quod enim modò asseris, primò asseruit illorum auctor Joannes Philoponus; quem cap. 14. n. 7. septimum Eutychianæ belluæ caput demonstravi. Eúmque eodem corporis, & animæ usi exemplo secuti sunt pari ægritudine laborantes, Theodosius Alexandrinus, Joannes Antiochenus, Mennas, & Senuteon.

Theodos. p. 3. n. 8. Joan. Antioch. p. 1. n. 3. Mennas, n. 12. Senuteon p. 1. n. 8.

2. *Abass.* Non ii soli, quos in hæreticorum grege Romana censet Ecclesia, sed Patres Apostolici corporis, & animæ similitudine divinitatis, & humanitatis in Christo unionem expresserunt. Nempè, D. Agnateus p. 1. n. 14. D. Gregorius Taumaturgus p. 1. n. 19. D. Abolidis p. 1. n. 12. p. 3. n. 5. D. Cyrillus p. 23. n. 4. p. 47. n. 48. 57. p. 50. n. 13. 14. *Rom* Ut per modicum tempus missum faciamus commentitium divinitatis, & humanitatis in unam naturam confluxum, iidem, quos laudasti, Patres, & alii, qui ad exactiorem stateram verba trutinantur, in corpore, & anima non unicam, sed duplicem naturam dispexêre. D. Agnateus, *Anima tua est alia à carne.* D. Justinus: *Vnus homo est, sed in se duas dissimiles naturas continet; & alia quidem cogitat; alia, quod cogitatur, exequitur, & perficit.* D. Gregorius Nazianzenus in Oratione de Baptismo: *Cùm duplici natura constemus*, ideest, animâ, & corpore, *alterâ quidem sub aspectum cadente, altera autem oculorum obtutum fugiente, duplex quoque est baptismus; nempè, per aquam, & spiritum.* Alibi: *Deus, & homo duæ naturæ sunt, quemadmodùm & anima, & corpus.* D. Aforosius; *Homo ex anima rationali constat, & corpore; si alterum tollas, totam naturam hominis sustulisti.* D. Cyrillus. *Sunt sanè anima, & corpus naturæ diversæ, at duo hæc inter se conjuncta unum animal efficiunt*: Alibi: *Compositi ex anima constamus, & corpore, duasque intuemur naturas, alteram corporis, alteram animæ.* Alibi: *Hæc alterutrum sivi specie differunt, nec unius essentiæ comprobantur.* Infrà: *Duas in homine cognoscimus esse naturas; animæ unam, & corporis alteram.* Alibi: *In homine alia est corporis, alia animæ ratio.* Vides ergo tua in te tela converti, tuóque tuum guttur gladio transfigi.

D. Ignat. p. 1. n. 17. D. Iustin. lib. de recta Confess. D. Greg. Naz. orat. 40. & 51. D. Ambros. lib. de Incarn. Dom. Sacram. c. 2. D. Cyril. P. 51. n. 38. in exposit. 3 Anathem. P. 47. n. 55. ex Epist. 1. ad Successum Epistola 2. P. 48. n. 52. 53. 54. Epistola ad Monachos Ægypti.

3. *Abass.* Unum adhuc, transverberato gutture, verbum emittam. Duæ illæ corporis, atque animæ naturæ ità inter se sunt diversæ, ut tamen conjunctæ unum animal efficiant; quæ verba sunt D. Cyrilli à te modò producta. Quodvis autem animal unum est essentiâ, & naturâ. Quod esse non posset, nisi corpus, & anima unam essentiam, naturámque conflarent. *Rom.* Negari non potest, unam ex corpore, & anima naturam secundùm compositionem compingi. Sic enim expressè D. Cyrillus: *Non de solis tantùm simplicibus per naturam unum specialiter dicitur; sed etiam de iis, quæ juxta compositionem aliquam convenerunt. Vt est, verbi gratia, homo, qui ex anima constat, & corpore.* Alibi: *Nonne anima humana diversam à carne sortita est naturam? Est sanè. Verùm physica compositione carni unita unum, & illud quidem ratione præditum animal, ideest, hominem, absolvit.* Sunt ergo corpus, & anima, si unum quodque in se ipso consideretur, duæ naturæ (idque posteriores Patres innuunt) sed juxta eos, quos invexisti, & multos alios una natura ratione compositionis, & convenientiæ. Quatenus omnes homines unum sunt in corporis, & animæ participatione; sicut unius legionis milites unum sunt in paribus venabulorum, & clypeorum insignibus, quamvis clypei, & venabula in se ipsis diversa sint.

Corpus, & anima unum sunt compositione, & communi convenientia. D. Cyril. Epistola 2. ad Success.

Lib. de rect. Fide ad Regin.

4. *Abass.* Si duæ illæ corporis, atque animæ naturæ, cùm in se diversæ sint, in unam hominis compositam naturam coëunt, cur non possint divinitas, & humanitas in unam compositam naturam copulari? *Rom.* Divinitatis in Christo, & humanitatis unionem sex, eæque vastæ admodùm dissimilitudines à corporis, & animæ in unam naturam copula secernunt. Quarum prima est illa, quam superiori cap. n. 8. proposui. Corpus, & animam in genere humanæ naturæ partes esse imperfectas, & incompletas; divinitatem, & humanitatem (licèt in genere personæ, quam componere possunt, incompletæ sint) in suo quamque genere perfectam esse, completámque naturam. Ex duabus autem rebus in aliquo genere completis (licet in alio sint incompletæ) unum in eodem fieri non potest. Nam etiam ex duabus animabus in animæ statu perfectis, & in sua integritate permanentibus (idem de corpore censeto) una effici non potest; at ex corpore, & anima, in ordine ad humanam naturam, cujus plenitudine destituuntur, unus potest homo prodire.

Ex corpore, & anima una natura effici potest, quia sunt partes incompletæ illius.

5. *Abass.* Quæ altera est dissimilitudo? *Rom.* Hanc etiam cap. 16. num. 2. insinuavi. Natura, quæ ex animæ, & corporis nexu consurgit, non est anima, nec corpus; sed quid tertium, quod hominis nomine designatur. At in divinitatis, & humanitatis congressu Christus visitur, in quo nihil est tertium; sed divinitatis gratiâ Deus, humanitatis ergo homo appellatur.

Natura constans corpore, & anima, quid tertium est ab illis, non ità Christus

6. *Abass.* Tertiam dissimilitudinem producito. *Rom.* Natura, quam ex corporis, & animæ societate nostra cogitatio educit, non est singularis (id verò in omnibus naturis visitur) sed universis ejusdem generis, vel speciei individuis communis. At quævis ea natura sit, quæ ex divinitatis, & humanitatis complexu oriatur, non in plures vulgatur (neque enim datur communis Christorum species) sed in solo Christo sistit, cum ipse dicat: *Magister vester, unus est Christus.* Si ergo unus est ex divinitate, & humanitate Christus, illarum unio fit in Persona, non in natura; quia Christi nomen non est naturæ, sed Personæ in divinitate, & humanitate subsistentis, ut lib. 1. cap. 1. n. 3. indicatum.

Natura ex corpore, & anima consurgens, multis est communis; quod Christi natura esse non posset. D. Joannis Damasc. l. 3. de fide, c. 6. & lib. de Nat. compos. *Matt.* 23. 10

7. *Abas.* Quarta se prodat dissimilitudo. *Rom.* In ea natura, quæ multis est communis, non in aliqua ipsius parte sibi sunt invicem consubstantialia ejusdem generis, vel speciei individua. Neque enim Petrus Paulo, vel Paulus Petro consubstantialis

Christus Petri, & hominibus consubstantialis non esset, si ad illam typum una in eo natura reperiretur.

Digitized by Google

est in solo corpore, vel in sola anima, sed in utroque. Si ergo Christus naturam compositam haberet, in ea tota; id est, tam in divinitate, quàm in humanitate, & Patri, & Matri, atque aliis hominibus esset consubstantialis. Quòd si daretur, & Pater hominibus, & homines Patri consubstantiales essent. Quæ enim sunt eadem uni tertio (sicut Pater, & homines unum sunt cum Christo, sed ratione diversarum naturarum) sunt eadem inter se. Ergo consubstantialis est Christus Patri in sola, ac tota divinitate; & hominibus in sola, ac tota humanitate, ut cap. superiori n. 9. non in unica natura composita.

Ex corpore & anima, hominis persona erumpit; nos ita in Christo ex divinitate & humanitate.

8. *Abaſſ.* Index esto quintæ dissimilitudinis. *Rom.* Ex corporis, & animæ colligatione non solùm natura hominis subsultat, sed etiam personæ, ad quam ipsa natura ordinatur, ut suprà cap. 3. n. 4. *Persona hominis*, inquit D. Augustinus, *unio est animæ, corporis.* Ut ergo Christi Persona, quæ ab æterno fuit, ex divinitatis, & humanitatis coitione non defluxit, sic nulla fuit necessitas tertiam naturam ex utraque compositam comminiscendi. Sublato enim fine, media tolluntur. Accedit, quòd corpore, vel anima ab homine subtracta, non solùm ipsius natura, ut suprà n. 2. dixit D. Aforosius, sed persona extabescit; si autem Christus humanitatem à se dimitteret, ipsius Persona constans adhuc, & integra vigeret.

Corpus est instar potentiæ, anima illius actus.

9. *Abaſ.* Sextæ clausulæ pessulo has dissimilitudines obserato. *Rom.* Ex duobus unum fieri non potest, nisi alterum se habeat, ut potentia, alterum ut actus. Et ideò ex corpore, & anima fit una natura, quia corpus est in potentia ad animam, anima illius actus. Illam enim Philosophus sic definivit: *Anima est actus corporis organici potentia vitam habentis.* Divinitas autem, & humanitas in se mutuò nec potentiæ, nec actus rationem induere possunt. Quia actus est perfectio; probrosum verò est divinitati; si dicatur, perfectionem à re inferiori mutuatam; nec ipsa divinitas omnium perfectionum apex, & collectio, humanitatis actus esse potest. Nam, ex doctrina Philosophi, actus, & potentia sunt in eodem genere; humanitas autem est in genere creaturarum, divinitas æterna, & increata. Illud ultimò perpende; si ex divinitate, & humanitate fit unum, sicut ex anima, & corpore; altera illarum animæ, altera corpori debet assimilari. Ut ergo demus animam, (eò quòd spiritualis sit) esse imaginem divinitatis, cui similis humanitas astruenda? Num soli corpori? id sine anima non est humanitas, sed exangue cadaver, telluris inutile pondus.

Arist l. 2. de Anima c. 1.

Divinitas non est potentia, neque esse potest actus humanitatis

Aristotel.

Soar. disput. 13. Met. sect. 5.

Sicut una hominis persona ex corporis, & animi conjunctione resultat; sic una Christi Persona constat humanitate, & divinitate.

10. *Abaſſ.* Si inter duas Christi naturas, & corpus, atque animam tot commeant dissimilitudines, quorsùm Patres corporis, & animæ similitudinem ad probandam Christi unitatem produxerunt? *Rom.* Non equidem, ut divinitatem, & humanitatem in unam naturam compingi, sed in unam personam concurrere docerent. Utrumque enim corporis, & animæ munus est, ut ostensum n. 8. Patres autem secundum istud tantùm respexêre, non primum, in quo turpiter, ac protervè ipsorum corruptores, interpolatoresque hæserunt. Quòd autem Patres solam personalem unionem in ea similitudine curaverint, probant illa verba D. Athanatei vestræ Fidei antesignani, in Symbolo: *Unus est omninò, non confusione substantiæ, sed unitate Personæ. Nam sicut anima rationalis, & caro, unus est homo: ita Deus, & homo, unus est Christus.* Christi antem nomen ut dictum n. 6. non communem aliquam naturam, sed certam personam inducit. Alibi: *Homo est una persona, & unum animal ex spiritu, & carne; ad cujus similitudinem intelligendum, Christum unam, non duas personas esse.* D. Augustinus. *Sicut in unitate personæ unitur anima corpori, ut homo sit, ita in unitate Personæ Deus unitur homini, ut Christus sit. Ergo persona hominis unio est animæ, & corporis; Persona autem Christi unio est Dei, & hominis.* Alibi. *Sicut in homine anima, & corpus una persona est, ita in Christo verbum, & homo, una Persona est.* D. Cyrillus: *Et sicut nobis hominibus non convenit dividi in duas personas, ex eo, quòd simus ex anima, & corpore, sed vocamur unus homo; ita etiam Deus noster Emmanuel factus est unus cum humanitate, & unus Filius, unus Dominus, Verbum factus est in una persona, in una facie, sine divisione omninò.* Meliùs alibi: *Sicut corpus alterius naturæ est, quàm anima; unus autem ex utroque homo efficitur, & vocatur; ita etiam ex perfecta Dei subsistentia, & humanitate perfecta, unus est Christus, idem in eodem Deus simul, & homo.* Quin & D. Abolidis, quem n. 2. ex adverso eduxisti, *Hoc*, inquit, *Credimus nos à creatione nostra, cùm habeat duas substantias, quæ sunt anima, & corpus; & crescit nobiscum in una persona, & dicitur homo.*

D. Athan. in Symbolo.

Lib. de Incarn. cont. Paulum Samosat.

D. Aug. Epistola 3. ad Volusian. Epist. 101.

D. Cyrill. p. 51. n. 36. ex exposit. 12. Anath. in 4.

Lib. de Incarn. cap. 7.

D. Abolid. p. 3. n. 5.

11. *Abaſſ.* Si corpus, & anima utramque virtutem continent, & naturæ componendæ, & personæ emittendæ, cur cùm Patres illa similitudine utuntur, hæc non uni naturæ, sed uni personæ adaptanda? *Rom.* Ex doctrina D. Bartolii, cujus meminit Abbâ Benjamin Alexandrinus in sua epistola; D. Joannis Chrysostomi, D. Epiphanii, D. Cyrilli, & D. Joannis Damasceni. Cùm ad rem aliquam exponendam aliqua similitudo assumitur, non tota res, undè sumitur, toti, ad quam exponendam transfertur, est accommodanda; sed illa tantùm proprietas, quæ facit ad illud, de quo agitur, institutum. Cùm Christus regnum cælorum sinapi, vel fermento comparavit, numquid illud ità nigrum, mordax, vel tumidum nisus est significare? Id tantùm attendebat, ut crescendi, & maturitatem secum inferendi, virtutem illi inesse demonstraret; Cùm sagenæ adæquabat, non lineum esse, caducum, & lethiferum, sicut illa piscibus esse solet, indicare satagebat; sed solùm homines in æternæ salutis portum invehere, sicut illa pisces in littora emittit. Et cùm discipulos monet: *Estote perfecti, sicut & Pater vester cœlestis perfectus est*; Et Patrem orat: *Ut sint unum, sicut & nos unum sumus*; nec perfectionem paternæ

In similitudinibus non totæ res totis accommodandæ, sed id tantum, quod ad eas facit. D. Basilii hom. 25. D. Ioan. Chrys. in Epistola ad Hebr. D. Epiphan. in Anchora. D. Cyril. 3. Thes. cap. 1. D. Ioan. Damasc. 3. de Fid. c. 26. Benjamin hæreticus. *Matth.* 13. 31. 33.

Matth. 5. 48.

Ioan. 17. 11.

Digitized by Google

paternæ æqualem ; nec naturalem unitatem , qualis divinas Personas astringit , ab ipsis postulat ; sed illam , quæ in homines pro virili laborantes cadit , perfectionem, & charitatem. *Quia* , ut ait Concilium Lateranense IV. *inter Creatorem , & creaturam non potest tanta similitudo notari , quin inter eos major sit dissimilitudo notanda.* Cùm ergo Patres divinitatis , & humanitatis unionem animæ , & corporis nexui contulerunt, non plenam in omnibus æqualitatem , sed eam tantùm affinitatem , quæ in aliquibus visitur , commendare affectârunt.

Concil. Later in cap. Damnamus. De Summa Trinit. & Fid. Cath.

12. *Abass.* In quibus visitur affinitas inter corpus , & animam , & inter divinitatem , & humanitatem ? *Rom.* In quatuor, ultra prædictam unius personæ in homine, & Christo similitudinem Primò , quòd sicut homo unus est , quamvis ex duabus rebus , corpore nimirùm , & animâ componatur , sic & Christus unus , cùm divinitate constet , & humanitate. Quæ mens est D. Agnatei p. 1. num. 14. Abolidis p. 1. n. 12. 13. 15. 16. 44. p. 3. num. 5. D. Gregorii Nazianzeni p. 4. num. 23. D. Cyrilli p. 47. n. 55. p. 48. num. 52. 53. 54 p. 50. num. 12. 13. 14. p. 51. num. 38. 39. 40. & pluribus aliis locis. Secundò , quòd sicut corpus , & anima sunt in homine sine separatione , & mixtione , sic illæ in Christo. Ità D. Cyrillus locis proximè citatis , & Epistolâ 10. & lib. de Incarnat. cap. 7. Tertiò , quòd sicut corpus est animæ instrumentum , sic humanitas divinitatis , & Verbi ; de quo cap. 11. num. 13. Quartò , quòd sicut corpus , & anima , quamvis mutuam unionem tueantur , diversæ sunt naturæ in se ipsis consideratæ , ut suprà num. 2. Sic divinitas , & humanitas. Ex quibus colliges , quanto jure dixerit D. Justinus Martyr : *Hoc exemplum sumptum ex hominis anima , & corpore , aliqua ex parte approbandum , ex aliqua repudiandum.* Incarnationis enim mysterium ità admirabile est , ut nulla ratione demonstrari ; ità singulare , ut non solùm nullâ aliâ re æquari , sed nedùm similitudine perfectè possit adumbrari , ut de eo censuit D. Augustinus : *Hic si ratio quæritur , non erit mirabile ; si exemplum poscitur , non erit singulare.*

In quo visatur similitudo inter unionem corporis, & animæ ; & divinitatis cum humanitate.

D. Ignat.
D. Julius.
D. Greg. Naz.
D. Cyril.

D. Justin. de recta Confess.

D. August. Epist. 3. ad Volusian.

CAPUT XXVII.

Quomodò Scripturæ voces Christo sint applicandæ.

Omnes Patres inter excelsa, & humilia in Christo divisionem faciunt.

1. *Abass.* Secundum telum nostrates in Romanos hoc verborum amento librant. Si contraria , utpotè excelsa , & humilia de Christo dicuntur ratione duarum naturarum , verba apertè dividuntur, & uni excelsa , alteri humilia tribuuntur. Quâ divisione datâ , vestris in castris ovat Nestorius, qui Christum in duos dividebat. *Rom.* Arbitror , vestros illos Hastatos & amentum , & telum revocaturos , si noverint , se illud non solùm in Romanos , sed in Alexandrinos , & in omnes Orthodoxos , qui vestro in Libro sunt primipili ; imò in se ipsos jaculari. In quos , ut in Apollinaristas ipsorum similes , à quibus imperitè carpebatur , ità ironicè D. Gregorius Nazianzenus : *Jam verò quis non eorum eruditionem admiretur , qui cùm perspicuè ea, quæ Christi sunt dividant , atque illa verba : Genitus est , tentatus , esuriit , sitivit , fatigatus est , dormivit , humanæ parti attribuant, quòd autem ab Angelis glorificatus fuerit , & tentatorem vicerit , & populum in deserto aluerit , & supra mare ambulaverit , divinitati assignent. Cùm , inquam , ad hunc modum res Christi dividant , nos tamen criminantur, tanquam duas naturas distinctas , aut inter se pugnantes invehamus , atque eximiam , & admirabilem unionem dividamus. At quî par erat , ut , vel quod accusant , non facerent ; vel , vel quod faciunt , non accusarent ; si modò sibi ipsis saltem constare proponerent , ac non & sua , & quæ adversariorum , sunt dicere. Tale quiddam est stoliditas, & secum ipsa, & cum veritate pugnat ; ut nec , cùm sibi adversantur , id intelligant , aut erubescant.*

D. Greg. Naz. Orat. 52. quæ est Epist. 2. ad Cledon.
Luc. 2. 7.
Matth. 4. 2. 3.
Ioan. 4. 6. 7. & 19. 28.
Matth. 8. 24.
Matth. 4. 11.
Ioan. 6. 10.
Matth. 14. 25.

2. *Abass.* Quibus Patribus in nostro Libro hæc divisio arrisit ? *Rom.* Ex multis aliquos indicabo. Tercentum : *Loca* , inquiunt , *divinorum librorum , quæ loquuntur de principio , & fine , quale est , creatum esse, perfectè intelliguntur de humanitate ejus.* D. Irenæus : *Crucifixus est in passione , & in carne , & vixit in virtute Dei , quæ est ipsius divinitas.* D. Athanateus : *Est Deus , & Filius Dei in spiritu , & Filius hominis in carne.* Infrà : *Est homo in carne , est Filius Dei in divinitate.* D. Basilius : *Sciamus substantiam ejus secundùm substantiam divinitatis suæ. Excipiamus omnia , quæ dixit in humilitate , quia sunt propter dispensationem , quam fecit propter salutem hominum.* D. Gregorius Nyssenus : *Hic est unus tantùm ex substantia divinitatis meæ , & est ex vestra substantia, ex parte humanitatis.* Infrà : *Quandò videritis hunc Filium meum esurire , sitire , dormire , &c. Hac omnia ne cogitetis , nisi solùm de carne ejus.* Infrà : *Ipse in una substantia divinitatis miracula operatur , & humanitas dolores suscipit.* D. Feliquis : *Deus Verbum passus est in carne , quin pateretur in divinitate.* D. Heraclis : *Fecit miracula sicut Deus ; sustinuit passiones sicut homo.* Infrà : *Est sine matre in eo , quod amplius nobis habet , & est sine patre in nostro.* D. Aforosius : *Aliquandò loquitur secundùm gloriam divinitatis ; aliquandò secundùm infirmitatem humanitatis.* Theodotus Ancyranus : *Deus Verbum unus est , & glorificatur apud omnes in divinitate sua , & patitur sicut homo in humanitate sua.* D. Epiphanius : *Passus est in carne, cùm passio ad ejus divinitatem non perveniret.* Infrà : *Factus est homo , qui est Dei Verbum , ut propter divinitatem ipsius salutem nobis daret ; & propter humanitatem moreretur pro nobis.* D. Gregorius Nazianzenus : *Quod passum est, est caro Dei Verbi ; passio autem non invenit divinitatem.* D. Joannes Chrysostomus : *Infirmatus*

Aliqua testimonia Patrum voces in Christo juxta naturas dividentium. 318. Patres
D. Iren. p. 2. num. 1.
D. Athan. p. 1. num. 2. & 13.
D. Basil. p. 4. n. 22.
D. Gregor. Nyss. p. 2. n. 6. 25. 30.
D. Felix p. 1. n. 3.
D. Procl. p. 1. n. 18. 24.
D. Ambros. p. 2. n. 4.
Theodor. p. 3. n. 1.
D. Epiphan. p. 9. n. 4. 13.
D. Gregor. Naz. p. 1. n. 62.

Digitized by Google

firmatus est propter nos homo factus, cùm longè sit ab omni infirmitate per passionem suam. Alibi: *Cùm auditis apud Paulum, Dominum suscitasse Christum, ne arbitremini, quòd ipse dicit de Verbo; sed dicit propter carnem nostram, quæ est una cum Verbo.* D. Cyrillus: *Opera humanitatis attribuimus dispensationi carnis. Opera verò, quæ divinitatem decent, servamus ipsi, & facimus illa divinitati; cùm Dei Patris Verbum factum sit sicut nos.* Plura ejusdem testimonia numero 13. 19. & 20. Subjiciam, quibus, ut hanc, quam Romanis vestrates imponunt, calumniam à se propulsaret, (quod nempè cum Nestorio in vocum divisione sentiret) sæpè asseruit, aliud esse naturas dividere, aliud vocum differentiam profiteri.

P. 11. n. 1. *Ephes.* 1. 20.

D. Cyril. p. 52. n. 61.

Christus ipse Apostoli, & Evangelistæ hanc fecêre divisionem.

3. *Abass.* Bellum apertè Patribus indicit, qui hanc differentiam non agnoscit. *Rom.* Quid solùm Patribus? Adde Apostolis, & ipsi Christo, qui non rarò sua opera, & prædicata inter divinitatem, humanitatémque divisit. An non ipse dixit? *Spiritus est, qui vivificat, caro autem non prodest quidquam?* Et iterùm: *Spiritus quidem promptus est, caro autem infirma.* De quo vide Severianum, sivè Sayros cap 24. num. 322. Iterùm: *Ascendo ad Patrem meum, & Patrem vestrum; Deum meum, & Deum vestrum.* De quo cap. 5. numero 18. Iterùm: *Dominus meus, & Deus meus.* De quo apud D. Heraclim. cap. 24. num. 390. Divus Paulus: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David secundùm carnem.* Iterùm: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in sæcula.* Iterùm: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere.* Iterùm: *Si crucifixus est ex infirmitate, sed vivit ex virtute Dei.* Iterùm: *Deus Domini nostri IESU Christi, Pater gloriæ.* D. Gregorius Nazianzenus: *Cùm naturæ animo, & cogitatione distinguuntur, simul nomina dividuntur. Vides, quomodò Christi quidem Deus: gloriæ autem, Pater dicatur.* Iterùm: *Ut homo, humiliavit semetipsum.* Iterùm: *Magnum est pietatis Sacramentum, quod manifestatum est in carne, justificatum est in spiritu.* D. Petrus: *Mortificatus carne, vivificatus autem spiritu.* Iterùm: *Christo igitur passo in carne.* Quibus locis omnibus passio, mortificatio, infirmitas, & nativitas, quæ sunt humilia, carni: vita, vivificatio, promptitudo, & justificatio, quæ sunt excelsa, divinitati adnumerantur. Et quod ingenti stupore plenum est, ipsi Hæretici Alexandrini, & Antiocheni, nescientes quid agerent, hanc divisionem approbarunt.

Joan. 6. 64. *Matt.* 26. 41. *Joan.* 20. 17. *Rom.* 1. 3. & 9. 5. *Galat.* 4. 4. 2. *Cor.* 13. 4. *Eph.* 1. 17. D. Greg. Naz. Orat. 36. *Phil.* 2. 8. 1. *Tim.* 3. 16. 1. *Petr.* 3. 18. 1. *Petr.* 4. 1.

Ipsi Hæretici Alexandrini hanc divisionem admittunt. Theodos. p. 1. n. 4. 5. 6. 7. 8. 10. 11. 15. 16. 29. 30. 31. Sever. p. 1. n. 22. p. 7. n. 7. 8. Joan. Alex. n. 17. 18. 28. 29. Cyr. n. 12. 3.

4. *Abass.* Illos, oro, proponas. *Rom.* Theodosius. *Hic*, inquit, *est Filius meus dilectus, non secundùm humanitatem, sed secundùm divinitatem. Non est filius Mariæ in divinitate, sed secundùm ritum humanitatis.* Et plura deinceps. Sayros: *Hic est unus tantùm, qui sustinuit infirmitates in carne sua, & suscitavit mortuos in divinitate sua.* Joannes Alexandrinus: *Uniebatur Patri suo in substantia divinitatis, & nobis æqualis est in substantia humanitatis. Passibilis per carnem, impassibilis per divinitatem.* Cyriacus: *Liber est à morte, & corruptione; sed suscepit mortem in carne sua.* Deonaceos Antiochenus: *Æquatur Patri in divinitate, & nobis in humanitate.* Infrà: *In substantia divinitatis suæ Deus Verbum est impassibile; sed in substantia carnis nostræ passibile fuit.* Gabriël: *Verbum Dei est impassibile in substantia divinitatis suæ, sed passum est sicut nos, in forma nostra.* Basilius Antiochenus: *Notum est, ipsum passum fuisse in carne, non in divinitate.* Macarius, & similiter Athanateus Antiochenus: *Æqualis est Patri, & Spiritui sancto in divinitate, & nobis æqualis est in humanitate.* Zacharias: *Fecit miracula in divinitate sua, & passus est infirmitates nostras in humanitate.* Alibi: *Est Filius Dei Patris in divinitate, & filius hominis in carne.* Infrà: *Dicimus, ipsum fecisse miracula, & virtutes per divinitatem suam, & passum esse nostras infirmitates in sua humanitate.* Senuteon: *Passus est in carne, & non in divinitate.* Alibi: *Æqualis Patri in substantia divinitatis, æqualis nobis in humanitate.* Infrà: *Passibilis in carne, impassibilis in divinitate.*

Deonac. Antioch. p. 3. n. 7. 11. Gabriël. n. 7 8. 9. 10. Basil. Ant. n. 27. 28. Macarius, n. 4. Athan. Ant. n. 10. Zachar. p. 1. n. 9. p. 2. n. 6. 9. Senuteon p. 1. n. 18. p. 2. n. 22.

5. *Abass.* Posthabitis Alexandrinis, & Antiochenis, quos exploratum est, hanc divisionem frequentasse, si ea à Patribus, ab Apostolis, & ipso Christo fuit approbata, quo in asylo personarum duplicatio, & separatio vitanda? *Rom.* Cùm, ex sententia D. Athanatei, hic fuerit Sacrarum litterarum scopus, & juxta D. Cyrillum, fundamentum, & maximus Christianæ Fidei articulus, operam ludere non videbor, si lentiùs in hac tractatione immorer; Eam verò perspicuitatis gratiâ novem Canonibus, & expressis Patrum sententiis in eorum confirmationem prolatis explicabo.

Hic est præcipuus scopus, & fundamentum Sacrarum litteratem. D. Athan. Orat. 4. contra Arianos. D. Cyril. lib. 10. Thes. cap. 3.

6. *Abass.* Quis primus est Canon. *Rom.* Voces excelsæ, atque humiles in Christo non sunt in duas personas dividendæ. Hæc enim exertè fuit hæresis Nestorii, contra quam Concilium Ephesinum quarti anathematismi fulmen intorsit; quod, ut jam monui lib. 1. cap. 11. num. 14. rectè his verbis à D. Cyrillo proponitur: *Si quis dividit verba Evangelii, & Apostolorum in duas personas, vel aspectus; & verba, quæ Sancti locuti sunt de Christo; vel quæ Prophetæ de ipso ante ipsum prophetavêre, applicat humanitati, intelligens eam seorsùm uno modo, sine divinitate; & applicat alia opera, quasi abscondantur à Verbo, quod est à Deo Patre; anathema sit.* Alibi: *Quis est, qui dividit verba, quæ Sacri libri locuti sunt, & dicuntur de Christo, in duas facies, vel personas?* Et infrà: *Ne recipiatis divisionem duarum substantiarum, sicut ausus est pauper iste Nestorius, qui dicit: Est, quod dicatur de solo Dei Verbo; & est, quod dicatur de filio, qui est ex Maria, quòd sit alius à Verbo seorsùm.* Alibi: *Nestorius omninò divisit verba Evangelii, & prædicationem Apostolorum, & dixit: Est, quod dicatur de homine, & notam faciat hanc humanitatem; & est, quod dici conveniat de Deo Verbo tantùm, & declaret, quod est divinitatis. Et multis divisionibus dividit seorsùm humanitatem, quam peperit sanctissima Virgo Maria, Domina nostra; & iterùm ex alia parte, dividit Verbum Filium, qui est à Deo.*

Voces in Christo non sunt in duas personas dividendæ. Concil. Eph. can. 4. D. Cyril. p. 20. n. 8. ex Epist. 10. ad Nestor. P. 22. n. 1. ex Epist. 19. ad Acac. N. 17. 18. P. 47. n. 8. 9. 10. ex Epist. 1. ad Successum.

7. *Abass.*

Digitized by Google

Voces duarum personarum fautrices, & unionis adversariæ, non admittendæ D. Thom. 3. p. q. 16. a. 3.

7. *Abaſſ.* Qui ſecundus Canon? *Rom.* Non ſolùm voces in duas perſonas apertè non dividendæ, ſed nec illæ clanculùm admittendæ, quæ diviſionis illius ſint fautrices, aut unionem hypoſtaticam evertant. Ut ſi quis diceret, Chriſtum eſſe hominem Deum factum; Dominicum; Deo indutum; electum; unum cum alio; cum Verbo, adorandum; & à Deo adoptatum; aut Verbum in homine habitare, vel operari. Quæ locutiones duas perſonas, unionémque accidentalem inducunt, & contra eas vibrati anathematiſmi Concilii Epheſini apud D. Cyrillum p. 20. De quibus nos cap. 4. à n. 9. ad 18. & cap. 5. n. 11.

Dividendæ non ſunt voces in duas naturas ſeparatas.

8. *Abaſſ.* Qui tertius eſt Canon? *Rom.* Non tantùm voces dividendæ non ſunt in duas perſonas, ſed neque in duas naturas ſeorſim collocatas, ut illas Neſtorium inordinatè digeſſiſſe cap. 13. num. 4. ex D. Cyrillo oſtendimus. In cujus probatione non eſt, cur ulteriùs immorer, cùm ex illius neglectu eadem, quæ ex ſuperioris contemptu, incommoda oriuntur, ut noſces ex iis, quæ diximus cap. 12. n. 5. & 6.

Omnes voces uni perſonæ aſſignandæ. D. Athan. Orat. cont. Arian.

9. *Abaſſ.* Quis quartus Canon? *Rom.* Omnia tam excelſa, quàm humilia uni ſunt Chriſti Perſonæ aſſignanda. D. Athanateus: *Rectam Fidem tuebimur, ſi, quod utriuſque naturæ proprium eſt, conſiderantes, ab uno utrumque præſtari animadvertamus. Id ſi à nobis fiat, nunquàm in errorem prolabemur.* D. Gregorius Nyſſenus: *Ne cogitetis opera alta de uno, & humilia de alio; ſed hæc, & illa omnia ſunt hujus unius tantùm.* Divus Joannes Chryſoſtomus: *Quia ego Deus, & homo ſimul, & unus ſum; ego dico hoc, & illud.* D. Cyrillus: *Uni perſonæ omnes voces Evangeliis inſertæ applicandæ ſunt, ideſt, uni ſubſiſtentiæ incarnati Verbi.* Alibi: *Eſt idem Deus, & homo; & non eſt cum alio, ſed eſt unus tantùm. Idem perſiſtens facit hoc, & illud.* Alibi: *Omnia ipſius ſunt, & ipſe unus eſt.* Alibi: *Opera autem, quæ conveniunt divinitati, & humanitati, ipſi imputamus promiſcuè in unione.* Alibi: *Sunt illius omnia, non ſolùm divina, ſed etiam humana.* Alibi: *Quoniam idem homo verus, & Deus verus eſt, hominis paſſiones ſibi attribuit propter perſonalem identitatem.* Hujus Canonis illa eſt ratio, quam hoc poſtremo loco indicat D. Cyrillus; quòd Dei, & hominis eadem Perſona ſit, ex deitate, & humanitate, tamquàm ex partibus (quarum ipſa totum eſt) compoſita; ut dictum ſuprà cap. 11. num. 12. & cap. 12. num. 13. & lib. 2. cap. 8. num. 3. De toto autem, & partes ipſæ, & quidquid ad eas attinet, commodis nominibus affirmatur, ut eodem lib. cap. 11. num. 11.

D. Greg. Nyſſ. p. 4. n. 26. D. Joan. Chryſoſt. p. 10. n. 3. D. Cyril. Epiſt. 10. ad Neſt. P. 47. n. 40. P. 50. n. 3. P. 52. n. 48. in Expoſit. 12. Anath. Lib. 10. Theſ. cap. 3.

Aliquando Chriſti Perſona ſingulas partes ſuas denominat, aliquando ab iis denominatur.

10. *Abaſſ.* Quis Canon quintus? *Rom.* Aliquandò illius unius Chriſti Perſonæ, ſeu totius nomen ſingulis ipſius partibus, & partium partibus imponitur; aliquandò ipſa à ſingulis partibus, & ipſarum affectionibus declaratur. Prior pars hujus Canonis eſt D. Cyrilli, & Auguſtini, ſecundùm quos frequenter humanitati Chriſti nomen adaptatur. Ut illis locis: *Deus erat in Chriſto. Quoniam Deus erat cum illo. In ipſo habitat omnis plenitudo divinitatis. In Chriſto*, &: *in ipſo*, ideſt, in Chriſti humanitate. Nec ſolùm toti humanitati, ſed ſingulis ipſius partibus: corpori, atque animæ. *Tulerunt Dominum meum*, inquit Magdalena. D. Auguſtinus: *Dominum ſuum vocat corpus exangue Domini ſui, à toto partem ſignificans; ſicut omnes confitemur, JESVM Chriſtum Filium Dei unicum, Dominum noſtrum; quod utique ſimul eſt & Verbum, & anima, & caro. Crucifixum tamen, & ſepultum; cùm tamen ſola ejus crucifixa, & ſepulta ſit caro. Et deſcendiſſe ad inferos; cùm ſola anima deſcenderit.* Secunda pars Canonis indè patet, quòd non rarò perſonæ tribuitur, quod unius tantùm partis eſt, nullâ alterius factâ mentione. Sic, cùm dicit Chriſtus: *Antequàm Abraham fieret, ego ſum. Ego & Pater unum ſumus. Ego in Patre, & Pater in me eſt*; Et ſimilia; ſe à ſola divinitate commendat; Cùm autem; *Clarifica me tu Pater; Pro eis ſanctifico me ipſum. Dextera Dei exaltatus. Propter quod & Deus exaltavit illum*; & paria; à ſola humanitate D. Athanateus: *Cùm dicit: IESVS nondùm fuerat glorificatus, de carne ejus loquitur. Non enim Dominus glorificatur, ſed caro Domini gloriæ gloriam percipit.* Alibi: *Non exaltatur Excelſus, ſed caro exaltatur Excelſi.* Ne officit, quòd non ſemper utraque natura explicetur. *Nam quando*, inquit, D. Cyrillus, *mentionem facimus humanitatis, etiam cogitamus de divinitate; & humanitas quidem ipſius eſt; & quamvis ipſe locutus fuerit ſicut Deus, credimus ipſum factum fuiſſe hominem.* De quo plura lib. 1. cap. 1. n. 5. 6. 7. 8.

D. Auguſt. tract. 78. & 111. in Ioan. & Enchiridii c. 34. D. Cyril. lib. de Incarn. c. 12. P. 3. n. 7. p. 50. n. 83. 2. Cor. 5. 19. Act. 10. 38. Col. 1. 19. & 2. 9. Ioan. 20 13. D. Auguſt. tract. 121. in Ioan. Sym. Apoſt. Ioan. 8. 58. Ioan 10. 30. Ioan. 14. 11. Ioan. 17. 5. 19. Act. 2. 33. Phil. 2. 9. D. Athan. lib. de Natur. human. cont. Apollinar. Ioan. 7. 39. Lib. de Incarn. D. Cyril.

Deo humana, & homini divina tribuuntur ob perſonæ identitatem.

11. *Abaſſ.* Sextum Canonem adjunge. *Rom.* Chriſto ſub Dei titulo non ſolùm divina, ſed etiam humana; & ſub hominis nomenclatura, non ſolùm humana, ſed etiam divina; nunc conjunctim, nunc ſeparatim apponuntur. Conjunctim, ut apud Matthæum de hominis appellatione: *Filius hominis tradetur Principibus Sacerdotum, & Scribis; & condemnabunt eum morte, & tradent eum Gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum, & tertia die reſurget.* Ubi filio hominis non ſolùm tradi, condemnari, illudi, & flagellari, ſed etiam reſurgere, quod Dei eſt, adſcribitur. Apud Joannem: *Nemo aſcendit in cœlum* (quod ad hominem ſpectat) *niſi qui deſcendit de cœlo* (quod ad Deum) *Filius hominis, qui eſt in cœlo.* Hoc etiam ad Deum attinet. Separatim humilia de homine: *Quæritis me interficere, hominem. Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Sublimia de eodem: *Cùm autem venerit Filius hominis in majeſtate ſua. Videbitis Filium hominis ſedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cœli.* Conjunctim ſub Dei nomine à D. Paulò ſublimia, & humilia produntur: *Nunquàm Dominum gloriæ* (quod eſt excellentiæ) *crucifixiſſent* (quod eſt infirmitatis.) *Miſit Deus Filium ſuum* (quod eſt divinitatis) *factum ex muliere* (quod eſt humanitatis) ſeparatim alta ſub Dei nomine: *Patrem ſuum dicebat Deum, æqualem ſe Deo faciens. Quæcumque ille facit, hæc & Filius ſimiliter facit.*

Deut. 32. 4. Matth. 16. 16. Matth. 26. 2. Matth. 25. 31. Matth. 26. 64. 1. Cor. 2. 8. Galat. 4. 4. Ioan. 5. 18. 19. Ioan. 10. 36.

Digitized by Google

Ioan. 17. 1. *facit.* Humilia seperatim sub eodem nomine: *Non potest Filius à se ipso facere quidquam. Quem Pater sanctificavit, & misit in mundum. Pater clarifica Filium tuum.* Quia non posse facere, sanctificari, & clarificari, seu glorificari, solius est humanitatis. Cùm ergo eadem sit Dei, atque hominis Persona; & persona totum quoddam sit, ut lib. 2. cap. 8. n. 3. partes autem de toto dicantur, ut ibidem cap. 2. n. 6. & 7. & cap. 11. n. 11. Deus autem, & homo sint nomina concreta, quæ dicunt omnia, quæ in subjecto reperiuntur, ut dicto cap. 2. n. 6. Dei nomen non solùm in divina, sed in humana; hominis verò non solùm in humana, sed etiam in divina incurrit. D. Athanateus: *Decebat Dominum humanam carnem indutum, cum suis passionibus ipsam totam induere; ut sicut proprium corpus ipsius esse dicimus, ità & corporis passiones ejus propriè dicantur, etiamsi non contingant secundùm divinitatem ejus. Et sic Deum passum credimus, & sepultum; sed homo ille passus est, quem Filius Dei suscepit, quem induit, quem portavit. Sed quia ad auctorem referebatur, quidquid ille homo patiebatur, ideò mors, & passio Domini dicebatur.* Divus Cyrillus: *Quoniam idem verus Deus est, & verus homo, convenienter hominis passiones sibi attribuit propter personalem identitatem. Sic dicimus etiam, Deum passum, crucifixum, mortuum, & sepultum; quæ omnia ipsi ut homini, non ut Deo tribuuntur.* Divus Augustinus: *Ex forma servi crucifixus est, & tamen Dominus gloriæ crucifixus est. Talis enim erat illa susceptio, quæ Deum hominem faceret, & hominem Deum.* Quod alibi egregiò exemplo declarat. *Sicut*, inquit, *homo philosophus, non utique nisi secundùm animam dicitur, nec ideò tamen absurdè, sed congruentissima ratione dicimus: Philosophum cæsum, mortuum, sepultum, cùm totum secundùm carnem accidat, non secundùm illud, quod Philosophus est; ità Christus Deus, Dei Filius, Dominus gloriæ, & si quid hujusmodi secundùm Verbum dicitur; & tamen rectè dicitur Deus crucifixus, cùm hoc eum secundùm carnem passum esse, non secundùm illud, quod Dominus gloriæ est, non habeatur incertum.* Ob hanc identitatem personalem, cùm Dei proprium sit ungere, hominis autem ungi, docuêre Divus Gregorius Nazianzenus, & Augustinus, à nobis citati lib. 1. cap. 2. n. 7. & 9. hominem ungere, Deum verò inungi.

D. Athan. lib. 4. contr. Arian. cit. à D. Cyril. in 12. anathem. contr. Orient.

D. Cyril. lib. 5. Th. c. 7. & lib. 10. cap. 3.

D. August. lib. 1. de Trinit. cap. 13.

Epist. 120.

1. Cor. 2. 8.

D. Greg. Naz.

D. August.

12. *Abass.* Quis septimus Canon? *Rom.* In Christi prædicatis quædam promiscuè ad utramque uaturam perrinent, quæ possunt & divinè accipi, & humanè; in cæteris discretio facienda. Prima hujus Canonis pars de prædicatis promiscuis asseritur à Divis Augustino, & Cyrillo; qui quædam in Christo dicta agnoscunt, quæ ambiguum est, ad quam naturam referantur; qualia sunt illa, quæ productionem significant; ut verba gignendi, dandi, mittendi, exeundi, veniendi, & accipiendi; de quibus lib. 3. cap. 5. num. 9. & 10. Missus enim est à Patre Christus tam ob humanitatem, ut vult Divus Gregorius Nazianzenus cit. cap. 24. num. 179. quàm ob divinitatem, ut Divus Cyrillus; & ab eo utramque accepit. Huc refer illa: *Mea doctrina non est mea, sed ejus, qui misit me. Sermonem, quem audistis, non est meus. Non possum ego à me ipso facere quidquam*, & similia. Discretionem in aliis faciendam (quæ est secunda pars Canonis) docent Divi Hilarius, Aforosius, & Cyrillus. Primus enim ait: *Dei atque hominis discerne sermonem.* Secundus. *Servemus distinctionem divinitatis, & carnis.* Tertius. *Discernantur ejus dicta, & facta.*

Quædam prædicata ad utramque naturam pertinent.

D. Augusti. lib. 2. de Trinit. c. 1. D. Cyril. Epist. 28. 29. 30. & Epist. 2. ad Succes.

D. Gregor. Naz. Orat. 30. D. Cyril. 12. Thes. c. 15. *Ioan.* 5. 30. & 7. 6. 14. 24.

D. Hilarius de Trinit. lib. 9. D. Ambros. 2. de Fid. cap. 4. D. Cyril. 10. Thes. cap. 3.

13. *Abass.* Quis octavus Canon, ut rectè Christi dicta, & facta discernamus? *Roman.* Ille, quem, Divus Athanateus duobus tantùm verbis ex integra Christi Sententia immutatis concinavit: *Reddite, quæ sunt hominis, homini; & quæ sunt Dei Deo.* Ut, scilicet, in eamdem Christi Personam sublimia, & humilia secundùm aliud; & aliad, ut docet Divus Cyrillus; hoc est, sublimia secundùm divinam naturam; humilia secundùm humanam referantur. Cujus Canonis ignoratio, vel sinistra interpretatio omnes Hæreticos in pugnantes invicem errores induxit, ut testantur Divi Athanateus, Hilarius, & Nazianzenus. Illum Divi Aforosius, & Cyrillus in vestro Libro his verbis ità proponunt. *Aliquando*, inquit Divus Aforosius, *loquitur secundùm gloriam divinitatis, aliquando secundùm infirmitatem carnis.* Clariùs in textu Latino. *Unus in utraque loquitur Dei Filius; quia in eodem utraque natura est. Etsi idem loquitur, non uno semper loquitur modo. Intende in eo nunc gloriam Dei, nunc hominis passiones; quia quasi Deus loquitur, quæ sunt divina, quia Verbum est; quasi homo dicit, quæ sunt humana, quia in mea substantia loquebatur.* D. Cyrillus: *Ego verò non removi divisionem verborum, quæ dicta sunt de Christo; sed agnosco, esse Dominum; & dici de eo secundùm divinitatem ejus, & secundùm humanitatem simul, quia ipse Deus, & homo est.* Alibi: *Sæpè loquitur sicut homo secundùm dispensationem; sæpè sicut Deus secundùm potestatem divinitatis.*

Eidem personæ humilia secundùm humanitatem, excelsa secundùm divinitatem ascribenda. *Matt.* 22. 21. D. Athan. Orat. 2. cont. Arian. D. Cyril. lib. de Incarn. c. 26. D. Athan. in dict. Evang. D. Hilar. 9. de Trinit. D. Greg. Naz. Orat. 36. D. Ambros. p. 2. n. 3. D. Cyril. ubi suprà. D. Cyrill. p. 22. n. 24. P. 47. n. 448

14. *Abass.* Numquid alii Patres prædictis consentientes eumdem Canonem evulgant? *Rom.* Multos recensere possem; sex tamen sufficient. D. Justinus antiquissimus: *Cùm de uno Filio contrarias voces audies, quæ dicuntur, naturis tribue; ac, si magnum quiddam, & divinum, divinæ id naturæ tribuito; si quid parvum, & humanum, humanæ adscribito.* D. Athanateus: *Sicut in sæculo aurei solidi, & argentum positum unius Imperatoris imaginem, & inscriptionem habent, sed numularius eorum custos novit auri excellentiam ultra honorem inferioris argenti; ita licet in una Scriptura de divinitate Filii, & de corpore, quod propter nos induit, sit scriptum, singula tamen eorum scimus, sicut discipuli sapientes unius verè magistri. Quæcumque igitur verba, & opera humilia*

Alii Patres eumdem Canonem confirmant. D. Justin. de recta Confes.

D. Athan. lib. cont. Arian. cit. à Gelas. lib. de duabus Natur.

Digitized by Google

humilia sunt, in corpore IESV intellige inscripta; quæcumque verò gloriosa sunt littera, in Verbi divinitate. D. Augustinus: *Duæ substantiæ non sunt confusæ, sed unitæ, atque in una, eâdemque Persona inseparabiles, & in sua proprietate manentes. Quapropter unicuique naturæ propria aptanda sunt; idest, infirmitates humanitati, quæ creata est; signa verò, vel mirabilia divinitati, quæ creavit.* D. Gregorius Nazianzenus: *Excelsiores voces divinitati, & præstantiori illi, atque incorporeæ naturæ, ac passionibus sublimiori attribuas, humiliores autem compositio, & tuâ causâ exinanito, atque incarnato.* Alibi: *Habes Filii appellationes, per eas incede, per sublimes divinè, per corporeas autem humanè; imò divinè.* D. Hieronymus: *Vnus atque idem Filius Dei, & Filius hominis est; & quidquid loquitur, aliud referimus ad divinam ejus gloriam, aliud ad nostram salutem.* Alibi: *Vnus, atque idem Dei Filius, nunc divinitatis suæ gloriæ, nunc naturæ nostræ, quam assumere dignatus est, affectibus loquitur.* D. Joannes Chrysostomus: *Quædam refero deitati, & quædam assigno humanitati; quia novi Christum de Maria reatum, & scio Christum ante secula genitum.* Alibi: *Ipse Dei Filius, & filius hominis: Quidquid magnum est, refer ad Filium Dei; quod parvum est, refer ad filium hominis; & tamen unus Filius Dei est.*

D. August. serm. 8. de Verb. Dom.

D. Gregor. Naz. Orat. 35.

Orat. 36.

D. Hieron. Epist. 150. ad Hedib. q. 9.

In cap. 55. Isaiæ.

D. Ioan. Chrysost. hom. de Cruce.

Homil. 11 in Martum.

Humana propriasunt Verbi per unionem.

15. *Abass.* Quo jure humana Deo, seu Verbo possunt attribui, si corpus ab illo est exoticum, & alienæ naturæ? *Rom.* Etsi corpus alterius sit essentiæ à Verbo, ipsius tamen proprium est, & quidquid ad ipsum attinet, ut fames, sitis, mors, & cæteræ ipsius infirmitates, ut latè ex Patribus ostendam lib. 6. cap. 8. num. 16. & 18. Notántque D. Athanateus, Amphilochius, & Cyrillus eo ipso, quòd Verbum se hominem fieri non detrectavit, se obstrinxisse, ut humanitatem decentia facta, & verba non recusaret. De quo egi cap. 8. num. 13.

D. Athan. Orat. 1. & 2. contr. Arian. & Orat. contr. omnem hæres.

D. Amphiloch. serm. contr. Adrian.

D. Cyril. Epist. 10. n. 53.

Alteri naturæ sub nomine abstracto non potest alterius prædicatum accommodari.

16. *Abass.* Quis nonus, & ultimus Canon? *Rom.* Quamvis uni Christi Personæ excelsa, & infima secundùm diversas naturas assignentur, neutri tamen earum abstracto nomine significatæ attribui potest ullum alterius prædicatum, sivè nomine abstracto, sivè etiam concreto enunciatum; Nisi illa tantùm, quæ solam unionem secum inferunt. Neque enim fas est dici: Divinitas est humanitas, aut humanitas, divinitas; quia prædicatio non constat sine unione, quam nomina abstracta funditùs evertunt, ut lib. 2. cap. 2. num. 7. Nec etiam dici valet: Divinitas est mortalis, aut humanitas est immortalis, & æterna. Si enim veræ essent hæ propositiones, duas Christi naturas confusio contaminaret, contra id, quod statutum est, cap. 17. num. 4. D. Athanateus: *Cum humana de Salvatore in Evangelio referuntur, perspecta, consideratáque indole ejus dicti, si aliena abhorrentiáque videbuntur, non divinitati ipsius, sed humanitati attribuenda sunt.* D. Aforosius: *Nostrum est, quod esuriit, quod flevit, quod tristatus sit. Quæ ad humanitatem, quæ sunt nostra, referuntur: D. [illegible] Tribuit divinitati, quæ [illegible] humanitati quod est [illegible]* Chrysostomus: *Quoniam in Adam [illegible] tis ad Deum referre nolui, [illegible] vido.* D. Cyrillus: *Si quis hominem, [illegible] manóque more dicta deitati attribuere audebit, & rursùs, quæ excelsè, hominis accommodabit, is naturam rerum confundet, [illegible] pensationem, quæ facta est, interimet. [illegible] Ne illa, quæ propriè deitatis sunt, humanitati ascribas conditionibus; neque humanitatis parvitatem summæ naturæ tribuas.*

D. Athan. Orat. 4. contr. Arian.

D. Ambros. 3. de Fid. cap. 2.

17. *Abass.* Non rarò conspicor in Patrum testimoniis, quæ sunt divinitatis, humanitati; & quæ sunt humanitatis, divinitati commodari. *Rom.* Hujus locutionis non pauca apud eos exempla vestro in Codice reperiuntur. D. Epiphanius: *Divinitati*, inquit, *quæ est impassibilis, cùm non dividatur ab ipsius carne, voluntate sua adnumeravit infirmitates.* Theodotus: *Substantia Dei non est passa per infirmitatem in se ipsa, quando fecit infirmitatem divinitati.* D. Gregorius Nazianzenus: *Nos autem dicimus, passionem humanitatis, quæ infirmatur, annumerari divinitati, quæ non patitur.* Quibus locis, & similibus, positum est nomen abstractum pro concreto; cùm ipsimet Patres, ut D. Epiphanius, Theodotus, & Nazianzenus citandi lib. 6. cap. 8. num. 10. & 14. apertè astruant, mortuam non esse divinitatem.

Abstractis naturarum nominibus non repugnant prædicata, quæ significant unionem.

D. Athan. in Evang. dè Sanctiss. Deipara. Concil. Rhem. apud Baron. an. 1148. D. Cyril. lib. ad Imp. Theodos. & de Incarnat. cap. 11. D. Athan. lib. de Incarn. & Orat. 4. cõtra Arian. D. Procl. p. 3. n. 15. D. Gregor. Naz. Orat. 42. Nicetas ibid. D. Joan. Damasc. 3. de Fid. c. 17.

18. *Abass.* Illud numero 16. ad Canonis finem subjeciſti; non damnandum earum vocum abstractarum usum, si mutuam secum inferant unionem. *Rom. Divinitatem incarnatam* dixit D. Athanateus, & definivit Concilium Rhemense. Eamdem *divinitatem humanam naturam assumpsisse*, docuit D. Cyrillus. *Carnem etiam deificatam* D. Athanateus. *Carnem divinam* D. Heraclis: *Divinitate delibutam*, & *divinitatis sociam* D. Gregorius Nazianzenus: Ubi advertit Nicetas, id factum esse, *non naturâ, sed unione, sicut ferrum candens ignis dicitur, non sui mutatione, sed inflammatione*, ut exponit D. Joannes Damascenus. Undè hujus exceptionis ratio eruitur; quia nomina abstracta non totum, sed solas ipsius partes significant; partibus autem etsi repugnet per se subsistere, aut operari, non tamen toti, vel invicem uniri.

Inter Catholicam vocum divisionem, & Nestorianã multum interest.

19. *Abass.* Quid tandem inter hanc vocum divisionem, & illam Nestorii objacet intervalli? *Rom.* Nestorius, ut duas personas, & naturas in totum divellebat, sic omnes voces in easdem separabat; sed D. Cyrillus, & cum eo Romani, atque omnes Orthodoxi, ut unam tantùm Personam, & duas in ea naturas agnoscebant, sic etiam voces omnes in ea colligabant. Cùm autem duæ naturæ, etsi actu illi sint connexæ, ratione tamen distinguantur, ut cap. 19. num. 12. cùm sint aliud, & aliud, ut ibidem num. 6. voces secundùm illas discernebant. Quod non est personas multiplicare, neque naturas dirimere, sed earum in ipsa conjunctione dif-

Digitized by Google

ferentiam internoscere. Sicut Petrum in duas personas non dividit, neque illius animam à corpore disjungit, qui illam aliud esse à corpore; ipsum verò secundùm animam Philosophum, secundùm corpus agilem, tardúmve dignoscit.

Eamdem vocum divisionem D. Cyrillus probavit, & Orientales illam sectantes contra Nestorium defendit.

20. *Abass.* Hoc mihi vellem ex ipso D. Cyrillo comprobares. *Rom.* Id non morosè præstabo. A D. Cyrillo in causa Nestorii discesserant Joannes Antiochenus, & cum eo plerique Orientales. Concordiam tamen iniêre, conditâ eâ confessione, quæ bis in vestro Libro semiplenè est exarata p. 14. & 24. Nam sequentia verba, ut sunt apud D. Cyrillum in autographo subjiciebant: *Evangelicas verò, & Apostolicas de Domino voces scimus, Theologos tanquàm ad unam Personam pertinentes promiscuè accipere; alias verò propter naturarum diversitatem divisim usurpare; & alias quidem, utpotè divinitati competentes ad divinitatem Christi; alias verò humiles ad illius humanitatem referre.* Immediatè verò subjungit D. Cyrillus: *Cùm sacras ejus voces legissemus, & nos ipsos non aliter sentire animadverteremus, glorificavimus omnium Servatorem Deum.* Et in Epistola ad Afasis de eadem re agens: *Unum*, inquit, *Dominum nostrum JESVM Christum in duos non dividunt, etiamsi voces illas, quæ divinitati competunt, illius divinitati; alias verò, quæ humanitati conveniunt, humanitati aptandas esse dicant.* Et in fragmento, quod ex ea Epistola desumptum est: *Ego*, inquit, *vocum divisionem non removi*, ut suprà n. 13: In Epistola ad Eulogium: *Orientales*, inquit, id est Antiocheni, *nihil ejusmodi dicunt, sed voces tantùm discernunt, ut aliàs quidem divinitati, aliàs humanitati, aliàs utrique promiscuè convenire dicant. Verumtamen omnes uni, eidémque Personæ assignant. At non ita Nestorius. Hic enim aliàs Verbo Dei seorsùm, aliàs verò illi adscribit, qui ex muliere ortum dixit.* Quibus in Epistolis habet illa solemnia oracula: in 29. *Aliud est naturas ipsas dirimere, aliud vocum differentiam agnoscere*; in 30. *Naturarum differentiam agnoscere, non est unum Christum in duos discindere.* Infrà: *Aliud est vocum agnoscere differentiam, aliud rursùm duabus personis, tamquam alteri, & alteri differentes voces accommodare.*

D. Cyril. Epist. 28.

Ibid, Epist. 28. ad Acacium.

P. 22. n. 24. Epist. 30. ad Eulogium.

CAPUT XXVIII.

Ultima dubia adversus duas naturas dissolvuntur.

Non sunt in Christo tres naturæ, sed duæ tantùm.

1. *Abass.* Leviora dubia alii contra duarum naturarum assertionem proponunt, in quibus est illud. Eâdem impunitate, quâ asseritur, duabus Christum naturis pollere, tres in eo statuentur; Verbum, nempè, corpus, & anima. Siquidem non solùm alteram Verbi, alteram humanitatis; sed etiam alteram corporis, alteram animæ naturam dicendam, cap. 26. num. 2. demonstrasti. *Rom.* Quamvis corpus, & anima, si seorsùm in se ipsis considerentur, duæ sunt naturæ; in homine perpensæ unum sunt, & illarum ratione una hominum natura, & ipsi unum in eâdem. Ut autem in priori consideratione non sunt quinque hominum naturæ; anima, scilicet, & quatuor elementa, ex quibus corpus conflatur, quia in compositione non partes partium, sed perfectæ, & immediatæ curantur; ità neque in Christo partes humanitatis, sed sola divinitas, & humanitas perfecta, quæ sunt partes immediatæ Christi Personæ. Sic dicimus, domum parietibus, ligníque constare; nec lapides, calcem, & arenam, quæ partes sunt parietum, commemoramus.

Leon. lib. contr. Acephal.

Numerus divisionem non inducit

Abass. Alterum hoc est dubium. Si duæ sunt in Christo naturæ, numerabuntur; si numerantur, dividentur; ubi enim est numerus, ibidem divisio ab unitate. *Rom.* Novi, Cyriacum, & Joannem Antiochenum omnem in Christo numerum damnare. Si tamen eorum assertio, tuúmque argumentum valeret, necessariò in Trinitatem divisio ellet invehenda. Nam in ea *habes*, inquit D. Bernardus, *quid numeres, & quid non numeres.* Essentia enim, quæ una est, non numeratur, *quia*, ut ait D. Aforosius, *unitas numerus non est*; Personæ verò numerantur; nec ideò dividuntur. Athanateus Antiochenus: *Dicere tres Personas, non est dividere divinitatem in tres personas.* Sanuteon Alexandrinus: *Nec dici, tres Personas apud nos, dividit Trinitatem.* Quomodo ergo naturæ in Christo dividuntur, eò tantùm, quòd duæ nominentur? Habes igitur in Christo, quid absque divisione numeres, scilicet, naturas; & quid non numeres, nempè Personam, in qua nec ipsæ naturæ, sed tantùm in se ipsis numerantur. Res enim non numerantur in eo, in quo unum sunt (ut Petrus, & Paulus in homine) sed in ipsis. Hæc verò natura est numeri, ut in rebus sejunctis ipsarum divisionem, in conjunctis solam differentiam ostendat. *Vis enim differentia, ubi & numerus*, ut aiunt quinta Synodus, & D. Joannes Damascenus. Ut si in campo quinquaginta lapides disjecti jaceant, numerus eosdem divisos; si sint in pariete calce colligati, conjunctos exhibebit. In viventi etiam corpore, & in sepulchro humana ossa, diverso tamen modo; hic nempè separata, illic unita numerantur. Et in anima tres gradus, altricis, sentientis, & rationalis; nec ideò tres animæ redduntur. Cùm igitur duæ naturæ in Christo nexu indissolubili vinciantur, numerus easdem non dissociat, sed earum tantùm differentiam oculis animi dignoscendam objectat. Verùm neque apud ipsos unius naturæ propugnatores potest numerus non esse.

Cyriac. Hæret. num. 10. 11. Joan. Antioch. Hæret. p. 2. n. 7.

D. Bernard. 5. de consider.

D. Ambros. de Fide, c. 2.

Athan. Antioch. Hæret. in Synodica.

Senuteon p. 1. n. 1.

5. Synod. in confess. Imperator. Justinian.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 5. & 8. & lib. 4. cap. 9.

Hæretici velint, nolint, duas naturas numerant.

3. *Abass.* Quomodò non potest non esse numerus, si proximè dixisti ex D. Aforosio, unitatem numerum non esse? *Rom.* Dixi, & nunc iterùm affirmo; & vestros adeò esse Arithmeticæ imperitos, ut in primis rudimentis turpiter labantur. Cùm enim singillatim rogantur, an divinitas una sit natura; annuunt. Si ulteriùs ab eis quæratur, an humanitas sit etiam una, vel altera, non inficiantur. Sic enim non solùm Orthodoxi, sed ipsorum etiam ductores Severus, & Theodosius à nobis citati cap. 19. num. 7. & 8. concedunt. Sed cùm ventum est

Sever. Hæret. Theodos. Hæret.

Digitized by Google

est ad computationem, ubi dicendum esset: Una, & una, vel una, & altera sunt duæ; ipsi ridiculè colligunt: Una, & una sunt una. Quam ob ineptiam lepidè jam quondam in Joannem Philoponum Monophysitarum auctorem lusit Georgius Pisides, elegans eorum temporum Poeta.

Nicephor. lib. 48. Baron. an. 535. tom. 7.

Vnam, atque mox unam lapillo computas;
At unam, & unam fortè si unam dixeris,
Pueri vel ipsi tale dictum riserint.

Objecta contra binarium. Joan. Antioch. hæret. p. 2. n. 7. Benjamin. Vriacus Deonaceos.

4. *Abass.* Tertium oritur dubium ex malè ominata binarii nuncupatione. Duorum enim nomen, & memoriam execrandam contendit Joannes Antiochenus. Quia *ubi, duæ substantiæ, ibi, & duæ personæ*, ut Benjamin num. 11. 12. Cyriacus num. 9. 10. 22. Deonaceos p. 2. Et: *Quod dividitur in duo, non potest esse una persona*; ut idem p. 1. num. 15. Nam: *Quod est geminum, excludit unionem*; ut Basilius Antiochenus: *In Christo autem non est, quod dividatur in duo*, ut D. Abolidis. *Rom.* Si omne duorum nomen, & memoria execranda, damnabuntur duæ in Trinitate processiones; & primorum parentum formatio; cùm ante illam Deus dixerit: *Non est bonum, hominem esse solum*; post illam verò: *Erunt duo in carne una; benedixitque illis.* Quorsùm numerum illum, si adeò est ominosus, benedictione Deus nobilitavit? Nec semper duæ personæ dantur, ubi sunt duæ substantiæ; sed tantùm ubi secubant separatæ, ut ostensum, cap. 12. num. 3. 5. 6. Et licèt, quod actu dividitur in duo, non possit esse una persona, ut ibidem n. 4. (hoc enim est illud geminum, quod excludit unionem) potest tamen, quod solâ potentiâ, seu ratione dividitur. Sicut una est Petri personâ, quamvis in eo corpus, & anima potentia, & sola ratione separentur; ut lib. 2. cap. 11. num. 7. Divinitatem autem, & humanitatem sola ratione in Christo sejungi, cap. 19. num. 12. ostendimus. Siquidem autem vestri D. Abolidem, Pontificem Romanum fatentur, nos etiam cum eodem sentimus, nihil in Christo esse, quòd dividatur in duo; neque enim re aliquam naturarum à Persona, vel alteram ab altera, sed sola cogitatione secernimus. Ipse verò solam in partes distractas divisionem improbabat; nam mox subjicit: *Non habet caro ejus substantiam separatam à divinitate, nèc divinitas ab humanitate.* Et infrà: *Non timebimus, ne nobis nota inuratur ab iis, qui dividunt Christum in duas personas.* Ad extremum illos binarii osores monere posses, ut quandò is numerus apud ipsos est adeò nefastus, & detestabilis, eas, quas vocant discipulas, ab se abigant; siquidem Monachorum nomen ab unitate sumpserunt; duas sibi manus, duosque pedes amputent; duos oculos evellant, duasque (cum in ipsis verè sint Midæ) auriculas detruncent.

Basil. Antiochen. n. 12. D. Abolid. p. 1. n. 11.

Gen. 1. 18. 24. Gen. 1. 28.

D. Abolid. p. 1. n. 12. 25

Pax cum Hæreticis semper dubia.

5. *Abass.* Perpende, an satius sit, quandò *Deus pacis est, & non dissensionis*, pacem inter nostros, Romanosque conflare, ut hi saltem dum apud nos morantur, ubi ingens scandalum suscitat duarum naturarum commemoratio, unam dicentibus annuant; eam unitatem intelligentes, quâ divinitas, & humanitas citra confusionem Christo assident; vel sibi omninò ab unius, vel duarum prædicatione temperent. *Rom.* De tua pace dicendum, quod Jeremias de simili: *Pax, pax, & non erat pax.* Et iterùm: *Expectavimus pacem, & ecce turbatio.* Pacem quidem amplecterer, sed bellum nomine pacis involutum reformido; quod magno suo malo experta fuit Ecclesia in Henotico Zenonis Imperatoris, quod miris attollunt laudibus Theodosius, Joannes Antiochenus, & Philateus Alexandrinus; sed sub pacis (quam sonat apud Græcos Henoticon) obtentu, unius, & duarum naturarum, atque Concilii Chalcedonensis nominibus suppressis, totum orbem tumultibus implicavit. In cujus impostura pœnam inopino morbo correptus imprudenter in sepulchrum, spirans ad huc est illatus; at in se redeuntem Ariadne uxor è tumulo vetuit educi; ut qui fidem pacis nomine oppresserat, vivus ipse à pacis suæ fœmina contumularetur. Nec Ecclesiæ hilum profuit, imò plurimùm obfuit in quinta Synodo Hæreticis in trium Capitulorum petitione connivere; non enim pacatiores eâ indulgentiâ sunt redditi, sed audaciores ad alia convellenda, Baronio teste, proruperunt.

Jer. 6. 14. & 8. 11. & 14. 19.

Zenonis Henoticum seu Pacificatorium, Ecclesiæ perniciosum. Evagr. lib. 3 cap. 14. Baron. an. 482. tom. 6. Theodos. Antioch. num. 1. Ioan. Antioch. p. 3. num. 1. Philat. p. 2. n. 14. Baron. 70. n. 7. an. 533.

6. *Abass.* Memineris, eos à D. Paulo increpitos, *qui languent circa quæstiones, & pugnas verborum, ex quibus oriuntur invidiæ, contentiones, blasphemiæ.* Suúmque Timotheum his verbis adhortari: *Quæstiones devita, quæ generant lites; servum autem Dei oportet non litigare.* De re seriò conveniamus, fastidiosa nominum diverticula negligamus. Quid interest unam, an duas naturas dici, si utrique in eamdem veritatem collimamus? *Rom.* Haud quaquàm nudè Paulus dixit: *Quæstiones devita*, sed cum illo additamento: *Stultas, autem, & sine disciplina quæstiones devita.* Probato mihi hanc de una, vel duabus naturis quæstionem, de qua tot Patres, & Concilia maturè consultârunt, stultam esse, ac sine disciplina, & mox censebo devitandam. Cùm autem diligentissimè ab illis fuerit discussa, & duarum naturarum nomenclatione, tamquàm numi Regis imagine signatâ, Ecclesiasticæ monetæ, ac dogmatum habendus est adulterator, qui tantillùm mutaverit, vel abraserit. Quia, ut statuit sexta ducentûm, & octoginta novem Patrum Synodus post ventilatam præsentem quæstionem, & lectas, atque approbatas D. Cyrilli, & Leonis Epistolas, atque definitionem Concilii Chalcedonensis: *Omninò necesse est, non solùm secundùm sensum sequi Sanctorum Patrum dogmata, sed & eisdem vocibus uti cum illis; nihilque penitùs innovari.* Et D. Zozimus Pontifex Romanus: *Contra statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec hujus quidem Sedis valet auctoritas. Apud nos enim inconvulsis radicibus vivit antiquitas, cui decreta Patrum sanxêre reverentiam.* Et siquidem D. Pauli testimonia in medium protulisti, te, & illos, qui languent circa quæstiones, & pugnas verborum, in sanitatem redigant illa salutaria ipsius pharmaca: *O Timothee depositum custodi, devitans profanas vocum novitates, &*

A D. Paulo non absolutè quæstiones, sed stultæ, & sine disciplina vetantur. 1. *Tim.* 6. 4. 2. *Timoth.* 2. 23. 24.

6. Synod. a. 12. D. Zozimus cap. Contra. 15. q. 1.

1. *Timoth.* 6. 20.

Digitized by Google

oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam promittentes, circa Fidem exciderunt. Alibi: *Formam habe sanorum verborum, quæ à me audisti.* Ad Titum: *Tu autem loquere, quæ decent sanam doctrinam.* Et infrà: *Verbum sanum, irreprehensibile.* En traditarum à Patribus vocum incuria, & novarum inductio, vel mutatio, non solùm Fidei ægrotationem, sed extremum contagium, & funebrem capulum inducunt.

2. Timoth. 1. 13. Tit. 2. 1. 8.

In rebus Fidei publico judicio, non privata opinione standum.

7. *Abass.* His se omnibus exolvunt, qui asserunt, sanam sibi mentem inesse, cùm unam proferunt naturam, nullam enim se aiunt confusionem comminisci, sed divinitatem, & humanitatem inconfusas, unitas tamen animo delineare. *Rom. Fides*, ut ait cum aliis Patribus D. Vincentius Lirinensis, à nobis citatus lib. 1. cap. 10. num. 13. *non est res ingenii, sed doctrinæ; non usurpationis privatæ, sed publicæ traditionis; res ad nos producta, non à nobis prolata; in qua non auctores esse debemus, sed custodes; non institutores, sed sectatores; non ducentes, sed sequentes.* Nulli ergo datur optio voces pro tua libidine novandi; sed necessitas illas tantùm usurpandi, quas publica Ecclesiæ trutina probaverit. *Servemus præcepta majorum*, inquit D. Aforosius, *nec hereditaria signacula ausi rudis temeritate violemus. Librum signatum in Apocalypsi non Seniores, non Potestates, non Angeli, non Archangeli aperire ausi sunt; soli Christo ejus explanandi prærogativa est servata. Librum Sacerdotalem* (id est Conciliorum) *quis nostrum resignare audeat: Signatum à Confessoribus, & multorum jam Martyrio consecratum?* Quid simpliciùs, & à suspicione remotiùs videretur, quàm Omiusion (quod est similis naturæ, & omninò verum) pro Omousio permutare? Connivere tamen levi adeò unius litterulæ mutationi Patres unquàm noluêre, ut ostensum lib. 1. cap. 15. num. 5. & lib. 3. cap. 8. num. 5. *Unum enim verbum, ac si veneni gutta* (inquit D. Gregorius Nazianzenus) *meram illam, ac simplicem Dominicæ, & exinde Apostolicæ traditionis Fidem inficit.* Nec dicas, sanam tibi mentem inesse; nt enim tibi, adstet, cæteros unius naturæ adstipulatores deficit. Sicut olim Arianos, cùm non ad ostendendam naturæ qualitatem, sed potiùs dissimilitudinem Omiusion Omousio supponebant; & Apollinaristas, cùm Christo animam concedentes, eò fraudulenter subrepebant, ut suaderent, divinitatem loco animæ illi assidere; quâ nequitiâ deprehensâ eos D. Damasus Romanus Pontifex adegit, ut Christum animâ rationali exornatum apertè profiterentur. Te igitur ne pudeat, duas Christi naturas hianti ore prædicare, pudeat magis illum in unius naturæ angustias, & te ipsum in perfidiæ laqueos projectare.

D. Vincentius Lirinens. citat. supra lib. 1. cap. 10. n. 13.

D. Ambros. lib. 3. de Fid. cap. 5. Apocap. 5. 4. 5.

D. Gregor. Naz. Orat. 49. de Fid.

D. Greg. Naz. Orat. 52. Ubi Nicetas.

CAPUT XXIX.

Duæ voluntates in Christo ostenduntur.

Ubi probatæ duæ in Christo naturæ, duæque voluntates in eo probatæ.

1. *Abass.* Quod attinet ad duarum naturarum constitutionem satis truncata, & contusa manent Eutychianæ beluæ capita; nunc ordo tractationis monet, ut aliquid de duabus voluntatibus apponas. *Rom.* Eas impugnant in vestro Libro: Sayros, Cyriacos, Deonaceos, Gabriel, Cosmos. Chrystodûlos, Mennas, Joannes Alexandrinus, & Antiochenus, Philateos, & Senuteon, & cæteri Monothelitæ, de quibus cap. 14. num. 8. Verùm ubi superiùs cap. 4. 6. & 10. verum, perfectúmque Deum, & hominem Christum ostendi, & 19. & 20. Divinitatem, & humanitatem suas differentias, & proprietates incolumes, illibatásque servare: illicò evici, divinum, humanúmque intellectum, divinam, humanámque voluntatem in eo perennare. Alioquin nec verus, perfectusque Deus, & homo evaderet, sed mancus, ac mutilus, si aliqua earum potentiarum, quæ Dei, atque hominum perfectionem complent, destitueretur. Nam potentiæ (& in iis voluntas) non sunt proprietates personales, si enim essent, tres darentur in Deo (ut ait Damascenus) voluntates, sicut tres Relationes hypostaticæ. Naturales verò proprietates individuæ sunt naturarum, & omnium personarum illi subditarum appendices; quia à nulla earum unquàm peregrinantur. Si quis solem perfectum diceret, illuminandi potentiâ ab eo divulsâ: aut Petrum perfectum hominem, sensibus, intellectu, & se movendi potentiâ orbatum; is eò se projiceret, ut Christum humanæ voluntatis exortem affirmaret. *Est enim voluntas*, inquit D. Augustinus, *motus naturæ; quia motus est animi; animus autem sine dubitatione natura est.*

D. Ioan. Damasc. lib. 3. de Fid. cap. 14.

D. August. lib. cont. Julian. Pelag.

2. *Abass.* Ex quo Fidei armario educitur, Christum his potentiis instructum? *Rom.* Intellectum, & voluntatem Deo assidere lib. 2. cap. 17. & 18. & naturales in eo esse potentias, & Personis omnibus communes demonstravimus. Cùm ergo Christi Persona eadem sit, quæ Verbi, ut suprà cap. 5. n. 5. nec divinus intellectus, nec voluntas; imò neque quà homo est, humanus intellectus, & illius actus, de quibus egi cap. 8. num. 9. ab eo possunt exulare.

Voluntas divina in Christo.

3. *Abass.* De intellectu, voluntatéque divinis, & de humano intellectu, haudquaquàm excruciamur, tota de humana voluntate apud nos est dissertatio. *Rom.* Ultra dicta eodem cap. num. 10. eam apertè inferunt illa testimonia: *Non quæro voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Descendi de cœlo, non ut faciam voluntatem meam, sed voluntatem ejus, qui misit me. Non mea voluntas, sed tua fiat.* Ubi Christus suam voluntatem, nempè humanam, paternæ, quæ divina est, opponit. Christus etiã, quà homo liberè operatus est. *Oblatus* enim est, *quia ipse voluit*; aliter par esset belluis solo naturæ impetu citatis; nec illius opera laudum, & meritorum (quæ citra libertatem nulla sunt) præmiis donarentur. Nec ipse se imitandum proponeret, quod sæpè præstitit. *Discite*, inquit, *à me, quia mitis sum, & humilis corde.* Iterùm: *Exemplum enim dedi vobis, ut quemadmodùm ego feci, ita & vos faciatis.*

Voluntas humana in Christo probatur.

Ioan. 5. 30. Ioan. 6. 38. Luc. 22. 42.

Isai. 53. 7.

Matth. 11. 29.

Ioan. 13. 15.

Digitized by Google

Pet. 2. 21. *faciatis.* D. Petrus: *Christus passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, ut sequamini vestigia ejus.* Nulla profectò esset exempli indoles, si ad illud præbendum Christus non libertate duceretur, sed necessitate raptaretur. Leo m. 1. de Nativit. *Si non esset verus Deus,* inquit D. Leo, *non dedisset remedium, si non esset verus homo, non dedisset exemplum.*

Humanum volendi actum Christus habuit.

4. *Abass.* Humana Christo voluntas non deneganda. Unum quæro, an semper fuerit expedita ad operandum, & re ipsa in actus excurrerit. *Rom.* Velle, & nolle actus sunt voluntatis, quos Fides docet in Christi extitisse. Nam in Psalmo, quem D. Paulus de eo post mundi ingressum per Incarnationem exponit, in qua Deum habuit, cùm priùs solùm Patrem haberet, ipse testatur. *In capite libri scriptum est de me, ut facerem voluntatem tuam, Deus meus volui.* Et inferiùs: *In qua voluntate sanctificati sumus per oblationem corporis IESV Christi semel.* Illam, scilicet, oblationem voluntariam, de qua Isaïas, cùm eum priùs *virum dolorum* nominasset, posteà subjecit: *Oblatus est, quia ipse voluit.* Et idem in Evangelio: *Quoties volui congregare filios tuos sub aliis.* Iterùm: *Non sicut ego volo, sed sicut tu.* Et D. Marcus: *Neminem voluit scire, & non potuit latere.* Quem locum D. Maximus Martyr, D. Sophronius Patriarcha Jerosolymitanus, & D. Agathon Pontifex Romanus de humana voluntate, cui resisti potest, non de divina interpretantur; de qua Mardochæus: *Non est qui possit tuæ resistere voluntati.* Licèt enim humana voluntas cuperet, ut illud miraculum supprimeretur, divina, quæ valentior est, & cujus illa nutum sequebatur, malebat, ut ad uberiorem gloriæ divinæ manifestationem panderetur; & tandem palmam reportavit. Ad hæc, Christum obedientia associavit: *Factus* enim *est, obediens usque ad mortem:* Et *Didicit ex iis, quæ passus est, obedientiam.* Obedientia autem voluntatem assectatur.

Psal. 39. 9. Heb. 10. 7. 10. Isai. 53. 7. Matth. 23. 37. Matth. 26. 39. Marc. 7. 24. D. Maxim. disput. cont. & Pyrrh. Monotel. apud Bar. tom 8. in appendice. D. Sophron in sua Epist. in 6. in Synod. act. 11. D. Agathon in Epist. ad 6. Synod. act. 4. Esth. 13. 9. Philip. 2. 8. Heb. 5. 8.

Actum etiam nolendi habuit.

5. *Abass.* Rectè probatum, volendi actu Christum pollere; quid de actu nolendi? *Rom.* Probat ipse, cùm ait: *Dimittere eos jejunos nolo.* Et D. Joannes: *Non enim volebat in Judæam ambulare.* Cùm in Christo esset velle, & nolle; velle autem, ac nolle humanum; cúmque in eodem divina voluntas similibus actibus gemmaret; planum est, quamque istarum potentiarum actibus sibi agnatis ingravescere; quia unicuique potentiæ suus actus naturalis suo jure debetur.

Matth. 15. 32. Joan. 7. 1.

Duæ voluntates in Christo non dimicabant.

6. *Abass.* Si in Christo fuit velle, ac nolle, & duplex voluntas; altera rem aliquam amplecteretur, altera repudiaret; imò illius contrarium eligeret; atque ita in se invicem voluntates digladiarentur. *Rom.* Duobus actibus voluntas turgescit. Alter dicitur efficax, quo res adeò graviter intendit, ut in sola ipsarum executione conquiescat; eúmque hac voce *Volo* solemus explicare. Alter inefficax, quem verbo, *Vellem* declaramus; cùm rem ità frigidè sectamur, ut numquàm illam executioni mandemus aut quia est impossibilis, aut quia robustior in contrarium ratio voluntatem ab illius consectatione deflectit. Hi duo actus se ab eadem voluntate non semper expellunt. Potest enim Rex efficaci destinatione in bellum proficisci, & inefficax votum habere domi remanendi, ne suus discessus ansam præbeat civilium seditionum. Potest sontem aliquem neci ob atrocia facinora serió ad judicare, velle autem remissiùs, ne occidatur, ob propinquorum nobilitatem, quin hæc voluntas illam, utpotè fortiorem abrumpat. Apud divinam voluntatem similes actus divertunt. Principiò enim obfirmatè dixit: *Faciamus hominem.* Posteà: *Pœnituit eum, quod hominem fecisset.* Ante diluvium: *Delebo hominem, quem creavi,* quæ constans, est voluntas, sed illud: *tactus dolore cordis intrinsecùs;* aliam repugnantem, sed imbecilliorem ostendit. Non tamen sibi invicem hæ volũtates inimicantur, cùm semper inefficax cedat efficaci.

Genes. 1. 26. Genes. 6. 6. 7.

Divinæ Christi voluntati semper humana cessit.

7. *Abass.* Ad Christi voluntates hæc transferto. *Rom.* Humanam Christi voluntatem pulsabat affectus inefficax sibi parcendi, & mortis defugiendæ, quem illa oratio indicavit: *Pater si possibile est, transeat à me calix iste.* Hunc tamen ab eo propellebat alius robustior humanam voluntatem divinæ submittendi, quem illa verba produnt: *Verumtamen non sicut ego volo, sed sicut tu,* Et illa: *Non mea, sed tua voluntas fiat.* Quæ hîç voluntatum pugna, ubi summa regnat concordia; & de humana suum tantùm affectum pandente, sed inofficiosum quemvis motum cohibente, divina triumphat? *Meus,* inquit ipse Christus, *cibus est, ut faciam voluntatem ejus, qui misit me.* Iterùm: *Non quæro voluntatẽ meam, sed voluntatem ejus, qui misit me.* Iterùm: *Ego, quæ placita sunt ei, facio semper.* Qui semper Patri suo obsecundat, suam voluntatem illius voluntati repugnantem in aciem nunquàm emittit. Quod his verbis sexta Synodus generalis definivit: *Prædicamus in Christo duas naturales voluntates, non contrarias; sed humanã ejus voluntatem, sequentem, & non resistentem, neque reluctantem, sed potiùs subjectam divinæ ejus, atque omnipotenti voluntati.* Et D. Leo Magnus: *Semper superiori voluntati voluntas cessit inferior.*

Matth. 26. 39. Luc. 22. 42. Joan. 4. 34. Joan. 5. 30. Joan. 8. 29. 6. Synod. act. 17. D. Leo serm. 5. de Passione.

Affectus humanæ voluntatis non impleti carnis Christi veritatem confirmabant.

8. *Abass.* Quorsùm inefficax ille in humana Christi voluntate affectus, si nunquàm erat in effectum deducendus, sed à divina superandus? *Rom.* Unicum Christi erat institutum, ut se verum Deum, sic etiam verum hominem comprobare. Verus autem homo non esset, si humanis potentiis, earúmque affectibus careret, ut de illis, quos Theologi propassiones vocant, cap. 8. n. 12. & 13. inculcavimus. D. Cyrillus: *Deus Verbum,* inquit, *fecit Incarnationem suam sua via procedere, quia est de nostra substantia; & ipse quidem voluit in humanitate paulatim divinitatem suam declarare.* Alibi: *Si creditis, & confitemini, quòd Christus homo verè factus est, quomodò non ei convenit dicere, quod homini convenit?* Alibi: *Si necessarium est credere, quòd Deus existens naturâ, factus est caro, sive homo animatus anima rationali; qualem utique habeat rationem, erubescere in verbis ejus quasdam, si facta sunt homini concedentes? Si enim recuset hominem decentia verba, quis est, qui eum fieri hominem*

D. Cyril. p. 50. n. 16. p. 55. n. 54. Epist. 10. ad Nestor.

Digitized by Google

coëgit ? Qui verò descendit propter nos in spontaneam exinanitionem, quare recusaret exinanitioni convenientia verba ?

Affectus illi in Christo peccati affectæ non erant.

9. *Abass.* Si voluntatem, & illius affectiones, quia naturales sunt, Christus admisit, illos etiam motus induet, qui ad peccatum ducunt. Non erit ergo impeccabilis. *Rom.* Primi motus nec in hominibus, quorum *sensus & cogitatio, in malum prona sunt ab adolescentia sua*, peccati contagio polluuntur; sed ii tantùm, quos liberæ voluntatis obliquitas in nequitiam contorquet: *Carnis curam*, inquit D. Paulus, *ne feceritis in desideriis.* Iterùm: *Desideria carnis non perficietis.* Non assultus inopinos damnat, sed curam, & attentionem. Neque enim prima desiderii titillatio, aut iræ excandescentia, sed mora, & consummatio peccatum advehit. At Christo nulli motus improvisi assiluêre, cùm semper ipsos ratio, rationem autem Verbi imperium tamquàm dexteri moderatoris manus equi fræno obtemperantis cursum præverteret. Ut ergo sensitivi appetitus affectiones Verbum assumpsit, nec in iis virtutis normam transiliit, quia illas ad præfixas tantùm metas excurrere, nec indè digredi patiebatur, ut vidimus cap. 8. num. 12. sic annuit, ut in humana voluntate naturalis non moriendi affectus (qui etiam in aliis hominibus nullius est noxæ) consurgeret. Eum verò divinæ voluntatis decreto ad obedientiam, & consensionem cum illa testandam subjecit.

Genes. 8. 21. *Rom.* 13. 14. *Galat.* 5. 16.

D. Joan. Chrysost. hom. in cap. 12. Joan. & serm. contr. eos qui Miss. non audiunt.

D. Joannes Chrysostomus: *Quemadmodum, inquit, esurire crimen non est, neque dormire; ita neque præsentem vitam affectare.* Alibi: *Nolle mori carnem, reprehensio non est, quoniam hoc naturæ est; ipse autem, quæ naturæ sunt, omnia absque peccato ostendit.* D. Cyrillus: *Invenies in Christo easdem carnis passiones motas fuisse, non ut obtineant, sicut in nobis; sed ut agitatæ destruantur virtute inhabitantis Verbi, in melius redacta eadem natura.*

D. Cyril. in Thesf. lib. 10. cap. 3. cit. in 6. Synod. act. 10.

Patrum testimonia de duabus voluntatibus.

10. *Abass.* Voluptati mihi foret, si aliquas de duabus hisce voluntatibus Patrum sententias recitares. *Rom.* Paucas è multis à sex Patribus celebrioribus decerpam. D. Athanasius. *Cùm dicit: Non mea, sed tua voluntas fiat; & non sicut ego volo, sed sicut tu; duas voluntates ibi ostendit; alteram humanam, quæ est carnis; alteram divinam.* D. Gregorius Nyssenus: *Dominus mundum sibi reconcilians distribuebat animæ, corporisque beneficium, volens quidem per animam, tangens autem per corpus.* Alibi: *Quoniam altera voluntas humana, & altera divina est, dixit: Non mea voluntas fiat, humanam præsenti sermone significans; addens autem, tuam, ostendit cognationem propriæ voluntatis ad Patrem cujus divinitatis nulla est differentia propter unitatem naturæ.* D. Gregorius Nazianzenus: *Nec illius velle est contrarium Deo, cùm deificatum sit totum.* Quod autem deificatur, Dei est, non ipse Deus. Et infrà: *Verumtamen non sicut ego volo, sed tua prævaleat voluntas.* D. Epiphanius: *Cùm dicit: Non mea voluntas, sed tua, ostendit verè mentem humanam, sed sine peccato.* D. Joannes Chrysostomus: *Præponit ubique suæ paternam voluntatem, illi suam concordem ostendens.* Alibi: *Non angorem solùm, & tristitiam hæc verba significant, sed etiam duas voluntates; unam quidem Patris, unam Filii inter se contrarias. Dicere enim: Non ut ego volo, sed sicut tu; hoc indicat.* D. Aforosius: *Eò usque hominem, quem veritate corporis demonstrabat, æquabat affectu, ut diceret: Non quod ego volo, sed quod tu.* Infrà: *Alia voluntas hominis, alia Dei. Suscepit ergo voluntatem meam; suscepit tristitiam meam. Ut homo locutus est, ideò ait: Non sicut ego volo.*

D. Gregor. Nyss. lib. 2. contra Eunom. & lib. contr. Apollin.

Matth. 26. 39.

Luc. 22. 42.

D. Gregor. Naz. Orat. 2 de Filio.

Matth. 26. 39.

D. Epiph. hæres. 69.

D. Joan. Chrysost. hom. in Matth. 26. 39.

Orat. quòd quæ humiliter dicta, & facta, &c.

D. Ambros. lib. 2. de Fid. cap. 2.

Chrysostomus, Ambrosius, Gregorius Nyssenus, Gregorius Nazianzenus, Aforosius, Epiphanius, Joannes Damascenus, Cyrillus Alexandrinus, Athanasius, Basilius, Proclus, Abolidis, Heraclis, Joannes Constantinopolitanus, Gregorius Papa, Joannes Hierosolymitanus, Theodoretus, Leo Papa, Maximus, Agathon Papa, Germanus, Andreas Cretensis, Damascenus, Theodorus Studita, Nicephorus, Theophanes, Nicolaus Papa, Photius, Joannes Damascenus, Euthymius, Theophylactus, Zonaras, Balsamon, Joannes Antiochenus, Joannes Phurnes, Joannes Bekkus, Nicolaus Methonensis, Nicolaus Hydruntinus, Joannes Apocaucus, Nicephorus Blemmydes, Joannes Cyparissiotes, Joannes Veccus, Gregorius Cyprius, Joannes Cyparissiotes, Joannes Cantacuzenus, Joannes Damascenus, Joannes Damascenus, Joannes Damasc

S. Ioan. Damasc. 3. de fide, cap. 15. D. Cyril. l. 12. Thes. cap. 1. Ioan. 10. 30.

approbatus, à D. Joanne Damasceno, & D. Cyrillus in Thesauro: *Quorum*, inquit, *virtus, & operatio, una, & eadem est: eorum una, & eadem est natura.* Cùm igitur una, & eadem sit Filii, atque Patris natura: *Ego enim, & Pater unum sumus*: Eadem est divinitatis operatio.

Cùm Christus homo sit, non potest non habere humanam operationem.

3. *Abass.* Divinam à Christo operationem nemo nisi qui Deum negaret, unquàm removit; humanæ nos cura sollicitat. *Rom.* Eam solus inficiabitur, qui eumdem humanæ naturæ separatione truncum reddiderit. Hæc enim est, sicut & cæteræ creatæ impensè operosa; dùm de omnibus in Genesi affirmetur: *Cessavit ab omni opere suo, quod creavit Deus, ut faceret.* Id est, interprete Cajetano, ut ipsæ res creatæ inditarum sibi formarum, & potentiarum ministerio operarentur. Cùm ergo ultra divinam formam, in qua Verbum semper fuit, humanam posteà acceperit, humanis etiam operationibus incubuit, ut sequentes Patres affirmant. Divus Athanateus: *Consummavit omne opus humanitatis, secundùm ordinem suum.* Alibi: *Approximavit* sibi opus *carnis præter peccatum tantùm.* Divus Gregorius Nyssenus: *Est ex vestra substantia ex parte humanitatis in omni opere, sine peccato.* D. Epiphanius: *Deus verbum quando pervenit ad dispensationem suam, & incarnatus est in anima rationali, perfecit omnia, quæ sunt humanitatis, ex peccato tantùm.* Theophilus: *Factus est noster consanguineus in omni opere nostro.* D. Cyrillus: *In ipso est omne opus humanitatis circa carnem, præter peccatum tantùm.* Alibi: *Perfecit omnia, quæ erant nostra, excepto peccato.* Infrà: *Faciebat opera, quæ humanitatem decebant.* Idem p. 52. sex locis; p. 53. duobus p. 55. tribus commendat.

D. Athan. p. 4. n. 33. & p. 15. n. 144. D. Greg. Nyss. p. 2. n. 6

D. Epiphan. p. 3. n. 4.

Theoph. n. 12. D. Cyrill. p. 4. n. 6. p. 51. n. 12. 64

Animæ vegetativæ, sentientis, & rationalis operationes in Christo.

4. *Abass.* Singillatim cuperem expositum, quæ in Christo sint illæ operationes humanitatis *Rom.* Cùm, ut suprà notatum, operationes formarum sint consectariæ, & quæque forma peculiarem sibi venditet operationem, & Christum ex dictis cap. 8. n. 7. rationalis imbuat; hæc autem vegetativam, & sensitivam ad se trahat, ut lib. 2. cap. 16. n. 5. & 6. præter privatos sui gradus, vegetantis etiam, & sentientis operationes ad se accersit; De operationibus animæ vegetantis, quæ sunt nutritio, & accretio, aliquid delibatum cap. 8. n. 14. Hìc solùm ostendendum, eas proprias esse humanitatis, nec ad divinitatem referendas. Deus enim victu non indiget. *Numquid*, inquit, *manducabo carnes taurorum, aut sanguinem hircorum potabo?* Christum autem frequenter mensis accubuisse legimus; comedebat autem verè, non phantasticè, ut præter Patres citatos cap. 8. n. 14. tradit D. Gregorius Nyssenus apud Sayros: *Quando*, inquit, *Verbum factum est caro, sicut nostra caro, non fecit sibi aliam divisionem in alia similitudine phantasmatis; sed secundùm consuetudinem confortavit carnem suam in comedendo, & bibendo; & in ipsa manifestavit, quòd sit verè factus homo.* Si juxta hosce Patres, verè Christus, & sicut homines, comedebat, cibum planè in suam substantiam, humanam scilicet, convertebat; nam divina conversionis, tam activæ, quàm passivæ est ignara. Accretionem etiam non divinitatis, sed humanitatis esse operationem cap. 20. n. 9. indicavimus. Divinitas enim, quæ omnem locum occupat, contrahi, vel dilatari nequit; sola humanitas gestit à minori mole in ampliorem deduci.

Operationes animæ sentientis, & rationalis in Christo.

5. *Abass.* Quæ sunt in Christo animæ sentientis operationes? *Rom.* videndi, audiendi, odorandi, gustandi, tangendi, appetendi, & loco se movendi, de quibus actum cap. 8. n. 13. & cap. 20. n. 9. de rationalis etiam formæ operationibus toto cap. superiori, & cap. 8. n. 9. 10. 11. 12. Quibus addendæ ipsæ passiones, quas n. 1. operationes etiam dicendas censuimus; quia sunt actus passivarum potentiarum, quæ procul sunt à divinitate, ut lib. 2. cap. 10. n. 4. ad humanitatem verò, quæ palæstra est infirmitatum, & externarum impressionum tamquàm ad propriam sedem contendunt. Quamquàm alioquoque ex titulo D. Chrysostomus Christi passioni operationis nomen addendum judicet: *In eo enim*, inquit, *quod perpessus est, ingens illud, & admirabile facinus patravit; quòd mortem delevit, plurimque alia confecit.*

Ipsa Christi passio operario fuit. D. Cyril. p. n. 11. p. 50. n. 19. D. Chrys. hom. in Acta, apud D. Joan Damasc. 3. de Fide c. 15.

6. *Abass.* Non unam tantùm humanitatis operationem, sed plures: nempè nutritionem, accretionem, quinque sentuum externorum, & duorum internorum, potentiæ motivæ, intellectus, & voluntatis, imò ipsius passionis actus enumerasti. Ne ergo dicas, Christum duarum, sed multarum operationum surculis frondescere. *Rom.* si operationes ipsas cum suis objectis conferamus, plures specie diversæ, sicut eas recensuisti, ex humanitate erumpunt; si autem modum intueamur, quo ab operante egrediuntur, una tantùm humana in Christo vernat operatio. In hominibus enim in genere duæ cernuntur operationes; altera naturalis, & necessaria; quales sunt, nutritio, accretio, omnes sensuum, & primæ voluntatis ipsius motiones, altera libera, quæ propriè dicitur humana. Hæc sola Christi humanitatem insedit; & prior illa penitùs ab ipsa exulavit. Nulla enim fuit altricis etiam animæ, & sentientis operatio, quæ ipsius libertatem, & imperium præcurrerit; sed omnes ab ipso habenis compressæ, & ad rectæ rationis præscriptionem emissæ, ut asseruimus cap. 7. n. 16. & cap. 8. n. 12. & 15. Nemo enim hominum *cogitans potest adjicere ad staturam suam cubitum unum*; quia nutritio, & accretio cogitantis arbitrio non subduntur; Christus autem primo illo voluntatis actu, quem ipso conceptionis instanti elicuit, dicens, *Deus meus volui* (de quo egimus cap. superiori n. 4.) voluntarias fecit non solùm eas actiones, quæ ab aliis liberè prosiliunt; sed illas etiam, quas naturæ necessitas provolvit: aut ab externis violenter inferuntur.

Duæ sunt Christi operationes in genere, licèt plures in specie.

Matth. 6. 27

Psalm. 39. 9. Heb. 10. 10.

7. *Abass.* Quæ hactenùs tradidisti, rectè probant, divinitatem, & humanitatem, si separatim consisterent, propriam operationem habituras, non autem duas habere, dum sunt invicem connexæ. Ut enim sunt unum in Christo, sic una tantùm debent operatione innotescere, ne ipse in duos divisus existimetur. *Rom.* ut enucleatè procedamus tuam istam percontationem tribus assertionum

Tribus assertionibus hæc materia expeditur.

Digitized by Google

fertiunculis tranquillabo. Prima sit, in Christo esse quasdam operationes, quæ primo statim intuitu & divinæ, & humanæ judicantur; quasdam, quæ solùm divinæ; alias, quæ solùm humanæ videntur; omnes tamen esse divinas, & humanas. Secunda; operationes humanitatis, & divinitatis nunquàm à se invicem divelli, sed alteram alteri fidem semper consortium præstare. Tertia; in ea conjunctione non unam, sed duas omninò operationes radiare.

Aliquæ operationes in Christo mistæ; aliæ purè divinæ, aliæ purè humanæ. *Matth.* 8. 3. *Joan.* 6. 10 11 D. Athan. Epist. ad Antioch. & Orat. 4 contr. Arian & ad Maxim. Philosoph. de Divinit. D. Ambros. Epist. 47. *Joan.* 9. 6. 7. *Joan.* 11. 30. 44. *Matth.* 27. 50. 52.

8. *Abass.* Primam assertionem constabilito. *Rom.* Humana fuit operatio, dexteram ad leprosum protendere; divina, maculosæ pellis lentiginem abstergere, Humana, panes manibus prehendere, & oculos in cælum jacere; divina illos multiplicare, & quinque hominum millia saturare. Humana, in terram expuere, lutum saliva subigere, & cæci oculos illinere: divinâ, eosdem luce, visúque perfundere. Humana, quærere, ubi sit Lazarua, & magna voce indicere, ut foras erumpat; divina, illum ad vivos evocare. Humana, spiritum in cruce exhalare; divina, mortuorum sepulchra reserare, corpora, atque animas iterùm connectere, & se ipsum à tumulo excitare. Operationes, quæ purè divinæ videntur, sunt illæ, quæ Verbi, quatenùs Deus est, propriæ sunt, ut illæ, de quibus actum num. 2. & omnia posse, omnia nosse, & similia. Purè humanæ videntur: nutritio, accretio, loci mutatio, & omnium sensuum negotiationes.

Omnes Christi operationes sunt simul divinæ & humanæ per unionem. D. Procl. D. August.

9. *Abass.* Quid illud, quod ad finem proximæ illius assertiunculæ addidisti, omnes illas operationes, sive purè divinæ, sivé humanæ videantur, simul divinas esse, & humanas? Datur ergo inter illas conversio: si inter operationes, cur non inter naturas? *Rom* Ut operationes divinæ sunt, & humanæ (nempè per unionem) sic & naturæ. Nam D. Heraclis à nobis citatus cap. 7. num. 5. vocat carnem divinam. D. Augustinus cap. 22. num. 12. humanam divinitatem, & divinam humanitatem: quia altera alteri sunt unitæ, & communi consortio operantur; non illa tantùm distinctione, quâ usi sumus numero superiori, in quo manus extensio, oculorum elevatio, sputi, & spiritus emissio humanitati: lepræ depulsio, tot millium saturatio, cæci illuminatio, Lazari, & aliorum vitâ functorum suscitatio divinitati delegantur: sed quòd nulla operatio ità vilis sit in Christo, quæ non à divinitate: nihil ità excelsum, quod non ab humanitate proficiscatur. Quid tam abjectum, quàm nutritio, accretio, & passio? Licèt autem operationes istæ peregrinæ sint à divinitate, & peculiares humanitatis: humanitas tamen sine divinitate non crescebat, nec patiebatur, ut lib. 6. cap. 4. n. 10. & 15. ostendendum. Quid tam gloriosum, quàm lepræ detersio? Hanc tamen comitatus est humanæ voluntatis actus, cùm dixit: *Volo*: *Mundare*. *Matth.* 8. 3.

10. *Abas.* Id esse videtur, quod in secunda assertione innuisti: operationes divinitatis, & humanitatis nunquàm à se invicem divelli, sed alteram alteri fidum semper consortium præstare. *Rom.* Punctum omninò Patrum calculis tulisti. Nam eorum antiquissimus D. Deonaceos ait: *Divina, non quatenùs Deus, perficit; neque humana, quatenùs homo; sed cùm nobiscum versatus sit Deus homo factus, novam quamdam Dei, virique actionem instituit. Deus ut homo apparuit; & homo, ut Deus operatus est.* D. Hippolytus. *Idem Deus totus, & homo totus; divinitate quidem divina operans per sanctam carnem, quæ naturâ non erant carnis; humanitate verò, humanâ quæ natura non erant divinitatis, patiens, sustentatione divinitatis; nihil divinum nudum corpore operans, nihil humanum expers divinitatis; servans sibi novum modum, quo utraque divina, scilicet, & humana operatus est, ut in neutra natura mutatio fieret.* Infrà: *Per carnem divinè operans quæ divinitatis sunt, Deum, scilicet hominem se esse demonstrans per ea, quæ utroque modo; divinè, scilicet, & humanè operatus est.* D. Athanasius: *Sicut verbum carnis infirmitates bajulabat, ut suas (neque id mirum, erat enim caro ipsius) ita rursùs, cùm caro suo ministerio divinitatis operibus, inserviebat, illa opera in carne fiebant, quia caro illa erat corpus Dei.* Planiùs alibi: *Fiebant ista non divisim secundum factorum qualitatem; ut hæc quidem designarentur à corpore, sed conjunctim. Vnusque erat Dominus, qui illa faciebat. Spuebat quidem, ut homo, sputamentum tamen illud divinum erat.* Ayocandius: *Credimus ab omnibus, quæ humanitas fecit, separatam non fuisse divinitatem neque unà horâ, & venisse Dominum nostrum, & conjunxisse divinitatem cum humanitate: neque fuisse unquàm separatam unionem in ullo opere.* D. Cyrillus: *In forma hominis operatus est in conjunctione duarum substantiarum in unione.* Infrà: *Fecit signa divinitatis, & humanitatis simul.* Alibi: *Perfecit miracula divinitatis, uniendo se cum humanitate.* Alibi: *Sua dicit Deus Verbum, ea, quæ sunt carnis propria, quia ipsius est corpus, & non alterius, & communes facit, tamquàm cum carne sua divina majestatis operationes: ut possit etiam sanare infirmos, & mortuos vivificare.* Hinc D. Gregorius Nazianzenus humanitatem vocat *divinitatis sociam*: quòd nempè neutra ab alterius unquam communione discedat; nosque admonet, *ut per divinas Christi voces divinè, per humanas humanè: imò divinè incedamus*; quia nulla est humana operatio, quam divinitas sua unctione non intimè perfuderit.

Nihil divinitas sine humanitate, nec humanitas sine divinitate operatur. D. Dionys. Epistola 4. ad Caium D. Ignat. Epistola 14. ad Ephes. D. Hippolyt. lib. de Theolog. & Incarnat. D. Athan. Orat. 4. contra Arian. In dict. Evang. Si quis dixerit verb. in Spir. S. Ayocand. seu D. Innocent. n. 4. D. Cyrill. P. 47. n. 49. 62. P. 51. n. 63. Lib. de Incarn. cap. 7. D. Greg. Naz. Orat. 42. Orat. 36.

11. *Abass.* Si tanta utriusque operationis communio, cur non potiùs unica dicetur; quod insinuant illa verba D. Deonaceos Areosfagos à te superiori numero producta: *Deus homo factus novam quamdam Dei, virique actionem instituit? Rom.* Ab scopo non omninò deflectis. Agnoscunt enim in Christo Patres quamdam actionem, quæ à Græcis dicitur Theandrica, à Latinis Dei virilis, (à vobis dici potest

Actio Theandrica in Christo: una nomine, re duplex est. D. Dionys.

Digitized by Google

potest [Amlac sabuit] ex humana, divinâque conflatam; quia, ut docet juxta prædicta Damascenus, *Christus humana non humano modo factitabat, ut qui non solum homo, sed etiam Deus esset (unde etiam ipsius passiones vivifica extiterunt) nec rursus divina divino modo agebat; quandoquidem non Deus solùm, sed etiam homo erat; eáque ratione per tactum, & sermonem miracula efficiebat.* Metoligon: *Vnum est opus ejus sine divisione, sicut antiquitùs.* Erat autem illa actio re duplex, & una tantùm nomine; quatenùs humana divinæ jussui subjacebat, & ambæ ab uno operante egrediebantur, & in unum opus tendebant. Quia in eamdem Lazari suscitationem, & divinæ voluntatis decretum, & oris clamor ab illâ imperatus collineabant; & una dicitur ligni vectura, sive ab uno, sive à centum viris extrahatur. Re tamen plures sunt actiones, non solùm cùm diversi sunt, sed quandò unus, atque idem operator. Quod D. Hippolytus, Maximus Joannes Damascenus, & sexta Synodus sequenti exemplo manifestant. Si extruendam domum animo moliaris, eámque voluntatem linguâ, seu scripto expromas, alia est animi cogitatio, alia locutio, & exarantis dexteræ excursio; Cogitatio enim spiritualis est, & animi claustris contenta; locutio, & scriptio, corporeæ, & visibiles actiones; una tamen vulgò reputantur propter mutuam conjunctionem, & exterioris erga internam subjectionem. Ità cùm duæ sint in Christo divinitatis, & humanitatis operationes, una dicuntur; sicut Fidelium cor unum & anima una, quòd humana voluntas, & externarum facultatum functiones à divinæ nutu nec tantillùm unquàm dissiderent.

D.Ioan.Damasc. lib.3. de Fid.c.15.

Metoligon. n. 5.

D.Hippolytus ubi suprà. D.Maxim. disp.cont. Pyrrh. D.Joan.Damasc. lib.3. de Fid. c.15. 6.Synod. act.17.

Act.4.32.

12. *Abass.* Si illa duarum operationum compositio, & connexio satis est, ut dicantur una, Theandrica, seu Dei-virilis, similis compositio sufficiet, ut ex duabus Christi naturis una fiat. *Rom.* In hanc rem si protervè connitaris, in Nestorii, & mox in Eutycheris castra transfugium adornabis. Nestorius enim eo pacto duas personas; & Eutychiani duas naturas in unam transfigurare laborabant. Sed alia ratio est operationum, alia naturarum; quia operationes accidentalem ordinis, & subjectionis unionem admittunt, sub qua plures manent, naturæ veram tantùm, & essentialem, & ideò quælibet cognatam sibi operationem nanciscitur. *Rationis enim fines egreditur*, inquit Aristoteles, *duorum specie diversorum unum actum, eumdémque esse.* Et D. Basilius: *Quorum una substantia non est, non est una operatio.* Cùm igitur divinitatis, & humanitatis non sit una substantia, sed duplex: duplex illi operatio respondet; quia operatio necessaria est cujusque subsantiæ (quamvis alii conjuncta sit) appendix. Ut videmus in ferro candenti, ubi duæ ferri, atque ignis substantiæ se implicant, & ferro sua inest operatio, quâ deorsùm truditur: igni sua, quâ sursùm elevatur. Ferrum secat, ignis comburit, nec quisquam prudens igni descensum, & sectionem, aut ferro in superna contentionem, aut ustionem assignabit. Prætereà humanitatis substantia est creata, divinitatis increata. *Rei autem creatæ*, juxta D. Cyrillum; *& increatæ non potest esse una operatio, ne aut creatura in dignitate divinæ essentiæ collocetur, aut, Deus in creaturarum conditionem deprimatur.* & D. Hippolytus: *Impossibile est, operationes divinæ naturæ fieri proprias diversæ substantiæ.* Expressè autem à Patribus Christi operationes bifariam distribuuntur.

Ex duabus operationibus fieri potest una composita per accidens; non ex duabus naturis.

Diversæ specie naturæ diversas operationes vendicant. Aristotel. 3. Phys.cap.3. text. 20. D.Basil. lib. 4. contra Eunom. D.Maxim. disp.cont. Pyrrh. Monothelitam. D.Ioan.Damasc. 3. de Fid.cap. 15. & 17.

Rei creatæ & increatæ non potest una esse operatio.

D.Cyril. 12. Thes. cap.1. cit.in 6. Synod. act.10. D.Hippolyt. lib.de Theolog.& incarn.

13. *Abass.* A quibus id Patribus factitatum? *Rom.* A sequentibus tam in suis Codicibus, quàm in vestro, D. Deonaceos Areosfagos: *Ex nobis verè, integréque humanatum est verbum, quod est supra substantiam; operatum, & passum, quanta humanæ ejus, & divinæ operationi congruunt.* D. Justinus: *Sicut lucem à corpore, in quo est, nemo re ipsa secernere potest; cùm autem ratione, & cogitatione separaverit, naturam cognoscet, cujus est propria operatio; sic in uno Dei Filio omnem quidem actionem ab una Filii proprietate nemo sejungere potest; cujus tamen naturæ proprium est, quod agitur, ratione dignoscitur.* D. Athanateus. *Si viderimus eum per instrumentum propria carnis divinum quid agentem, sive loquentem, cognoscamus, quia Deus existens hæc operatur.* Infrà: *Si viderimus eum humanè loqui, vel pati, non ignorèmus, quòd carnem induens factus est homo; atque inde fieri, ut ista dicat, vel faciat. Rectam enim Fidem tuebimur, si quod utriusque naturæ proprium est, considerantes, ab uno utraque præstari animadvertamus. Id si à nobis fiat, nunquàm in errorem prolabemur.* Infrà: *Si verbum caro factum est, ergo carni, & sua qualitas, diversaque à Verbo affectiones sunt. Rursùs, si caro in Verbo Deum gestat, gratiam indè, commodáque percipit.* Vide suprà n. 10. D. Hilarius: *Divinam operationem unam habet ex æterno cum Patre, & temporalem humanam operationem homo factus pro nobis, in se ipso indiminutè suscepit, ut veraciter utrumque esset, & ex propriis naturarum operationibus nosceretur.* D. Feliquis Pontifex Romanus, & Martyr: *Nomen duarum partium est omni tempore in opere, & in re, quæ sunt divinitas, & humanitas.* D. Ephrem. *Perfectus in una substantia* (legendum hypostasi) *operatur, quod est duarum substantiarum.* D. Gregorius Nyssenus: *Vidistine, quomodò in ipso sint duo opera simul? Hic est Deus, & homo.* Alibi: *Jejunans quadraginta dies, posteà esuriit. Dedit enim, quandò voluit, naturæ tempus propria operandi.* Ibidem: *Caro passibilis naturæ est, operatricis autem Verbum. Et neque caro opifex est existentium, neque divinitas passibilem habet virtutem.* Alibi: *Possibile non est, ut quæ secundùm naturæ rationem distant, invicem ad operationum speciem conjungere; Nequaquàm enim refrigerat ignis, neque calefacit crystallus; sed cùm differentiæ naturarum ab invicem disjunguntur, etiam quæ ab eis sunt, operationes:*

Duæ operationes à Patribus Christo tribuuntur. D. Dionys. de divin. nom. cap.2. D.Justin.lib. de Recta confess.

D.Athan. Orat.4.cont Arrian. Ibid.

Ibid.

D.Hilar. lib.9. de Trinit.

D.Felix p.s n.2.

D. Ephrem. P.5. n.9.

D. Greg. Nyss.p.4. n.18. & lib. 5.cont. Eunom. *Matth.* 4.2.

In Epistola ad Eustathium.

Digitized by Google

D. Ambros. lib. 2 Fid. cap. 4. *Ioan.* 5. 19.

operationes. D. Aforosius : *Quomodò si minor est, eadem facit similiter, quæ Pater facit? Nam quemadmodùm eadem operatio diversæ est potestatis? Numquid sic potest minor, quemadmodùm major operari? Aut una operatio*

D. Epiphan. p. 3. n. 26.

potest esse, ubi diversa substantia est? D. Epiphanius : *Nos autem scimus : Dominum infirmatum esse carne, qui non infirmatur in divinitate,* D. Joannes Chrysostomus Apostolum Thomam ità loquentem inducit : *Pugavi animam à perfidia, & exui me ambigua sententia; assumpti credulum sensum; accepi corpus gaudens, ac tremens; expandi cum digitis & animæ oculum, & duas per hæc operationes sensi.* Senuteon illud D. Heraclis testimonium producit : *Confitemur, ipsum esse unum Dominum, qui est IESVS Christus, patrator operum divinorum; & prætereà patrator humanorum.*

D. Ioan. Chrys. hom de Thoma Apostolo. *Ioan.* 20. 27

Senuteon p. 2. n. 6. D. Procl.

D. Cyril. testimonia. P. 9. n. 16.

14. *Abass.* D. Cyrilli monumenta oblivioni ne commendes. *Rom.* Unus pro cunctis sufficeret. Nam p. 9. *Manifestavit*, inquit, *quòd mors est filii hominis, & resurrectio ex mortuis, opus divinitatis. Agnoscimus duas has operationes.* Alibi : *Quamvis participavit carni, & sanguini, nihilominùs*

P. 17. n. 3.

P. 22. n. 7.

opus ejus, sicut priùs mansit. Alibi : *Nos cognoscimus, eum esse ex duabus substantiis, quarum opera differunt; quia non est unum opus æquale substantiæ divinitatis, & substantiæ humanitatis.* Infrà : *Nos credimus, opus substantiæ divinitatis, & humanitatis nunquàm*

n. 16.

miscerì, neque dividi. Alibi : *Secundùm opus hominis in morte passus est; & secundùm opus*

P. 33. n. 5.

P. 47. n. 43.

P. 48. n. 41.

divinitatis mortem devicit. Alibi : *Est unus tantùm, idem persistens facit hoc, & illud.* Alibi : *Decet esse verè duo opera firma in hoc unigenito; & non pati in divinitate; sed caro ejus*

P. 52. n. 46.

est, quæ passa est. Alibi : *Quamvis perfecit mysterium humanitatis, idem æqualis est Patri*

n. 48.

in omni opere. Infrà : *Opera, quæ conveniunt divinitati, & humanitati, ipsi imputamus promiscuè in unione.* Infrà : *Ipse habet opera, quæ*

n. 51.

humanitati conveniunt, quam sponte induit; & ulteriùs habet opera divinitatis, quia est

n. 61.

Deus. Infrà : *Opera humanitatis attribuimus dispensationi Incarnationis Christi. Opera verò, quæ divinitatem decent, servamus ipsi, & facimus illa divinitati.* Infrà : *Cum jejunavit in*

n. 113. *Matth.* 4. 2.

virtute, quæ decet ipsius divinitatem, declaravit divinitatem suam, quæ nunquàm infirmatur à fame, & siti; & posteà esuriit, ut declararet, quòd ipse sit ex duabus substantiis, quia est

n. 119.

Deus, & homo. Infrà : *Etsi fuit in forma servi, tamen permansit in opere, in quo prius erat.*

P. 55. n. 20.

Alibi : *Non confunditur, neque miscetur illud, quod habebat Deus noster Emmanuel; sed clarè agnoscimus, esse unum cum ipso; & esse eumdem in opere divinitatis, & humanitatis.*

Hæretici duarum operationum impugnatores.

15. *Abass.* Cùm tam expedita sit veritas, quorsum illam adeò refractarii lacessunt in uostro Libro Theodosius, Sayros, Benjamin, uterque Joannes, Cyriacos, Deonaceos, Gabriel, Cosmos, Athanateus, Christodûlos, Mennas, Philateus, & Senuteon? *Rom.* Imò D. Athanateo imponunt ab ipso

Apud D. Athan.

dictum : *In uno opere, & in una substantia factum esse carnem Dei Verbum*; & D. Julio *Vnum esse opus divinitatis, & humanitatis simul*; Quamvis ista verba sanum sensum habere possint, ut sit una unio divinitatis, & humanitatis; vel operatio Amlac Sabuit : vel unus effectus ab utraque producatur, modo explicato n. 11. Ea tamen vis est veritatis, ut sui confessionem ab invitis etiam adversariis extorqueat. Nam in ipso vestro libro

P. 8. n. 7. D. Adolid. c. 6. n. 7.

Theodos. P. 2. n. 7.

Theodosius sic ait : *Hæc omnia suscepit Deus verbum in carne sua sancta secundùm ritum carnis, quæ facta est cum ipso in una Persona; & in divinitate investigabili excluditur ab his omnibus.* Sayros. *Non est mutatus à perfectione divinitatis sua, sed permanebit in suo; & sumpsit secundùm locutionem dispensationis omne opus vile humanitatis; & communicavit nobiscum in omni opere.* Joannes Alexandrinus, *Dicimus, eum, qui incarnatus est, esse formam nostram in omni opere. Suscepit sitim, lassitudinem, somnum, & similia. Tianstulit mortem, quia fuit sine corruptione, sicut ipsum decet secundùm divinitatem.* Philateus : *Credimus, fuisse similem nobis in omni opere; gustasse quoque mortem voluntate sua, & resurrexisse à mortuis die tertia per potentiam divinitatis suæ.* Senuteon : *Perfecit in carne opus divinum; & est Deus verè.* Infrà : *Perfecit opera hominis sicut homo.*

Sever. p. 8. n. 4.

Ioan. Alex. n. 26.

Philat. p. 2. n. 12. 13.

Senuteon p. 2. n. 23. 24.

16. *Abass.* Si duæ sunt operationes, cur non duo operatores? *Rom.* Operari personarum est, ut dixi lib. 2. cap. 8. n. 19. & 23. operationes naturarum. Cùm ergo duæ sint naturæ, duæ illis apparitionem commodant operationes; sed cùm una sit Christi Persona, unus itidem operator. Id enim priùs citati Patres testantur. D. Justinus suprà n. 13.

Unus est operator; licèt duæ oderationes.

D. Iustin.

Omnem quidem actionem ab una Filii proprietate nemo sejungere potest. D. Athanateus ibidem : *Rectam Fidem tuebimur, si quod utriusque naturæ proprium est, considerantes, ab uno utraque præstari animadvertamus.* N. 10. *Fiebant ista non divisim, secundum operum qualitatem, sed conjunctim; unusque erat Dominus, qui illa faciebat.* D. Heraclis : *Vnus persistebat, qui passiones pertulit, & miracula operatus est.* Infrà : *Idem ipse perficiebat mirabilia, & injurias sustinebat.* D. Cyrillus n. 14. *Est unus tantum; idem persistens facit hoc, & illud.* Vide plura cap. 27. n. 9. Ratio est, quam sæpè inculcavimus, quia operator, ille non dicitur, à quo velut ab instrumento, seu principio quo, vel parte actio prodit; sed illo, à quo tamquàm à principio quod, seu fonte procedit, & in quo, si retrò gradiamur, ultimò conquiescimus; naturæ autem sunt partes, instrumenta, & principia quo operationum. Persona autem est principium, quod ipsas ad agendum excitat, iis utitur, ut instrumentis, ipsarúmque excursiones moderatur. Ergo ipsa tantùm dici potest operator. Quod urget ampliùs in humanitate; illam enim vestræ Fidei primores : D. Athanateus, & Cyrillus, frequenter dicitis, seu Verbi organum appellant; ut vidimus cap. 11. n. 12. Organo autem sonus non tribuitur, sed pulsatori; nec plures dicuntur, pulsatores, si organum pluribus sit fistulis compactum, & vocale.

D. Procl. Epistol. ad Armene. D. Cyril.

Operatio non tribuitur instrumento, sed motori.

17. *Abass.*

Digitized by Google

Cum instrumenta activa sunt, peculiarem habent operationem.

17. *Abass.* Si instrumenti ratio non habetur, nec in ipsius operatione, sed in persona sistendum, quid opus est, naturis privatas operationes assignare? *Rom.* Si instrumenta innatam habent efficaciam, suam quoque operationem exercent. Ut cùm in circo cursor equum agitat, non solùm ipse habenas laxat, & reprimit, sed & pedes, & corpus incitat; nec tamen in illum victoria, sed in equitem refertur. *Omnes* inquit Paulus, *cur unus accipit bravium.* Si Chirurgus candenti scalpello vulnus circinet, alia est ferri operatio, nempè incisio; alia ignis, quæ est ambustio; utramque tamen unus Chirurgus exercet. Imò licèt instrumenta nulla sint activitate prædita, si tamen ab agente impellantur, violentam sibi asciscunt operationem; ut si baculo alicujus caput pulses, tua quidem operatio est brachii, vel manûs agitatio, baculi, pulsatio, & sanguinis effusio; nec baculus, sed tu percussor affirmaris. Cùm igitur humanitas insitam habeat efficacitatem, operante per ipsam tanquàm per instrumentum verbo, ipsa non potest otiosè indormire.

1. *Corinth.* 9. 24.

18. *Abas.* Ut superiori capite sextæ Synodi de duabus voluntatibus, sic nunc de operationibus illius decretum exprome. *Rom.* Sic habet contra Monothelitas, Sayros, Theodosium, Benjamin, & Joannem Alexandrinum diversis actionibus damnatos: *Duas naturales operationes indivisè, inconvertibiliter, inconfusè, inseparabiliter, in eodem Domino nostro IESV Christo, verò Deo nostro, glorificamus. Hoc est, divinam operationem, & humanam. Quemadmodùm corpus nostrum regitur, ornatur, atque ordinatur ab anima nostra intellectuali, & rationali; ita & in Domino Christo tota ejus humana conspersio ab ejusdem Verbi divinitate semper, & in omnibus Deo mobilis erat, & movebatur.*

Decretum Sextæ Synodi de duabus operationibus.

Sexta Synod. act. 17

Digitized by Google

LUX FIDEI
IN NUPTIAS VERBI,
ET ECCLESIÆ.

LIBER SEXTUS.
DE FERCVLIS CONVIVII NVPTIALIS Verbi, & Æthiopissæ, ideſt, De myſteriis vitæ Chriſti in Symbolo contentis.

IN POSTERIOREM PARTEM QUARTI ARTICULI; *in quintum, ſextum & ſeptimum.*

CAPUT PRIMUM.

Tempus, & modus Chriſti Nativitatis exponitur.

ABASS. Num manum tantùm dedit, an quidvis aliud Sponſus Æthiopissæ? *Rom.* Cor, & animam, & animum; imò *ſe ipſum*, ut Paulus teſtatur, *tradidit pro ea,* *Epheſ.5.25.* ipſi datus, ipſi natus; ipſi immolatus, & in ipſius epulas, & propinationem in nuptiali convivio conditus. Hoc igitur convivium illo, quod Deus primis parentibus ſexta die propoſuit, cùm illis omnes her- *Geneſ.1.29.* bas, & fructus in eſcam conceſſit, lautiùs hoc ſexto libro proponetur. In quo Æthiopissæ pediſequis, & ſodalibus illud iden- *Job.31.31.* tidem repetentibus, *Quis det de carnibus ejus, ut ſaturemur?* nulli alii miſſus objicientur, præter eos, qui ex ejuſdem Spon- *Luc.15.27.* ſi, tamquàm *vituli* ad hominum ſaturitatem à Patre in paſcuis æternæ dilectionis *ſaginati*, carnibus ſunt præparati, & in Symbolo à poſteriori parte quarti articuli ad ſeptimum continentur. Decem igitur hujus convivii fercula erunt decem Chriſti vitæ myſteria, quæ Apoſtoli cæteris prætulerunt: Nativitatis; Paſſionis, Crucifixionis, Mortis, Sepulturæ, Deſcenſus ad inferos, Reſurrectionis, Aſcenſionis, ad *Matth.22.* Patris dexteram Seſſionis, & ad ultimum *11.* judicium Regreſſus; ad quod, te admoneo, ne abſque nuptiali ſyntheſi ingrediaris, ne cum rubore ab eo extruſus in exteriores tenebras devolvaris.

1. *Abaſ.* Inter Chriſti conceptionem, & Nativitatem (quod primum eſt hujus convivii ferculum) quid intereſt? *Rom.* Eadem res, quæ in conceptione intra matrem in diverſum ab ipſa ſuppoſitum conformatur, in nativitate manifeſtò prorumpit. Undè Nativitatis Chriſti feſtum, notante D. Gregorio Nazianzeno, dicitur etiam à Græcis Theophania, quod eſt manifeſtatio; quia Deus priùs in cælo, & poſteà in Virginis utero latitans, per Nativitatem hominibus apparuit. *Cùm enim is, qui natus eſt,* addit Nicetas, *duplici natura conſtaret, duplex quoque feſti hujus nomen eſt. Nativitas nimirùm eſt humanitatis, manifeſtatio divinitatis.*

Differentia inter conceptionem, & nativitatem.
Luc.1.1.
Ioan.1.14.
D.Greg.
Naz.Orat. 38.de Nati.
Nicet.ibid.

2. *Abaſſ.* Poſt quot à mundi creatione annos illi ſe Deus propalàm humana ſpecie objecit? *Rom.* Duæ ſunt, eæque inter ſe plurimùm diſſonæ ſupputandi rationes; alia Septuaginta Interpretum, qui quinque annorum millia quadrigentos ſexaginta, & unum interponunt; additis, ut videtur, tranſcribentium errore, cuique Patriarchatum centum annis; alia Hebreæ lectionis, & vulgatæ editionis; juxta quam natus eſt Chriſtus mundi anno quater milleſimo. Ab Alexandri morte, à qua Ægyptiorum calculus

Quo mundi anno Chriſtus natus.

Digitized by Google

culus incipit, tercentesimo vigesimo. A Romæ ædificatione septingentesimo quinquagesimo secundo. Ab auspiciis Octaviani Cæsaris Augusti Romanorum Imperatoris quadragesimo primo; Die vigesima quinta (sed juxta vestram computationem decima nona) Decembris, post ducentas septuaginta sex (idest, novem menses, & sex dies) à Conceptione exactus.

Cur Christus, citiùs natus non sit. *Act.* 1. 7.

3. *Abass.* Cur, si mundum Deus homo factus erat invisurus, suum in tot annos protulit adventum? *Rom.* *Non est nostrum, nosse tempora, vel momenta, quæ Pater posuit in sua potestate*; & quodcumque tempus eligeret, serum semper esset, æternitati comparatum; sed illud prætulit, quo major peccatorum alluvies mundum inundaverat, ut in illa coercenda illustriora sapientiæ, & comitatis documenta exerceret; ut experiens artis suæ Medicus ægritudinem ad summi periculi aleam finit excrescere, ut suam in ea retundenda peritiam manifestet.

D. Gregor. Nyss. Orat. de Nativit.

Sine dolore Christum Virgo peperit, quia sine voluptate concepit.

4. *Abass.* Ubi, & quomodò natus est Christus? *Rom.* Natus est Bethlehem in patria Davidis, cui facta est promissio Messiæ ex ejusdem sanguine, & in eadem urbe orituri. Ubi illum Virgo, ut sine carnali voluptate conceperat, absque ullo dolore, & scissione peperit. Decebat, enim, eum qui ad tollendam corruptionem, & humanæ naturæ vulnera sananda descenderat, illum à matre sua doloris sensum avertere, quem alii infantes, (verè dolorum filii dicendi) primo statim exitu ingrati parentibus infligunt. Et cùm ipsum, ipsiusque matrem nulla peccati acerbitas attigisset, *ulcus*, ut ait D. Cyprianus, *maturus ab arbore bajula fructus elapsus est; nec oportebat vellicari, quod sponte prodibat.* Æquum etiam fuit, ut ille, qui ut lux vera ab æterno à Patre absque ullo ipsius dolore dimanavit, Matrem quoque in terram dimissus omni molestia relevaret.

Psal. 131. 6. 11. *Mich.* 5. 2. *Gen.* 35. 18.

D. Cyprian. serm. de Nativit. *Ioan.* 1. 9.

Duæ Christi Nativitates.

5. *Abass.* Bis ergo natus Christus, & duabus Nativitatibus progressus asseretur; quod absonum videtur à veritate. Ille enim bis currere dicitur, qui postquàm semel cursum inchoavit, illum intermisit; quod alienum est à Dei Filio, qui æternæ Nativitatis à Patre fluxum abrumpere numquàm potest. *Rom.* Duas Christo Nativitates cum Patribus assignavimus lib. 5. cap. 5. n. 7. quas illud Pauli confirmat: *Cùm iterum introducit primogenitum in orbem terræ*; semper enim iterationem actus aliquis similis præcedit. Neque ut secundò nasceretur, opus erat à primo exortu cessare, sed alium, eo vigente, ascisceret: ut qui perniciter decurrens, in obvios hostes incidit, eosdémque pari contentione insequitur; aut qui communi veste tectus loricam ulteriùs sibi induit. Quibus exemplis Apostolus utitur, cùm ait: *Qui cum in forma Dei esset, formam servi accipiens, & habitu inventus ut homo.* Et qui ab æterno *à Patre exivit, postea exultavit ut gigas ad currendam viam.*

Hebr. 1. 6.

Philip. 2. 6. 7 *Ioan.* 16. 28 *Ps.* 18. 6.

6. *Abass.* Si bis natus est, duplex erit Filius, non unicus. *Rom.* Bis quidem Filius erit, sed non duplex: Sicut is, qui ab aliquo arrogatur, semel est patris naturalis filius, & iterùm adoptantis, nec ideò geminatur, cùm utrobique eadem perstet persona, ad quam duplicata illa filiatio terminatur. Ità Christus, licèt semel à Patre, & iterum à Virgine Matre nascatur: aliter ad Patrem, aliter ad Matrem refertur: sed non est alter, & alter, ut docet D. Aforosius à nobis citatus lib. 5. cap. 24. n. 241. Quia eamdem illam Personam, quam à Patre accepit, in Virginem in conceptu induxit, & ab ea in nativitate eduxit, ut infrà cap. 4. n. 7. 8. & 9. Resurrectionem vocat Christus *regenerationem*, nec in ea homines in alios transibunt, sed iidem permanebunt, sicut qui aliis vestibus induuntur. Quâ metaphorâ usus est D. Paulus: *Nolumus expoliari, sed supervestiri.* Iterum: *Oportet, mortale hoc induere immortalitatem.*

Non est Christus duplex ob duplicem Nativitatem.

D. Ambros. *Matt.* 19. 28. 2. *Cor.* 5.

1. *Cor.* 15. 53

7. *Abass.* Dici saltem poterit, Verbum, quod summa semper perfectione affluxit, ad imperfectionem, & incæptionem redactum. *Rom.* Tua constaret cavillatio si Verbum divinæ naturæ primordia à Virgine vendicaret: sed humanæ tantùm cunas in ipsa collocavit. Quemadmodum Rex in sua inauguratatione, & Episcopus in consecratione, non hominum, sed Regis, atque Episcopi induunt nomenclationem, & dignitatem. De quo satis lib. 5. cap. 1. num. 5.

Nativitate Christus homo esse cæpit, non Deus.

8. *Abass.* Si Verbum à Patre in prima Nativitate exiit, quid in secunda non patrem, sed fœminam tantùm Matrem elegit? *Rom.* Deum semper, & hominem se Christus pandere curabit. Deum prodidit exitus à Patre, hominem egressus à Matre. Deum conceptio à viri commercio secluſa, hominem in fœminæ uterum inclusio. Viros etiam honestare voluit vir ipse factus, fœminas à fœmina exortus. *Nolite vos contemnere viri*, inquit D. Augustinus, *Filius Dei virum suscepit. Noluit vos ipsas contemnere fœminæ; Filius Dei de fœmina natus est.* In eo etiam humanæ generationis varietatem voluit expromere, cum enim Adamus ex illibato terræ pulvere sine viro, ac fœminæ figuratus esset, Eva ex viro fœminæ ignaro: maluit ipse ex fœmina æternùm viri nescia prodire, ut temporalis ipsius Nativitas aliqua ex parte sempiternam adumbraret. Sicut enim in hac prima Trinitatis Persona ipsum sine corruptione genuit, ita voluit, ut in illa virgo alia, quam non tam secundam, quàm Deo proximam, & inter viros, ac fœminas primam nuncupare possumus, mundo spectandum exhiberet.

Cur ex fœmina natus Christus.

D. Augustin. de Agone Christi. c. 5.

D. Gregor. Naz. Car. n. de Virginitate.

Digitized by Google

CAPUT II.

Assignantur rationes, cur Christus ex Virgine natus fuerit.

Congruum erat, ut Deus ex Virgine nasceretur.

1. *Abass.* Si Verbo præstabile fuit, ex fœmina oriri, cur non ex ea, quæ viri experiens fuisset? *Rom.* Nasci ex Virgine, non autem ex violata ad totius Trinitatis, & singularum Personarum; ad ipsius Virginis Dei parentis dignitatem; & Incarnationis finem mirificè congruebat; nec quidquam humanæ naturæ in Filio veritatem deterebat.

Trinitati id congruebat, & maximè Patri.

2. *Abass.* Quo id pacto ad totius Trinitatis, & singularum Personarum honestatem attinebat? *Roman.* Cùm, ut proximè dictum ex Nazianzeno, primæva Virgo sit Trinitas, ex ipsius dignitate erat, ut quævis ipsius Persona nullo alio, quàm Virginis utero clauderetur, lacte aleretur, sinu foveretur, & manibus tractaretur. Primæ etiam Personæ eminentia exigebat, ut siquidem ipsa Patris nomine clarescit, ipsi nemo hominum, vel solùm secundùm carnem unigeniti ipsius pater dictus, saltem voce tenus, & opinione adæquaretur.

Ipsum Filium idem decebat.

3. *Abass.* Quid hoc Filii dignitati conferebat? *Rom.* Cùm ipse naturâ sit æterni Patris Filius, indignum erat, ut cuivis homini patris appellatione blanditetur. Cùm etiam ipsius, quà Deus est, generatio sit intellectualis, ob quam verbum dicitur, & verbum in humanis etiam mentibus nulla corruptione contaminetur, æquum erat, ut sine corruptione ab intaminata Matre, nec ullius seminis contagione polluta procederet; de quo, cùm sit originalis peccati ductus, Job ait: *Quis potest facere mundum de immundo conceptum semine?* *Iob.* 14. 4.

Idem attinet ad Spiritus sancti dignitatem.

4. *Abass.* Quid hoc ad Spiritus sancti amplitudinem? *Rom.* Totum Incarnationis opus Spiritui sancto, ut primario auctori, delegatum fuit. *Spiritus sanctus*, inquit Angelus, *superveniet in te.* Et iterùm: *Quod in ea natum est, de Spiritu sancto est*; ut sicut Filium, quatenùs Deum, perfectissimum Pater edidit, sic hominem ipse, quâ par erat, perfectione in Virginis alvo, tamquàm templo, conformaret. *Templum Dei estis*, inquit Apostolus, *& Spiritus sanctus habitat in vobis*; *si quis autem templum Dei violaverit, perdet illum Deus.* Si quoslibet alios Christianorum corruptores, tamquàm templorum temeratores Spiritus sanctus disperdit, quid non supplicium in eum hominem ingereret, qui Beatissimam Virginem, ipsius sponsam, & dignissimum sacrarium, ausus esset violare; séque ipsum impotentiæ, aut invidiæ incusare, quòd suum opus aut nollet, aut non posset consummare; ideóque ad illud perficiendum, tamquàm Oza in arcam, manum protenderet, vesaniæ suæ pœnam postremo exitio luiturus? *Luc.* 1. 35. *Matt.* 1. 20. 1. *Cor.* 3. 16. 17. 2. *Reg.* 6. 6.

Indignum erat, B. Virginem cuivis homini in conjugali opere ancillari. *Gen.* 3. 16.

5. *Abass.* Quid hoc ad Dei parentis claritatem? *Rom.* Uxor in conjugali opere ancilla est viri. *In dolore*, inquit Deus, *paries filios, & sub viri potestate eris*; *& ipse dominabitur tui.* Apostolus: *Mulier corporis sui potestatem non habet, sed vir.* Immane igitur esset Dei parentis opprobrium, si cùm ipsam Pater filiam arrogasset, Matrem Filius elegisset, Sanctus Spiritus Sponsam coopta sset; ipsáque se Dei ancillam gloriaretur, passa essèt corporis sui potestatem alicui viro demandari. 1. *Cor.* 7. 4. *Luc.* 1. 38.

B. Virgo Sponso suo in domûs administratione; non in re uxoria subdita erat. *Luc.* 2. 51.

6. *Abass.* Si Beatus Joseph verus ipsius Sponsus fuit, illi debuit submitti, sicut ipsius filius utrique subjacebat. *Erat*, inquit D. Lucas, *subditus illis.* *Rom.* Subjectio, cujus eo Geneseos loco fit mentio, non tam visitur in domûs administratione, in qua Virgo Sanctissima Sponso suo parebat (& ideò ad ipsum Angeli de negotiis domesticis sermonem dirigebant: *Surge, & fuge in Ægyptum.* Et posteà: *Revertere in terram Israel. Et ipse ascendit à Nazareth in Judæam ut profiteretur cum Maria desponsata sibi uxore prægnante*) sed in re uxoria, cujus illa nacta est immunitatem; sicut & adjectæ maledictionis: *In dolore paries filios*; cùm illum sine dolore emiserit, quem citra libinem admisit. Hæc enim fœminas virorum ancillas, sicut & filios mancipia constituit peccati originalis, quod ab inordinata voluptatis effrænatione emergit. *Matt.* 2. 13. 20. *Luc.* 2. 5. *Gen.* 3. 16.

Incarnationis fini congruebat, ut Christus è Virgine nasceretur. 1. *Tim.* 1. 15.

7. *Abass.* Cur nasci Christum è Virgine Incarnationis fini congruebat? *Rom.* Incarnationis finis erat hominum à peccatorum nexibus vindicatio. *IESVS Christus*, inquit Apostolus, *venit in hunc mundum peccatores salvos facere.* Ad quem expediebat, ut ipsius humanitas ex vi conceptionis nullius peccati, quamvis alieno facto contracti, laqueis teneretur; quod infortunium obtigisset, si ipsius corpus esset ex paterno semine conglobatum. Quamvis enim illa conceptio Dei conceptio futura esset, & quælibet divina Persona omne à se peccatum tam actuale, quàm originale propulsset, ut demonstratum lib. 5. cap. 9. n. 3. Tamen humanitatem hypostatica unione priorem intelligimus; *quod enim assumitur*, inquit D. Thomas, *præsupponitur assumptioni.* Si ergo ex semine humanitas illa conflaretur, eo instanti, quo nondùm assumpta considerabatur, ex sua constitutione originali maculæ obnoxia, & à Verbo in sequenti, quo illam sibi applicuit, ab ea illo ritu, quo Jeremias, & Baptista, purgata intelligeretur. Sincerius tamen illud est, quod nullam unquàm labem etiam debitione contraxit, quàm illud, quod cùm ipsi aliquo contagio sit pervium, fullonum medicaminibus abstergitur. D. Thom. 3. P. q. 4. a. 2.

Diversus modus in conceptione rem conceptam non immutat.

8. *Abass.* Quo pacto non est imminuta Christi constitutionis ratio, si non eâdem, quâ cæteri homines viâ, conceptus est, & natus? *Rom.* Modorum diversitate rerum naturas

Digitized by Google

naturas non inverti lib. 2. cap. 5. num. 7. adverti. Idem enim est ignis, sivè ex alio igne, sivè ex aëre, sivè è terra, sivè ex silicis attritu, sivè ex duorum lignorum, ferrive conflictu, aut speculorum repercussu oriatur. Tam vera arbor illa est, quæ ex semine, quàm quæ ex talea, vel insitione propagatur. Nec quidquam refert, an semen humana manu, an ventorum decussu, an avis impetentis rostro, an alvo in terram diffudatur. Perfectissima fuêre Adami, & Evæ corpora, quamvis nec ille generationis fluxu, sicut cæteri ipsorum filii, processerint.

CAPUT III.

Dei Matrem ante partum, in partu, & post partum Virginem fuisse, ostenditur.

Virginitas ante partū confirmatur.

1. *Abass.* Beatissimam Dei Genitricem ante partum, in partu & post partum Virginem prædicare solemus. Quibus ille, de illibato ante partum flore articulus cæmentis solidatur? *Rom.* Ex illis testimoniis Evangelicis: *Inventa est in utero habens de Spiritu sancto: Non cognovit eam, donec peperit Filium suum primogenitum. Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus dixit ei: Spiritus sanctus superveniet in te*; Et ex Isaiæ testimonio, quod Matthæus, Lucásque producunt: *Ecce Virgo concipiet, & pariet Filium*; quod ostendit, illius virginitatem nec conceptione, nec partu temeratam.

Matt. 1. 18. 25. *Luc.* 1. 34. 35.

Isai. 7. 14. *Matt.* 1. 23. *Luc.* 1. 31.

Isaiæ verba expenduntur.

2. *Abass.* Verba illa evincere non videntur, virginitatem post partum vernavisse; sed solùm eam, quæ priùs virgo extiterat, peperisse. *Rom.* Semiobolare, imò ridiculum illud est miraculum, & nullo non in partu repertum; omnes enim, quæ fœtum educunt, virgines aliquandiù perstiterunt. Hoc autem tale est miraculum, ut se illius munerariū Deus proclamaverit. *Propter hoc*, inquit Isaias, *dabit Dominus ipse vobis signum; Ecce Virgo concipiet, & pariet filium. Signum autem à Deo*, ait Tertullianus, *nisi novitas aliqua monstruosa fuisset, signum non videretur.* Hoc autem signum adeò portentosum est, ut illud *novorum omnium maximè novum* D. Joannes Damascenus appellaverit. Et de eodem fuerit vaticinatus Jeremias: *Creavit Dominus novum super terram; fœmina circumdabit virum.* Quæ autem veriùs unquàm Deum fœmina obsepsit, quàm illa, quæ ipso intra sua viscera susceptо, omnes semper libidini postes habuit obsignatos?

Isai. 7. 14.

Tertul. lib. cont. Iudæ. c. 9.

D. Joan. Damasc. Orat. 1. de Nativit. B. Virg.

Jer. 31. 22.

Judæi cujusdam de tenella virguncula pariente commentū.

3. *Abass.* Multorum narratū comperi, Salomonem quemdam à Vienna Austriæ Judæum in nobili disputatione cum Patriarcha in Imperatoriis castris anno 1629. effutiisse, in eo miraculum illud stetisse, quòd Regi Achaz (cum quo tunc res erat Isaiæ) tenella, & adhuc viro immatura virguncula filium pepererit, Emmanuelis nomine insignitum, cujus auspiciis ab iis, quibus tunc cingebatur, hostibus evaserit. Is verò grandior effectus eosdem penitùs debellaverit, Deúmque patri suo ità conciliaverit, ut juxta nominis ipsius etymon Hebræi dicerent, Emmanuel, ideſt, nobiscum est Deus. In suæ sententiæ confirmationem addens, illo Isaiæ loco non esse nomen Betulah, quod Hebræis nubilem virginem significat, sed Almah; quod sonat puellam viri adhuc impatientem. *Rom.* Rectè omnia Salomonis illius deliria in unum fasciculum collegisti; quem tunc admonui, ut aut nomen, aut insipientiam mutaret. Tota enim illius erat curatio Prophetarum à Christo dicta avertere, & in Judaicas fabulas transferre; quibus non solùm simplicis, sed nobiles, ac peritos ob originalis Scripturarum linguæ notitiam, & futilem Rabbinicorum somniorum venditationem captabat; cùm æquè & Hebraicæ linguæ, quam ab infantia dedicerat, proprietatem, & historicæ veritatis seriem ignoraret.

Achaz nullum habuit filium, qui Emmanuel diceretur, & ipsum ab hostibus liberaverit.

4. *Abass.* In quo se Judæus ille prodidit Hebraicæ proprietatis imperitum? *Rom.* In eo, quod asseruit, in Achaz regia infantem lusisse, qui Emmanuel diceretur, cujus auxilio ab iis, quibus obsidebatur, adversariis sit ereptus. Illi enim erant, Rasin Rex Syriæ, & Phaceë filius Romeliæ Rex Israël; qui licèt illo Isaiæ tempore (quod concurrere videtur cum primo anno regni ejus, ut Isaiæ, & librorum Regum monumenta indicant) antequàm de Virgine, & illius Emmanuele sermo inductus esset, *non potuerint prævalere adversus Jerusalem*; posteà tamen undecimum ipsius regni annum, quo mortuus est Phaceë, cùm jam Rabbinicus Emmanuel undennis; vel saltem decennis esse posset, dicitur in secundo Paralipomenon, *traditus in manum Regis Syriæ* (sivè is adhuc Rasin esset, sivè alius,) & *Phaceë Regis Israel*, à quo cæsa dicuntur una die de Juda centum millia virorum; & ultrà Maasiæ filii Regis, Esriæ domus præfecti, & Elcanæ secundi à Rege internecionem, capta sunt à Bochri ex Ephraïm ducenta millia fœminarum, atque infantium; & præda innumerabilis. Intra quatuor deinceps annos, qui reliqui fuêre (nam totos sedecim in regno Achaz exegit) Idumæi, & Philistæi adversus eum arma sumpserunt, nec paucas urbes expugnates incoluêre. *Humiliaverat enim* (inquit Sacer textus) *Judam propter Achaz Regem Juda, eò quod nudasset eum auxilio. Adduxitque contra eum Regem Assyriorum, qui & afflixit eum, & nullo resistente, vastavit.* Quid Achaz, quid Judæis fabulosus Emmanuel *butyro, & melle stipendiatus*, ut quidam ait, profuit? Sub quo si divino auxilio sunt nudati, quo jure dicere poterant, *Nobiscum*: & non magis, contra nos, Deus? Quod verò signum erat, ut

Isai. 7. 1. 4. *Reg.* 17. 1. 2. *Paralip.* 28. 5. 7. 8.

4. *Reg. lib.* 2. 2. *Paralip.* 28. 17. 19.

Tertul. lib. de carne Christi c. 21. & 22. & lib. 4. in Marcion. c. 10.

Digitized by Google

Regis filius in infantia butyro, & melle victitaret? Numquid gratiori dulcitudine, quàm melle, ac butyro condîtæpultes in ora regiorum pusionum ingeruntur? Id verò aptissimum videretur Dei nobiscum sub humana specie habitantis signum. Mirabile enim erat, quòd ille, quem in cœlo nullæ dapes distendunt, in terra laborato ab apibus melle, & armentalis vaccæ butyro aleretur.

Nomen Almah non tantùm virgunculam, sed puellam nubilem; integram tamen significat.

5. *Abass.* Æquè dejectus à Patriarcha Salomon, atque à suis hostibus impius Achaz. *Rom.* Non secùs in duorum nominum *Almah*, & *Betulah* significatione tamquàm ad saxum impegit. Annuo enim, ut nomen *Betulah* plerumque puellæ nubili aptetur; sed abnuo, ut semper *Almah* dicatur, quæ per ætatem à nuptiis excluditur. Id enim vocabulum non tam ætatis index est, quàm integritatis. Quod probatur, ex capite 24. Geneseos, in quo Rebecca, cùm quæreretur, ut Isacco quadragenario nuberet, non semel *Almah* dicitur. Sic enim adoleverat, ut aquæ amphoram ad scapulas bajularet; aquam Abrahæ œconomo, & illius camelis, necnon paleas, fœnúmque objecerit; & tamen *Almah* vicissim appellatur; eo præsertim loco, quo œconomus ait: *Virgo, quæ egredietur ad hauriendam aquam*. Cujus nominis causa superiùs præmissa fuerat; nempè: *Puella* (Hebraïcè *Betulah*) *decora nimis, virgoque* (Hebraïcè *Almah*) *pulcherrima, & incognita viro*. En cùm per ætatem. *Butulah*, seu maritali jugo apta esset, cùm tamen adhuc esset integra, *Almah* vocatur. Cùm igitur Dei genitrix per ætatem *Betulah*, & nuptiis jam esset idonea, eáque de causa Beato Josepho desponsa, ab Isaia, & Evangelistis *Almah* vocatur ob intemeratum Virginei pudoris signaculum; quòd nempè, sicut Rebecca, viro esset incognita, séque ab eo cognoscendam abnegaret. Notántque Hebraïcè linguæ callentes, nomen illud, præter morem, *Mem* finale, quod clausum est, in medio apud Isaiam habere; ut ipsa characterum formatura clausum undique virgineæ integritatis murum prætendat.

Genes. 25. 20. *Gen.* 24. 15. 20. 32. *Gen.* 24. 43. *Gen.* 24. 16.

Similitudines, quibus ostenditur, Christum à Virgine concipi potuisse.

6. *Abass.* Patriarchæ dictis Germanus ille mendaciorum institor, & ipsius sequaces in angusta adeò spatia sunt compulsi, ut qui adstabant, ipsius fumos vendentis libros flammis ultricibus ustulaverint. *Rom.* Eisdem addici debent, quotquot Mahometani, vel etiam Christiani non perpendentes, nullum *verbum apud Deum esse impossibile* (quod in re præsenti Angelus asseruit) hærent in Beatissimæ Virginis ante partum integritate; cùm apes naturâ duce fœtus nullis edant nixibus; imbres ex nubibus, ros ex aëre, è terra vapores: flores, & vermes absque illius corruptione erumpant. Undè Christus, se in Psalmis *vermem*, in Canticis *florem campi, & lilium convallium nominavit*; & Isaias de Sanctissima ipsius Matre prædixit: *Germinans germinabit sicut lilium*; illámque orationem effudit: *Rorate cœli desuper, & nubes pluant justum*; ipsúmque Auctor libri Sapientiæ *vaporem virtutis Dei, emanationem claritatis illius, candorem lucis æternæ, & speculum sine macula* appellavit. Considera laudatum ex vicino mari Erythræo conchylium, quod solo testarum hiatu, roris, & cœlestis fulguris amplexu nobilem in ipso Evangelio margaritam concipit, alio dictam nomine unionem, quòd duæ nunquàm nascantur omninò indiscretæ, sed quælibet solitaria sit, ut unicus inter homines Christus, cùm nullus alius fuerit ex Virgine conceptus.

Luc. 1. 37. *Ps.* 21. 7. Ubi D. Aug. *Cant.* 2. 1. *Isai.* 35. 2. *Isai.* 45. 8. *Sap.* 7. 25. 26. *Matt.* 13. 46. Plin. lib. 9. cap. 35.

De Virginis in partu integritate.

7. *Abass.* Dei Genitricis in partu integritatem quæ testimonia corroborant? *Roman.* Ut Isaias ait: *Ecce Virgo concipiet*; ità addit: *& pariet*. Et Apostoli in Symbolo: *Natus ex Maria Virgine*; idque Concilium Ephesinum, Chalcedonense, & alia ut indubitatum supponunt. *Tu es*, ait ad Patrem Christus, *qui extraxisti me de ventre*: qui nempè lapis fuit, quem in templi, seu corporis ipsius extructione *ferrum non tetigit*, cùm fuerit à Virgineo monte absque obstetricum *manibus abscissus*; & *Orientalis porta*, per quam solus Dominus Deus Israël ingressus est, & egressus, eam semper obsignatam relinquens. Ut enim fœcundissimum illius arvum ingressus non proscidit, ità neque egressus sauciavit. Quod ei acclivius non fuit, quàm efficere, ut in solitudine aquæ ex petra dimanarent; flores, & amygdalæ ex Aaronis virga turgescerent; clauso ipse tumulo vivus exiliret. Soli enim licèt non perfractis specularibus radios: igni calorem in medullas, non ambusta carne, vel ossibus, transmittere.

Isai. 7. 14. Symbol. Apostol. *Ps.* 21. 10. *Deut.* 27. 5. *Dan.* 2. 34. *Ezec.* 44. 2. D. Gregor. Naz. p. 1. n. 27. N. 20. 11. N. 17. 8. *Ioan.* 20. 19.

Dei genitrix post partum Virgo permansit.

8. *Abass.* Probant quidem ea testimonia, Dei Genitricem sinceram è partu evasisse; sed dubito, an dicendum cogant, talem posteà permansisse. *Roman.* Si nulla præstò essent testimonia, nos ipsa ratio manciparet, ut crederemus, Beatam Virginem suâ post partum integritate non excidisse. Quæ enim Altissimi Filium in martiali thoro concipere detrectabat, se virum non cognoscere cansata, quomodò illum post mirabilem adeò partum, & infinita Filii miracula admitteret? Præcipuè cùm Virginitatis perpetuum colendæ voto obstringeretur, ut eadem verba indicant: *Quomodò fiet istud, quoniam virum non cognosco?* Quod responsum nullius esset momenti, si nullo ipsa voto à conjugalibus oblectamentis arceretur; cùm graviditas esset maximè compendiaria desponsatæ. Quis verò ipsam attingere auderet? Josephus, an alius? Quid Josephus inofficiosum adversus illam tentaret, quam sciret tantæ Angelis, & ipsi Deo curæ esse; & priùs de illa dimittenda, juxta multos Patres, ex eo tantùm capite agitabat, quòd se indignum tan-

Luc. 1. 34.

Voto colendæ perpetuæ castitatis se Virgo obstrinxit.

D. Thom. 3. p. q. 28. a. 4. Soar. ibid. tom. 2. disp. 6. sect. 2. *Matt.* 1. 25.

tæ

tæ puritatis contubernio judicaret ? Qui se junior à juniore abstraxit, quomodò in seniorem senior saltem oculis lasciviret; & non magis ut augustissimum Dei templum revereretur ? Quis alius petulanter in illam respiceret, *cujus tanta fuit gratia*, teste D. Aforosio, *ut non solùm in se Virginitatis gratiam reservaret, sed etiam suis, quos viseret, integritatis insigne conferret ? Si flagellavit Dominus Pharaonem plagis maximis, & domum ejus propter Sarai uxorem Abram*, quam nesciens illius esse uxorem, domum abduxerat; quibus non suppliciis in illum desæviret, qui suam sponsam violare in audacem animum induceret.

D. Ambros. lib. de institut. Virg. c. 7.

Gen. 12. 17.

Matrimonium non facit carnis defloratio, sed pactio conjugalis.

9. *Abass.* Si Beatissima Dei Mater irremeabili castitatis voto se obstrinxerat, quorsùm in Sancti Josephi data est manum ? *Rom.* Inter Beatissimam Virginem, & Sanctissimum Josephum veri matrimonii nodus vigebat, secluso expresso in copulam consensu. *Hoc enim exemplo*, inquit D. Augustinus, *mirificè insinuatur Fidelibus conjugatis, etiam servatâ pari consensu continentiâ, posse permanere, vocarique conjugium, non permixto corporis sexu, sed custodito mentis affectu.* Et D. Aforosius. *Non defloratio virginitatis facit conjugium, sed pactio conjugalis.* Vel Ethnicus Ulpianus : *Nuptias*, inquit, *non concubitus, sed consensus facit.* Si enim conjungatos hortatur D. Paulus, ut aliquandiù religionis causâ secubent, ut attentiùs orationi se dedant, arctioris erit religionis documentum, si in perpetuum sibi amplexibus interdicant. Nec B. Virgo matrimonio assentiens voti violandi periculum subibat, cùm ex revelatione nosset, Josephum sibi, non ut pudicitiæ corruptorem, sed ut pervigilem excubitorem, & ministrum fidelissimum adhiberi.

Luc. 1. 27.

D. Augustin. lib. 2. de cõsensu Evãgelist.

D. Ambros. de institut. Virgin. c. 5.

L nuptias. 31. ff. de regul. jur.

1. Co. 7. 5.

Vis particulæ *Donec.*

10. *Abass.* Quid ergo innuunt illa verba: *Non cognoscebat eam, donec peperit Filium suum primogenitum* ? Ergo posteà cognovit. *Rom.* Particula *Donec* non cæpti operis interpositionem, sed alicujus tantùm negotii finem ostendit. *Sede à dextris meis*, inquit Pater, *donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum.* Et D. Paulus : *Oportet, illum regnare, donec ponat inimicos sub pedibus ejus.* Numquid postquàm hostes pedibus suppositos viderit, à sedendo, & regnando interquiescet ? sedet, æternúmque sedebat; nam *regnum ejus, regnum omnium seculorum* : Isaias : *Non erit tristis, neque turbulentus, donec ponat in terra judicium.* An postquàm posuerit, fiet tristitiæ concitator, & turbarum instinctor ? Absit; sed acerbitatis suspicionem ab eo, quo timenda erat tempore, propulsat. Eodem modo cùm de Beatissimæ Virginis Filio ageretur, eam à Sancto Josepho, donec pareret, non agnitam Evangelista testatur; quia procreandorum liberorum desiderium illex est, ut uxoribus mariti socientur.

Matt. 1. 25.

Ps. 109. 1.

1. Cor. 15. 25.

Ps. 144. 13.

Isai. 42. 4.

Primogenitus Virginis quomodò dicatur Christus.

11. *Abass.* Quis tandem Filius ille Sanctissimæ Dei parentis primogenitus ? Nam primogenitus nemo dicitur, nisi *in multis fratribus*; hi verò iidem esse videntur, qui Christi fratrum nomine in Evangelio nobilitantur. *Rom.* Primogeniti in Scriptura ii filii dicuntur, qui genitoribus primò parentum nomen imprimunt; sivè eos alii fratres, sivè nullus consequatur. Aliter, cùm Deus jubebat omne primogenitum, quod vulvam aperiret, sanctificari, si quilibet ad unius tantùm filii palmitem, sicut vitis, redigeretur, is non esset Deo devovendus. Nec Beatissimæ Virginis, nec Sanctissimi Josephi, qui castitate illi simillimus erat, genuimum alium filium novimus, præter Christum Dominum, qui Josephi filius vel ab ipsa Virgine coram populo dicebatur; sed D. Lucas omnium arcanorum apprimè conscius, ipsius generationem solertiùs retexens, ait : *Ut putabatur, filius Josephi.* Illi, autem, qui juxta Hebræam phrasim Christi fratres in Evangelio dicuntur, ipsius erant tam ex materna, quàm ex Josephi linea fratrueles. Ut Sara Abrahæ soror; Abraham, & Loth; Laban, & Jacob fratres vocantur. Quod nullibi est exploratius, quàm in Æthiopia, in qua omnes ejusdem familiæ tribules, fratres nuncupantur. Si autem naturalibus filiis Beata Virgo abundaret, injurius illis esset in Cruce Christus, si illam, ipsis contemptis, adoptivo filio Joanni, ut matrem commendaret.

Rom. 8. 29.

Exod. 13. 2.

Luc. 2. 48. & 4. 22.

Luc. 3. 23.

Soar. in 3. p. tom. 2. disp. 5. sect. 4.

Gen. 22. 13. & 20. 12.

Joan. 19. 26. 27.

CAPUT IV.

Beatissima Virgo Dei, non tamen Divinitatis, Mater ostenditur.

Hominis matrem dicere, falsum non est; sed suspiciosũ.

1. *Abass.* Intemeratam cœlestis illius prodigii Virginitatem silentio magis, quàm linguæ officio honorantes; num Dei, num hominis, num hominis simul, atque Dei Mater sit dicenda, si placet, indagemus. *Roman.* Qui piè qualibet earum vocum utatur, omnes Fidei numeros explebit; quia ut dictum est lib. 1. capit. 1. numer. 5. & 6. in Christo neque Deum sine homine, neque hominem sine Deo cogitamus, sed utrumque nomen alterius notionem invehit. *In hoc*, inquit, Divus Cyrillus, *quod dicitur Dei genitrix, simul cõligitur, & hominis manifestatio; non enim nudam peperit deitatem Sancta Virgo, sed unitum carni Dei Verbum.* At post Nestorii venenum, qui Beatam Virginem ità hominis matrem docebat, ut nullam haberet cum Dei partu communionem, etsi hominis matrem dicere non sit falsum, est tamen valdè suspiciosum. Undè summo cum judicio Divus Cyrillus : *Non est*, inquit, *conveniens, neque sanum, hominis matrem dici.*

D. Cyrill. p. 34. ex lib. de Incarn. in fin. serm. De eo, quòd Verbũ Dei factum sit homo.

D. Cyril. p. 34. n. 25.

Digitized by Google

Matris Dei nomen in scriptura B. Virgini expressè non tribuitur, sed illius significatio.

Isai. 7. 14. *Matt.* 1. 23.

Luc. 1. 31. 32. 35. 43.

Rom. 1. 3. *Rom.* 9. 5. *Galat.* 4. 4.

D. Cyril. p. 34. n. 31. Concil. Ephesin. Can. 1. D. Vincent. Lirin. lib. contr. hæres. c. 32.

Dei Mater à Patribus Haymanot Abbau B. Virgo dicitur.

Temirte habuata n. 10.

Patres 318. p. 1. n. 18. D. Athan. p. 1. n. 10. 12.

P. 14. n. 17. 27. 28. 29.

D. Basil. p. 5. n. 5.

D. Abolid. p. 6. n. 2. & p. 7. n. 8. & p. 9. n. 18. 19. 20. 21. D. Ephrem. p. 1. n. 1. 2. p. 2. n. 1. p. 5. n. 3. 10.

2. *Abass.* Non video Dei Matris titulum expressè in Sacra pagina Virgini Sanctissimæ deferri. *Rom.* Licèt sub hoc syllabarum sono non deferatur, sub aliis verbis, quæ in eumdem sensum recidunt, illi adaptatur. Isaias enim, & Evangelistæ aiunt: *Ecce concipiet, & pariet Filium, & vocabitur nomen ejus Emmanuel; quod est, nobiscum Deus.* Nobis ergo Deum peperit. Angelus: *Ecce concipies, & paries Filium. Hic erit magnus, & Filius Altissimi vocabitur.* Et infrà: *Ideòque, quod nascetur ex te Sanctum, vocabitur Filius Dei.* Et Elizabet: *Unde hoc mihi, ut veniat Mater Domini mei ad me?* Angelus ad pastores: *Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* D. Paulus: *De Filio suo, qui factus est ei ex semine David, secundùm carnem.* Alibi: *Ex quibus est Christus secundùm carnem, qui est super omnia Deus benedictus in secula.* Alibi: *Misit Deus Filium suum, factum ex muliere, factum sub lege.* Quæ ergo Dominum, Dei, & Altissimi Filium (qui non poterat non esse Deus, & ideò vocatur: *Nobiscum Deus*) peperit, meritò Theotocos, (quod nomẽ habetur in vestro libro) seu Dei Matris nomine insignita fuit ab Ecclesia, & à Concilio Ephesino, *non novum Fidei sensum*, inquit D. Vincentius Lirinensis, *novæ appellationis proprietate significando.* Solet enim Ecclesia Fidei dogmatibus in Scriptura contentis ea indere vocabula, quæ rerum naturam ostendant, & profanas Hæreticorum novitates tunc temporis glisscentes obtundant. Sicut priùs Omousii prolatione Fidem Nicæni Patres contra Arium consignârunt. Nam juxta Canonem D. Gregorii Nazianzeni à nobis prolatum lib. 1. cap. 6. n. 5. non minùs est de Fide, quod Sacra pagina expressè affirmat, quàm quod ab illa nequaquàm fallaci consecutione depromitur.

3. *Abass.* Nomen illud Theotocos, seu Deiparæ alii Patres præter centenos quinquagenos scriptis suis consecrârunt? *Rom.* Propemodùm infiniti; ex quibus multos D. Cyrillus in Catholicæ veritatis confirmationem tunc protulit. Ego verò aliquos ex vestro tantùm Libro producam. Apostoli in Temirte habuata: *Filium Dei, vestitum carne ex Virgine.* Patres Nicæni: *Credimus, quòd sumpserit carnem perfectam ex Sanctissima Virgine Maria, Domina nostra, Dei genitrice.* D. Athanateus. *Est Filius unigenitus Dei, & est idem, qui natus est iterùm ex Sanctissima Virgine Maria in carne.* Infrà: *Qui natus est ex Domina nostra Sancta Maria Virgine, est Filius Dei in substantia.* Alibi: *Credimus, B. Virginem Mariam esse Dei genitricem in dispensatione humanitatis.* Similiter p. 15. n. 6. 7. 17. 22. 51. 54. D. Basilius: *Credimus, Dei Filium habere duas Nativitates; primam à Deo Patre ante omne tempus; secundam ex Sanctissima Maria Domina nostra.* D. Abolidis: *Quando Sanctissima Virgo Maria, Domina nostra carnem peperit, Verbum peperit; & propterea verè Dei genitrix est.* Alibi: *Neque Judæi crucifixerunt hominem tantùm, sed Deum, qui natus est in carne ex Virgine.* D. Ephrem: *Mulier terrena peperit Deum Verbum, qui factus est homo. Virgo peperit factorem, & ipse creavit genitricem suam.* Alibi orationem dirigens ad Beatissimam Virginem: *Ex te*, inquit, *nobis Deus exiit, & homo.* Sayros: *Nascitur secundò secundus Adam, qui est Deus Verbum.* D. Aforosius: *Misit Deus Filium suum, & natus est ex muliere.* Theodotus: *Hodie apparuit Deus ex Sanctissima Virgine Maria.* D. Epiphanius: *Prophetæ vaticinati sunt, nasciturum Verbum ex Virgine Maria.* Alibi: *Natum est ex ea Verbum.* D. Gregorius Nazianzenus: *Peperit illum, cujus principium nemo invenit.* Infrà: *Est Deus Verbum ante humanitatem suam, & postquàm incarnatus est, & natus ex Maria Virgine, est idem.* Alibi: *Qui habent rectum Intellectum, cognoscunt, Deum habitasse in muliere.* Alibi: *Si quis dixerit, Beatissimam Virginem Mariam non genuisse Deum in carne, longè fiat ab eo.* D. Joannes Chrysostomus: *Exiit ab illius utero Deus Verbum, quod omnia creavit.* Alibi: *Natus est ab ipsa, quin mutaretur in divinitate sua.* Alibi: *Quis est, quem Virgo peperit? Ipse est Dominus omnium creaturarum.* Alibi: *Qui non est creatura, natus est ex te.* Infrà: *Peperit Verbum in carne.* Parte decima, per totam, quæ incipit, *Dixit ei Angelus: Lætare ô Maria, quòd incarnatus est ex te Deus Verbum.* D. Cyrillus p. 7. n. 1. p. 14. n. 10. p. 20. n. 2. p. 21. n. 41. p. 24. n. 5. p. 31. n. 1. p. 34. n. 18. 25. 42. p. 47. n. 18. 19. 30. p. 53. n. 57.

Severian. p. 1. n. 4.

D. Ambros. p. 1. n. 1.

Theodoret. p. 1. n. 2. 16. 20. 23.

D. Epiph. p. 1. n. 1. 11. 12. p. 7. n. 1. 2. 8. p. 8. n. 4.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 32. 34. p. 2. n. 6. p. 4. n. 13. & p. 5. n. 6.

D. Chrys. p. 1. n. 4. p. 3. n. 6. p. 5. n. 22. p. 6. n. 1. 3.

P. 10. per totam.

D. Cyril.

4. *Abass.* Cùm Beata Virgo Deum genuerit; aliquid sui videtur impertiisse; quid ergo? divinam substantiam, an humanam? *Roman.* A corde tuo, & labiis Photiniana hæc reputatio faceſſat, ut sentias, vel loquare, divinam substantiam à Beata Virgine proli suæ impertitam; solus enim Photinus, ut apud vos traditur, à tercentum decem, & octo Patribus, dixit, *substantiam Filii esse ex Maria, & non fuisse ante illum; sed ipsum ex illa fuisse in divinitate.* Ad quem alludens D. Basilius, *Solùm*, inquit, *inter Hæreticos dicitur, quòd in tempore Nativitatis Filii in carne facta sit Verbi substantia.* Quem errorem latè confutavimus lib. 5. cap. 15. ubi non duas naturas, sed unam divinam ante unionem Christum habuisse ostendimus. Nunc satis sit, illam D. Heraclis in verba Pauli animadversionem recolere; qui semel dixit: *Qui factus est ei ex semine David secundùm carnem*; Et iterùm: *Ex quibus est Christus secundùm carnem. Cùm*, inquit, *dixisset, factus est ei; & : Ex quibus est Christus; non iis verbis stetit (nec enim ex quo partus de Maria, ex eo est Verbi sine fine extantis essentia) sed mox intulit, secundùm carnem, ut manifestationem, quæ facta est in carne; non Nativitatem illam divinam, æternamque significet.*

Divinam substantiam Verbo B. Virgo non contulit.

318. Patres p. 1. 15. D. Basil. p. 3. n. 7.

D. Procl. in Epist. ad Armen. *Rom.* 1. 3. *Rom.* 9. 5.

5. *Abass.* Deo igitur Beata Virgo solam humanam substantiam impendit. *Rom.* Lib. 5. cap. 6. n. 6. & cap. 7. n. 10. ostendi, Beatam Virginem ex sua substantia Deum genuisse, & humanâ ipsum substantiâ auxisse; quod Patres, cùm Dei Matrem vocant, illa appendicula declarant: esse Dei Matrem, in carne, vel Deum in carne, vel secundùm carnem peperisse. Quorum princeps est D. Agnatcus, cùm

Deum Beata Virgo in carne genuit.

D. Ignat. Epist. 4. & 14.

Digitized by Google

cùm ait : *Fuge eos, qui Christi passionem, & nativitatem ejus, quâ secundùm carnem genitus est, negant.* D. Athanateus. *Non est natum Verbum ex Maria in carne, ut esset electum, sed ut esset Salvator hominum.* D. Basilius : *Propter nativitatem ejus in carne Angelus pastoribus annunciavit : Natus est vobis hodie Salvator, qui est Christus Dominus.* D. Gregorius Nyssenus : *Dominus omnium creaturarum non invênit locum, in quo habitaret ; sed quando natus fuit in carne, posuerunt eum in præsepio.* D. Feliquis : *Credimus, esse Deum Verbum, quod habet nativitatem in carne.* D. Abolidis : *Natus est ex fœmina in carne, & ipse Deus est.* Nataliſan : *Natus est ex Spiritu, & Sanctissima Maria Domina nostra per carnem.* D. Ephrem : *Quis est ergo, qui non credit, Deum natum esse in carne hominis ?* Alibi : *Est Verbum Dei, & natus est in esse carnis ex Sanctissima Virgine Maria.* Sayros : *Natus est super terram in novissimo tempore ex Sanctissima Maria Domina nostra in carne.* D. Aforosius : *Hoc posteà, quod factum est ex muliere in carne, fecit unum secum.* Theodotus : *Agnosce Sanctissimam Virginem Mariam, Dominam nostram, quæ peperit Verbum in carne.* D. Epiphanius : *Novissimis temporibus natus est in carne ex purissima, & Sanctissima Virgine Maria.* D. Gregorius Nazianzenus : *Verbum perfectum in Persona, in qua est anima intellectualis, & rationalis, natum est ex muliere in carne.* Vide eundem suprà n. 3. ex p. 4. D. Joannes Chrysostomus : *Exiit Deus Verbum in carne passibili, ut declararet nativitatem suam ex Virgine.* D. Cyrillus. *Factus est homo in carne ex Beata Virgine Maria.* Similiter p. 2. n. 20. p. 3. n. 2. p. 6. n. 3. 9. p. 14. n. 5. p. 21. n. 11. 16. 19 43. p. 22. n. 22. p. 34. n. 28. p. 47. n. 17. 18. 21. p. 52. num. 27. 81. 84.

D. Athan. p. 15. n. 23. D. Basil. p. 3. n. 6. *Luc.* 2. 11. D. Greg. Nyss. p. 3. n. 4. D. Felix p. 3. n. 2. D. Abolid. p. 9. n. 20. Nataliſan. p. 1. n. 9. D. Ephrem. p. 4. n. 3. p. 5. n. 4. Severian. p. 1. n. 2. D. Ambros. p. 1. n. 3. Theod. p. 1. n. 8. 20. 21. 22. D. Epiph. p. 1. n. 11. D. Greg. Naz. p. 2. n. 4. D. Joan. Chrysost. p. 6. n. 5. D. Cyrill. p. 1. n. 5.

6. *Abass.* Si Beata Virgo solam humanam carnem Filio suo impertiit, hæc verò creata est, ut dixisti lib. 5. cap. 6. n. 12. veriùs nudi hominis, quàm Dei Mater dicenda. *Rom.* Si humanitatem seorsùm à divinitate, vel à Verbo Beata Virgo edidisset, puri hominis mater vocaretur ; *sed non peperit hominem nudum à divinitate*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *nec nudam divinitatem absque humanitate*, ut D. Cyrillus, *sed Deum unitum carni ; in quo* secundùm D. Paulum ; *habitat omnis plenitudo divinitatis corporaliter* ; quia, ut exponit idem D. Cyrillus, *tota divinitas in carne hominis habitavit. Semper* enim *humanitatem*, inquit D. Athanateus, *habuit sibi adjunctam illa divinitas, quæ in mundum advenerat.* Hinc est, quòd ipsa non puri hominis, sed Dei partu glorietur. Ità D. Athanateus : *Ille, qui natus est ex Sanctissima Virgine Maria, vocatur Emmanuel, id est, nobiscum Deus ; quia caro, in qua natus est, plena est perfectâ divinitate.* Alibi : *Nascente carne ex Deipara Virgine, ipse dicitur natus esse.* D. Ephrem : *Agnovit Mariam Matrem impertita, atque subministrata per eam humanitate divinitati.* D. Vincentius Lirinensis. *Per Personæ unitatem illud mysterium perfectum est, ut carne Verbi ex integra matrè nascente, ipse Deus Verbum natus ex Virgine catholicissimè credatur, impiissimè denegetur.*

Caro, in qua B. Virgo genuit, plena erat divinitate ; idcóque Dei Mater est. D. Greg. Naz. p. 1. n. 33. D. Cyrill. p. 34. n. 30. & p. 3. n. 3. *Coloss.* 2. 9. D. Athan. Epist. ad Antioch. D. Athan. p. 15. n. 143. & Orat. 4. cont. Arian. D. Ephrem homil. de Margarita. D. Vincent. Lirin. lib. cont. hæres. cap. 21.

7. *Abass.* Quo jure factum sentias, ut sola carne, non autem Dei substantiâ ex Virgine procedente, ipsa Dei Mater efferatur : nec sint duo filii : alter secundùm carnem, alter secundum divinitatem ? *Rom.* Cùm Virgo Dei Mater dicitur, Dei nomen non in suppositione simplici (de qua lib. 2. cap. 2. à n. 15.) ut Deus à Personis abstrahit, sed in personali pro solo Filio intelligendum ; in qua, ut ibidem n. 18. aliquandò pro tribus Personis, aliquandò pro duabus, aliquandò pro una tantùm, juxta materiæ qualitatem, supponit. Cùm ergo dicimus Beatam Virginem Dei Matrem, non in Patrem, aut Spiritum sanctum, sed in Filium, qui solus incarnatus est, mentis aciem intendimus. D. Athanateus. *Credimus, eum unam esse Personam ante Incarnationem, & post Incarnationem.* D. Gregorius Nazianzenus. *In una Persona ipsum genuit Beata Maria.* Infrà : *Ipsa erit testimonium Personæ, quam Maria peperit, quòd ipse venerit à Patre, & non alius.* Alibi : *De Spiritu Dei Virgo concepit, & quod concepit, peperit ; ideſt, Deum carni, & animæ suæ, ideſt, homini Personæ unitate sociatum.* Concilium Ephesinum, & D. Cyrillus : *Si quis non confitetur, Deum veraciter Emmanuelem, & propterea Dei genitricem Sanctam Virginem (peperit enim secundùm carnem factum Dei Verbum, secundùm quod scriptum est : Verbum caro factum est) anathema sit.* Ubi licet contemplari, Dei Matrem Beatissimam Virginem vocandam definiri, quòd Dei Verbum, & Filium in mundum emiserit.

Non Deum in communi, sed unam Dei Verbi Personam B. Virgo genuerat. D. Thom. in 3. d. 4. q. 2. a. 2. in corp.

D. Athan. lib. de Incarn. contr. Paul. Samosat. D. Gregor. Naz. p. 1. n. 38. 43. Orat. 49.

D. Cyril. p. 20. n. 1. p. 51. n. 1. *Joan.* 1. 14.

8. *Abass.* Amplector definitionem ; quid tamen illa ad meam percontationem ? *Rom.* Persona totum quoddam est, ut ostensum lib. 2. cap. 8. num. 3. Ad totum & partes, & omnes ipsarum actiones, & denominationes, ut propriæ spectant ; ut ibidem cap. 11. num. 11. & lib. 5. cap. 27. num. 9. Sic oculos, & aures Petri dicimus ; ipsúmque esse oculatum, auritum ; videre, & audire ; lippum esse, vel surdastrum. Cùm igitur in Christo divinitas, & humanitas partes sint Verbi Personæ, ut lib. 5. cap. 11. num. 12. ut illarum quælibet ipsius est propria, quod lib. 5. cap. 7. num. 5. & cap. 27. num. 15. ostendimus, sic ipsarum affectiones. Carnis autem affectio est nasci ex fœmina ; quæ cùm propria sit Verbi, seu Dei Filii, rectè ipsa nascente Deus ipse natus affirmatur. Ità hoc mysterium multis locis explicat D. Cyrillus : *Necessariò* inquit, *proprius Dei Filius pronuntiatur is, qui ex Sancta Virgine natus est. Corpus enim ex ea prodiit, non cujusquam alterius ex nobis, sed proprium ipsius Verbi.*

Humanitas pars est Personæ Verbi ; ideò B. Virgo Dei Mater.

D. Cyrill. Epist. ad Monachos Ægypti ; & in Exeges. ad Valerian. & Epist. 1. ad Success.

9. *Abass.* Videntur tamen duo esse filii ; alius à Patre natus in divinitate ; alius in carne, à Matre ; quia *quod natum est ex Spiritu,*

Unus est Filius Patris, & Virginis ; quia eadem Persona.

Digitized by Google

Joan. 3. 6. Galat. 4. 4. *spiritu, spiritus est; Et quod natum est ex carne, caro est. Rom.* In tuæ dubitationis jugulum numero 7. gladius adactus, cùm probavi, non aliam esse Filii Beatissimæ Virginis, quàm Verbi, seu Dei Filii Personam. *Misit enim Deus Filium suum, factum ex muliere.* Sic Divus Greg. Nazianz. D. Greg. Naz. p. 1. n. 34. & Orat. 39. *Quia est Deus Verbum ante Incarnationem suam; & postquàm incarnatus est, & natus ex Maria Virgine, est idem.* Alibi: *Vides ipsum Verbum, ipsum Dei Filium venisse in Virginem, non tamen ipso indumento carnis Dei Filium mutatum; sed eumdem ipsum esse in homine, qui fuerat ante mundum apud Patrem Deus.* Divus D. Cyril. p. 21. n. 10. p. 47. n. 20. Cyrillus: *Idem natus est ex Patre, & natus est etiam in carne ex muliere.* Alibi: *Unus est Christus ante Incarnationem, & posteà; Et Verbum à Deo Patre non fuit alius Filius, & alius, qui est ex sanctissima Virgine Maria.* Ex Latinis Patribus D. Gregorius Magnus: D. Gregor. Magn. 18. Mor. c. 27. aliàs 35. *Mediator Dei, atque hominum homo Christus JESUS, non est alter in humanitate, alter in deitate; Et quamvis ipse aliud ex Patre, aliud ex Virgine, non tamen alius ex Patre, alius ex Virgine.* Plura in hujus veritatis confirmationem congessimus lib. 5. cap. 5. n. 7. & 8. & cap. 12. n. 7. & 8.

Vera solutio hujus quæstionis; quòd B. Virgo eum, qui jam erat Deus, & Dominus peperit. D. Athan. Serm. de Deipara. 10. *Abass.* Omnem hæc solutio duplicitatis anxietatem excutit. *Rom.* Nec tamen minùs præcipuæ difficultatis in Beatæ Virgine de Dei maternitate. *Quandoquidem enim*, inquit D. Athanateus, *ipse est Rex qui natus est ex Virgine, idémque Dominus, & Deus, eà propter Mater, quæ eum genuit, & Regina, & Domina, & Deipara verè censetur.* Si enim illa Regis, & Episcopi mater dicitur, quæ eum peperit, qui multis post nativitatem annis in Regem, vel Episcopum est evectus; quantò ampliori jure illa Dei Mater nuncupanda, quæ eum peperit; qui non solùm partûs tempore, sed ab omni æternitate Dei natura, & nomenclatura gestiebat. *Non eo modo*, inquit Divus Vincentius Lirinensis, *Theotocos dicenda, quo* D. Vincent. Lirin. lib. hær. cap. 21. *impia quædam hæresis suspicatur; quæ asserit, eam Dei Matrem sola appellatione dicendam; quæ eum, scilicet, peperit hominem, qui posteà factus est Deus; sicut dicimus Episcopi, aut Presbyteri matrem, quæ non jam Episcopum, aut Presbyterum pariendo, sed eum generando hominem, qui posteà Presbyter, aut Episcopus factus est; non ità, inquam, sancta Maria Theotocos, sed ideò potiùs, quoniam jam in ejus sacrato utero sacrosanctum illud mysterium perpetratum est, quo propter singularem quamdam, atque unicam Personæ unitatem, sicut Verbum in carne caro, ità homo in Deo Deus est.* Hactenus ille, Dei maternitatem in sanctissima Virgine ad duo principia revocans; primò ad Personæ in utraque natura unitatem, de qua lib. 5. cap. 12. n. 12. secundò ad unionem in Beatæ Virginis utero conglutinatam; de qua ibidem cap. 3. n. 1. 2. & 3. cùm coæternum Patri Verbum humanam naturam sibi associans ingenitum ipsi impetum prævolavit, ne degeneri conatu in creatam personam extuberaret.

Dici non potest: B. Virgo est mater Dei; ergo, divinitatis; quia mutantur suppositiones. 11. *Abass.* Hìc occurrebat solemnis illa nostrorum velitatio; num ex eo, quòd Beata Virgo Deum genuerit, dicenda sit, divinitatem genuisse. *Rom.* Triviale illud terriculum jam difflavi libro 2. capite 2. à numero 14. ad ultimum. Undè illud tantùm nunc mutuabor, quod facit ad præsens institutum. Dico igitur, infirmam esse illationem. Cùm enim asseritur: Beata Virgo Deum genuit, Dei nomen habet acceptionem personalem, & solùm Verbum significat, ut suprà, numero 7. & dicto libro 2. numero 19. Divinitas autem tam in ea illatione, quàm in quavis alia locutione simplicem semper conservat, & naturam omnibus Personis communem ostendit; quam si Beata Virgo edidisset, non magis esset ut Verbi, quàm ut Patris, & Spiritus sancti Mater suspicienda; & in eas syrtes incidendum, quas numero 4. vitandas præcavi; ut crederetur, divinam substantiam ab ipsa principium sumpsisse. Qua de causa, cùm cœlestis ipse Pater Verbum generet, dici non licet, divinitatem genera-âsse, ut libro 3. capite 9. numero 16. latè probatum; quòd si accideret, ipse quoque, & Spiritus sanctus geniti essent; cùm quidquid proprium est divinitatis, in omnes personas transfundatur, & in eâdem simplici natura (ut jam tactum dicto lib. 2. capite 2. numero 18. darentur duæ contradictoriæ veræ. Esset enim genita, & non esset genita; & Pater genitus, & ingenitus; cùm tamen ingenitum genito opponatur, & ingeniti notio inseparabilis sit à Patre, ut diximus lib. 3. cap. 6. n. 2.

Patres hujus locutionis auctores. 12. *Abass.* Siqui sunt Patres hujus doctrinæ assertores, huc accitos optarem. *Rom.* Id sentiunt, quotquot n. 3. & 5. docent, Beatam Virginem Deum non in sua substantia, sed in carne, vel secundùm carnem peperisse. Illa enim carnis inclusio divinitatis est exclusio. *Cum ex muliere natus dicitur* (inquit D. Cyrillus) D. Cyril. exeges. ad Valerian. *id secundùm carnem interpretamur, ne à sacra Virgine subsistendi initium accepisse, perperam à quopiam intelligatur.* Apertiùs id ostendunt, qui lib. 5. cap. 5. numero 7. docent, Christum genitum fuisse à Patre in divinitate, & à Virgine in humanitate. Expresè autem D. Gregorius Nazianzenus: *Non*, inquit, D. Greg. Naz. p. 1. n. 33. *fuit principium divinitatis ejus seorsùm à nativitate ejus in carne ex sanctissima Virgine Maria.* Quod esset dicendum, si Beata Virgo ederet divinitatem; quia ex vi illius locutionis à carne, & à re quavis alia abstracta significatur. D. Augustinus: *Non ego ad susceptam carnem in Christo proprietatem divinæ* D. August. contra Felician. cap. 10. *generationis extendo; nec immensam deitatem corporei ortus ætate concludo.* D. Joannes Chrysostomus: *Non est principium nativitatis ejus ex* D. Joan. Chrysost. p. 3. n. 2. *parte nativitatis ejus ex homine.* Theodotus Ancyranus: *Natus est ex sanctissima Virgine Maria: & substantia divinitatis ejus non habet principium in ea.* Infrà: *Agnosce sanctissimam Virginem Mariam, Dominam nostram, quæ peperit Verbum in carne; Et principium divinitatis ejus non est natum ex ea.* Alibi: *Ex Patre natus est* Theodot. p. 1. n. 17. 20. *secundùm divinitatis naturam, ex Virgine nascitur secundùm carnis dispensationem.* D. Cyrillus: *Nativitas carnalis non est ejus* (ideſt, divinitatis) *nativitas.* Alibi: *Idem natus est ex Patre, &* Orat. 2. de Nativitate. D. Cyril. p. 12. n. 1. p. 21. n. 13. 14.

natus

Digitized by Google

natus est iterùm in carne ex muliere; & principium divinitatis ejus non fuit ex Virgine pura; quia divinitas ejus post nativitatem à Patre aliâ nativitatem renuit. Et stultum, & falsum est, dici, cum, qui ante secula habet esse simul cum Patre, voluisse alsam nativitatem divinitatis sua. Infrà: *Principium substantiæ Verbi non fuit ex Virgine pura, sed natum est ex ea in carne pura.* Alibi: *Quandò dicimus, ipsam esse Dei genitricem, ne intret dubium in corda vestra, quòd Virgo sanctissima peperit divinitatem nudam absque humanitate, sed peperit Verbum Dei, quod unitum est carni.* Alibi: *Non dicimus, ipsius fortitudinem esse ex sanctissima Virgine Maria.* Quæ Verba in originali sic leguntur: *Quia Deum factum hominem, & incarnatum ex se protulit, ideò Dei genitricem veraciter appellamus; non quòd ex ea initium deitas ejus acceperit, ut sit; aut subsistendi principium de sancta Virgine sumpserit; sed quòd Verbum subsistens ante secula, secundùm carnem ex ea sit progenitum. Propria enim ejus facta est caro, sicut singulis nostrum proprium est corpus.* Quâ sententiâ, & verbis hanc difficultatem dissolvit D. Joannes Damascenus. Ex ipsis Hæreticis Theodosius: *Non est genitus à Patre secundum humanitatem; nec à Matre secundùm divinitatem.* Zacharias: *Est Filius Dei Patris in divinitate, & filius hominis in carne.*

P. 47. n. 21. ex Epist. 1. ad Success.

D. Joan. Dam. lib. 3. de Fide, cap. 12. Theodos. p. 2. n. 4. Zachar. p. 2. n. 6.

13. *Abass.* Dei nomen à divinitate defluxit; videtur ergo, Dei Matrem Beatam Virginem dici non posse, si formam illam Filio non præstet, à quâ ipse Deus nominatur. *Rom.* Si divinitas Dei est forma, lib. 2. capite 8. numero 22. probavi, formas propriè non fieri, sed supposito copulari. Non igitur nego, Beatissimam Virginem humanitatem divinitati, & divinitatem humanitati inseruisse; sed inficior, genuisse. Adverti autem libro 5. capite 27. numero 11. & 15. personam tot nomina posse induere, quot sunt partes, ipsarúmque operationes, affectiones; & accidentia, ex quibus constat; imò illa ab externis rebus petere, ut à patria, artibus, & honoribus. Sicut David dictus est *filius Isai* ob humanam naturam ab eo acceptam; *Bethleemites* à patria; *Pastor* ab ovium curatione; *Psaltes* ab arte citharædica; *Rex* à potestate eidem à Deo per Samuëlem collata. Si autem dicas: Isai genuit Pastorē, Psaltem, & Regem, numquid falsi insimulaberis, si Isai artem pastoritiam, citharædicam, & regnum non generavit? Eam calumniam ne pertimescas. Nam, cùm eadem sit persona, & illius eæ affectiones, quæ de ipsa affirmantur, non opus est, ut adnotavi dicto n. 11. veras evadere sub eo nomine, quod profertur, dummodò sit aliud ipsius proprium, ad quod verè referantur. Cùm igitur Beata Virgo secundam Trinitatis Personam genuerit, quæ non solùm Deus Verbum, & Dei Filius, sed etiam homo est, ac dicitur; sufficit, ut quod de Deo enuntiatur, in humanitate, quæ ipsius est propria; & quod de homine, in divinitate ad ipsum etiam pertinente consistat. Quare etsi Beata Virgo eam formā, à qua ipse Deus dicitur, Filio suo non contulerit, eam cōtulit, quæ ubi donata est, in Dei proprietatem migravit; quod satis est, ut ipsa verè Dei Mater efferatur.

2. *Reg.* 23. 1. 1. *Reg.* 16. 18. 2. *Reg.* 7. 8. 1. *Reg.* 16. 13.

14. *Abass.* Quidquid sit de veritate, saltem detrita videtur illius tituli gloria ex eo, quòd Beata Virgo divinitatem non gignat; si enim illam simul cum humanitate peperisset, perfectam Dei Matris gloriam consequeretur. *Rom.* Ne ità videri studeas Beatæ Virgini obsequens, ut divinitati (illam incæptioni submittens) & ipsi Virgini evadas injuriosus; nam divinitatis contumelia neminem ampliùs, quàm ipsam divinitati ante cæteros proximam aspergit. Si verò perfecta ipsa Dei Mater non est, quòd divinitatem non gignit, neque cœlestis Pater Christi vel quà homo, vel quà Deus est, genitor dicendus. Nam Christus, etiā quà homo, naturalis est Dei Filius, ut observatū lib. 5. cap. 5. n. 9. Et tamen æternus Pater illius humanitatem non eduxit; imò neque divinitatem, ut n. 11. & lib. 3. cap. 9. n. 16. probatum. Neque etiam in terra ulla esset fœmina, quæ cujusquam mater dici posset; cùm nulla totum filium suum ex se proferat, sed solam carnem, cui Deus creatam à se animam immittit. Quam rationem ità prosequitur D. Cyrillus: *Assimilatur humano partui mysterium Christi. Terrestrium enim hominum matres in utero quidem habent carnem; fœtui autem Deus spiritum modo, quem novit ipse, immittit; attamen totum hominem, qui ex anima, & corpore constat, non partem illius parere dicuntur. Quòd si quispiam alicujus matrem carniparam, non hominis parentem dicere voluerit, ineptissimè loquetur; peperit enim hominem compositum ex duobus, quæ in naturalem unitatem conjunguntur. Tale in Emmanuëlis nativitate factum utique fatebimur.* Uno igitur verbo magnus iste Pater postremam tuam quæstionem expedivit.

Perfecta Dei Mater est B. Virgo, licèt divinitatem non genuerit.

D. Cyril. Epist. ad Monach. Ægypti.

15. *Abass.* Quod illud verbum? *Rom.* Dum compositum ex duobus, hominem apertè dixit, & Deum insinuavit. Ubi enim datur compositio, ut quis conflatæ rei tam in artefactis, quàm in naturalibus auctor dicatur, vel etiam destructor, opus non est, ut omnium ipsius partium à primis quasi cæmentis sit effector, vel ad ultimam consumptionem eversor; sed satis est, ut aliquid ei de suo impendat; vel saltem ipsarum partium uniendarum, vel dissuendarum procurationi incumbat. De quo lib. 2. cap. 8. n. 22. De eversione autem dicemus cap. 8. n. 13. Figulus enim amphoram, & aurifex coronam facere dicuntur, cùm ille tantùm lutum subigat, & rotam torqueat; hic neque aurum, neque gemmas à se ipso cædat, sed tantùm à terræ secturis extrahat, expoliat, cœlo inaret, & invicem connectat. Nec solùm parentes ab animarum creatione, sed ab ipsa primæva carnis, quam filiis conferunt, constitutione arcentur. Omnem enim materiam à Deo in principio creatam lib. 4. cap. 2. n. 11. ostendimus; Nec parentum in eam aliæ sunt partes, quàm ut corpora virtute formatrici animabus excipiendis idonea effingant, eóque tantùm merito parentes celebrantur. Cur igitur Dei Mater Virgo illa non dicatur, quæ etsi divinitatem in ventris sui officina, quasi priùs non esset, non excudit, in ea tamen, ut superiùs. D. Ephrem. n. 6. *Humanitatem divinitati subministravit*; Et ipsius Filius, teste D. Leone Magno, *ab ipsis corporalibus exordiis nec*

In compositione opus non est, ut partes tunc primùm fiant, sed satis est, ut præparentur, vel uniantur.

D. Ephrem. homil. de Margarita. D. Leo. Ser. 3. de Quadragesima.

sine

Digitized by Google

sine deitate conceptus est, nec sine deitate editus, nec sine deitate nutritus: Alibi: *In tantam unitatem ab ipso conceptu Virginis deitas, & humanitas connexæ sunt, ut nec sine homine divina, nec sine Deo agerentur humana.* Et infrà: *Per Beatæ Virginis partum nec caro sine deitate, nec deitas orta est sine carne.* De quo latè lib. 5. cap. 5. num. 8.

Epistol. 83.

Dei nomen unionem inter duas naturas inducit, quam divinitatis nomen excludit.

D. Thom. in 3. d. 4. q. 2. a. 2. ad. 2.

16. *Abass.* Si nec caro sine deitate, nec deitas orta est sine carne, quid, cùm fidenter concedas, Beatam Virginem esse Dei Matrem, restitas, cùm audis, matrem esse divinitatis? *Rom.* Cùm in Christo semper connexæ sint divinitas, & humanitas, neutrius ipsarum nomine abstracto hæc communio, sed tantùm concreto Dei, vel, hominis importatur. Undè nomen divinitatis Personam nunquàm indicat, sed solam naturam, quæ exors est generandi. Si enim generaretur, ultra tres notas quarta ipsa Trinitatis persona esset; quia generare, & generari, personarum sunt functiones; ut lib. 2. cap. 8. n. 23 Pater etiam, & Spiritus sanctus generarentur; quia quod divinitati cohæret, æqualiter in omnes Personas pervulgatur. Igitur ex vi illius assertionis nudam, & sine carne divinitatem Virgo peperisset; & divinæ substantiæ ex sua creata, & mortali fundamenta posuisset, contra dicta superiùs num. 4. & 6.

Christi Mater B. Virgo in Evangelio nusquàm negatur.

Joan. 2. 4. *Joan.* 19. 26. *Luc.* 2. 49. *Matth.* 12. 48.

17. *Abass.* Omnes hæc disputatio pectoris mei nubes absterfit; sed illa Christi in Beatam Virginem in Evangelio austeritas (quâ bis apud Joannem, non matrem dicit, sed *mulierem*; Et eidem se, ac Beatum Josephum parentes insinuanti respondit: *Nesciebatis, quia in his, quæ Patris mei sunt, oportet me esse?* Et coram multis asseruit: *Quæ est mater mea?*) probare videntur, illam ab ipsius maternitate esse omninò alienam. *Rom.* Falsâ existimatione deluderis; nec enim sui saltem, ut hominis matrem negare poterat; sed qui discipulos suos docuerat: *Patrem nolite vocare vobis super terram,* nubilam faciem illis offerebat, qui carnalis cognationis objectu ipsum à rebus spiritualibus avocabant. Matrem verò in nuptiis mulierem vocavit, ut audientes noscerent, ipsum patrandi miracula efficacitatem ab ipsa non accepisse. In Cruce autem, ne mitiori matris nomine ipsius mœrentis peracerbè animum graviùs ulceraret. Omnibus autem locis à te prolatis Joannes, Lucas, & Matthæus ipsam JESU Matrem dicunt; & ipse, cùm pia fœmina clamaret: *Beatus venter, qui te portavit, & ubera, quæ suxisti* (quod erat Deum ipsius Matri felicia comprecari) dictum ipsius hac responsione confirmavit: *Quin imò beati, qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud. Pulchrè*, inquit Beda Venerabilis, *Salvator attestationi mulieris annuit; quia Dei genitrix, & indè quidem beata, quòd Verbi incarnandi ministra facta est temporalis; sed indè multò beatior, quia ejusdem semper amandi custos manebat æterna.*

Matt. 23. 9.

Joan. 2. 1. 3. 5. & 19. 26. 27. *Luc.* 2. 48. *Luc.* 11. 27.

Beda in Luc. lib. 4. c. 49.

CAPUT V.

Messiam esse Deum, non purum hominem contra Iudæos ostenditur.

Judæorum cæcitas, qui Messiam malunt hominem, quàm Deum.

1. *Abass.* Exultim mihi dicere liceat cum Philippo: *Quem scripsit Moyses in Lege, & Prophetæ: invenimus JESUM, filium*, non jam *Ioseph*, sed Dei, & Mariæ. Quid tamen ad Judæos, & Austriacum illum; vel austrinæ caliginis Salomonem (de quo suprà cap. 3.) qui, quod omnes perditè sentiunt, palam asserebat, promissum à Moyse, & Prophetis Messiam puri hominis fines non transvolare? *Rom.* In iis impleta Dei per Jeremiam conquestio: *Populus meus mutavit gloriam suam.* Cùm enim possent Deo assertore gloriari, malunt sub puri hominis jugo sordescere. Ipsis tamen ea miracula reclamant, quæ à Messia edenda Prophetæ, & singillatim Isaïas prædixêre. Primò, ob magnitudinem; nam Christus, quem nos Messiam agnoscimus, cæcum à nativitate illuminavit; & quatriduò in sepulchro jacentem excitavit. Secundò, ob multitudinem; *quia virtus de illo exibat, & sanabat omnes.* Tertiò, ob imperium ex proprio nomine; *Surge, tolle grabatum tuum, & ambula. Lazare veni foras*; Non ut Apostoli ex alieno: *In nomine JESU Christi Nazareni surge, & ambula.* Quartò, ob publicam eorum gestionem; ipsi enim adversarii fatebantur: *Ecce totus mundus post ipsum abit.* Tandem, ob finem, in quem illa destinabat; nempè, ut verus ipse Deus agnosceretur: *Ut, inquit, sciatis; quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, tunc ait paralytico: Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam.* Si autem, quod se profitebatur, non esset, nequaquàm in mendacii confirmationem illi Deus esset adstipulator.

Ier. 2. 11.

Isai. 35. 5. *Joan.* 9. 7. & 11. 4. *Luc.* 6. 19. *Joan.* 5. 8. & 11. 43.

Act. 3. 6. *Joan.* 12. 19.

Matth. 9. 6.

Ad mendacii confirmationem Deus non concurrit.

2. *Abass.* In artis suæ confirmationem Pharaonis Magis contra Moysem ostenta edere Deus permisit; cur ergo, non connivebit, cùm ipsius cultores ad mendacii stabilimentum miracula tentaverint? *Rom.* Miraculum propriè opus illud dicitur, quod naturæ ordinem excedit, & divinâ virtute perpetratur. Quâ de causa Magorum opera dici miracula non possunt; licèt enim naturæ ordinem transcendere videantur, non tamen transcendunt, sed naturalium rerum applicatione conficiuntur. Cùm autem vera miracula Dei nomini, virtuti, & peculiari concursui innitantur, si Deus ad illa in mendacii confirmationem suum auxilium impertiret, in ipsum mendacii deformitas retorqueretur.

Exod. 7. 11.

Ex Redemptoria munere Messias Deus ostenditur.

3. *Abass.* Deo planè tunc nullum esset à mendacio effugium. *Rom.* Nec homini à peccato, nisi Deus illius vindex esset, & Messias in illius medicinam ab æterno prædestinatus; &, ubi Adam cecidit, dæmoni, & mundo declaratus. Tunc enim Deus dixit: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; semen tuum, & semen illius; & ipsa conteret caput:*

Genes. 3. 15

Digitized by Google

caput tuum. Quo loco mulieris nomine tam Catholici Doctores, quàm Judæi Beatissimam Virginem; & sub illius seminis vocabulo Christum intelligunt, à quo tamquàm *ab Agno à mundi origine occiso* serpentis caput; originalis, scilicet, noxa, quam Joannes Baptista *mundi peccatum* vocat, esset expiandum. Qui apud Zachariam ait: *Auferam iniquitatem terræ illius in die una.* Eam verò diem, quæ sit, licèt Rabbi Salomon se fateatur ignorare, haudquaquàm ignoraret, si locum illum, in quo planum est Prophetam sub Orientis nomine de Messia loqui, cum Isaiæ loco componeret: *Posuit* enim *Deus in eo iniquitatem omnium nostrum. Et ipse peccata multorum tulit.* In Hebræo legitur: *Dimisit:* Soli autem Deo peccata dimittendi potestatem subesse Pharisæi agnovêre, cùm fremebant: *Quis potest dimittere peccata, nisi solus Deus?* Eum etiam mittendum vaticinatus est Daniel, *ut finem accipiat peccatum, & deleatur iniquitas*, condigna, scilicet, solutione Deo in illius compensationem oblatâ; quæ talis esse non posset, nisi persona, quæ illam exhiberet, divinæ naturæ dignitate homines prævaricatores antecederet; ut ostendi lib. 5. cap. 1. numero 15. 16. Quæ probatio multis aliis roborari potest, quibus libro 1. capite 9. numero 9. indicavi, evidenter credibilem esse Christi legem; tum ob alia motiva, tum maximè, quod cùm gravissimis difficultatibus, & præceptis voluptati repugnantibus sit obsepta, in totum tamen orbem est propagata; quod obtineri non posset, nisi illius lator & homo, & Deus esset, qui ut illam sanxit, sic ipsius auctoritatem humanis exemplis, & divinâ gratiâ emolliret. Tandem, ex suæ captivitatis gravitate, & diuturnitate colligere possent Judæi, illam ex nullo alio flagitio oriri, quàm à Dei Filii contemptu, & internecione, qui ex Cruce tota die manus suas, & brachia extendit *ad populum, non credentem, & contradicentem.*

Apoc. 13. 8.
Ioan. 1. 29.
Zach. 3. 8. 9.
Rabbi Salomon in Zachar.
Isai. 53. & 12.
Luc. 5. 21.
Dan. 9. 24.
Isai. 65. 2.
Rom. 10. 21.

4. *Abass.* Apud Judæos, nî fallor, validiora sunt rationibus Moysis, & Prophetarum testimonia; suum ergo Messiam haud quaquàm rentur Moyse digniorem; vel ipsius assertione, cùm prædixit: *Prophetam de gente tua, & de fratribus tuis, sicut me, suscitabit tibi Dominus; ipsum audies. Sicut me*, ideſt, mihi parem. Moyses autem intra puri hominis metas consistebat. *Rom.* In sola ferendarum legum sanctione æqualis Propheta ille Moysi futurus, cæterà excellentior; siquidem silentium sibi Moyses ipse indicens, illum jubet audiri; utpote qui legem tamquàm Dei minister promulgabat, ille verò tamquàm auctor esset pro majestate sanciturus; *Dominus enim legifer noster*, ait Isaias. Quapropter Moyses in Deum cuncta referebat, testatus: *Hæc dicit Dominus Deus.* Verus autem Messias ex potestate intonabat: *Ego autem dico vobis. Tibi dico: surge. Volo: Mundare* (de quo lib. 1. cap. 3. n. 2.) utpote qui Dei Verbum esset; quòd fortasse significat subjecta illo loco Dei promissio: *Ponam verba mea in ore ejus; loqueturque ad eos omnia, quæ præcepero illi.* Nam simili dicendi charactere verus Messias suam prodit dignitatem: *Verba, quæ ego loquor vobis, à me ipso non loquor.* Sed quod Moyses eo loco suppressit, alii Prophetæ sunt buccinati.

Moyses Messiam puri hominem non asseruit.
Deut 18. 15.
Act. 3. 22.
Isai. 33. 22.
Exod. 8. 1. 20
Matt 5. 23. & 8. 3.
Luc. 7. 14.
Deut. 18. 18.
Ioan. 14. 10.

5. *Abass.* Eorum classica cuperem, meis auribus insonarent. *Rom.* David ipsorum præcentor ità modulatur: *Dominus dixit ad me: Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Loquitur autem de Messia. Nam ubi noster: *Adversus Dominum, & adversus Christum ejus*; Hebræus textus legit: *Adversus Messiam ejus.* Et ubi noster: *Ego autem constitutus sum Rex ab eo*; Hebræus ex Patris Persona: *Ego autem unxi Regem meum.* Messias autem idem est, quod unctus. Et ubi noster: *Apprehendite disciplinam*; Hebræus: *Osculamini Filium.* Nec eò cum Rabbinis aliquibus confugias, ut somnies, *filium* illum esse Hebræum populum, de quo Deus: *Filius meus primogenitus Israël. Dimitte filium meum*; *Regem* verò, ipsum David. Quæ enim eo Psalmo prædicuntur, in ipsum non quadrant. Licèt autem David ipse, & populus Israëliticus filii Dei ex adoptionis gratia vocari possint, non tamen à Deo geniti; hoc enim genuinis tantùm liberis congruit; & multò minùs ex ipsius substantia, quam uterus, ut notatum lib. 3. cap. 7. num. 8. & 13. illo Psalmi loco significat: *Ex utero ante luciferum genui te.*

Davidis de Messiæ divinitate testimonia.
Ps. 2. 1. 6. 7.
Act. 4. 26. & 13. 33.
Heb. 1. 5.
Ps. 2. 12.
Paguin. Exod. 4. 22. 23.
Ps. 109. 3.

6. *Abass.* Audivi ex insipienti Salomone, atque aliis Judæis, posteriorem hunc Psalmum compositum non esse à Davide, sed à quodam in ipsius gratiam mancipio; vel à Melchisedech in Abrahæ commendationem. Quod monstrat exordium: *Dixit Dominus Domino meo*; Deus, scilicet, Abrahæ, vel Davidi; *ex utero ante luciferum genui te. Rom.* Servilem dolus iste superat nequitiam. Obtrudine cujusquam cerebro potest, Melchisedech, qui in Scripturam inducitur tamquàm cœlo demissus, *sine patre, sine matre, & sine genealogia*; quique Abrahamum, tamquàm major, benedictione donavit (*sine contradictione enim, quod minus est, à meliore benedicitur*) eò vilitatis dejiciendum, ut Abrahamum turpi adulatione dominum nuncuparet? aut Davidem *egregium Israelis psaltem* servuli palpationes vanè suis cantilenis inserturum? Judæorum tamen vaniloquentiam ipse Rhytmi titulus confutat: *Psalmus David.* Quod iis, qui Christi tempore vivebant, ità erat compertum, ut cùm ipsi Messiam Davidis filium jactarent, & Christus arguisset: *Quomodo ergo David in spiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus Domino meo*; hiscere ampliùs non sint ausi. *Nemo*, inquit Evangelista, *poterat ei respondere verbum*; *nec ausus fuit quisquam ex ea die eum amplius interrogare.* Quamvis autem Psalmi titulus non refragaretur, ipsa dictio oblectatur. Quomodò Abraham, vel David *ante luciferum* educti? Quo pacto, cùm neuter eorum Levitica unctione fuerit delibutus,

Psal. 109. à David, non ab alio compositus.
Gen. 14. 18.
Heb. 7. 3. 7.
Gen. 14. 19.
2. Reg. 23. 1.
Matth. 22. 43. 46.

Digitized by Google

Ps.109.4. delibutus, in iis implendum, ut sint *Sacerdotes in æternum secundùm ordinem Melchisedech?*

Sacerdotium à Melchisedech ad Abrahamum non translatum.

7. *Abass.* Habent, quod ogganniant Judæi; à Melchisedech Sacerdotium ereptum, & in Abrahamum, illiusque posteros translatum. *Rom.* Quid Melchisedech commeruit, ut Sacerdotio privaretur? An quòd Abrahamo à cæde Regum revertenti, & fatiscenti panem, & vinum protulit? Pudeat Judæos talium ineptiarum. Nec verò Abrahamus Sacerdos in æternum dici poterat, quòd Sacerdotes ex illius essent lumbis prodituri; sicut neque Rex dicitur ob regiam nepotum dignitatem, sed Regum Sator; *Reges*, inquit, *ex te egredientur.* Nec Abrahæ posterorum Sacerdotium ullam habet cum Melchisedech affinitatem; hic enim solum Deum suæ unctionis præsidem agnovit, illi ductum sanguinis sequuntur.

Gen.17.6.

Messiæ divinitas probatur ex Isaia.

8. *Abass.* Prophetas alios salutemus. *Rom.* Uno Isaïa, & testimoniis ab eo extractis libro 5. capite 22. numero 4. tuum posset desiderium expleri; eóque potissimùm ex capite 7. quod jam capite 3. excussimus, cùm Judæorum Messiam vocat Emmanuelem, idest, *nobiscum Deum.* Et capite 9. *Vocabitur nomen ejus admirabilis, consiliarius, Deus, fortis* (Hebraicè *El*, quod unum est ex Dei nominibus, in quod desinit Emmanuel.) Capite 35. *Deus ipse veniet, & salvabit nos. Tunc aperientur oculi cæcorum, & aures surdorum patebunt.* Capite 45. postquàm dixit: *Rorate cæli desuper, & nubes pluant justum, aperiatur terra, & germinet Salvatorem*; ad extremum intulit: *Tantùm in te est Deus, & non est absque te Deus. Verè tu es Deus absconditus; Deus Israël, Salvator.* Quis Deus hic absconditus, nisi ille qui divinitati humanitatis velum obtendit? Capite 48. *Ex tempore, antequàm fieret, ibi eram. Et nunc Dominus misit me, & Spiritus ejus.* Cùm capite 52. præmisisset: *Hæc dicit Dominus Deus: In Ægyptum descendit populus meus in principio*; posteà subdit: *Propter hoc sciet populus meus nomen meum in die illa; quia ego ipse, qui loquebar, ecce adsum.* En ipse, qui priùs in Prophetis loquebatur, terram posteà invisit.

Isai.7.14. Isai.9.6. Isai.35.4. Isai.45.8. 14.15. Abib.p.2. n.1. Vide lib.5. c.24. n.450. Isai.48.16. Isai.52.4.6.

Ex Jeremia, & Baruch.

9. *Abass.* Messiam, ut hominem agnovit, an ut Deum suspexit Jeremias? *Rom.* Capite 23. *In diebus illis suscitabo David germen justum, & regnabit Rex, & sapiens erit; & faciet judicium, & justitiam in terra. Et hoc est nomen, quod vocabunt eum: Dominus justus noster.* Ubi in Hebræo magnum Dei nomen collocatum. Baruch Jeremiæ minister, capite 3. *Hic est Dominus noster, & non æstimabitur alius adversus eum; Hic adinvenit viam scientiæ; & tradidit eam Jacob puero suo, & Israël dilecto suo. Post hæc in terris visus est, & cum hominibus conversatus est.*

Jer.23.5. Baruch.3. 36.37.38. Theodos. Alex.hæret. P.2. n.24.

Ex Ezechiele, & Daniele.

10. *Abass.* Babylonem ad Ezechielem, & Danielem te conferto. *Rom.* Hinc Ezechiel auspicatur, hoc fine terminatur. Prima enim ipsius visio est filii hominis electro, & igne collucentis; electro humanitatem, igne divinitatem exprimente. Et extrema ipsius vaticinii illa sunt verba: *Nomen civitatis ex die illa: Dominus ibidem*; quia post Messiæ adventum corporaliter in Ecclesia Deus habitavit: *Ecce ego*, inquiens, *vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.* Hoc enim est regnum, de quo Daniel prædixit: *In diebus regnorum illorum suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Alibi: *Regnum ejus regnum sempiternum.* Alibi: *Potestas ejus potestas æterna.* Quæ regni æternitas subsistere non posset, nisi Rex ipse æternus esset, utpote Dei Filius; sicut ipse Nabuchodonosor expertus est, & testatus in camino: *Et species quarti similis est Filio Dei*; quem Propheta capite 9. *Sanctum sanctorum vocat*, quod nomen soli Deo competit, ut capite sequenti, numero 8.

Ezech.1.27. Ezech.48.35. Matt.28.19. Dan.2.44. Dan.3.100. Dan.7.14. Dan.3.92. Dan.9.24.

Et Prophetis Minoribus.

11. *Abass.* Numquid Messiæ divinitatem Minores Prophetæ subodorati? *Rom.* Non solùm subodorati, sed illius fragrantiâ attracti. Prioris enim ore sic Pater effatur: *Salvabo eos in Domino Deo suo.* Iterùm: *Sponsabo te mihi in sempiternum*; firmâ nempè inter divinitatem, & humanitatem confarreatione. Undè adjungit: *Dicam non populo meo: Populus meus es tu*; *Et ipse dicet: Deus meus es tu.* Iterùm: *Ex Ægypto vocavi filium meum*; Quod ad Messiam. Divus Matthæus transmittit. Quid illustrius illo Michææ testimonio, quod omnes Sacerdotum Principes, & Scribæ sub Herode tamquàm indubitatam Messiæ facem prætulerunt: *Et tu Bethleem terra Juda, nequaquàm minima es in principibus Juda; ex te enim exiet dux, qui regat populum meum Israël.* In textu vulgato, *Qui sit dominator in Israël.* Dominatoris autem nomine solus Deus in Scripturis donatur. Ut etiam apud Malachiam: *Statim veniet ad templum suum Dominator, quem vos queritis.* Addit autem Michæas: *Et egressus ejus ab initio, à diebus æternitatis.* Ubi perspicis duas Messiæ nativitates: alteram æternam quasi Dei; alteram, ut hominis temporalem. Quarum etiam indagine ductus Zacharias, ait: *Hæc dicit Dominus exercituum: Post gloriam* (divinitatis, scilicet, præstantiam) *misit me ad Gentes.* Inferiùs: *Lauda, & lætare filia sion, quia ecce ego venio, & habitabo in medio tui, ait Dominus; & applicabuntur Gentes multæ ad Dominum in die illa; & erunt mihi in populum; & habitabo in medio tui, & scies, quia Dominus exercituum misit me ad te.* Et capite 12. Deum ità loquentem introducit: *Effundam super domum David, & super habitantes Jerusalem spiritum gratiæ, & precum; & aspicient ad me, quem confixerunt.* Idem enim qui clavis, & lanceâ transverberatus fuit, Deus erat gratiæ, donorúmque largitor. Cap.13. *Erit in die illa, dicit Dominus exercituum:*

Os.1.7. Os.2.19.24. Os.11.1. Matt.2.15. Mich.5.2. Matt.2.6. Exod.34.6. Malach.3.1. Mich.5.2. Zach.2.8. 10.11. Zach.12.10. Zach.13. 2.6.

Digitized by Google

exercituum : Disperdam nomina idolorum de terra. Et infrà : *& dicetur : Quid sunt plagæ istæ in medio manuum tuarum.* Ubi perpende, hominem plagis compunctum simul Deum exercituum appellari. Parco aliis testimoniis congerendis, ne eorum te multitudine delassem.

CAPUT VI.

Messiam Iudæis promissum jam venisse ; eúmque esse Jesum Christum Dei, & Beatæ Virginis Mariæ Filium ostenditur.

Testudineum Messiam Judæi sibi fingunt. *Gen.* 32.25 31.

1. *Abass.* Illa etiam mentis hebetudo Judæos præligat, ut Messiam sibi à Moyse, & Prophetis pollicitum nondum in orbem venisse pronuntient. *Rom.* Judæos ab ipsa femoris Jacob contractione ea claudicatio incessit, & ità eodem semper hærent vestigio, ut eos debilis pedibus, sicut *2.Reg.4.4.* Miphiboseth, & testudinei gressus Messias delectet, cùm verum David prædixerit ceu *gigantem exultaturum ad currendam viam;* *Isai.* 8. 3. illudque nomen ipsi Isaias indiderit : *Accelera spolia detrahere : festina prædari* ; Veritatem ergo, quam tota Scriptura offert, & oculis quatuor præcipua ipsius loca videndam objiciunt, pedibus, animisque nutantibus nunquàm assequentur.

Expenditur Iudæ benedictio. *Ge.* 49.10.

2. *Abass.* Quis eorum locorum primus ? *Rom.* Vulgatissimus ille, qui paternam Judæ (ex cujus stirpe Messiam proditurum, nemo Judæorum unquàm in dubium vocavit) benedictionem continet : *Non auferetur sceptrum de Iuda, & dux de femore ejus, donec veniat, qui mittendus est ; &* *2.Reg.5.3.* *ipse erit expectatio gentium.* Cujus est sensus ; Ubi semel regnum in Judæ familiam esset illatum, (quod tunc evênit, cùm David in Regem fuit inauguratus) ab illa non ampliùs discessurum, nisi cùm omnium votis Messias expetitus adveniret; Quæ Prophetia, nascente Christo Domi- *Matth.* 2. 1. no, qui verus est Messias, completa fuit. Tunc enim Judææ regno potiebatur Hero- *Matth.* 2.16 des Ascalonita, Idumæus, qui cum probè nosset regnum, sibi Romanorum gratiâ, non Dei nutu, nec sanguinis prærogativâ delatum, audiens, Judæorum Regem à Magis pervestigari, omnes pueros in Bethleem, quæ David domus erat, & Judæ Euseb. lib. 3 hist. Eccles. c. 11. sanguinis servatrix, jussit occidi, ne indebitum sibi regnum ad veros hæredes regrederetur. Quod exemplum posteà sectatus est Vespasianus, qui cùm in Judæa Imperator esset renuntiatus, & à palpatoribus Judæorum Messias vocaretur, (velut etiam Herodes ab his, qui in Evangelio dicuntur Herodiani) compertúmque haberet, vel ipsorum confessione, gentis Hebrææ sceptrum David posteris deberi, ut ab illo recuperando animum, desponderent, in omnes jussit gladio desæviri.

Cornel. Tac. lib. 5. Hist. Suet. in Vespas. cap. 4. Joseph. 7. de bel. Iud. cap. 12. D. Epiph. li. 1. hær. 20 Tertul. contra Hæret. cap. 45.

3. *Abass.* Regnum suum Judæi sub Nabuchodonosor, & posteà multis Assyriorum ducibus subjecti amiserunt. Tunc ergo videtur finis datus Prophetiæ. *Rom.* Quamvis Nabuchodonosor Judæos, ipsorúmque Regem Joachin Babylonem transportaverit, ipsius tamen regnum Evilmerodach Filius Nabuchodonosor confirmavit, & illius solium super omnes Regum sibi subditorum thronos elevavit. Illíque suffectus est, non jam sub Regis, sed sub Ducis nomine ipsius filius Salathiel ; ut videre est apud Aggæum ; Jacob autem *Aggai* 1.14. promissio & Regum, & Ducum mentionem introducit. Eóque deinceps nomine cæteri Ioseph Antiquit. lib. sunt honestati usque ad Aristobùlum, qui 13. cap. 18. post annos quadringentos octoginta unum, & & 24. & lib. tres à captivitate menses regium nomen ad 14. cap. 1. & Judæos revexit, illudque ad duos liberos lib. 1. de Hyrcanum, & Aristobùlum, tandémque ad bello Iud. Antigonum Aristobuli filium transmisit. Sed cap. 15. cùm Judæa sævis tumultibus agitaretur, & Aristobùlus auxiliares Parthorum copias sibi adjunxisset, à Romanis fuit interemptus, & Herodes illi subrogatus. Licèt autem inter duces anteriores, & Aristobùli regnum intercalati fuerint Machabæi, quos constat de tribu Levi fuisse, id Judæ dignitatem non evertit. Nam præterquàm quòd materna ipsorum stemmata à Juda deducerentur (erant enim secundùm Philonem promiscua utriusque tribus conjugia) duces illi Judæ suffragiis eligebantur ; & ut Romanus populus Rex dicebatur, quòd ipse post Reges exactos singulis annis duos Consules, regia potestate fungentes centuriatis comitiis crearet ; ità etiam regnare censebatur domus Juda, cùm Leviticos Duces bellis tempore illo difficili præfecisset.

1.Machab. 2.1. Philo de Monarchia.

4. *Abass.* Quis secundus locus ? *Rom.* Celebris ille, quo Daniel immanem quemdam colossum vidit, cujus caput (imperium nempè Chaldæorum, quod ad Cyrum usque duravit) ex auro erat ; pectus (quod erat imperium Medorum, & Persarum à Cyro usque ad Alexandrum) ex argento ; venter quod (quod Alexandri, & puerorum ipsius regnum exprimebat.) ex ære ; pedes autem, (quod erat Romanorum imperium, quia duobus illis, Consulibus quasi duobus pedibus fulciebatur) ex ferro ; In quos impactus est lapis de monte sine manibus abscissus, qui ferrum, æs, argentum, aurúmque contrivit. Quis autem fuerit lapidis illius significatus, Propheta ipse sic exponit : *In diebus regnorum illorum* *Dan.* 2. 44. *suscitabit Deus cæli regnum, quod in æternum non dissipabitur.* Quod regnum nullum est aliud, quàm Messiæ, qui sub Romanorum imperio, & sub Augusto, cùm maxima fuit Romanæ ditionis gloria mundo affulsit. Qui cùm verus illius Rex esset, Augustum, Domini nomen semper detrectantem, ipsius pro Rege moderatorem vocat Tertullianus.

Prima Danielis Prophetia de Messiæ adventus tempore. *Dan.* 2.31.

Tertul. in Apolog. cap. 34.

5. *Abass.* Opponunt Judæi : Si Jesus Christus Rex est nobis à Deo promissus ; ubi illius opes ? Ubi militares copiæ ? Ubi aulæ apparatus ?

Regnum Messiæ spirituale est, non temporale.

Digitized by Google

Tob. 13. 21. tus? (Ubi illa Jeruſalem Sapphiris fundata; jaſpide variata : gemmis , & auro teſſelata? *Rom.* Id demùm Judæos in fallaciam impellit, quod myſticum , & ſpirituale Chriſti regnum in Gentium animis ad ſuam Fidem alliciendis , in nugatorias divitias , & oculorum ludibria tranſmoveant. Ideò cùm à Pilato rogaretur , an *Rex* eſſet , non reſpondit , notante D. Auguſtino , *Regnum meum non eſt* in hoc mundo ; ſed : *non eſt de hoc mundo* ; Quia licèt in hoc mundo imperium exerceat , non mundanas incorpora , ſed divinas in animos leges , & ritus indicit , & verbis , non armis deditiam ſibi multitudinem expugnat. *Ego* , inquit , *conſtitutus ſum Rex ab eo ſuper Sion montem ſanctum ejus , prædicans præceptum ejus.* Nam Fidei ſuæ prædicatione , non turbarum clangore populos ſibi adjunxit ; & Iſaias, cùm ſuperiùs Jeroſolymæ gloriam deſcriberet , ità concluſit : *Univerſos filios tuos doctos a Domino* ; Quod Joannes vertit , *Erunt omnes docibiles Dei* , Quia in doctrina totus eſt bellicus Chriſti apparatus. Cujus etiam duplex adventus à Prophetis celebratur ; alter in egeſtate ; alter in majeſtate ; quos Judæi nigræ loliginis ſucco madidi cæca permiſtione confundunt.

Iſai. 54. 11. *Joan.* 18. 36. D. Auguſt. tract. 115. in Joannem. *Pſal.* 2. 6. *Iſai.* 54. 13. *Joan.* 6. 45.

Dnos Chriſti adventus Judæi confundunt. Symbol. Conſtant. *Malach.* 3. 2 *Zachar.* 9. 9. *Iſai.* 26. 6. *Iſai.* 61. 1. *Luc.* 4. 18. *Pſ.* 87. 16. *Pſ.* 21. 7.

6. *Abaſſ.* Ubi adventus iſti commendantur ? *Rom.* de ſecundo canitur in ſymbolo Conſtantinopolitano : *Et iterùm venturus eſt cum gloria judicare vivos , & mortuos.* In Malachia : *Quis poterit cogitare diem adventus ejus ? Ipſe enim quaſi ignis conflans* ; & ſic mille aliis locis. De primo adventu inſignis eſt ille Zachariæ : *Dicite filiæ Sion : Ecce Rex tuus venit tibi juſtus , & Salvator ; ipſe pauper , & aſcendens ſuper aſinam.* Iſaias ſecundùm Rabbinos ipſos loquens de Meſſiæ , & diſcipulorum ipſius Jeroſolymam ingreſſu : *Conculcabit eam pes pauperis , greſſus egenorum.* Alibi : *Evangelizare manſuetis* ; D. Lucas legit : *pauperibus miſit me.* Apud Davidem : *Pauper ſum ego , & in laboribus à juventute mea. Ego autem ſum vermis , & non homo ; opprobrium hominum , & abjectio plebis.* Perluſtra quinquageſimum tertium Iſaiæ caput, quod , cùm validiſſimus eſſet contra ſuos errores aries , Judæi à ſuis Bibliis eraſerunt. Sed qui pauperem in primo adventu excipere noluerunt , in ſecundo à potenti , & glorioſo conterentur.

Danielis Prophetia de ſeptuaginta Hebdomadibus. *Dan.* 9. 23. *V.* 24. 25.

7. *Abaſſ.* Quod tertium eſt teſtimonium? *Rom.* Illud de ſeptuaginta duabus Danieli, Hebdomadibus , in quo certum Meſſiæ adventus , & mortis tempus deſignatur. Librum expande , & mecum caput nonum à n. 23. ad ultimum percurre. Et ſiquidem Angelus ſemel , & iterùm Danielem admonet , ut animadvertat ſermonem , & intelligat viſionem ; tu quoque mentis aciem intende , & perperde , quatuor à Prophetæ , præpoſtero licèt ordine (non enim hiſtoriam ſcribebat , ſed vaticinium) proponi. *Primum v.* 25. Judæis Babylonem incolentibus faciendam à Rege Perſarum Jeroſolymæ , quam tunc hoſtile aratrum ſulcabat , reædificandæ poteſtatem ; & in ea ſubſtructione ingentes difficultates , & obſiſtentium Ethnicorum incurſiones exantlandas. Secundùm , & principale , ℣. 25. ab illo anno , quo Perſarum Rex ſarciendæ Jeroſolymæ facultatem Judæis conceſſiſſet , vel ut alii cenſent , quo illa reſtauratio abſolveretur ; uſque ad Meſſiæ manifeſtationem , & mortem (quam ℣. 26. violentam futuram , & ab ipſiuſmet populo in ultimæ Hebdomadis dimidio inferendam oſtendit) Septuaginta Hebdomadas decurſuras. Tertium ℣. 26. 27. poſt cædem Meſſiæ templum , & civitatem funditùs exſcindendam. Quartum ℣. 26. Judæorum populum tanti flagitii tranſactorem, & adminiſtrum æternæ ſervituti , & ignominiæ , mancipandum. *V.* 25.

De Meſſia ſermo eſt Danieli.

8. *Abaſſ.* Id primùm oſtende , eſſe Danieli de Meſſia ſermonem. *Rom.* ℣. 25. expreſsè ait : *Uſque ad Chriſtum Ducem* : Utrumque autem , & Chriſti , & Ducis nomen proprium eſt Meſſiæ ; qui cùm illud ab unctione vendicet , ℣. 24. legitur : *Et ungatur Sanctus Sanctorum* , Nec Chriſtus iſte Cyrus eſſe poteſt , quem Iſaias hoc nomine amplificavit ; & multò minùs Nabuchodonoſor , ut alii deſipiunt ; quia Nabuchodonoſor jam dudùm à vivis exceſſerat ; Cyrus autem cum Dario genero (cujus anno primo regni Babylonici hæc viſio Danieli objecta) ſimul regnavit , ut patet ex eodem Vate ; & ejuſdem hìc etiam primus annus agebatur. Non poterant ergo ab ipſo ad ipſum ſeptuaginta Hebdomades licèt ſolorum dierum , intercurrere ; nec verò Hyrcanus (quod alii comminiſcuntur) vel quivis homo purus hujus prophetiæ ſcopus eſſe poteſt. Merus enim homo ſanctus dici poteſt , ſed non *Sanctus Sanctorum* ; nec in ejus merita cadit , ut per ipſum *conſummetur prævaricatio , & finem accipiat peccatum , & deleatur iniquitas , & adducatur , juſtitia ſempiterna.* *Dan.* 9. 24. 25. 26. *Iſai.* 45. 1. *Dan.* 9. 1. *Dan.* 6. 28. *Dan.* 9. 24.

Hebdomades iſtæ ſunt annorum, & unde inchoandæ.

9. *Abaſſ.* Quænam igitur iſtæ Hebdomades , & quomodò ſupputandæ ? *Rom.* In Scriptura nullæ aliæ noſcuntur hebdomades , quàm dierum , de quibus in Geneſi, & Levitico ; & annorum , de quibus in eodem. Si verò Hebdomades iſtæ diebus tantùm conſtarent , quadringentos, & nonaginta continerent; annúmque Solarem , & dimidiatum non explerent. Omnes igitur tam Catholici , quàm Rabbini conſentiunt, Hebdomadas illas annorum eſſe ; & univerſas quadringentos , & nonaginta includere; totenim ſecundùm varias computationes fluxêre ab anno ſeptimo Artaxerxis , quo Eſdræ ; vel à vigeſimo ejuſdem, quo Nehemiæ facta eſt poteſtas Jeroſolymæ reædificandæ ; vel à vigeſimo tertio , quo idem Nehemias , Urbem , & muros abſolutos dedicavit , illáque encæniâ igne de cælo demiſſo Deus nobilitavit ; quod illuſtriſſimum eſt principium Hebdomadarum , ad quod ab anno primo Cyri , & Darii, *Gen.* 29. 27. *Levit.* 23. 16 *Levit.* 25. 8. 1. *Eſdr.* 7. 6. 1. *Eſdr.* 2. 1. 2. *Eſdr.* 12. 42. 2. *Machab.* 1. 32.

Digitized by Google

Darii, quo soluta est Babylonica captivitas, & Daniel Felici hoc nuntio exhilaratus, numerantur anni tres, & nonaginta, qui additi Hebdomadibus efficiunt annos quingentos octoginta tres, quibus Daniel ab illarum fine tunc distabat. Incidit autem primus ultimæ Hebdomadæ annus in decimum quintum imperii Tyberii Cæsaris annum, quo Christus à Joanne Baptista Jordanis aquis lustratus se mundo evulgavit, Danielis, & aliorum Vatum oracula obsignans. (Nam *lex, & Prophetæ usque ad Ioannem*) ipsius autem cædes in dimidium ejusdem Hebdomadæ; quod illa verba testantur; *Confirmabit autem pactum multis Hebdomada una; & in medio Hebdomadis deficiet hostia, & sacrificium*; *Tunc enim*, ut ait D. Leo Magnus, *legalium sacrificiorum varietate cessante, omnes differentias hostiarum una corporis, & sanguinis Christi implet oblatio.* Tunc etiam consummata est prævaricatio, deleta iniquitas, *visio, & prophetia impietæ*, in quarum confirmationem verus Messias clamavit: *Consummatum est*, cùm spiritum inclinato, in obedientiæ erga vaticinia documentum, capite emisit.

Luc. 3. 1. *Dan.* 9. 27. *Luc.* 16. 16. *Ioan.* 19. 30 *Dan.* 9. 27. D. Leo ser. 8 de Passione. *Dan.* 9. 24. *Ioan.* 19. 30

10. *Abass.* Magno merito factum adeò indignum consecutæ sunt illæ pœnæ, quas tertio, & quarto loco injungendas animadvertisti. *Rom.* Eæ sunt: urbis, & templi vastatio; populi dispersio, & captivitas. *Non erit*, inquit Angelus, *ejus populus, qui eum negaturus est*, assumpto ab offenso Deo in suum, Gentilium populo, qui anteà populi nomine indignus censebatur, sicut per Moysem ait: *Ego provocabo eos in eo, qui non est populus*; & per Oseam: *Voca nomen ejus: Non populus meus, & ego non ero vester.* A qua ipse populus dignitate se propulit, cùm clamavit: *Non hunc, sed Barabbam. Non habemus Regem, nisi Cæsarem.* Vel etiam, *Non erit*, quia Judæorum regnum eversâ civitate, atque templo à Tito, & Vespasiano, quadraginta annis post Christi internecionem (de quibus Vates: *Civitatem, & Sanctuarium dissipabit populus cum duce venturo*) omninò defecit, & in æternam locus ille damnatus est vastitatem. *Vsque ad consummationem*, inquit, *& in finem perseverabit desolatio.* Nam post sexaginta quatuor à Titi, & Vespasiani eversione annos Hadrianus Imperator adeò immaniter in illam urbem, ipsius cultores grassatus est, ut pauci cædentium manus, evaserint; quos ille urbis cadavere Gentilibus tradito, & Sanctuario equestri ipsius statua polluto, foras jussit exturbari, quin per eos Judæis, nisi semel in anno, ingenti pecuniæ vi extortâ, liceret patrios lares revisere, & gratis suam depulsionem, extremámque miseriam complorare. Indè post ducentos quadraginta, & duos annos, Juliano Apostata templum ad captandam Judæorum gratiam renovare moliente, cæmenta demisso è cælo igne conflagrarunt, ut jam monuimus lib. 1. cap. 6. num. 15. Cùm igitur ex omnium Prophetarum oraculis Messias Jerosolymæ suum esset solium erecturus, & in templum à reversis ex Babylonica captivitate restauratum (ex Aggæo infrà) ingressurus, cuilibet Judæo ventosas adhuc spes trahenti illud objice Tertulliani: *Redde statum Iudææ, quem Christus inveniat, & alium contende venire.*

Jerosolymæ eversio, & Iudæorum captivitas. *Dan.* 9. 26. *Deut.* 32. 21 *Os.* 1. 9. *Ioan* 18. 40. *Ioan.* 19. 15 Baron. tom. 1. an. 71. & 72. *Dan.* 9. 26. *Dan.* 9. 27. Baron. tom. 2. an. 135. & 136. Oros. lib. 7. cap. 13. Tertul. in Apolog. cap. 21. & contra Jud. cap. 13. D. Hieron. in cap. 1. Sophon. Baron. to. 4. an. 363. Tertull. lib. adversi. Iudæ. c. 13. Aggæi vaticinium 1. Esdr. 5. 1.

11. *Abass.* Quod illud oraculum Aggæi? *Rom.* Cùm Zorobabel Dux Judæ, & Jesus Sacerdos post captivitatem templo eruderato fundamenta jecêre, Aggæus Propheta molitionem quâ suâ præsentiâ, quâ vaticiniis urgebat. Inter quæ illud in primis insigne ædificantibus ex Dei nomine edixit: *Adhuc unum modicum est, & ego commovebo cælum, & terram, & mare, & aridam, & movebo omnes gentes*; *Et veniet desideratus cunctis Gentibus*; *& implebo domum istam gloria, dicit Dominus exercituum. Meum est argentum, & meum est aurum, dicit Dominus exercituum. Magna erit gloria domus illius novissimæ, plusquàm primæ, dicit Dominus exercituum.* De Messia vaticinatum Aggæum nemo potest ambigere, quem vocat cunctis Gentibus desideratum. Sicut & Jacob: *Ipse, erit expectatio Gentium.* Infrà: *Donec veniret desiderium collium æternorum.* Isaias: *Ipsum Gentes deprecabuntur*; & secundùm lectionem D. Pauli: *In ipsum Gentes sperabunt.* Vel quia multos ex Gentilibus, ut Sibyllas, Balaamum, & alios venturi in suum commodum Servatoris aliqua cognitio imbuerat; vel quia tantâ illius necessitate premebantur, ut ipso naturæ instinctu ducti non aliter in ipsum inhiarent, quàm ut Job ait: *Frumentum desiderat nubes.* Et Isaias Ethnicos vocat *Gentem expectantem, expectantem*, vocis geminatione non tam vim desiderii, quàm necessitatis declarans; eámque alibi ad insulas extendens: *Me*, inquit, *insulæ expectant.*

Aggæi. 2. 7. V. 8. V. 9. V. 10. *Gen.* 49. 10. 26. *Isai.* 11. 10. *Rom.* 15. 12. *Iob.* 37. 11. *Isai.* 18. 7. *Isai.* 51. 5.

12. *Abass.* Non dubito, Messiam ab Aggæo indicatum; sed quid hæc prædictio ad tempus illius adventus? *Rom.* Domum illam novissimam priori à Salomone erecta multò augustiorem fore Propheta testatur. *Magna erit gloria domus istius novissimæ, plusquàm primæ.* Quod verum non erit, si Prophetæ verba ad præsentem molem referantur. Collata enim cum Salomonica adeò vilis erat, ut Senes, qui prioris templi majestatem viderant, istius tenuitatem considerantes, sibi non possent à lacrymis temperare; quod idem Propheta insinuavit; cùm dixit: *Quis in vobis est derelictus, qui viuit domum istam in gloria sua priori? & quid vos videtis hanc nunc? Numquid non est ita, quasi non sit, in oculis vestris?* In quo ergo sita fuit domus istius posterioris excellentia? In eo, quòd verus Messias primò in Matris purificatione. Secundò duodennis, & sæpè post prædicationis suæ auspicia in illam se intulit. Quod Aggæus innuit, & Malachias ipsi coævus exprimit: *Statim*, inquiens, *veniet in templum suum Dominator, quem vos*

In templum à Zorobabele constructum ingressus erat Messias. Aggæi 2. 10 Ioseph. de Antiquit. lib. 11. c. 3. Aggæi 1. 4. *Luc.* 2. 22. 42 *Malach.* 3. 1.

Digitized by Google

vos quæritis, & Angelus testamenti, quem vos vultis.

Templum ab Herode restitutum idem fuit cum Zorobabelico, & Salomonico

13. *Abass.* Non arbitror, templum illud à Zorobabele excitatum, & à Nehemia dedicatum Christi Domini pedibus fuisse nobilitatum, sed illud, quod posteà Herodes est architectatus. *Rom.* Non obsisto; sed hoc idem cum illo reputatur; quemadmodùm & illud quod constructum à reducibus ex captivitate, idem cum Salomonico, ut ostendunt illa verba Aggæi jam prolata: *Agg.* 2.4. *Quis ex vobis derelictus est, qui vidit domum istam in gloria sua priori?* Ergo eadem est domus illa prior, & hæc posterior. Idémque esse templum ab Herode evectum cum illo, quod Zorobabel extruxit, confessi sunt Judæi omnes, cùm Christo dicenti, templum se triduo suscitaturum, respondere: *Ioan.* 2.20. Joseph. lib. 15. Antiquit. c. 14. *Quadraginta, & sex annis ædificatum* est templum istud. Quod falsitate plenum esset, si de Herodiano loquerentur, quod Josephus narrat, octo annis, & mensibus quinque absolutum; Zorobabelici autem consummatio propter frequentes bellorum abruptiones in quadragenos senos protracta. Id verò firmant Cæsareæ sanctiones, in quibus eadem dicitur navis, quæ asseribus omnibus, & tabulatis præ vetustate resectis super eamdem carinam; & domus, quæ parietibus disjectis super eadem fundamenta attollitur. Quod in hoc templo vidimus actitatum. L. Mutius. ff. de rei vindicat. L. Si ita legetur. 1. ff. de legat. 1.

Templum vastatum est Tito, & Vespasiano; Ergo ante eversionem ingressus est in illud Messias.

14. *Abass.* Sed de tempore ingressûs Messiæ nondùm liquet. *Rom.* Liquidò constat, Messiam in templum illud pedem inducturum; dirutum verò fuisse, & igne consumptum à Tito, & Vespasiano. Ergo Messias illud clarare debuit ante illam conflagrationem, quæ contigit quadraginta annis post Christi mortem. Assignent ergo Judæi alium Messiam, qui ante illud tempus claruerit; vel necesse est, ut Christum JESUM eum fuisse confiteantur. Quod negare non potuit Josephus Sacerdos, & nobilissimus eorum temporum Historicus, qui licèt alicubi Vespasiano palpum obtrudens illi tribuat, quæ de Judæorum Messia vulgabantur, alibi non est ausus à veritate discedere, Messiæ gloriam, & titulum Christo delegans; Ad cujus nativitatem, & aditum in templum cum purificanda Matre, à secundo anno Darii Hystapis, quo Aggæus illud vaticinium effudit, anni quingenti, & viginti tres intercessere, quos modicum quid Vates appellat. Nec sine mysterio ait: *Agg.* 2.1. *Agg.* 2.8. *Unum modicum adhuc.* solebant enim antiquiores Prophetæ Judæis ex Messiæ sui vicinia blandiri. Isaias. *Propè est, ut veniat tempus ejus, & dies ejus non elongabuntur.* Et iterùm: *Propè est justus meus; egressus est Salvator meus* Habacuc: *Veniens veniet, & non tardabit.* Et cùm ab iis fastidiosus populus quæritaret; quando tandem esset affuturus, ipsi respondebant: *Hæc mandat Dominus, modicùm expectate.* Quæ verba illi in jocum vertentes, lusoriam illam, cujus Isaias meminit, inflexionem frequentabant: *Manda, remanda. Expecta, re expecta: Modicum ibi, modicum ibi.* Ait ergo Aggæus: Ne in ludibrium verba mea detorqueatis. Adhuc enim unum modicum super est quingentorum vicenorum, & trium annorum, quod vobis erit postremum. Ultima enim hæc est de tempore adventûs Messiæ Prophetia.

Isai. 14.1. Isai. 51.5. Habac. 2.3. Isai. 28.10. 13.

15. *Abass.* Quo pacto tunc illud impletum: *Ego commovebo cœlum, & terram, & mare, & aridam; & movebo omnes gentes?* *Rom.* Legem veterem sensibilium rerum ex elementis compactarum observantia constantem elementa vocat D. Paulus; & illius translationem in hoc motu à Propheta indicatam attestatur; sed non minùs aptè dici potest, significatam fuisse illam cognitionem, & obsequium, quod bruta ipsa elementa Christo præsenti; ut vero Messiæ, detulerunt. *Omnia quippè elementa,* inquit, Magnus Gregorius, *auctorem suum venisse testata sunt. Deum hunc esse cœli cognoverunt, quia stellam protinùs miserunt: Mare cognovit, quia sub plantis ejus calcabile se præbuit. Terra cognovit, quia eo moriente contremuit. Sol cognovit, quia lucis sua radios abscondit. Saxa, & parietes agnoverunt, quia tempore mortis ejus scissa sunt, Infernus agnovit, quia hos, quos tenebat mortuos, reddidit.* Judæos tamen Spiritui Sancto à parentum suorum ævo refractarios illa Magni Antistitis conclusio exterreat: *Et tamen hunc, quem omnia insensibilia elementa Dominum senserunt, adhuc infidelium Judæorum corda Deum esse minimè cognoscunt; & duriora saxis scindi ad pœnitendum nolunt.*

Omnia elementa Messiam agnovêre, quem Judæi adhuc ignorant. *Agg.* 2.7. *Gal.* 4.3.9.

Coloss. 2.8. 20. *Heb.* 12.26.

D. Gregor. homil. 10. in Evangel. *Matth.* 22. *Matt.* 14.25. *Matt.* 27.51. *Act.* 2.24.

CAPUT VII.

In priora verba quinti articuli: Passus sub Pontio Pilato; crucifixus, mortuus.

Act. 2.24. Passionis articulus creditu difficillimus, & ideò ab Apostolis propositus.

1. *Abass.* Quid cùm Christus Deus esset, & tot in vita miraculis effulserit, quorum summam tantùm perstrinxisti, cunctis posthabitis, Apostoli ad passionem transcurrerunt? *Rom.* Cùm compendiariam Fidei regulam Christianis proponerent, ea tantùm curaverunt, quæ creditu sunt ardua; qualia sunt, Deum passum esse, crucifixum, mortuum, & sepultum, non autem miraculis eminere. Quam difficultatem Prophetæ de passione acturi prætendere. *Quis,* inquit Isaias, *credidit auditui.* Habacuc: *Domine audivi auditionem tuam, & timui; consideravi opera tua, & expavi. In medio duorum animalium,* ideſt, latronum, in ligno *cognosceris.* Nec non ut Christiani illud intelligant, quod docet D. Aforosius, *Quantò major est injuria, tantò uberior Christo debetur gratia.*

Isai. 53.1. *Habac.* 3.1. juxta versionem LXX. D. Ambros. lib. 2. de Fide cap. 4.

Pontii Pilati cur mentio facta in Symbolo.

2. *Abass.* Quorsùm Pontii Pilati mentio inserta? *Rom.* Ut qui Apostolis prædicantibus Christum mortuum esse, Fidem addere recusarent, publica Romani Prætorii tabularia consulerent, in quibus ea servabantur acta, quorum auctoritate

Digitized by Google

auctoritate constaret, ipsum Romani Præsidis sententiâ interemptum, & non solùm Patri, sed terrenis etiam potestatibus usque ad mortem fuisse obtemperantem; & vi cruciatuum objisse. Etsi enim Christus *oblatus est, quia ipse voluit, & potestatem habuit ponendi animam suam*; & in ipsa Cruce *spiritum tradidit, & emisit*, (quæ verba spontaneam discessionem ostendunt, quatenùs, si vellet, mortem, à se propellere posset, quod nulli hominum, quibus *statutum est semel mori*, conceditur) in ipso tamen violenta fuit, & tormentorum, quæ voluntariè admisit, vi illata, sicut Isaias prædixerat: *Quia abscissus est de terra viventium*. & Daniel. *Occidetur Christus*. Contestatur Princeps Apostolorum: *Auctorem vitæ interfecistis*. Alibi: *Quem occiderunt, suspendentes in ligno*.

Et voluntaria, & violenta Christi mors. *Isai.* 53. 7. *Ioan.* 10. 17. 18. *Matt.* 27. 50 *Ioan.* 19. 30. *Heb.* 9. 27. *Isai.* 53. 8. *Dan.* 9. 26. *Act.* 3. 15. & 10. 39.

Passus est Christus dolores, & opprobria.

3. *Abass.* Cur passum dicunt Apostoli, cùm videretur sufficere, si crucifixum sub Pontio Pilato dixissent? *Rom.* Ultra suspendium plurima Christus passus est opprobriorum corporis, & animi cruciamenta, quæ Apostoli non sunt passi silentio obliterari. Opprobria illa fuêre; colaphis onerari, velo faciem obduci, verberibus inscribi; spineâ coronâ, purpuræ resegmine, & arundine deformem populo ostentari; cum Barabba componi, Cruci inter latrones medium suffigi. Corporis cruciamenta; vinculis astringi, flagris concidi, spinarum aculeis lancinari, Crucem succollare, felle, & aceto propinari, clavis transadigi, & animam in Cruce exhalare, ut *à planta pedis usque ad verticem capitis nulla fuerit in eo sanitas; & vir dolorum* verè sit ab Isaia appellatus. Licèt enim Martyres aliqui productiora tormenta sustinuerint, si tamen exquisitissimam Dominici corporis ab Spiritu sancto in Beatissimæ Virginis utero elaborati temperationem attendamus, gravissimi, & longissimi illorum dolores, non dico cum acerbissimis, quos Servator devoravit, sed nec cum eorum minimo valent comparari.

Isai. 1. 6. *Isai.* 53. 3.

Animi in Christo cruciatus.

4. *Abass.* Quæ fuêre animi vulnera? *Rom.* In primis illa, tristitia, quæ ipsius animum insedit ex humanorum flagitiorum pensitatione, cui par unquam nulla fuit. Cunctis enim excellentiùs noscebat, quantùm homines Deo essent obstricti; & quantâ ab illo indignitate recessissent. Deindè, angor ille, quem infligebat impendentium ipsi cruciatuum considerario; & (quod mortalibus summum malum esse solet) amittendæ vitæ, quæ omninò divina esset, explorata, & indubitata vicinitas. Tertiò mæror ex solitudine obortus, cùm se videret omni humano solatio destitutum, & ab uno discipulorum proditum, ab altero negatum, ab omnibus turpiter fugientibus desertum; & à sola Matre cum paucis consanguineis ad incrementum doloris stipatum. Undè coactus fuit dicere: *Torcular calcavi solus. Sustinui, qui mecum contristaretur, & non fuit; & qui consolaretur, & non inveni.* Et licèt ipsum divinitas non dimiserit, omne levamen, quod à superiori animæ parte in corpus, agnataque ipsi potentias fluere poterat, ità compressit, ut se à Deo desertum illis verbis quereretur: *Deus meus, Deus meus, ut quid dereliquisti me?* Quæ tristitia ob istas, & alias rationes fluctus ità decumanos in Christi corde excitavit, ut sanguineum sudorem ab ipso exculpserit, & morti accersendæ absque ullo externo cruciatu satis esset. Quod illa verba declarant, *Tristis est anima mea usque ad mortem.*

Isai. 63. 3. *Psal.* 68. 21.

Matth. 27. 48.

Matt. 26. 38

5. *Abass.* Si Christo promptum erat, quamcumque ipse vellet, mortem subire, cur dirissimum Crucis supplicium præoptavit? *Rom.* Cùm hominum damnatio indè originem traxerit, quòd Adamus audacem manum ad interdictum lignum extendit, æquum erat, ut in ligno suas extendi, & configi Deus assertor patereturque aërem, exturbato dæmone, quem D. Paulus *aeris principem* vocat, elato in sublime patibulo repurgaret. Quod quatuor habet cornua, ut signaret illum se ex quatuor mundi plagis extrudere, & ab iis electos suos evocare. Crux enim præmonstrata fuit in arca, quia mundus in ea à peccatorum diluvio vendicandus. In Scala Jacob, quia viam ad cœlum munit. In lignorum fasce, quem verus Isaac, mundi risus, & gaudium, in montem erat subvecturus. In cancellatis Jacob manibus, ut Judæorum populo, sicut Manasse ad sinistram constituto, & oblivioni tradito, opimæ benedictionis ferax dextera ad Christianum transiret. In virga, quæ mare Rubrum ad terram promissam festinantibus patefecit. In protentis Moysis brachiis, quorum contentione Amalech, mundi typus, expugnatus. In ligno, quod peccatorum amaritiem condivit. In pertica, quæ serpentem æneum, solo quidem aspectu, nullo tamen veneno formidabilem in deserto elevavit. Christus enim in Cruce alienorum debitorum pœnam solvebat, & peccatoris speciem tanquàm serpentis exuvias præferebat, sed omni ipsi peccati veneno carebat.

Crucis supplicium cur Deus elegit?

Genes. 3. 8. *Ephes.* 2. 1. *Genes.* 6. 14. *Genes.* 28. 12 *Genes.* 22. 6. *Genes.* 48. 14 *Exod.* 14. 26. *Exod.* 17. 11. *Exod.* 15. 25. *Num.* 21. 9.

6. *Abass.* Cur Crucis supplicio mors addita; ait enim Symbolum: *Crucifixus, mortuus?* *Rom.* Ità opus fuit ad veritatem corporis contestandam, & plenam solutionem pro humani generis debito exhibendam; cui in primo parente illa pœna indicta: *Quocumque die comederis ex eo, morte morieris*; ad exactam Filii erga Patrem obedientiam; & Patris erga homines dilectionem comprobandam. Filius enim *factus est obediens usque ad mortem: mortem autem Crucis*; & Pater *proprio Filio suo non pepercit, sed pro nobis omnibus tradidit illum.*

Mori cur Deus voluit?

Genes. 2. 17. *Philip.* 2. 8. *Rom.* 8. 32

7. *Abass.* Quid, cùm dicitur, mortuum esse Christum, intelligendum? *Rom.* De Christi morte non aliter, quàm de humana sentiendum, tradunt D. Athanaeus, & Cyrillus. Mortem ergo Philosophi docent, esse animæ à corpore discessum. Quibus assentitur D. Deonaceos Areosfagos, cùm ait: *Mors est in nobis, non essentia interitus,*

Mors est animæ à corpore separatio. D. Dionys. Areopag. de Eccles. hierarch. c. 2. p. 3.

Digitized by Google

sed conjunctarum partium separatio. Quo etiam modo loquuntur Sayros, Joannes Alexandrinus, Senuteon, & Philateus. Ut ergo in cujuslibet hominis morte non solùm anima non interit, sed corpus integrum perdurat, verùm ob animæ disjunctionem exangue; ità Christum, anima à corpore divulsa, mors oppressit. Quod illa Evangelistarum verba devolvunt: *Expiravit, emisit, & tradidit spiritum. Cùm spiritus,* inquit D. Athanateus, *è corpore in patibulo excessit, factum est, ut mortuum sit corpus.* Id verò ipse Judæis tacitè ingerebat, cùm dixit: *Solvite templum hoc. Quomodo,* inquit idem Pater, *possunt Judæi solvere templum Dei, & indissolubile temperamentum carnis cum Verbo dissepatare, nisi instar nostri, & pro nostra ratione sese habuisset, corporis mortificatio?* Vide eumdem infrà cap. 8. num. 23.

Sayros hæret. p. 3. n. 1. Joan. Alex. n. 27. Senuteon p. 1. n. 3. Philateus p. 1. n. 3. *Marc.* 15. 37. *Luc.* 23. 46. *Matth.* 27. 50. *Joan.* 19. 30. *Ioan.* 2. 19. D. Athan. de salut. Christi adventu contra Apollin.

8. *Abass.* Si ratio mortis Christi à nostra non abludit; Ut Petrus, sejunctâ animâ ab ipsius corpore, nec Petrus est, nec homo; ità Christus post mortem, nec Christus, nec homo dicetur? *Rom.* Quamvis in vestro Libro illa verba apud D. Cyrillum reperiantur: *Quod intelligimus, cùm dicimus: Homo moritur; idem intelligendum est, cùm dicimus: Mortuus est Emmanuel; idest ille, qui fuit Emmanuel; idest, Verbum unitum carni suæ:* Interpreti tamen mendum irrepsit; neque enim est in autographo, *Ille, qui fuit Emmanuel*; sed solùm: *Ad eum modum de morte ipsius Emmanuelis cogitabis. Erat enim Verbum in proprio corpore, & hoc morti tradidit.* Qui autem dicit: *Ille, qui fuit Emmanuel*, insinuat, ipsum post mortem Emmanuelem, & Christum non permansisse; sicut nec Petrus permanet, cujus persona ex humanitatis partium coitione erumpit, ut adnotatum lib. 5. cap. 26. num. 8. At nomen Emmanuelis, vel Christi, ut notatum lib. 1. cap. 1. num. 3. nomen est Personæ divinæ, & humanitate anterioris, quam mortis aura non afflat. Si verò solam illam unionem inspiciamus, quæ naturali, & communi cum cæteris vinculo, ut diximus lib. 5. cap 3. num. 4. & 5. corpus, & animam adstringit, hanc in Christo mors dissolvit; cúmque ex mutuo illo humanitatis nexu hominis nomen hominibus accedat, eo per illud triduum destructo, dicendum, hominis etiam nomen intereà à Christo avolâsse. Nec ideò divinitas se ab anima, vel à corpore abstraxit, sed huic in sepulchro, illi in tartaro fuit implexa. Quod enim semel assumpsit, à se non ampliùs alienavit; de quo infrà cap. 9. num 2. & 3.

Christus in triduo homo non fuit, sed in eo Verbum, nec corpus, nec animam dimisit. D. Cyril. Epist. ad Monach. Ægypti. n. 25. in edit. Peltan. D. Thom. 3. p. q. 50. a. 4.

9. *Abass.* Quoto ætatis suæ anno, & quo anni tempore mortem Christus oppetiit? *Rom.* Annos tres suprà triginta cum tribus mensibus exegerat. Natus enim est die vigesima quinta Decembris ad Romani Kalendarii: Ad vestri rationes decima nona. Et similiter vigesima quinta, vel decima nona sequentis Martii post triginta, & tres annos expletos in patibulo animam exhalavit. Quod indè probatur, quia cùm baptizatus est, *erat incipiens, quasi annorum triginta, ut tradit* D. Lucas, ideſt, triginta tunc annos impleverat; Verbum autem *incipiens* non ad annum trigesimum, sed ad prædicationem, quam auspicatus est à Baptismo cum D. Justino, Tertulliano, Clemente Alexandrino, Epiphanio, Augustino, & aliis referendum. Eámque explicationem non elevat, sed confirmat particula *Quasi*, sicut, & illo Joannis loco: *Vidimus gloriam ejus, gloriam quasi Unigeniti à Patre.* Si autem contentiosè certes, ut *Quasi* pro circiter, vel, plùs, minúsve, accipiatur, duodecimo die post triginta annorum clausulam: sextò nempè Januarii secundùm nostros, secundùm vestros primò, à Joanne tinctus fuit. A qua lustratione ad Christi mortem quatuor Paschata Evangelistæ recensent. Primum anni jam trigesimi primi Joannis secundo, secundum quinto. Tertium sexto. Quartum, quod postremum Christo fuit, undecimo, & decimo tertio. Quod tunc Romanis incidit in feriam sextam, & diem vigesimam tertiam Martii; vobis in decimam septimam, quæ lunæ erat decima quinta, biduo post æquinoxium; ut quâ die creatus est Adam, & forsàn, è paradiso horâ nonâ ejectus, (nam ante depulsionem Deus ad *auram post meridiem deambulabat*) latro in illius possessionem introduceretur, & humani generis redemptio consummaretur.

D. Justin. Tertul. Clem. Alex. D. Epiph. D. August. Citantur à Tyrino in Chronico sacro, c. 47. *Luc.* 2. 23. *Joan.* 1. 14. Martyrolog. Roman. *Joan.* 2. 13. *Ioan.* 5. 1. *Ioan.* 6. 4. *Ioan.* 11. 55. & 13. 1. *Genes.* 3. 8. *Luc.* 23. 42. *Matth.* 27. 46.

Quâ ætate, mense, & die Christus mortuus.

CAPUT VIII.

Deum mortuum esse, sed non divinitatem.

Purum hominem mortuum dici non licet.

1. *Abass.* Cùm hîc Christum mortuum, Apostoli fatentur, in quem mors, quadrat: in hominem, an in Deum? *Rom.* Quid novi hominem obire? Christo igitur homini, vel ipso doctore, mors deputanda. *Quæritis*, inquit per Joannem, *me interficere hominem, qui vera locutus sum vobis.* Per duos alios Evangelistas: *Filius hominis tradetur, ut crucifigatur.* Per Paulum: *Habitu inventus ut homo: humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Ità tamen hominem mortuum credas, ne unquàm purum hominem objisse eloquaris; ne sis ex illorum globo, qui ut dolet D. Cyrillus, *Fidem pro libidine invertunt, dicentes*, eum, *qui crucifixus est pro nobis, esse purum hominem, & non esse Deum* In quos Divi Feliquis, & Abolidis sine ulla declinatione formidanda illa anathemata libraruntur, quæ lib. 5. cap. 6. num. 10. produximus; de quo iterùm infrà num. 14.

Ioan. 8. 4. *Matth.* 26. 2. *Marc.* 14. 21. *Philip.* 2. 7. 8. D. Cyril. p. 51. n. 72.

Deum mortuum, Catholicè dicendum.

2. *Abass.* Si purum hominem mortuum dici non licet, numquid dici, mortuum purum Deum licebit? *Rom.* Cùm Deum mortuum dixeris, subsiste; hæc enim est Prophetica, & Evangelica confessio. Moyses enim prænuntiat: *Erit vita tua quasi*

pendens

Digitized by Google

Deuteron. 28.66. 1. Ioan. 5. 20. D. Athan. de Incarnat. Verbi Dei. D. August. lib. 16. contra Faustum, cap. 22. D. Leo serm. 8. de Passione. Theodos. Hæret. p. 2. Act. 3. 15. & 10. 38. 39. & 20. 28. Rom. 8. 32. Corint. 2. 8. Philip. 2. 8. Heb. 5. 8. 1 Ioan. 3. 16.

pendens ante te; ideſt Chriſtus Deus tuus, de quo Joannes: *Hic eſt verus Deus, & vita æterna*; ſic enim Moyſem interpretantur D. Athanateus, Auguſtinus, Leo Magnus, & apud vos Theodoſius Alexandrinus. E quibus prior: *Ille*, inquit, *quem Scripturæ indicant pro omnibus paſſurum, non ſimpliciter homo, ſed vita omnium dicitur.* D. Petrus in Actis: *Auctorem vitæ interfeciſtis.* Iterùm: *Quoniam Deus erat in illo.* Ut mox: *Quem occiderunt ſuſpendentes in ligno.* D. Paulus ibidem: *In quo vos Spiritus ſanctus poſuit Epiſcopus regere Eccleſiam Dei, quam acquiſivit ſanguine ſuo.* In Epiſtola ad Romanos: *Proprio Filio ſuo pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum.* Ad Corinthios: *Quem ſi cognoviſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent.* Ad Philippenſes: *Qui cùm in forma Dei eſſet*: Et infrà: *Humiliavit ſemetipſum factus obediens uſque ad mortem: mortem autem Crucis.* De qua uſque ad mortem obedientia ad Hebræos: *Et quidem, cùm eſſet Filius Dei, didicit ex his, quæ paſſus eſt, obedientiam.* D. Joannes: *In hoc cognovimus charitatem Dei, quoniam ille animam ſuam pro nobis poſuit.* Non tamen purus Deus eſt, qui paſſus eſt, & mortuus.

Cum Deus mortuus dicitur, Dei nomen habet ſuppoſitionem perſonalem D. Athan. p. 11. n. 1.

3. *Abaſſ.* Cùm ergo Scripturæ Deum mortuum teſtantur, quam Dei nomen ſortitur ſuppoſitionem? *Rom.* Ut purus homo non eſt mortuus, ità neque Deus purus; ſed Deus homini copulatus. *Attende nunc, & audi*, ait D. Athanateus, *quoniam eſt Deus, & homo ſimul; ſi tantùm Deus eſſet, quomodò ergo pateretur, aut quomodò crucifigeretur: aut quomodò guſtaret mortem? Quia hoc opus longè eſt à Deo. Etſi tantùm eſſet ex hominibus, quomodò, quando paſſus eſt, & mortuus, alios ſalvavit?* Cùm ergo Deum mortuum prædicamus, Dei nomen non habet ſimplicem ſignificationem, de qua libr. 2. cap. 2. num. 15. ne omnes Trinitatis Perſonæ mortuæ putentur; ſed perſonalem, ut cùm Beata Virgo Dei Mater, vel Deus natus dicitur; ut ſuprà cap. 4. num. 7. Quamvis autem Patres aliquandò inexplicitè loquantur, unum de Trinitate crucifixum, & mortuum affirmantes, ut Abib, & D. Cyrillus (quæ locutio aliquamdiù ſuſpecta fuit in Eccleſia, quòd Eutychiani illius uſu Perſonæ nomen, & duarum naturarum memoriam explodere conarentur, ut Baronius advertit) rectè tamen intellecta nullo mentem pungit aculeo. Unum enim (ut notatum eſt lib. 2. cap. 9. num. 3. & lib. 3. cap. 1. num. 7. ad fin.) naturam; unus perſonam deſignat. Tamen ad vitandam ſuſpicionem Verbum, ſive ſecundam Trinitatis Perſonam carne paſſam, & mortuam; ac proindè Chriſtum, Deum, & hominem, Epheſinum Concilium ità definivit: *Si quis non confitetur, Deum Verbum paſſum carne, & crucifixum eſſe carne, & mortem carne guſtaſſe; anathema ſit.* Quam loquendi normam elimatiores Patres obſervant.

Abib p. 1. n. 1. D. Cyrill. p. 12. n. 8. 13. & p. 42. n. 2. 5. Baron. tom. 7. an. 519. 533. 534.

Concil. Epheſin. can. 12. D. Cyril. p. 20. n. 22.

4. *Abaſſ.* Quinam illi? *Rom.* Reſtim ducat D. Agnateus antiquitate commendabilior: *Credimus*, inquit, *Chriſtum Deum paſſum eſſe propter nos, & mortuum eſſe Deum Verbum propter redemptionem noſtram.* D. Feliquis: *Si quis dixerit, Chriſtum, qui crucifixus eſt, eſſe hominem ſine divinitate; & non credit, eſſe unam Perſonam ex tribus Perſonis, Verbum, Deum, & hominem ſimul; anathema ſit.* Alibi: *Nos credimus, eſſe Deum Verbum, quòd habet nativitatem in carne, & Paſſionem ſuper Crucem.* D. Athanateus: *Auſi ſunt dicere, Chriſtum, qui paſſus eſt in carne, & crucifixus eſt, non eſſe Deum, nec Filium Dei.* Infrà: *Vulnerum cicatrices perpeſſum eſt Verbum, cùm eſſet unitum carni ſuæ. Similiter, quando miles colapho carnem ejus percuſſit, dicit ei Verbum, quod erat unitum carni ſuæ: Quid me cædis? Paſſionem carnis ſuæ ſibi fecit Verbum.* Infrà: *Omnem Paſſionem, quæ ſuper Verbi carnem pervenit, ſuſcipiebat Verbum unitum carni ſuæ.* Infrà: *Hic eſt verè Deus, & Filius Dei, & Dominus benedictus in ſecula, & crucifixerunt eum cum ignominia, & paſſus eſt.* Infrà: *Quando ſol vidit Creatorem ſuum patientem, & laborantem in carne, ſuſpenſum ſuper lignum Crucis, abſcondit lumen ſuum, & totus mundus obſcuratus eſt.* Quod priùs dixerat p. 9. *Fugit ſol, & luna obſcurata eſt; & omnes contenebrati ſunt, ne viderent Deum ſuum, qui creavit eos, cùm crucifixus eſſet in arbore, ſicut latro.* D. Baſilius: *Ne timeas, cùm audieris, Deum mortuum eſſe.* D. Abolidis: *Crucifixerunt carnem Dei Verbi, quod incarnatum eſt; ipſum crucifixerunt.* Alibi: *Ipſe eſt Deus, quem Judæi crucifixerunt.* D. Heraclis: *Voluit Deus Verbum pati propter homines.* D. Epiphanius: *Scriptum eſt: Si cognoviſſent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent; ergo crucifixus eſt Dominus noſter, & nos quidem adoramus eum, qui crucifixus eſt.* D. Gregorius Nazianzenus: *Verbum clavis confixum fuit in ligno crucis.* Alibi: *Si quis non adorat eum, qui crucifixus eſt; anathema ſit, & cum illis numeretur, qui Dominum crucifixerunt.* D. Joannes Chryſoſtomus: *Crucifixus eſt hic unus tantùm Filius Dei in carne ſancta.* D. Cyrillus: *Omnia iſta paſſum eſt voluntariè propter nos Deus Verbum in carne, quæ ipſi unita erat.* Alibi: *Mortuus eſt Unigenitus ſolus pro omnibus.* Alibi: *Dicit ſapiens Paulus: Quoniam ſi agnoviſſent, numquàm Dominum gloriæ crucifixiſſent; Dominus, qui eſt ſuper omnia, ipſe eſt ex Judæis ſecundùm carnem, & ipſe mortuus eſt propter nos: Et Iſaiat Propheta dicit: Non interceſſor, neque Angelus, ſed Dominus, qui venit, & ſalvavit nos; & non ſalvavit in ſanguine alieno, ſed in ſanguine ſuo tantùm, & non alterius.* Alibi: *Non intelligunt, eum, qui Judæus in carne fuit, & venit ex ſemine Ieſſe, & David, eumdem eſſe, de quo Beatus Paulus dixit: eſſe Deum gloriæ, & eum, qui eſt ſuper omnia Deus benedictus in ſecula.*

D. Ignat. p. 1. n. 12. D. Felix. p. 1. n. 2. p. 3. n. 3.

D. Athan. p. 15. n. 18.

Num. 78. Ioan. 18. 23.

Num. 86.

Num. 119. Rom. 9. 5.

Num. 139.

Matth. 27. 45.

P. 9. n. 21

D. Baſil. p. 5. n. 21. D. Abol. p. 6. n. 3. & p. 9. n. 21. D. Procl. p. 5. n. 5. D. Epiph. p. 9. n. 23. 1. Cor. 2. 8.

D. Greg. Naz. p. 1. n. 63. & p. 4. n. 6.

D. Ioan. Chryſoſt. p. 1. n. 9. D. Cyril. p. 3. n. 14.

P. 7. n. 11. P. 45. n. 1. 1. Cor. 2. 8. Rom. 9. 5.

Iſai. 63. 9. ex verſione LXX Interpret.

P. 48. n. 44. 1. Cor. 2. 8. Rom. 9. 5.

5. *Abaſſ.* Si Deus (non jam abſolutè, ut hoc nomen commune eſt tribus Perſonis, ſed ad Verbum contractum) mortuus eſt; ut vera ſit propoſitio, mori debuit in divinitate, ſeu ipſius divinitas. *Rom.* Scio, te

Non opus eſt, ut Deum mortuum eſſe, in divinitate verificetur.

Digitized by Google

istius quæstionis responsionem, non ex ignoratione, sed ut tui Gentiles opportuno loco doceantur, efflagitare. Illos tamen remitte ad caput quartum, & numerum 13. hujusce libri; ubi docui, non oportere, ut quidquid de Personis (quæ infinita nomina induere possunt) sub aliquo nomine affirmatur, in ea proprietate verum evadat, ex qua nomen illud desumptum est. Licèt ergo Verbi, qua Deus est, nomenclatura ex divinitate derivetur, ut ipse verè mortuus dicatur, opus non est, ut in ipsa Dei, & Verbi substantia, vel divinitate moriatur.

Varii modi quibus dici potest, Deum esse mortuum, vel non esse. 2. *Timoth.* 6. 16.

6. *Abass.* Dixisti lib. 2. cap. 2. num. 13. & cap. 12. num. 6. in Deo, præter formam suam, & substantiam, quæ est divinitas, nihil esse; si ergo in ea non moritur, in quo potest mortem tolerare? *Rom.* Innatum Deo nihil est ultra suam formam, & substantiam, cujus ratione *solus habet immortalitatem*, ut D. Paulus docuit; & nos lib. 2. cap. 14. num. 3. Sed potest habere aliquid ascitum, sibique verè unitum, ut Verbum habet humanitatem, in qua ipsi mortem advocavit. Hinc Patres aliqui, cum hoc salis grano intelligendi, indistinctè docuêre, Deum non esse mortuum; alii planiùs, non esse mortuum in sua substantia, vel divinitate; alii mortuum esse in carne; alii mortuum esse in carne, non in divinitate; alii absolutè divinitatem non esse mortuam.

Patres, qui indistinctè dicunt, Deum non esse mortuum. D. Alex. Alexand. P. 2. n. 3. D. Athan. P. 3. n. 11. P. 4. n. 17. D. Basil. P. 5. n. 18. D. Procl. P. 4. n. 4. D. Epiph. P. 9. n. 14. P. 10. n. 1. D. Cyril. P. 9. n. 12. P. 10. n. 1. P. 15. n. 3. P. 51. n. 68.

7. *Abass.* Deum non esse mortuum, qui Patres; cum illa salis mica legendi, asseruerunt; *Rom.* D. Scander Scanderaüi: *Admirata*, inquit, *sunt omnes creaturæ, quòd propter homines passus sit ille, qui non patitur, occiderunt illum, qui non moritur.* D. Athanateus: *Cognoscimus eum tanquàm Deum cœlestem verum, qui non patitur.* Alibi: *Qui videt Deum oculo spiritus, & ipsum cognovit in libri Sacris intelligentia, non dicitur unquàm meminisse contra Deum passionis, & mortis.* Vide eumdem suprà, num. 3. D. Basilius: *Credimus eum, qui est impassibilis, passum fuisse.* D. Heraclis: *Deus gloriæ impassibilis est, & factus est cum eo, qui recipit passionem.* D. Epiphanius: *Hæc est voluntas Verbi Dei, quod est impassibile.* Alibi: *Ipse Deus, ipse Dominus Emmanuel, qui est impassibilis.* D. Cyrillus: *Quid dicis? Forsitàn mortuum est Verbum, quod est à Deo Patre? Absit. Vita est, & non mutatur.* Infrà: *Libri Sacri nobis dicunt, non convenire mori Verbum.* Alibi: *Credimus, Deum esse impassibilem, quamvis passus sit in carne.* Alibi: *Deus non infirmatur, nec induit umbras mutationum.* Alibi: *Verbum, quod venit à Patre, est impassibile, & immortale, & elevatum ab omni passione.*

Deus non est passus in substantia sua. D. Athan. P. 3. n. 39. P. 15. n. 90. Theodot. P. 2. n. 2.

8. *Abass.* Quinam explanatiùs affirmant, Deum non esse mortuum in sua substantia? *Rom.* D. Athanateus: *Est*, inquit, *sine passione in substantia divinitatis suæ.* Alibi: *Impassibilis passus est in carne passibili, & in ea infirmatus est, qui non infirmatur in divinitate sua.* Theodotus: *Substantia Dei non est passa infirmitatem in se ipsa.* D. Epiphanius: *Divinitas suscepit infirmitates carnis voluntate sua, quin pervenirent ad substantiam suam.* Alibi: *Verè passus est, cùm passio non inveniat ipsius divinitatem.* D. Gregorius Nazianzenus: *Dicimus, in sua quidem substantia, quæ non novit infirmitatem, esse impassibilem.* D. Cyrillus: *Nemo est intellectus adeò diminuti, qui existimet, mortem transiisse in illam substantiam, quæ est super omnem creaturam.* Alibi: *Non est passus in sua substantia.* Infrà: *Non est passus infirmitatem, & injurias in semetipso, sed in carne, quam assumpsit.* Alibi: *Ego credo, Verbum non tangi aliqua impressione in sua substantia.* Alibi: *Non est passum Verbum in sua substantia.* Infrà: *Verbum Dei non corrumpitur, neque patitur in sua substantia; sed est vita, quæ omnia vivificat.* Alibi: *Certum facimus, Vnigenitum Filium Dei non fuisse passum in sua substantia, in passionibus carnis.*

D. Epiph. P. 3. n. 21. P. 10. n. 4. D. Gregor. Naz. p. 1. n. 60. D. Cyril. P. 1. n. 4. P. 6. n. 10. P. 10. n. 3. P. 22. n. 10. 25. P. 48. n. 39.

9. *Abass.* Mortuum esse in carne, qui testantur? *Rom.* In primis Sacræ litteræ. D. Paulus: *De peccato damnavit peccatum in carne.* Ad Corinthios: *Etsi cognovimus secundùm carnem Christum*, id est, in carne passibili. Et alibi: *Crucifixus est ex infirmitate*, carnis scilicet, *quia caro infirma.* D. Petrus: *Peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum.* Alibi: *Mortificatus carne.* Alibi: *Christo igitur in passo in carne.* Idem accinunt Apostoli in Temirte habuata: *Qui habebat formam incorruptibilem, in forma corruptibili mortuus est.* In Didascalia: *Passus est, & mortuus in carne.* D. Irenæus: *Crucifixus est in carne.* Alibi: *Mortuus est in carne, cùm sit vivus in sæcula sæculorum.* D. Gregorius Thaumaturgus: *Si quis non credit, quòd Dei Verbum, quod est impassibile, passum est in carne; anathema sit.* D. Athanateus: *Hic est Dominus gloriæ, qui mortuus est in carne.* Quod locis aliis quatuordecim confirmat; nempè p. 1. num. 16. p. 3. num. 7. p. 4. num. 26. 27. 34. 39. p. 12. num. 3. p. 14. n. 24. p. 15. num. 18. 78. 86. 89. 128. 130. D. Basilius. *Non est passus in phantasmate, sed verè passus est in carne.* D. Gregorius Nyssenus: *Suscepit dolorem in carne sua.* D. Feliquis: *Habet nativitatem, & passionem in carne.* D. Heraclis: *Suscepit passionem in eo, quod induit.* Joannes Jerosolymitanus: *Credimus, ipsum passum esse in carne.* D. Epiphanius: *In carne sua invênit infirmitatem.* Alibi: *Idem Dominus, idem qui mortuus est in carne.* D. Gregorius Nazianzenus: *Verè passus est in carne.* D. Joannes Chrysostomus: *Crucifixus est hic Filius Dei tantùm in carne sua sancta.* Alibi: *In substantia nostra suscepit vindictam, quæ conveniebat Adæ prævaricatori.* D. Cyrillus: *Mortuus est in carne sua tantùm, sicut homo, cùm Deus sit.* Idem repetit p. 2. num. 31. p. 3. num. 14. 37. p. 7. num. 7. 13. 15. p. 9. num. 13. 14. 15. p. 10. num. 2. 4. p. 12. num. 5. 9. 12. p. 15. num. 6. p. 20. num. 22. p. 21. num. 20. 21. 25. 28. 31. p. 33. n. 3. p. 38. num. 7. p. 48. num. 45. 48. p. 51. num. 71. p. 52. num. 29. 30. 40. 68. 143. p. 53. num. 8. 10. 35. 37.

Mortuus est Deus in carne. *Rom.* 8. 3. 2. *Corinth.* 5. 16. & 13. 4. *Matth.* 26. 41. 1. *Pet.* 2. 24. & 3. 18. & 4. 1. Termirte habuata n. 6. Didascal. P. 1. n. 6. D. Iren. p. 1. n. 2. P. 2. n. 2. D. Greg. Thaumat. P. 3. n. 14. D. Athan. P. 4. n. 56. & aliis locis. D. Basilius P. 5. n. 14. D. Gregor. Nyss. p. 4. n. 28. D. Felix P. 3. n. 4. D. Procl. P. 5. n. 14. Ioan. Jerosolym. n. 9. D. Epiph. P. 3. n. 31. P. 11. n. 9. D. Gregor. Naz. p. 1. n. 58. D. Chrys. p. 1. num. 9. P. 11. n. 7. D. Cyril. P. 1. n. 6. 1. *Pet.* 4. 1.

10. *Abass.* Carni quidem mortem illa Scripturæ, & Patrum testimonia assignant, sed illam à divinitate non relegant. *Rom.* Ipsa carnis inclusio, divinitatis est exclusio, ut

Ita Deus in carne est mortuus, ut non sit in divinitate.

cap. 4.

Digitized by Google

cap.4. num.12. & Patres communiter educunt ex illa D. Petri illatione : *Christo igitur passo in carne* ; quam sequentes ut divinitatis exclusivam interpretantur. D. Athanateus : *Passus est infirmitate nostra , sicut scriptum est : Quia Christus passus est in carne propter nos, cùm non patiatur in Spiritu.* Natalis an : *Si quis audet , & dicit de Christo Domino, passum esse in divinitate , & non in carne, omittens verba Scripturæ , quæ dicit : Quòd Christus passus est propter nos in carne ; anathema sit.* D. Epiphanius : *Dictum est, Christum passum non esse in divinitate ; sicut confessus est Petrus Apostolus.* D. Cyrillus : *Cùm dicimus , ipsum carne mortuum esse , mortem non suscepit in substantia divinitatis suæ ; sed quemadmodùm dicit : Quòd ipse tantùm in carne suscepit mortem.* Similiter p.19. & 54. & ex Hæreticis Theodosius , Benjamin , & Basilius Antiochenus. Ultra quæ testimonia in confirmationem sententiæ D. Petri iidem, & sequentes Patres expressè Deum in humanitate , non autem in divinitate mortuum communi conspiratione asseruerunt. Divus Athanateus p.3. num.6. 7. 10. 11. p.4. n.28. 29. p.5. num.5. p.7. per totam. p.12. num.4. p.15. num.67. 79. 89. D. Felix p.1. num.5. D. Abolidis p. 2. num.20. Silvestr. num.2. D. Heraclis p.2. num.4. 7. p.3. num.27. p.4. num.3. Theodotus p.2. num.3. p.3. num.1. D. Epiphanius p.3. num.3. 20.26.27. 28.29. 30. 31. 32. p.9. num.15. 16.18. 20. 21. p.10. num.4. p.12. à num.1. ad 9. D. Gregorius Nazianzenus p.1. num.59. 60.62. p.3. n.8.9. p.4. num.8. p.6. num.1.2. D. Joannes Chrysostomus p.2. num.21. D. Cyrillus p.1. n.6. 14. 20. 21. p.3. num.17. p.6. n.3.10. 11. p.7. num.10. p.10. n.3. p.13. n.7. p.19. n.1.2. p.21. n.20. 21.24. p.47. n.63.65. p.48. n.11.13. 40. 41.50. p.50. n.20. p.52. n.37.71. 88. 122. 125. 144. 148. p.53. n.5.7. 11. 39.46. 50.52. p.54. num.2.4. Abib. p.2. num.2.

1. *Pet.* 4. 1.

D. Athan. p.1. n.16.

Vitalis, n.10.

D. Epiph. p.12. n.9.

D. Cyril. p.1. n.20. & p.19. n.1. p.54. n.1.

Theodos. p.2. n.24.

Benjamin. num.3.

Basil. Antioch. n.24.

11. *Abass.* Christum in carne, non in divinitate mortuum fuisse , quæ confessisti, testimonia evincunt ; non tamen non esse mortuam ipsam divinitatem. *Rom.* Evincunt, mentémque nodo plusquàm Gordiano constringunt. Nam ideò Deus mortuus est in carne , quia caro patitur, & moritur. Patitur autem , & moritur , quia, ut dictum cap. superiori num.7. mors est conjunctarum partium separatio ; eam verò separationem passio , & dolor comitantur ; nam dolor oritur ex divisione continui secundùm Philosophos. Humanitas autem habet partes , animam , scilicet , & corpus, quæ ægrè divelluntur ; divinitas verò , nec in se habet partes dissociabilis , nec ab ipsis humanitatis partibus separatur. Undè D. Athanateus : *Caro suspensa est in Cruce, non ipse ; in illa omnes passiones , ut homo sustinuit, non ipse.* Quæ verba non ità intelligenda sunt, ut nihil omninò Verbum sustinuerit, sed , ut quidquid sustinuit, *non in sua natura, sed in terrena substantia* (ut ait D. Cyrillus) *exantlaverit.* Divinitatem tamen non esse mortuam, expressè quàm multi Patres docuerunt. D. Agnateus : *Anima tua non moritur in substantia sua, cùm anima tua non sit divinitas, sed est alia à carne. Quomodò recusas dare divinitati Trinitatis eum honorem , quem animabus nostris tribuimus ne moriantur ?* D. Irenæus : *Crucifixus est in passione in carne, & vixit in virtute Dei, quæ est ejus divinitas.* D. Athanateus : *Mansit, sicut erat ante mundum , immortalis in divinitate sua.* Infra : *Convenienter dicimus de divinitate Filii , non pati , neque mori.* Alibi : *Dicunt* (loquitur de Apollinaristis) *illud , quod suspensum est super lignum Crucis, non esse carnem , sed divinitatem.* D. Feliquis : *Nos qui dem excommunicamus eos , qui dicunt , divinitatem passam esse , aut mortuam.* D. Abolidis : *Fides non dicit, quòd divinitas passa sit in passione mortis. Si quis non credit, Christum , non esse passum in divinitate sua ; anathema sit.* D. Joannes Chrysostomus : *Illos, qui faciunt ejus divinitatem infirmam, jugulabit gladio oris sui.* D. Gregorius Nazianzenus : *Si quis dicit, divinitatem passam fuisse in flagellis, & in confixione, & in cunctis infirmitatibus ; anathema sit.* D. Cyrillus : *Divinitas sine incolumis est, & longè ab omni incursione.* Alibi : *Mortuus sum, factus Adam secundus , & non est mortua divinitas mea.*

Divinitas non est mortua.

Aristot. lib. 2. de anima cap. 11. Conimb. ibid. q.2.a.2.

D. Athan. in expos. Fidei , ad Liberium.

D. Cyrll. Epist. 2. ad Successum.

D. Ignat.

p.1. n.16. & 25.

D. Iren. p.1. n.1.

1. *Corint.* 13.4.

D. Athan. p.1. n.19. & 30.

p.15. n.5.

D. Felix. p. . n.1.

D. Abolid. p.1. n.49. p.2. n.21.

D. Joan. Chrys. p.1. num.15.

D. Gregor. Naz. p.3. n.15.

D. Cyril. p.3. n.17. p.12. n.6.

12. *Abass.* Cur divinitas mori non potest ? *Rom.* Divinitas est Dei forma, & substantia, ut ostensum lib.2. cap.2. n.9. & vita essentialis. Undè Joannis 1. *In ipso vita erat.* 14. *Ego sum via, veritas, & vita.* 1. Joannis Epistola : *Hic est verus Deus, & vita æterna.* Si autem divinitas moreretur , Deus & suæ essentiæ , & æternitatis jacturam faceret. D. Athanateus : *Quomodò dici potest , Deum , qui est Creator omnium creaturarum, non esse Deum ; vel, vitam non fuisse vitam ?* D. Epiphanius : *Passus est in carne , cùm passio ad ejus divinitatem non perveniat ; est enim vita, & vita nunquàm potest mori.* D. Cyrillus : *Mortuus est in carne sua tantùm, cùm non moriatur in divinitate ; & semper ipse est vita ; Filius vita , quæ data est à Deo Patre.* Alibi : *Quomodò dicetur de vita, quòd mortua sit ?* Quam etiam ob causam anima , quæ hominibus vita est essentialis , (ut tradunt Aristoteles , & D. Thomas) & vitalium operationum (quæ sunt vita accidentalis) principium , occidente corpore , non extinguitur , & nec ipsa interit , ut docet Evangelium, & D. Agnateus proximo numero citatus ; nec homo in ipsa , sed in carne. D. Athanateus : *Homines* , inquit, *carne vestiti, mortales , habent in quo moriantur , & in quo vincant infirmitatem. Quantò magis Deus Verbum in carne, quam induit, passus est, & mortuus ?*

Divinitas est vita per essentiam, ideò mori non potest.

Ioan. 1. 4.

Ioan. 14. 6.

Ioan. 5. 20.

D. Athan. p.4. n.18.

D. Epiph. p.9. n.6.

D. Cyril. p.6. n.4. p.7. n.5. p.9. n.9. p.19. n.2.

Aristot. de anima, c.2.

D. Thom. 1. p.q.18. a.2.

Matth. 10. 28.

D. Ignat.

D. Athan. p.4. n.25.

13. *Ab. ss.* Verbum etiam Deus est, & vita per substantiam ; *In ipso enim vita erat ; & ipsum vita erat , & vita æterna.* Si ergo mori potuit, cur non divinitas ? *Rom* In eo, in quo Verbum vita erat , nempè in divina substantia, non est mortuum , ut ostensum n.8. Sed in carne , quæ erat extra ipsius essentiam , ad ipsum tamen ratione assumptionis , & unionis tamquàm propria attinebat, ut dicendum n.16. Etsi enim Verbum, quatenùs Deus, simplex erat , caro factū ex divinitate sibi essentiali, & humanitatę aliundè ascita, & semper extra substantiam remanente, compositū evasit,

Deus , idest, Verbum caro factum, mortuus est, quia compositus ; divinitas autem immobilis est in sua simplicitate.

Digitized by Google

sit, ut visum lib. 5. c. 12. n. 13. Ubi autem datur compositio, dari potest partium separatio, in qua mors consistit, ut demonstratum capite superiore num. 7. Cùm igitur sibi perfectam humanitatem, idest, corpus, & animam Verbum adjunxerit, & inter ea in morte facta sit divisio, mors ipsi tribuitur, quia toti, & personæ, quod est suarum partium, imò quod est alicujus tantùm, assignatur, ut à nobis expositum lib. 5. cap. 27. num. 9. & suprà cap. 4. num. 8. Divinitas autem, cùm in se ipsa simplex sit, nec in Incarnatione compositionem aliquam admiserit (non enim ipsa est incarnata) nunquàm dici potest morte defecisse. D. Heraclis: *Suscipere*, inquit, *passionem inviolabilis natura non poterat, quæ omnis passio rebus compositis probatur inferre luctamen. In Spirituali autem, & singulari substantia compositio nulla est; nec illuc passio pertingebat, ubi compositio non erat.* Quo ex titulo Deum in sua substantia immortalem esse lib. 2. cap 12. num. 6. probavimus. Ex eo etiam; quòd Verbi Persona composita sit, oritur, ut quamquàm Judæi divinitatem non violaverint, nec ipsius humanitatis partes in pulverem, vel cinerem redegerint, eò tantùm Dei interfectores evaserint, quòd alteram ab altera mutuò sejunxerint; ut evertisse domum dicitur, qui trabium colligationem, & parietum coagmentationem dissolvit, quamvis trabes ipsas, & lapides integros conservet. Quod Christus respiciens, non dixit: Conterite, sed: *Solvite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud.*

D. Procl. in Epist ad Armen.

Joan. 2. 19.

14. *Abass.* Si nec divinitas est mortua, nec Deus in divinitate, sed tantùm in carne, videtur mors illa, non Dei, sed puri hominis appellanda. *Rom.* Tua ratio constaret, si caro illa esset vel à Deo, vel à divinitate separata; sed qui patiebatur, Deus erat, qui carnem, & divinitatem mutuò, & secum arctissimè colligatas asservabat. Divus Agnateus: *Nanquid*, inquit, *exiit ab eo divinitas, & separata est à carne, & mortua in perpetuum? Erubescat nunc, qui hoc dicit.* D. Athanateus: *Cùm confixus fuit in ligno Crucis, caro unita erat Verbo Dei, quin ad illud dolor perveniret.* Infrà: *Cùm uniretur caro Deo Verbo, & impleret eam divinitas, sustinuit totam hanc passionem, donec perveniret ad mortem, mortem autem Crucis.* D. Basilius: *Ne negemus, sicut Photinus, & Sabellius, qui dicunt: Recessit divinitas ejus in unum locum, & crucifixerunt ejus carnem tantùm.* D. Abolidis: *Quando patiebatur in carne, non est separata divinitas ab humanitate.* Ayocandius: *Non habet separationem divinitas ab humanitate, cùm esset crucifixus super lignum Crucis, neque uno momento, neque ictu oculi.* D. Epiphanius: *Credimus, Dominum nostrum IESVM Christum non fuisse passum purum à divinitate sua; sed passum, cùm haberet sibi unitam divinitatem suam.* D. Gregorius Nazianzenus: *Non fuit Verbum semotum à carne, quæ passa est.* D. Cyrillus: *Non est passa humanitas pura à divinitate.* Quamvis ergo in sola humanitate passum sit Verbum, cùm illam divinitati, & sibi adstrictam haberet, cùm doloribus subjacebat, non potest illa passio, neque mors puro homini delegari.

Divinitas non est separata à Christo moriente.

D. Ignat. p. 1. n. 25.

D. Athan. p. 15. n. 66. & 131.

D. Basil. p. 5. n. 16.

D. Abolid. p. 1. n. 68.

Ayocandius n. 9.

D. Epiph. p. 12. n. 5.

D. Gregor. Naz p. 1. n. 63.

D. Cyril. p. 48. n. 42.

15. *Abass.* Tota tua ratio, ne mors illa puro homini tribuatur, eò recurrit, quòd dum Christus pateretur, humanitas erat & Verbo, & divinitati conglutinata: Ergo si dici licet, Deum esse mortuum, divinitatem quoque mortuam esse, dici licebit. *Rom.* Verbo quidem, & divinitati implicita est humanitas, sed diverso modo; Verbo immediatè, & tamquàm toti, & auctori; divinitati autem tamquàm parti, & ipsius Verbi interventu. Undè fit, ut mors Verbo, seu Deo, non autem divinitati sit adnumeranda. Quia mors propriè est humanæ naturæ, non autem divinæ, ut suprà num. 11. Quæ autem sunt partium, toti, cujus sunt propriæ, non alteri parti deferuntur; ut lib. 5 cap. 27. num. 9. & 16. Nam, cùm totum partes sibi vendicet, quidquid etiam ad illas spectat, ad se, ut proprium accersit. Quam causam Patres communi assensu reddunt, ut in Deum mors transcribatur.

Diverso modo unita est humanitas Verbo, ac divinitati.

16. *Abass.* Eorum testimoniis, quæ lib. 5. cap. 27. num. 15. huc reservasti, fidem præstitam exonerato. *Rom.* D. Athanateus: *Verbum, quod non fuit caro in sua substantia, carnis suæ passionem sibi attribuit. Et similiter, quando miles colapho carnem ejus percussit, dicit ei Verbum, quod erat unitum carni suæ. Quid me cædis? Et qui non invenitur in substantia sua, dicit: Terga mea dedi verberibus, & faciem meam colaphis; & non averti faciem meam à confusione sputi; & omnem passionem, quæ super carnem Verbi pervênit, suscipiebat Verbum tamquàm propriam unitum carni suæ.* D. Feliquis: *Verbum carnis passionem sibi annumeravit.* D. Heraclis: *Humiliatus est, donec unus esset eum patiente, ut per unionem passio fieret Deo Verbo.* Theodotus: *Infirmitatem humanam, tamquàm propriam sui ipsius fecit.* Vide D. Epiphanium, & D. Gregorium Nazianzenum lib. 5. cap. 27. numer. 17. D. Cyrillus: *Quia sumpsit carnem, quæ moritur, ipsi imputata est mors.* Alibi: *Quod sumpsit, proprium ipsius est; & imputatum est ipsi, quidquid est humanitatis, propter carnem, quæ fuit una cum ipso. Caro autem, caro ipsius est, & non alterius.* Alibi: *Suscepit mortem in carne, tamquàm propriæ per dispensationem.* Alibi ex Epistola Synodica ad Nestorium: *Passiones de Verbo dicuntur, quòd ipsum in carne eas susceperit propter nos; & qui est impassibilis, factus est passibilis, in carne, & hoc modo ejus mortem credimus, & caro ipsius est propria.* Pluribus ob brevitatem testimoniis supersedeo; sed ab illo Magni Leonis piaculum est abstinere: *Dorsum meum, inquit Isaias, dedi in flagella: Quod ita Verbi caro patiebatur, non Verbi pœna erat, sed carnis; cujus injuriæ, atque supplicia etiam ad impassibilem redundabant; ut meritò ei dicantur illata, quoniam in ipsius corpus admissa, dicente Apostolo: Quoniam si cognovissent, nunquàm Dominum gloriæ crucifixissent.*

Passio Verbo tribuitur, quia propria est carnis; carò verò propria est ipsius Verbi. D. Athan. p. 15. n. 78. Joan. 18. 23. Isai. 50. 6.

D. Felix p. 1. n. 5. D. Procl. p. 4. n. 6. Theodot. p. 2. n. 1.

D. Cyrillus p. 1. n. 18. p. 4. n. 9.

P. 10. n. 5. P. 21. n. 13.

D. Leo serm. 8. de Pass. Isai. 50. 6. 1. Corinth. 2. 8.

17. *Abass.* Aliquibus figuris, & similitudinibus superiorem mihi doctrinam emolli-

Figuris ostenditur, Christi car-

Digitized by Google

hem mortuam esse, non divinitatem.

to. *Rom.* Quinque accipe figuras. Primat Isaac filium suum Abrahamus Deo litare destinabat; sed aries (ideſt, caro) illius vice immolatus; ipse autem patris risus, & gaudium, (ideſt, divinitas) incolumis domum reductus. Secunda. Sanguine Josephi fratres ipsius tunicam infecerunt, quam pater videns, ait: *Tunica filii mei est; fera pessima comêdit eum. Annuntiant*, inquit D. Epiphanius, *mortem ejus, cùm Rex Ægypti esset, & sanguis, qui erat in veste, non erat ipsius, sed vestis ipsius. Ita filii Israël posuerunt manus suas super Salvatorem nostrum, sed illius divinitatem attingere non potuerunt.* Maturè tamen magnus hic Pater illam adhibet cautionem: *Quando afferimus hanc similitudinem, ne vobis videatur, nos separare divinitatem ab humanitate, sicut Ioseph divisus erat à veste sua; sed credimus, Dominum nostrum* JESVM *Christum non fuisse passum purum à divinitate sua; sed certè passus est, habens secum simul divinitatem, & divinitas non est passa, sed passus est in humanitate.* Tertia. Nili aqua, dum in alveo manebat, pellucida erat, sed in terram à Moyse projecta, in sanguinem vertebatur: *Sic cùm Verbum*, inquit D. Cyrillus, *Factum est caro de terra, ideſt, quandò è terra carnem sibi circumdedit, tunc in ea mortem nostræ similem passum est, licèt per naturam sit vita.* Quarta. In Levitico jubebat Deus, ut ad leprosi mundationem duo passeres sumerentur, quorum alter in vase fictili immolaretur, alter illius sanguine tinctus in sylvas liber dimitteretur. In quibus duobus passeribus Christus referebatur; *non quòd duplex esset*, inquit idem Cyrillus, *sed quòd unus ex duobus; ex divinitate scilicet, & humanitate.* Ille autem, qui immolatur, in vase fictili cæditur, quia ex terreni corporis assumptione jus in illum mors vendicavit. Passer autem, qui vivus emittitur, divinitatem exprimit; sed sanguine coloratur, quia, teste eodem D. Cyrillo, *ipse quidem vivit, ut Deus, sed cùm proprium sibi corpus faceret, in se familiariter accipiebat mortem, & cæteras passiones.* Quinta trium puerorum; quos Rex Babylonicus jussit in fornacem præcipitari, eorúmque vincula ignis disrupit, sed corpora nec tantillùm lambussit. Sic Dei Filio (qui quartum se pueris illis ingessit) mors corporis tantùm vincula dissolvit, divinitatem verò non invasit.

Gen. 22. 13. *Genes.* 37. 32. 33.

D. Epiph. p. 12. n. 1.

Exod. 7. 17.

D. Cyril. lib. de Incarnat. c. 26.

Levit. 14. 5. 6.

D. Cyril. ibid.

Similitudines.

18. *Abass.* Illustres confiteor has figuras. Numquid tales tibi præstò sunt similitudines? *Rom.* Sex accipe ex vestro libro petitas. Primam animæ, ex D. Agnateo suprà, num. 11. D. Athanateo, & Cyrillo; imò ex Evangelio, ubi ait: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus, animam autem non possunt occidere. An verò*, inquit D. Aforosius, *mori divinitas potest, cùm anima non possit?* Ut ergo tyranni Martyrum corpora, non animas; sic Judæi Christi carnem, non divinitatem peremerunt; & ut animâ non moriente, Petro mors: sic Deo ex partium humanitatis separatione imputatur. Secundam, ex D. Epiphanio, hominis, cujus vestem macula inficiat, qui licèt mundus sit toto corpore, ob vestis nævos dicitur maculosus. *Sicut sanguis*, inquit, *qui est in veste hominis, eum, qui indutus est veste, non tingit; ità Dominus infirmatus est in carne, & infirmitas non invênit illius divinitatem; sed eam sibi tamquàm propriam adscripsit, quia eam suscepit in carne sua divina.* Tertiam, ex D. Selabastro, solis, qui si arborem illustret, & securis in eam impingatur, hæc non solem, sed truncum cædit. *Sic*, inquit, *est nostrum dictum de passione Christi Domini: Caro similis est arbori; passio ejus sicut securis; & divinitas sicut sol. Et ita Christus Dominus noster passus est in carne, quin aliquid passionis divinitatem comprehenderet.* Quartam, ex D. Athanateo, ejusdem lucis, quæ licèt in cœnosa loca illabatur, nullis indè sordibus inquinatur. *Sicut*, inquit, *non laditur lumen in tenebroso loco, neque potest pati aliquid vitâ immortalem visitando naturam.* Quintam, ex D. Cyrillo, & Joanne Damasceno, ferri candentis, in quod si aquam immergas, ignem, non ferrum extingues; si tundas, ferrum, non ignem verberabis. Sextam, ex Theodoto Ancyrano, regii diplomatis, seu epistolæ, quam si quis interceptor à tabellario extortam dirupcrit, vel conculcaverit, quamvis Regem nec laceret, vel proculcet, ipsum tamen dicitur offendisse, & læsæ majestatis reus flagitatur. *Quia Rex*, inquit, *charta, & litterarum passionem tamquam propriam in se transfert: Ita Judæi non purum tantùm hominem crucifixerunt, nec eam tantùm naturam, quæ forinsecùs videbatur, clavis confixerunt, sed in ipsum Deum, qui in illa latitabat, unitaque naturæ passiones sibi appropriabat, injurii, temerariique extiterunt.*

D. Ignat. p. 1. n. 16. 18

D. Athan. p. 4. n. 26. 35.

D. Cyril. p. 7. n. 8.

P. 13. n. 1.

Matth. 10. 28.

D. Ambros. 2. de Fide, c. 2.

D. Epiph. p. 3. n. 34.

P. 9. n. 14. 15. & p. 12. per tot.

D Silvest. n. 1. ex Metaphraste, in ipsius vita apud Sur. tom. 6. die 16. Decemb.

D Athan. Orat. contrà Arian.

D. Cyril. p. 12. n. 4. p. 25. n. 1.

D Joan. Damasc. 3. de Fid. c. 15. & 17.

Theodot. Or. 2. de Nativit.

19. *Abass.* Quid ergo illis dicendum, qui remis, velísque contendunt, mortuam esse divinitatem? *Rom.* Dic, eos scissis velis, quassatisque remis incumbere; rimolámque ipsorum cymbam inter scopulos conflictari. Si autem ex protervia huic dicto insiliunt, adjice cum D. Aforosio: *Detestamur Judæi, qui carnem Domini crucifixêre; detestabiliores tamen eos arbitror, qui divinitatem Christi Cruci subditam crediderunt.* Si ex imperitia, illud cum D. Cyrillo: *Non gustavit mortem illius divinitas; hoc enim dicere, vel cogitare, stultum est.* Nec verò, qui id censet, in unam, sed in plures insaniæ species proturbatur. Quas possumus ad octonas revocare.

Judæis detestabiliores, & insaniores, qui dicunt, mortuam fuisse divinitatem

D. Ambros. 3. de Fide, cap. 3.

D. Cyril. p. 21. n. 27. P. 53. n. 51.

20. *Abass.* Quæ prima est hujus insaniæ indicatura? *Rom.* Si divinitas moreretur, quatuor essent personæ in Trinitate; non aliter, quàm si generaretur; ut advertimus suprà cap. 4. n. 16. & lib. 2. cap. 8. n. 13. Quare ad secundam progrediamur, quæ est; si divinitas occideret, fore ut omnes Trinitatis Personæ, quas æqualiter afficit, è medio tollerentur. D. Agnateus: *An nescis, quia si dicis, mortuam fuisse divinitatem, te esse interfectorem sanctissimæ Trinitatis?* D. Athanateus: *Si caro, & divinitas essent consubstantiales, dici quoque posset, Patrem mortuum esse, & resurrexisse; eritque illa passio communis Trinitati; cùm Verbum indivisibile sit à Patre ratione divinæ naturæ.* Infrà: *Cùm scribitis, Deum illum,*

Si divinitas moreretur, quatuor essent personæ Trinitatis; & omnes morerentur.

D. Ignat. P. 1. n. 19.

D. Athan. lib. de salut. Christi adversus contra Apollin.

Digitized by Google

illum, qui passus est carne, & resurrexit, patibilem esse; una opera asseritis, & Patrem, & Paracletum patibilem esse, cùm idem sit nomen deitatis, eadémque natura. D. Cyrillus: *Qui dicunt, Verbum passum esse, & mortuum, loquuntur, & non intelligunt; & mortem faciunt appropinquare Trinitati. Si enim Deus Verbum mortuus est, ecce Pater etiam mortuus est.* Alibi: *Non est mortua divinitas, quæ est eadẽ cum Patre, & Spiritu Sancto; nec dicant alii: Crucifixi sunt cum eo Pater, & Spiritus Sanctus.*

D. Cyril. p.3.n.35.

P.12. n.10.

Creata esset divinitas. D. Athan. p.4.n.14. & lib. de Incarn. Christi.

21. *Abass.* Quæ tertia insaniæ vertigo? *Rom.* Quam his verbis proponit D. Athanateus: *Dixerunt, quod divinitas Salvatoris nostri passa est, ut facerent eam creatam, quia, quod patitur, creatum est; quod verò non patitur, neque moritur, est increatum, & immortale.* D. Gregorius Thaumaturgus: *Quod increatum est, etiam passionis est expers, neque vulnerari, neque attrectari potest.*

D Greg. Thaumat. p.3.n.27. in originali. can.1.

Angelis deterior esset divinitas. D. Ambros. 3.de Fide, cap.2.

22. *Abass.* Quartæ vomitoriam sorbitionem præscribito. *Rom.* Si divinitas occumberet, deterioris esset conditionis, quàm Angeli quos immortalitas consectatur. *An negatur*, inquit D. Aforosius, *immortalis divinitas Christi, qui in carne pro omnibus mortem gustavit? Jam ergo melior Gabriel, quam Christus, quia ille non est defunctus, iste mortuus est.* Illis ergo, qui Christi divinitatem mortuam adnitantur, sic illude, quemadmodùm Alamundarus Saracenorum Princeps, Orthodoxa Fide spectatus, duobus Episcopis, quos Severus (à vobis Sayros dictus) tamquàm emissarios ad ipsum pervertendum, suadendámque duarum naturarum inficiationem, & divinitatis interitum submisit. Cùm enim veredarius ex remota regione advenisset, æstutus illicò Princeps in tenebricosum conclave se abdidit, in quo crebra ex alto pectore suspiria trahebat, quasi aliquid sibi valdè ingratum esset nuntiatum: Cúmque per multos dies non elugeret, aulicis instantibus tandem aperuit, dolorem suum nulla posse allocutione sedari; cùm sibi esset per epistolam indicatum, Archangelum Gabrielem, cujus ipse studiosissimus esset, infeliciter obisse. Episcopi igitur ad ipsum solandum intromissi, bono sit animo, cohortantur, cùm fieri non posset, ut Gabriel, qui naturâ esset incorruptibili præditus, mortis hamo transfigeretur. Tunc ad eos Princeps: *Quomodò igitur, si duas naturas Christus non habet, nudam Crucem Deus pertulit; cùm ne Angelus quidem pati quidquam, vel mori queat?*

Theodor. lector. 2. Collectan. Baron. tom. 6. an. 513.

Hominum mortem Christus non subiret, sed aliam peregrinam. *Heb.2.17. Philip. 2. 7. 8.* D. Athan. lib. de Incarn. Verbi.

23. *Abass.* Quintæ insaniæ pharmacum propinato. *Rom.* Christus *per omnia fratribus* est assimilatus, & morti se subdidit, ut inductam in Adami posteros ipsius peccato mortem aboleret. Ergo eodem, quo ipsi, mortis genere debuit extingui. Quod innuit D. Paulus, cùm ait: *Vi homo, humiliavit semetipsum factus obediens usque ad mortem.* Hanc rationem tangit D. Athanateus: *Si per emigrationem divinitatis*, inquit, *mors supervênit, eáque corporis fuit extinctio; propriam nimirùm mortem obiit, non nostra perfunctus est.* Infrà: *Expirationem nemo dixerit deitatis traductionem, transmigrationémve; sed discessum animæ à corpore.* Alibi: *Non homo à Deo segregabatur, neque Deus hominem dereliquit; neque mortificatio, spiritusque absessio, transitus erat Dei à corpore, sed animæ à corpore segregatio. Nostra enim mors ibi describitur.*

Lib. de salut. Christi adventu contra Apollinar.

24. *Abass.* Sextæ suum etiam antidotum inverge. *Rom.* Si deleta esset divinitas, à corpore, & anima disjungeretur, nec illud in sepulchro, nec istam in tartaro stipasset; quòd falsum ostendam, cap.9.num.2. D. Agnateus: *Carnem Domini fecisti in sepulchro, quasi cadaver mortuum; & separasti eum à divinitate sua.* Infrà: *Numquid exiit ab eo divinitas, & separata est à carne, & mortua in perpetuum?* Abib: *Dicitur, ipsum mortuum fuisse in carne sua, & non in divinitate sua. Mors autem ejus in carne fuit ex divisione animæ ejus in carne, quæ creata fuit. Sed divinitas separata non fuit ab ejus anima, & corpore, sed ipsis unita.* Si autem divinitas à corpore in sepulchro, & ab anima in tartaro abesset, fraudatores essent Apostoli, qui docent, Deum sepultum, & ad inferos descendisse.

Divinitas nec Christi corpus in sepulchro, nec animam in tartaro comitantur. D. Ignat. p.1.n.20. 25. Abib.p.2. n.3.

25. *Abass.* Septimam comprime. *Rom.* Inferos Christus domuit, & indè *captivam duxit captivitatem.* Quâ id, quæso, virtute peregit, si divinitas ab eo avolaverat? Hæc enim illud est brachium, de quo ipse testatur: *Salvavit mihi brachium meum, & indignatio mea ipsa auxiliata est mihi.* Ità D. Agnateus: *Si mortua*, inquit, *est divinitas, unde ergo nunc devicit mortem, & infernum captivavit? Tu verò facis eum, quasi sit unus, cui non sit virtus, & numeretur cum mortuis, qui sine fortitudine moventur.*

Tartarum spoliare non posset. *Psal.67.19. Ephes.4.8. Isai.63. 5.* D. Ignat. p.1.n.21.

26. *Abass.* Octavæ insaniæ, vel medicamentarium, vel mastigophorum te exhibeto. *Rom.* Christus *inter mortuos liber* fuit, & carnem suscitavit; hoc enim est templum, de quo dixit: *Solvite templum istud, & ego in tribus diebus excitabo illud.* Quomodò ergo liber, si divinitate, quæ forma est libertatis, & imperii, carebat? Si Deus mortuus est, ut Fides docet; si etiam divinitas, ut vestri luctantur, quid in Christo superstes fuit, ut carnem suam à sepulchro vendicaret? D. Athanateus: *Si passibilis est*, inquit, *& mortalis in divinitate sua, quomodò suscitavit carnem suam ex mortuis?* Infrà: *Qui non patitur infirmitatem hominum, nec moritur, victor est mortis.* Alibi: *Si Verbum mortuum fuit, opus erat, ut ab aliquo excitaretur, ac propterea mortis victoria non illi, sed excitatori adscribenda fuerit. Ipse verò non dixit: Ego excitabor; sed, solvite templum hoc, & ego excitabo illud.* D. Basilius: *Nos quidem scimus, esse immortalem; & quandò mortuus est in carne, in carne etiam resurrexisse virtute divinitatis suæ. Si ipse non esset immortalis in carne, carnem suam non sumeret, sed jacêret in sepulchro usque ad mundi finem.* D. Abolidis: *Vicit mortem, & liberavit captivos, qui erant in inferno, & resurrexit virtute divinitatis suæ.* D. Gregorius Nazianzenus: *Quando inclinavit caput, & animam suam tradidit,*

Nec ipse resurgere. *Psal.87.6. Joan.2.19.* D. Athan. P.4.n.25. 34. Lib. de salut. Christi adventu contra Apollin. *Joan 2.19.* D. Basil. p.5. n.22. D. Abolid. p.1.n 69. D. Greg. Naz. p.1. n.65.

non

Digitized by Google

non est separata ab ipso divinitas, qua dat vitam, & mortem divicit.

Divinitatem in carne mortuam, dici non licet.

27. *Abass.* O tribus Anticyris (imò & pluribus, si plures essent) caput insanabile, quod apud nos deinceps furorem anhelans, absolutè mortuam divinitatem infrendeat! Vide tamen, an veniâ ille dignus sit, qui restrictè asserat, divinitatem in carne mortuam, sicut de Deo Patres à te citati num. 9. loquuntur; cùm limitatio illa superflua videatur, quandò Dei nomen ad secundam Personam, ut num. 3. ex vi locutionis, coarctatur. *Rom. Verbi naturam carne passam*, inquit insignis Theologus D. Joannes Damascenus, *ad hunc usque diem non audivimus; sed Christum carne passum didicimus.* Id probant sententiæ D. Abolidis, & Gregorii Nazianzeni suprà allegatorum. num. 11. & acriter defendit Benjamin, licèt nobis non dexteræ sit filius, sed siniſtræ fidei privignus. Rationes sunt eædem, quibus cap. 4. num. 16. probavi, Beatam Virginem Dei genitricem vocandam, sed nullatenùs dici posse matrem divinitatis. Etsi enim apud sapientes, ut locutio ad Filii Personam contrahatur, satis sit, si Dei Mater dicatur, cùm tamen uberior sit imperitorum numerus, ob illorum infirmitatem non necessitatis, sed perspicuitatis gratiâ, Matrem esse Dei in carne, Patres addiderunt; nemo tamen dicit, divinitatem in carne genuisse, sicut neque divinitatem in carne passam. Quia nativitas, vel interitus propriè Deo, seu Personæ, non autem divinitati potest imputari, ob causas eo loco assignatas. Dicere verò divinitatem carne mortuam, est pannum panno assuere, & centones centonibus infercire. Si, ut verum est dicere, Deus mortuus est, verum esset, mortuam divinitatem, tunc appendix illa, *In carne*, valeret; sed cùm antecedens falsum sit, oportet etiam, ut fallax sit additamentum. Te tamen pro corollario istius doctrinæ de eo per transennam admonitum volo, quod lentiùs animadverti lib. 5. cap. 27. num. 17. Patres non rarò abstractis nominibus pro concretis abuti, & sub iisdem aliquandò infirmitates divinitati applicare; cùm alibi, & in iisdem locis suam absque ulla tergiversatione mentem exponant.

D. Joan. Damasc. lib. 3. de Fide c. 10. & 26.
D. Abolid.
D. Gregor. Naz.
Benjamin. hæret.
Cur liceat dici, Deum carne passum, non autem divinitatē?

CAPUT IX.

In ultimum verbum quinti articuli, & sepultus.

Causæ, ob quas Christus voluit corpus suum tumulo decorari.

1. *Abass.* Christi siquidem divinitati, cùm mortua non sit, parentare non possumus, fidum illius corpori in sepulchro, & animæ in tartaro satellitium præstemus. Sed undè illi tanta conditorii sollicitudo? *Roman.* Cæteri homines sepulturam ideò curant, ut immortalitatis, quâ carent, opinionem tumulorum fastu consequantur; Christus verò, ut mortalitatis, & veræ humanitatis, quam induerat, fidem testatam relinqueret. Non enim terræ commendatur corpus, quod vitâ cassum esse non constat; nec Pilatus tumulando Christi corpori facultatem concessit, nisi cùm exploratum habuit à Centurione, ipsum animam efflâsse. Deindè, ut homini in extremæ miseriæ, & supplicii loco opitularetur, cui pœna illa fuerat indicta, ut *in terram, de qua sumptus fuerat, reverteretur.* Tertiò, ut homines à sepulchro excitaret: quod tunc accidit, nam: *Multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt.* Quartò, ut ipsius resurrectio illustrior esset, cùm corpus suum sudario involutum saxeo tumulo, & vasto ad ostium lapide præclusum vitæ redonaret. Quintò, ut molem mausolæis omnibus augustiorem eligens, de qua Isaias: *Erit sepulchrum ejus gloriosum*, homines suo exemplo erudiret, quàm debeant Ecclesiasticæ sepulturæ curationem subire, corpora honorantes, immortalium in vita animarum conceptacula, quibus in seculi fine sunt restituenda.

Mare. 15. 44.
Gen. 3. 19. *Matt.* 27. 52.
Isai. 11. 10.

Nec Divinitas à Christi corpore in tumulo, nec ab anima in tartaro recessit.

2. *Abass.* Dici non posse videtur, Deum, vel etiam Christum sepultum fuisse, neque ad inferos descendisse; cùm tumulus non totam humanitatem, sed solum corpus concluserit; tartarus autem non corpus, sed solam animam exceperit. *Rom.* Persona Verbi toto vitæ tempore humanitatem totam, & ipsius partes sibi implexas habuit; à mortis articulo partes, non totum; neque enim à corpore, vel, ab anima tam Verbum, quàm divinitas recessit? *Hæc caro*, inquit D. Athanaseus, *in sepulchrum immissa fuit, quin separaretur à divinitate ejus; & ipsius anima descendit in infernum, quin separaretur a divinitate ejus.* Alibi: *Divinitas neque corpus in monumento, neque animam in inferno destituit.* Infrà: *Talis fuit illa* (corporis, & animæ) *dissolutio; cùm interim Verbum Deus, intransibiliter se haberet ad corpus, & ad animam.* D. Ayocandius, seu Innocentius. *Cùm esset in sepulchro, non est separata divinitas ejus ab humanitate ejus.* D. Epiphanius: *Verum fuit, animam cum divinitate descendisse in infernum; & divinitatem non esse separatam à carne, cùm esset in sepulchro.* D. Gregorius Nazianzenus: *Non reliquit Verbum carnem suam in sepulchro, nec discessit ab anima ipsius in inferno; sed simul cum ipsis erat.* Divus Cyrillus: *Non est separata divinitas ejus ab utroque, sed tota fuit cum anima in inferno; & tota erat cum corpore intra sepulchrum.*

D. Athan. p. 15. n. 70.
Lib. de Salut. Christi advent. cont. Apollin.
Ayocand. n. 10.
D. Epiph. p. 3. n. 16. p. 8. n. 6. 7. p. 12. n. 4. 5. 6. 10.
D. Greg. Naz. p. 1. n. 65.
D. Cyril. p. 3. n. 28.

Ut Deus sepultus dicatur, satis est, quòd corpori in sepulchro uniretur.

3. *Abass.* Satis arbitraris, ut Deus verè sepultus dicatur, soli corpori in sepulchro: ut verè ingressus ad inferos, illic soli animæ affuisse? *Roman.* Satis, supérque; Deus enim, & Verbum Persona est, cui tribuitur, quidquid ad ipsius partes quovis jure spectat; ut plenè docui lib. 5. capit. 27. numer. 10. Eo tamen loco traditis illud tantùm apponam ex Divo Augustino: *Christum*, inquit, *in*

D. August. tract. 78. in Joan.

Digitized by Google

omnibus ; Christum in singulis confitemur. Quis est ergo, per quem factus est mundus ? Christus IESUS ; *sed in forma Dei. Quis est sub Pontio Pilato Crucifixus ? Christus IESUS ; sed in forma servi. Idem de singulis, quibus homo constat. Quis non est derelictus in inferno ? Christus IESUS ; sed in anima sola. Quis resurrecturus triduo jacuit in sepulchro ? Christus IESUS ; sed in carne sola.*

Ex Christi sepultura probatur, ipsius humanitatem ubique non esse.

4. *Abass.* Si Christus in sola carne jacuit intra sepulchrum, & in sola anima inferos penetravit, planè illius humanitas, & ipsius partes æquales non sunt divinitati ; nec omni loco ingeruntur. *Rom.* Optimè ex prædictis collegisti ; memor, ut arbitror, eorum, quæ à me de hac materia fuêre tradita libro 5. cap. 20. numero 13. & ideò ab illis repetendis nunc abstineo.

Corrumpi corpus suum cur Christus voluerit.

5. *Abass.* Si Christus mortuus est, ut se verum hominem, & aliis similem testaretur, suum etiam corpus corruptioni permittere debuit, cùm illa plerumque aliorum corpora exedantur. *Rom.* Corruptio individua generationis comes, & illius affectionum sequax esse solet. Ex eo enim, quòd granum in solo putredine dissolvatur, fit, ut fructus ab ipso turgescens posteà computrescat. At cùm Christus citra matris corruptionem, & patris semen conceptus sit, & editus, ex vi suæ generationis nulli erat corruptioni mancipatus. Ut tamen dolores, & opprobria pro hominum salute sustinere posset, sibi, dum vita perstitit, ut demonstravi lib. 5. cap. 7. corruptibile corpus induxit. Post impositum tamen redemptionis operi colophonem, & corporis in sepulchro decubitum, non solùm nullam passus est potestatem in illud esse corruptioni, sed ne obtutum quidem in illud defigere ; quod ostendunt illa verba apud Davidem, in hunc sensum ab Apostolis inducta : *Non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre corruptionem.* Eam verò intemerati corporis soliditatem arctiùs deinceps Christus servavit, Nam secundùm Paulum : *Resurgens ex mortuis, jam non moritur ; mors illi ultra non dominabitur.* Et iterùm : *Suscitavit illum à mortuis, ampliùs jam non reversurum in corruptionem.* Quæ verba æqualiter pandunt, Christi corpus ante Resurrectionem corruptioni succubuisse, & post illam incorruptibile in æternum evasisse. De quo cap. 11.

Psal. 15. 10. *Act.* 2. 27. & 13. 35.

Rom. 6. 9. *Act.* 13. 34.

CAPUT X.

Explicatur prior pars Sexti articuli : Descendit ad inferos ; *è quibus non omnes, sed justos tantùm eduxit.*

Quatuor ergastula inferorum

1. *Abass.* Quid in sexto articulo, in quo agitur de subterraneo Christi descensu, inferorum nomine intelligendum ? *Rom.* Quatuor ergastula sub inferorum vocabulo censentur. Primum eorum, qui æternis gehennæ cruciatibus sunt addicti. Secundum eorum, qui in naturæ lege absque originalis peccati condonatione per remedium, quod nobis est ignotum ; in lege scripta per circumcisionem, & in Evangelica per baptismi lustrationem, obierunt. Tertium purgandis illorum animabus destinatum, qui post originalis, & actualis culpæ dimissionem aliquo adhuc ob actualem pœnæ debito obstricti tenentur. Quartum, quod Abrahæ sinus dicitur, tartaro ità vicinum, ut avarus ille Dives indè cum Abrahamo illius præfecto colloquia misceret. nomine significantur.

Luc. 16. 24.

Cur ad inferos Christus descenderit ?

2. *Abass.* Omniáne illa ergastula, an aliquod eorum Christi anima invisit ? *Rom.* Propriè ad solum Abrahæ sinum descendit, & in eo tres sepulturæ suæ dies consumpsit ; ipsius tamen notitia, & intuitus ad tria illa ergastula, non admodùm dissita pervasit. *Penetrabo*, inquit Ecclesiasticus, *omnes inferiores partes terræ ; Et inspiciam omnes dormientes, & illuminabo omnes sperantes in Domino.* Se autem illò conferendi quatuor fuêre causæ. Prima, ut sicut in corporis humatione aliis se hominibus similem præstiterat, sic in animæ ad inferos descensu exhiberet. Nemo enim illorum tunc obibat, cujus anima in aliquod eorum locorum vincta non truderetur. Christus tamen, non ut reus, sed ut *inter mortuos liber*, reorúmque assertor illuc descendit. Verùm, sicut dum viveret, *cum sceleratis reputatus est*, ità post mortem *æstimatus est cum descendentibus in lacum.* Secunda, ut perfectum de diaboli trophæum attolleret ; & sicut palam de ipso in Cruce, & in aëre (quæ aliena ipsius est domus) triumpharat, sic à propria ferocientem exturbaret ; séque illum esse probaret, de quo aliquandò dixit : *Cùm fortis armatus custodit atrium suum ; si fortior eo superveniens vicerit eum, universa arma ejus auferet, in quibus confidebat, & spolia ejus distribuet.* Tertia, ut sicut ab Angelis, cùm primùm sunt conditi, in cœlo fuit adoratus, ut ostendimus libro 4. capite 4. numero 15. & in terra ab Angelis, & hominibus post nativitatem ; sic à pallidis in tartaro umbris coleretur ; & in ejus nomine flecteretur omne genu *cœlestium, terrestrium, & infernorum.* Quarta, ut sicut amicos in terra consistentes jam solatio impertierat, ità eos, qui subter eam captivitate premebantur, & protractâ in incertum emergendi spe diriùs angebantur, suâ præsentiâ relevaret.

Eccl. 24. 45.

Psal. 87. 6.

Isai. 53. 12. *Marc.* 15. 28. *Psal.* 87. 5. *Luc.* 11. 21.

Luc. 2. 13. 16. *Philip.* 2. 10.

Justos tantùm, è tartaro Christus eduxit.

3. *Abass.* Quid amicorum nomine designas ? *Rom.* Sanctos Patres, qui Abrahæ sinu detinebantur ; & cùm morte sublati sunt, Dei gratiam, familiaritatémque tuebantur ; Vel si aliquandiù in Purgatorii pœnis hæserant, sua perfectè debita exolverant. Hos enim solos, non cæteros æternis suppliciis obstrictos Christus libertate donavit. Qui ideò à Zacharia Dei, & *spei vincti* dicuntur, quia à Deo ad tempus custodiæ traditi,

Digitized by Google

traditi, ab eo se liberandos spe ducebantur.

Zach. 9. 11. *Tu*, inquit, *in sanguine testamenti tui emisisti vinctos tuos de lacu, in quo non erat aqua. Convertimini ad munitionem vincti spei.* Et in superiori Ecclesiastici testimonio, cùm omnes tenebrarum cultores inspiciantur, soli in Domino sperantes illuminantur; qui suspensis oculis appulsum præstolantes, semper erant ad exitum accincti. Hic enim

Hab. 3. 16. est populus, de quo Habacuc: *Ut ascendam ad populum accinctum nostrum. Dominus*, inquit Divus Athanateus, *in suo ad*

D. Athan. p. 9. n. 1. & 10. *inferos descensu, ascendere fecit Sanctos.* Infrà: *Anima ejus solvit animas sanctorum, qui erant in inferno.* Divus Gregorius Nyssenus: *In descensu suo de Cruce ad infernum*

D. Greg. Naz. p. 4. n. 30. *solvit sanctos, qui ibi erant vincti propter peccatum Adæ patris eorum.* Divus Cyrillus:

D. Cyril. p. 3. n. 30. *Tota divinitas fuit cum anima in inferno, & annuntiavit Sanctis, qui in ipso erant.* Sayros hæreticus: *Vivificavit carnem intra sepulchrum; & resuscitavit multa corpora sanctorum.* Ideò autem Sanctorum, non impiorum corpora surrexerunt, quia sanctorum, non impiorum animas ex tartareo carcere Christus vendicavit.

Severian. p. 3. n. 5.

Causa redditur, cur solos justos Christus eduxerit.

4. *Abass.* Contumeliosus in Christi sanguinis efficacitatem ille videbitur, qui donatæ libertatis communionem ad solos justos restrinxerit. *Rom.* Quòd omnes vinctorum animæ non fuerint à tartari compedibus eductæ, ortum non est ab impotentia

D. Thom. 3. p. q. 52. a. 5. in corp. sanguinis Christi, *quem* Divus Hieronymus

D. Hieron. Epist. 129. ad Dardan. *paradisi clavem dixit*, utpote *propalandæ Sanctorum viæ*, ut loquitur Divus Paulus,

Hebr. 9. 8. satis, supérque sufficientem; sed ab adverso ipsarum contra veritatem in vita nixu, & morum acerbitate. Christus enim

Joan. 15. 1. *vitis* fuit, homines *palmites*; Quos ergo sibi in morte gratiæ, & charitatis unione

Luc. 23. 43. connexos reperit (ut frugi *latronem*) secum in paradisum introduxit; quos avulsos, aut aridos (ut alium protervum, & linguacem grassatorem; & quos noverat in peccatorum amplexibus decessisse, vel discessuros) tamquàm inutilia sarmenta igni

Heb. 9. 28. adjudicavit. Ideò Divus Paulus ait: *Christus semel oblatus est ad multorum exhaurienda peccata. Multorum* dixit, non omnium;

Matth. 27. 52. *& multa* (non omnia) *corpora sanctorum, qui dormierant surrexerunt.* Post mortem autem passionis suæ virtute operatus illis immunitatem à carcere concessit, qui sibi tamquàm viviradices cohærebant; non illis, qui flagitiis cooperti, è vita demigrantes, æternum jam præbebant igni æterno nutrimentum. Mortem enim penitùs moriens Christus confecit. Undè ait per

Os. 13. 14. Oseam: *De morte redimam eos. Ero mors tua ô mors; morsus tuus ero inferne.* Mortem quidem ità contrivit, ac si devoraret; Sic enim eum locum vertit Divus Paulus.

1. Cor. 15. 54. *Absorpta est mors in Victoria.* Et Divus Pe-

2. Petr. 2. 22. trus: *Deglutiens mortem; sicut enim draco,*

D. Joan. Chrysost. p. 7. n. 4. inquit Divus Joannes Chrysostomus, *quem colebant Babylonii, quando deglutit cibum, quem ei dedit Propheta, per medium crepuit;*

Dan. 14. 26. *& mors disrupta est, quando carnem Domini deglutivit; Et ipse vivus à mortuis surrexit.* At verò infernum ad redimendas animas morsu tantùm vellicavit. Non enim omnes extraxit, sed quemdam veluti bolum; sicut qui mordet, non totam carnem, sed aliquod tantùm illius frustum avellit.

Non decebat, ut damnati à Christo ex inferis educerentur.

5. *Abass.* Quamvis qui æternis jam flammis addicti erant, Christo in cruce charitatis glutino minimè sociarentur, ad ipsius misericordiæ, & triumphi plenitudinem spectabat, ut omnes à dæmone in servitutem actos libertatis pileo insigniret; quod videntur illa verba Apostoli significare: *Expolians Principatus, & Potestates.* Coloss. 2. 15. Et illa Psaltis: *Captivam duxit captivitatem.* Ps. 67. 19. Neque enim detritus ille fuit triumphus, neque spolia; sed opima. *Rom.* Ut opima Liv. lib. 1. ab Urbe cond. essent spolia in eo, quem fingis sensu, opus erat, ipsum tenebrarum ducem libertate potiri; cui tamen, *& Angelis ejus æternus* Matt. 25. 41. *est ignis paratus.* Fuêre tamen ex Romanorum ritu, qui opima spolia tunc putabant, cùm ductor hostium servituti mancipabatur. Nec Christi misericordiæ magnitudo

L. 2. & 1. Postliminio 17. ff. de capt. & postl. rev. indè extenuatur, quòd impii non sint è tartàro erepti. Non enim captivi sunt, sed transfugæ; quibus humanæ etiam leges postliminii jura denegârunt; nam captivus propriè dicitur, quem necessitas ad servitium compegit. Sancti ergo Patres, quos invitos dæmon in custodiam detruserat, & spe ex illa emergendi alebantur, ut dictum num. 3. à Christo sunt exoluti; non illi, quos hostibus voluntaria defectio subjecit, & præ cordis duritie libertatem, quamvis ab ipso oblata esset, obstinatè repudiarent. Ad quam illos invitare, nihil aliud esset, quàm flores austro, & margaritas suillo rostro conspurcandas objectare. Dei quoque misericordiam sic suspice, ne veritatem, quâ dixit, æternum gehennæ ignem, asperneris.

Ignis æternus verè dicitur; non ex temporis futuritate.

6. *Abass.* Forsan æternum illum ignem dixit, ideſt, multò tempore duraturum; sed finem aliquandò habiturum; sicut de Mosaicæ legis æternitate lib. 1. cap. 5. num. 1. tradidisti; aut æternum à Resurrectione Christi, sed non ante. *Rom.* Eximium illud esset eludendæ æternitatis artificium, ipsi finem aliquem pro libidine præfigere. Si, ut vidimus, æternus ille ignis est erga dæmones, ubi erga homines exceptio? Cum

Isai. 31. 14. Isai. 66. 24. iis, qui suo tempore vivebant, loquens Isaias, ait: *Quis habitabit ex vobis cum ardoribus sempiternis?* Et iterùm de omnibus damnatis: *Vermis eorum non morietur, & ignis eorum*

Jer. 51. 26. *non extinguetur.* Et Jeremias: *Perditus in æternum eris.* Si omnes impios, qui tempore descensus Christi ad inferos, in iis torquebantur, ipse reduxit, Sodomæ, & Gomorrhæ habitatores inter eos debuit censere; sed longè post ipsius Resurrectionem affirmavit Divus Thaddæus: *Angelos verò, qui non servaverunt suum*

Jud. V. 7. 6. *principatum, sed dereliquerunt suum domicilium, in judicium magni diei vinculis æternis sub caligine reservavit; Sicut Sodoma, & Gomorrha,*

V. 7. *& finitimæ civitates simili modo exfornicatæ, & abeuntes post carnem alteram, factæ sunt*

Digitized by Google

exemplum ignis æterni flammam sustinentes. Tunc quoque eruptionem è tartaro Esau consequeretur; quod Divus Paulus negans, *Reprobatus est*, inquit, *& non invênit pœnitentiæ locum, quamvis cum lacrymis inquisisset eam.* Ubi non agitur de primogenitorum amissione, sed de æterna reprobatione. In quem sensum alibi adducit Prophetæ testimonium: *Jacob dilexi, Esau autem odio habui.* Tunc etiam effugium à pœnis Corê, Dathan, & Abiron nacti essent; quod improbat eodem loco Thaddæus: *Væ illis, qui in contradictione Corê perierunt.* Et infrà: *Quibus procella tenebrarum servata est in perpetuum.*

Heb. 12. 6. 17. Rom. 9. 13. Malac. 1. 2. Num. 16. 32. Jud. V. 11. V. 13.

Exponitur locus D. Petri.

7. *Abass.* Si omnes, qui ante Christi mortem æterno igni in pabulum traditi fuerant, in eo post ipsius descensum remansêre, ibidem demorari nunc debuissent, quos Noeticum diluvium submersit; sed obstitit Apostolorum Princeps, dum ait: *His, qui in carcere erant, spiritibus veniens prædicavit: qui increduli fuerant aliquandò, quandò expectabant Dei patientiam in diebus Noë.* Si Christus illi spiritibus prædicavit, quid aliud prædicare debuit, quàm illud, quod Isaïas testatur: *Et prædicare captivis indulgentiam, & clausis apertionem?* Vel illud, quod alio loco: *Ut diceres iis, qui vincti sunt: Exite; & his qui in tenebris: Revelamini?* Eos autem impios fuisse, illa Petri verba denuntiant: *Qui increduli fuerant aliquando.* Rom. In primis cum gravissimis Auctoribus: Occumenio, Catharino, Carthusiano, Lyrano, Fevardentio, Salmerone, Sá, Bellarmino, Valentia, & Magistro meo Francisco Soario affirmaverim, eos, de quibus D. Petrus eo loco sermonem instituit, non in tartaro, sed Abrahæ sinu detentos, Christi adventum expectasse. Licèt enim in principio Noë prædicationi obstiterint, & ideò pro eo tempore increduli dicantur; cùm posteà ruptas cœli cataractas viderunt, séque jam ingravescentibus aquis innatare, nec possent ad arcam, cujus fabricationem irriserant: ad secundam pœnitentiæ tabulam, & lacrymarum diluvium confugerunt; & priorem cunctationem illa afflictione eluerunt. His ergo, qui increduli fuêre aliquandò, sed non in postremo vitæ suæ articulo, Christus illuc se inferens prædicavit.

1. Petr. 3. 19. 20. Isai. 61. 1. Isai. 49. 9.

Multi eorum, quos diluvium submersit, salutem sunt consecuti.

Citantur hi Auctores à Lorino 1. Petr. 3. 19. §. septima, & §. ult. Oecum. Carthus. Lyran. Fevard. Sal. Bellar. Sa. Valent. Soar.

Exponitur alius ejusdem Epistolæ locus.

8. *Abass.* Eam expositionem damnare videntur alia ejusdem Apostoli verba ex capite sequenti: *Qui reddent*, inquit, *rationem ei, qui paratus est judicare vivos, & mortuos. Propter hoc enim & mortuis evangelizatum est; ut judicentur quidem secundùm homines in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu.* Omnes ergo (non soli diluvio extincti) à Christo tunc videntur visitati. Rom. Respondeo cum sapientissimo Soario, Bellarmino, & Valentia, de iisdem, quos diluvium absumpsit, & sinus Abrahæ claudebat, sermonem esse; eosque tunc ex Christi prædicatione agnovisse, meritas se in cataclysmo perfidiæ pœnas, peremptâ carne, dedisse; illius autem Resurrectione æternam vitam consecutos. Si autem obstinatè insistas, damnatos utrobique ab Apostolo mortuorum nomine intellectos, non admodùm refragor; iis ergo Christus Abrahæ sinui appulsus, non indulgentiam, sed justam damnationis sententiam evangelizavit. Evangelizare enim, idem est, quod prædicare; Nec solùm Concionator, sed ut Latini Auctores aiunt, præconis vox prædicat, cùm latam à judice sententiam proclamat. Nam omnes tam vivi, quàm mortui in supremo judicio sunt judicandi, & ante omnium oculos visibiliter (quòd est secundum homines in carne) puniendi; sed ante Deum, qui *pertingit usque ad divisionem animæ, ac spiritus, & discretor est cogitationum, atque intentionum cordis*, in æternam felicitatem, vel infortunium in spiritu victuri. In cujus judicii confirmationem tamquàm per parenthesim interponit Apostolus exemplum Christi ad inferos descensus, in quo velut particulari judicio salvos eos fecit, qui pœnitentiam in diluvii anxietate egerant, incredulis merita in damnatione relictis. Non ergo illa verba: *Ut judicentur secundùm homines in carne, vivant autem secundùm Deum in spiritu*, quæ futurum tempus adhuc respiciunt, cum jam transacto Christi ad tartarum descensu, sed cum futuro generali judicio, de quo priùs egerat, connectenda.

D. Thom. 3. p. q. 52. a. 2. ad 3. Cic. Orat. pro Quintio. Plautus. Heb. 4. 12.

Exponitur locus Actuum Apostolorum. Act. 2. 24.

9. *Abass.* Idem Apostolus in Actis significat, tartarum omnes, quibus erat gravidus, reos in Christi Resurrectione effudisse. *Quem Deus*, inquit, *suscitavit solutis doloribus inferni.* Qui dolores illi inferni? Non planè Christi, qui nihil inferno debebat. Ergo illorum, qui æternis pœnis devoti in eo premebantur. Rom. Dolores illi, non Christi, nec sinus Abrahæ cultorum, nec damnatorum, sed solùm mortis, & ipsius tartari fuerunt. Quod indicant sequentia Petri verba: *Juxta quod impossibile erat teneri eum ab eo.* Dolores ergo inferni Christus solvit, cùm ab eo vivus ipse, & victor evasit. Solvuntur enim partûs dolores, ubi fœtus à matris utero emergit. Cùm enim Christus in tartarum est introgressus, ille suum esse ergastulum putavit; sed cùm erumpentem vidit, ipsum dolores sicut parturientis, imò graviores oppressêrunt; cæteri enim fœtus dilatatâ matrum vulvâ, Christus convulso, & disrupto inferni, & mortis ventre, tamquàm Babylonii serpentis, ob offam (de qua suprà numero 4.) à Daniele condîtam, prorupit. Dolores etiam inferni sunt soluti; cùm sancti Patres, quos dæmon putabat æternùm illi carceri addictos, in paradisum sunt translati; tunc enim invidiâ se ipsum excarnificavit. Nec verò, ut partûs doloribus fœmina libera dicatur, opus est, ut omnia viscera, sed satis, ut maturum fœtum (qualis erat Christus, utpote *germen in magnificentia, & fructus terræ sublimis*) ex utero profundat.

Dan. 14. 26. Isai. 4. 12.

Bell. lib. 4. de anima Christi cap. 13. Valent. 3. p. disp. 2. pun. 2.

10. *Abass.* Isaïas omnes ab inferis aliquandò exituros significans, *Congregabuntur*, inquit, *congregatione*

Digitized by Google

congregatione unius fascis in lacum; & claudentur ibi in carcere, & post multos dies visitabuntur. Quæ commodior benignæ istius visitationis occasio, quàm Christi ad ea loca descensus? *Roman.* Visitare aliquandò est ad sanandum, ut Medici, & pastoris. Ezechiel: *Sicut*, inquit, *visitat pastor gregem suum, sic visitabo oves meas, & liberabo eas.* Aliquandò verò idem est, quod punire; ut in Psalmo: *Visitabo in virga iniquitates eorum*; & apud Isaiam. *Visitabit Dominus in gladio suo duro, & grandi, & forti super Leviathan serpentem vectem.* Posteriorem hanc visitationem in tortuosum serpentem Christus nunc exercuit, à sinu Abrahæ illum exterrens; sed priorem in Sanctos Patres, quos tamquàm mites oves à squallida illa regione in paradisi ovilia traduxit. Præcipuè autem de generali visitatione in die judicii facienda loquitur Isaias, in quo ad modicum damnati à carceribus extracti ad eos in sempiternum remittentur. Iis enim tunc dicturus est Christus: *Discedite à me maledicti in ignem æternum.*

Isai. 24. 22. D. Thom. 3. p. q. 52. a. 6. ad 1.

Ezec. 34. 12. *Ps.* 88. 33. *Isai.* 27. 1.

Matt. 25. 41.

11. *Abass.* Agnosco, conveniens non fuisse, ut ii, qui ad æterna supplicia damnati, & in errorum suorum amplexu pertinaciter erant obdurati, à tartaro eximerentur; quid tamen censes de pueris, quos secundus carcer alieni peccati reos, nempè originalis adstringebat? *Rom.* Originalis peccati radix, primorum, scilicet, parentum inobedientia, actuale ipsorum tantùm peccatum fuit, originalis tamen noxa ab iis in posteros propagata ità singulis adhæsit, ut unumquemque sua peculiaris infideat. *Omnes enim peccaverunt, & egent gloria Dei.* Hujus autem gratiæ consequendæ terminus peremptorius est præsens vita, in qua illam ii pueri, sicut & Fidem non sunt adepti; *sine Fide* autem, ex D. Paulo, *impossibile est placere Deo.* Christum enim, ut idem alibi docet, *Deus proposuit propitiationem per Fidem in sanguine ejus.* Cùm igitur hi pueri cum Christi sanguine nihil, dum viverent, communicaverint, post mortem ad communionem propitiationis ipsius non pervenêrunt.

Pueri cum originali non remisso mortui, à Christo non sunt extracti. D. Thom. 3. P. q. 52. a. 7.

Concil. Trid. sess. 5. Can. 3.

Rom. 3. 23.

Heb. 11. 6.

Rom. 3. 25.

12. *Abass.* Quid censes de animabus, quæ in Purgatorii ergastulo detentæ, gratiâ quidem, & Fide Christo adhærebant, sed temporalis pœnæ debitum ex præteritis culpis contractum nondùm plenè persolverant? *Rom.* Aliquas ex iis à cruciatibus exemptas piè D. Thomas opinatur; sed simili pietate moti possumus in animum inducere, omnes libertate tunc donatas. Si enim terreni Reges, cùm primò in aliquam civitatem pedem inferunt, omnes carceribus detentos in libertatem asserunt, quod absurdum videatur, in communi lætitia quempiam mœrere; quomodò Rex cælestis animas illas Fide sibi, & gratiâ devinctas ob solum temporale debitum, maximum solemnitatum suarum die funestas, & atratas agitare pateretur? si Saul recens in regnum evectus, reportatâ de Ammonitis victoriâ, in sui contemptores noluit sævire; hanc reddens causam: *Non occidetur quisquam in die hac, quia hodie fecit Dominus salutem in Israël*; quomodò Christus tartareorum ministrorum sævitiam in animas de se optimè merentes non frænaret eâ die, quâ *operatus est salutem in medio terræ?*

Piè, sed non omninò certò credi potest, Purgatorii carcerem à Christo reseratum. D. Thom. 3. P. q. 52. a. 8. Ubi Soar. ¶. Respondetur.

1. *Reg.* 11. 13.

Ps. 73. 12.

CAPUT XI.

Declaratur secunda pars sexti articuli: Tertiâ die resurrexit à mortuis; *& corporis glorioſi dotes indicantur.*

1. *Bass.* Quis est sensus secundæ partis sexti articuli? *Roman.* Eumdem Dei Filium, qui secundùm corpus jacuit in sepulchro, & secundùm animam ad inferos excurrit, tertia die, unione corporis, & animæ restaurata, ad vitam rediisse. Quocirca in Evangelio, & Psalmis resurrectio dicitur *regeneratio*, quia in eumdem terminum, in quem generatio, nempè animæ, & corporis unionem collimat; hoc tantùm discrimine, quòd illa unio in generatione partim à parentibus, partim à Deo, ut auctor est naturæ, producitur; at in resurrectione solum Deum auctorem agnoscit supernaturaliter operantem; quia nulla causa, præter ipsum id quod semel extinctum est, in vitam concire potest.

Resurrectio est iterata generatio.

Matt. 19. 28.

Ps. 2. 7. *Act.* 13. 33.

2. *Abass.* Num se ipsum Christus, an eum aliqua Trinitatis Persona, an omnes ex compacto operantes suscitârunt? *Rom.* Patri Resurrectionem Filii duorum maximorum Apostolorum, verbis commoti plures assignant. Ait enim in Actis Apostolorum Petrus: *Deus suscitans Filium suum, misit eum benedicentem vobis.* Et Paulus: *Hanc promissionem Deus adimplevit filiis nostris, resuscitans IESUM, sicut & in Psalmo secundò scriptum est*; *Filius meus es tu, ego hodie genui te.* Et in Epistola ad Ephesios: *Deus Domini nostri IESU Christi, Pater gloriæ, secundùm operationem potentiæ virtutis ejus, quam operatus est in Christo, suscitans illum à mortuis.* Sed cùm secundùm Canonem à nobis traditum lib. 3. cap. 11. num. 4. quidquid de una Trinitatis Persona affirmatur, quod personalem ipsius proprietatem non involvit, aliis commune sit; & illius opera ad extra (qualis est suscitatio) sint indivisa; ut Pater Filium, sic & Spiritus Sanctus, & ipse se Filius ad vitam reduxit: sicut de Incarnationis opere lib. 5. cap. 3. num. 11. sumus philosophati. Totam ergo Trinitatem in Christi Resurrectionem incubuisse, testantur plura Scripturæ loca, in quibus ipse dicitur à Deo (sumpto eo nomine in simplici suppositione) suscitatus. In Actis: *Quem Deus suscitavit solutis doloribus inferni*; similiter cap. 3. 15. cap. 4. 10. cap. 5. 30. cap. 10. 40. cap. 13. 34. cap. 17. 31. Rom. 4. 24. c. 8. 11 c. 10. 9. & 1. Cor. 6. 14. & 15. 15. Gal. 1. 1. Coloss. 2. 12. & 1. Thes. 1. 10. & 1. Petr. 1. 21.

Tota Trinitas, & quælibet ejus Persona Christum suscitavit.

Act. 3. 26.

Act. 13. 33. *Ps.* 2. 7.

Eph. 1. 17. 19. 20.

Act. 2. 24.

Digitized by Google

Christus se ipsum suscitavit.

3. *Abass.* Christum à Tota Trinitate suscitatum perfectè demonstrâsti; non ità à se ipso. *Roman.* Id aliquæ Patrum, & Scripturæ locutiones demonstrant. *Deus Verbum*, inquit D.Cyrillus, *suscitavit eum*: Alibi: *Christus primogenitus mortuorum, quia ipse prævenit, & suscitavit carnem suam sine corruptione.* Arcaos: *Quando carnem suam ex mortuis suscitavit, amplius non moritur.* Id testantur Angeli verba apud Matthæum, Marcum, & Lucam prædicantis, *surrexit, non est hic.* Sicut enim, qui somno indulget, excitatore non indiget, sed ipse opportuno tempore corpus ab strato corripit, sic Christus, qui David ore dixerat: *Ego dormivi, & soporatus sum, & exurrexi*, suum ipse somnum discussit. Nam *qui dormit, non adjiciet, ut resurgat?* Apertiùs verò apud Joannem: *Solvite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud. Nos*, inquit D. Cyrillus, *invenimus, ipsum Filium se ipsum suscitasse, & dixisse ad Judæos: solvite templum hoc, & ego in tribus diebus excitabo illud.*

D.Cyrillus p.3.n.39. p.8.n.2. *Apoc.*1.5. Arcaos n.1. *Matt.*28.6. *Marc.*16.6. *Luc.*24.6. *Ps.* 3. 6. *Ps.*40.9. *Joan.*2.19. D.Cyril. p.52. n. 142.

Surrexit Christus, Deus, & homo, non quatenus Deus, sed quatenus homo. D.Cyril. p.19.n.4.

4. *Abass.* Surrexit Christus, quatenùs Deus erat, an quatenùs homo? In divinitate an in humanitate? *Rom.* Juxta dicta lib.5.cap. 27. num. 11. Deo humana, & homini divina tribuenda; atque ità non solùm Christus homo, sed etiam Christus Deus resurrexit. *Resurrectio enim ex mortuis*, inquit D. Cyrillus, *non est facta in solo homine*; quia semper ante, & post Resurrectionem eadem fuit Dei, atque hominis Persona; sed tamen, non quatenùs Deus, sed, quatenùs homo, & in humanitate resurrexit. Idem enim tantùm excitatur, quod cecidit; divinitas autem impatiens est ruinæ. D. Aforosius: *Quoniam*, inquit, *Dei mori non poterat sapientia; resurgere autem non poterat, quod mortuum non erat; assumitur caro, quæ mori posset; ut dum moritur, quod solet, quod mortuum fuerat, hoc resurgeret.* Ergo resurrexit homo, quia mortuus fuerat homo. D. Athanateus: Mortificationem deitatis non est passus; neque ea parte resurrectione *indigebat, sed illa ipsa est, quæ à mortuis excitat.* Infrà: *Christus, ut homo quidem à mortuis excitatur, ut Deus tamen excitat mortuos.* D.Gregorius Nazianzenus: *Constat, immortale esse, quod Dei est; hominis, quod caducum est. Tertia quoque die resurrexit, non Deus in homine, sed homo in Deo potiùs.*

D.Ambros. lib.de fide Resurrect. D.Athan. lib.contra Apollinar. D. Greg. Naz.Orat. 49.

Testimonia Haymanot Abbau. D.Joann. Chrys.p.11. n.1. D. Cyril. p.21.n.29. Lib. ad Regin.

5. *Abass.* Optima quidem ea sunt testimonia, sed à nostro libro exotica. *Roman.* Addam vobis vernacula. D. Joannes Chrysostomus: *Cùm*, inquit, *audieritis, Dominum suscitasse; ne arbitremini, id dici de Verbo, sed propter carnem, quæ est una cum Verbo.* D. Cyrillus: *Resurrexit in carne sua; & resurrectio carnis non dicitur de divinitate ipsius, cùm nunquàm divinitas in mortem cadat; sed in carne sua gustavit mortem, & resurrexit.* Et in libro ad Reginas causam reddit, cur resurrectio Deo tribuatur, cùm tamen Deus, ut Deus, non resurgat; quòd nempè ipsius proprium fuerit illud corpus, quod resurrexit. De quo lib.5. cap.27. n.15. *Corpus*, inquit, *quod mortem dispensatoriè perpessum est, proprium illius fuit; quo nimirum hac ratione, & ipse quoque (licèt suapte naturâ immortalis sit, ut Deus) verè resurrexisse dici queat.*

Alii Patres addunt, in ratione, seu virtute divinitatis, resurrexisse. D. Abolidis: *Resurrexit virtute divinitatis suæ.* D. Cyrillus: *In carne sua pro omnibus gustavit mortem; & vivificatus est divinitate sua.* D.Abolid. p.1.n.70. D.Cyril. p.52.n. 147.

Corpus Christi in corruptibile post Resurrectionem.

6. *Abass.* Quale Christi corpus post Resurrectionem suam permansit? *Rom.* Incorruptibile permansit, juxta Prophetæ vaticinium: *Non dabis Sanctum tuum videre corruptionem*; additâ Divorum Petri, & Pauli in Actis explicatione. Arcaos. *Quando carnem suam à mortuis excitavit, fecit illam immutabilem, & incorruptibilem.* D. Athanateus: *Caro ejus post Resurrectionem facta est impossibilis, & immortalis.* D. Joannes Chrysostomus: *Post Resurrectionem caro ejus immutata est.* D. Cyrillus: *Postquàm resurrexit, impassibilis est, & immortalis.* Alibi: *Postquàm resurrexit, non ipsum invênit hominum infirmitas, nec ampliùs mortem suscipiet; non esuriet, neque sitiet, neque fatigabitur.* *Ps.*15.10. *Act.*2.27. & 13.35. Arcaos.n.3. D.Athan. p.4.n.31. D. Joan. Chrys. p.7. n.3. D. Cyril. p.8.n.3.& p.47. n.66.

Idem erat Christus post Resurrectionem, qui antèa. 2.*Co.*5.16.

7. *Abass.* Si Christi caro post Resurrectionem immutata fuit, ut loquitur. D. Joannes Chrysostomus, non idem, sed alter Christus esset, ut innuit D. Paulus, cùm ait: *Etsi cognovimus Christum secundùm carnem, sed nunc jam non novimus. Rom.* Eumdem esse Christum post Resurrectionem, verba Angeli declarant: *IESUM quæritis Nazarenum crucifixum: surrexit, non est hic.* Et illa ipsius apud Lucam: *Videte manus meas, & pedes; quia ego ipse sum. Spiritus carnem, & ossa non habet, sicut me videtis habere. Hæc dixit*, ait D. Athanateus, *ut credant, esse eumdem, qui erat antequam moreretur; & eumdem post Resurrectionem ex mortuis.* D. Joannes Chrysostomus: *Fecit hæc omnia, ut crederent in ejus Resurrectionem: & agnoscerent, quòd ipse crucifixus est, & non alius, qui resurrexit.* Non ergo mutavit Christus corporis sui naturam, sed qualitates, & deposita mortalitate induit incorruptionem. Quo pacto de ipso transfigurato dixit. D. Lucas: *Facta est species vultus ejus altera.* Species quidem, non substantia. Et eodem modo exponit D.Cyrillus illa verba D. Pauli, quæ protulisti, ut cùm Christus priùs mortali carne amictus hominibus vilesceret, post Resurrectionem non in ea, sed in incorruptibili conspicuus agnosceretur. *Hac caro*, inquit, *quæ mortua est, eadem etiam resurrexit; & præcipuè facta est sine corruptione.* D.Augustinus: *Resurrexit in eâdem carnis forma, atque substantia, cui profectò immortalitatem dedit, naturam non abstulit.* D. Leo Magnus: *Qualitas corporis transiit, non natura defecit.* Idem erat Christus post Resurrectionem, qui antèa. 2.*Co.*5.16. *Marc.*16.6. *Luc.*24.39. D.Athan. p.15. n. 105. D. Ioan. Chrys. p.4. n.2. *Luc.*9.29. D. Cyril. p.47. n.65. D.August. Epist.57. D. Leo. serm.1. de Resurrect.

Quatuor animæ gloriosæ dotes. 1.*Cor.*15. 41.

8. *Abass.* Quibus dotibus, & qualitatibus exornatum fuit Christi corpus post Resurrectionem? *Rom.* Eisdem, quibus Beatorum corpora insigniuntur, ex doctrina D.Pauli, quem pedetentim enucleabimus. Eæ sunt: Impassibilitas, Claritas, Subtilitas, & Agilitas, quæ Christi, & Beatorũ animas afficiũt, & ab iis ad corpora, quæ sibi reddũt simillima, derivãtur.

9. *Abass.*

Digitized by Google

Impassibilitas.

9. *Abass.* Quid est Impassibilitas? *Rom.* Impassibilitas est qualitas, quæ Christi corpus incorruptibile, & cuivis externæ impressioni impenetrabile reddidit: de qua D. Paulus: *Seminatur in corruptione, surget in incorruptione.* Et iterùm: *Oportet enim corruptibile hoc induere incorruptionem; & mortale hoc induere immortalitatem.* Singillatim autem de Christo idem Apostolus: *Christus resurgens ex mortuis jam non moritur.*

1. Cor. 15. 42. 53.

Rom. 6. 9.

Comedit Christus post Resurrectionem ad veritatem corporis ostendendam.

10. *Abass.* Si suscitati Christi corpus Impassibilitas, & incorruptio possedit, quid post Resurrectionem sæpiùs cum discipulis mensæ accubuit: victus enim sumitur, ut illius in sumentem conversione corruptæ substantiæ jactura reparetur? *Rom.* Licèt Christus cibum sumpserit, illum in suam substantiam non convertit; sed in aërem, vel aliud elementum transmutavit; ut tres Angeli apud Abrahamum, & Raphael apud Tobiam (ipso teste) ut ostensum lib. 5. c. 8. n. 14. factitabant. Vescebatur tamen, ut corporis veritatem discipulis suaderet. D. Gregorius Nyssenus: *Nemo*, inquit, *arbitretur, quòd homo post resurrectionem habeat cibum, & potum carnalem; sed fecit hoc Dominus, ut certam faceret Resurrectionem carnis suæ; ne arbitrarentur, in carne ipsius esse mutationem, & corruptionem.* D. Joannes Chrysostomus: *Quandò comedit, & bibit cum discipulis suis post Resurrectionem, non id fecit ex cibi appetentia; sed ut crederent, ipsum à mortuis resurrexisse.* Alibi advertit, victum, & potum adeò evidentem esse veri corporis probationem, ut Apostoli indè veram fuisse Christi Resurrectionem mundo evulgaverint: *Dedit eum*, inquit D. Petrus, *manifestum fieri: non omni populo, sed testibus præordinatis à Deo: nobis, qui manducavimus, & bibimus cum illo, ob quam resurrexit à mortuis.* Vide D. Joannem Damascenum lib. 4. de Fide, cap. 1.

D. Gregor. Nyss. p. 4. n. 34.

D. Joan. Chrys. P. 3. n. 9.

P. 4. n. 3.

Act. 10. 41.

D. Joan. Damasc.

Christi vulnera amoris, & venustatis fuêre argumenta, non corruptionis.

Joan. 20. 27.

11. *Abass.* Si Christi corpus corruptione non exedebatur, quo pacto vulnerum erat cicatricibus inscriptum; & exploratricem in illa manum, ac digitos Thomas immisit? *Roman.* Foramina illa, & vulnera non doloris, & corruptionis, sed claritatis, & venustatis fuêre monumenta. Qui enim potuit corpus suum à mortis imperio vindicare, æquè posset ab eo cicatrices illas abolere; sed illas relinquere maluit in victoriæ, & patti non sine sanguine triumphi argumentum. Sicut par est credere, servatutos in cœlo Martyres ea stigmata, quibus dum viverent, ob Christum fuêre compuncti. Utilis autem tunc fuit Apostolis ad Fidem Resurrectionis roborandam vulnerum inspectio; & nunc in cœlo jugis eorum æterno Patri ostentatio salutaris est pro totius mundi delictis advocatio. Debemus etiam in assidua illorum consideratione perpendere, quàm Deo simus obstricti, qui tanti nos fecit, ut impacta sibi pro nobis vulnera, quasi gloriæ suæ monumenta reservare non erubuerit; ne in die judicii nobis vertantur in arietes, è quibus dira in nos tormenta librentur; sicut in aliquos illa sunt displodenda, de quibus Joannes in Evangelio: *Videbunt, in quem transfixerunt*; & in Apocalypsi: *Videbit eum omnis oculus, & qui eum pupugerunt; & tunc plangent se super eum omnes tribus terræ.*

Joan. 19. 37

Apoc. 1. 7.

12. *Abass.* Quid est Claritas? *Rom.* Claritas luminosa est qualitas, quæ ex redundantia gloriæ animæ in corpus diffunditur; quâ anima utitur, ubi, & quantùm libet. De illa Apostolus: *Seminatur in ignobilitate, surget in gloria*, ideſt, in Claritate, quam idem de cornuta Moysis facie loquens, eo nomine appellat: *ità*, inquit, *ut non possent intendere filii Israël in faciem Moysi, propter gloriam vultus ejus.* Eo lumine illustratum fuit Christi corpus in Transfiguratione, *cùm resplenduit facies ejus sicut sol, vestimenta autem ejus facta sunt alba sicut nix.* Angeli etiam, qui illius Resurrectionem mulieribus manifestavit, *aspectus erat sicut fulgur, vestimentum autem ejus sicut nix.* Nam quales essent veri corporis Christi dotes, Angelus apud Matthæum, & duo apud Lucam in apparenti, & evanido ostendebant; illi enim Beatorum corpora similia evadent. *Reformabit*, inquit Paulus, *corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ.* Sapiens: *Fulgebunt justi, & tamquàm scintillæ, in arundineto discurrent.* Et D. Matthæus: *Fulgebunt justi sicut sol in regno Patris eorum.* Undè sequitur, quò perfectior anima fuerit, & uberiori à Deo lumine respersa, eò ampliorem communicandam cum corpore claritatem; sicut suam largiùs participat lucerna cum crystallo viciniori, & sol cum nubibus, quas propiùs radiis illustrat. *Revelatâ facie*, inquit Apostolus, *gloriam Domini speculantes, in eamdem imaginem transformamur à claritate in claritatem*; ideſt, à Dei in animæ, & ab animæ claritate in corporis claritatem. Huc etiam tendit illa similitudo: *stella enim differt ab stella in claritate, sic & resurrectio mortuorum.* Cùm autem Christi anima omnium perfectissima fuerit, arctiùs se in Dei claritatem, quàm quævis alia transformavit, illámque in corpus majori largitate profudit.

Claritas quid sit.

1. Cor. 15. 43.

2. Cor. 3. 7.

Matt. 17. 2.

Matt. 28. 3.

Luc. 24. 4.

Philip. 3. 21.

Sap. 3. 7.

Matth. 13. 43.

2. Cor. 3. 18.

1. Cor. 15. 41.

13. *Abass.* Quid est Subtilitas? *Rom.* Subtilitas est qualitas, quæ corpus ità subtile, expeditúmque reddit, ut Beatorum corpora cum quovis alio possint sine alicujus depulsione, vel compressione eodem loco demorari; quod indè provenit, quòd anima suam sinceritatem, ac penè spiritualitatem gloriosо corpori impertit. *Seminatur*, inquit D. Paulus, *corpus animale* (ideſt, grave, & ponderosum, qualia cæterorum animantium esse solent) *surget corpus spirituale*; ideſt subtile, atque volaticum. D. Augustinus: *Surget corpus spirituale, non substantiâ, sed potestate.* Et ideò Christus clauso sepulchro resurrexit, & ad discipulos se intulit foribus obseratis. D. Joannes Chrysostomus: *Caro*, inquit, *ejus appa uit tenuis, & subtilis in hoc opere. Intravit januis clausis, & notum fecit opus suum, quòd ipse procul sit à crassitudine.* Neque Angelus lapidem à tumuli ostio semovit, ut Christus sublato obice exiret; sed ut excubitoribus, & piis fœminis confluentibus ipsum jam resurrexisse, nec monumento

Quid sit Subtilitas.

1. Cor. 15. 44.

D. August. in Manual. cap. 34.

Joan. 20. 19.

D. Joan. Chrys. p. 4. n. 3.

Matt. 28. 2.

Digitized by Google

numento adhuc detineri, innotesceret.

Quid sit Agilitas.

14. *Abass.* Quid est Agilitas ? *Rom.* Agilitas est qualitas instar potentiæ motivæ Beatorum corporibus indita, quâ ità pernices, ac volatici redduntur, ut verum reddant illud Isaiæ : *Current, & non laborabunt; ambulabunt, & non deficient*; & illud Sapientiæ : *Tamquàm scintillæ in arundineto discurrent.* De qua D. Paulus : *Seminatur in infirmitate, surget in virtute*; ideſt, in robore, & membrorum vivacitate, ac pernicitate, quâ possit, quocumque destinet, se ipsum ciere. Ideò ipsa Resurrectionis die tribus se fœminis adorandum Christus objecit. Seorsùm verò Magdalenæ, Petro, Jacobo Minori, duobus discipulis euntibus Emmaus, & cunctis Apostolis in cœnaculo mœrentibus. Et cùm in cœlum contendit, nullo succollante indiguit, sed propria virtute ferebatur ; de quo cap. 13. n. 5. 6.

Isai. 40. 31.
Sap. 3. 7.
1. *Cor.* 15. 43.
Matt. 28. 9.
Joan. 20. 16.
1. *Cor.* 15. 7.
Luc. 24. 31.
Joan. 20. 19.

Resurrexit Christus ob proprii corporis commodũ.

15. *Abass.* Quorsùm, devictâ morte, Christus resurrexit ? *Rom.* Ad proprium corporis ipsius, & commune nostrum omnium emolumentum. Proprii quidem corporis, ut quo erga ipsum devinctus erat, debito se absolveret, perpetuam, & glorioſam, ipsíque, ex vi unionis hypostaticæ, debitam vitam reddens, quâ ipsum toto vitæ tempore privavit, ut pro nobis patiendi & occasionem, & spatium nanciscereturr. Cùm autem tot cruciatuum tolerantiâ gloriam promeritus esset, justitiæ ratio præscribebat, ut ipsis ex antlatis solutio redhiberetur, dicente Luca : *Nonne hæc oportuit Christum pati, & ità intrare in gloriam suam ?* Et Paulo : *Factus est obediens usque ad mortem, mortem autem Crucis; propter quod & Deus exaltavit illum.* Et iterùm : *Videmus JESUM propter passionem mortis gloria, & honore coronatum.*

Luc. 24. 26.
Phil. 2. 8. 9.
Heb. 2. 9.

Ob nostri etiam commodum Christus resurrexit.

16. *Abass.* Quo pacto surrexit Christus ad nostri commune emolumentum ? *Rom.* Tota Fidei Christianæ veritas unâ duarum naturarum basi nititur ; quarum altera suscitandi potestatem habet, altera capacitatem, ut suscitetur. *Si Christus*, inquit Paulus, *non resurrexit, inanis est prædicatio nostra, inanis est fides vestra.* Hinc etiam spei nostræ firmitudo solidatur. *Scientes*, inquit idem, *quoniam qui suscitavit JESUM, & nos cum JESU suscitabit.* Nobis etiam hoc exemplum mira ad virtutis consectationem subdit calcaria ; ut noverimus, si cum Christo fuerimus afflicti, cum eodem regnaturos. Idem : *Si tamen compatimur, ut & conglorificemur.* Alibi : *Scientes, quòd sicut socii passionum estis, sic eritis & consolationis.* Quam ob causam idem Apostolus Christum vocat, *primitias dormientium, & primogenitum mortuorum*; quia primitiarum editionem alii fructus, & primogeniti partum fratres alii consequuntur.

1. *Cor.* 15. 14.
2. *Cor.* 4. 14.
Rom. 8. 17.
2. *Cor.* 1. 7.
1 *Cor.* 15. 20.
Coloss. 1. 18.

Quomodò Christus sit primogenitus mortuorum, & primitiæ dormientium.

17. *Abass.* Quo jure vocari potest Christus primitiæ dormientium, & mortuorum primogenitus, sivè antesignanus, si ante ipsum alii fuêre à sepulchris excitati ; ut duo pueri : alter Eliæ, alter Elisæi ; & latro in hujus sepulturam conjectus ; totidem in Evangelio : filia Archisynagogi, filius viduæ Naïm, Lazarus, & multa Sanctorum corpora, quæ, Christo expirante, surrexerunt ? *Rom.* Primò, quia hi omnes alienâ virtute, Christus propriâ fuit excitatus. Ità D. Cyrillus : *Christus est primogenitus mortuorum, quia ipse prævenit, & suscitavit carnem suam sine corruptione.* D. Athanateus : *Dicitur primogenitus mortuorum, quòd pro nobis suscepta morte, eáque abolitâ inter homines primus resurrexerit, & pro nobis suum corpus excitaverit.* Secundò, quia alii, ut iterùm morti restituerentur, surrexerunt, Christus ab illa in perpetuum mansit immunis. *Resurgens enim ex mortuis jam non moritur ; mors illi ultrà non dominabitur ;* sic D. Epiphanius : *Illi suscitati sunt, & postea mortui usque ad generalem resurrectionem expectant. At Dominus noster IESUS Christus est primogenitus mortuorum, & primus, qui à mortuis resurrexit Resurrectione, qua mortem non habet.* Tertiò, quia alii solitariè surrexerunt, Christus amplissimâ sanctorum coronâ stipatus. Primitiæ enim, & primogeniti ejusdem sunt naturæ, cujus alii fructus, atque fratres. D. Aforosius : *Primitiæ ejusdem sunt generis, atque naturæ, cujus & reliqui fructus, quorum pro latiore proventu primitiva Deo munera deferuntur ; sacrum munus pro omnibus, & quasi reparata quædam liba natura.* Tandem cæterorum resurrectio ad judicii diem protrahitur, Christus præpropere tertia resurrexit.

3. *Reg.* 17. 22.
4. *Reg.* 4. 35. & 13. 21.
Marc. 5. 41. 42.
Luc. 7. 15.
Joan. 11. 44.
Matt. 27. 52.
D. Cyril. p. 9. n. 2.
D. Athan. serm. 3. cont. Arian.
Rom. 6. 9.
D. Epiph. p. 9. n. 2.
D. Ambros. lib. de fide Resurrect.

Triduum Dominicæ Sepulturæ quomodò computandum.

18. *Abass.* Quo calculo triduum illud Dominicæ Sepulturæ computandum ? *Rom.* Non triduum, quod tres dies integros, totidémque noctes exactè, sed populariter ad crassiorem vulgi trutinam comprehendat. Supputandi enim sunt dies, atque noctes à media nocte præcedenti ad sequentem ; & in primo, atque tertio sumenda pars pro toto ; ut pars diei totam diem referat, pars noctis totam noctem. Cùm igitur feriâ sextâ Christus obierit, habes partem primæ diei, atque noctis, quæ cæperint mediâ nocte feriæ quintæ, & eodem feriæ sextæ articulo desierint. Dies, & nox sabbati plenæ sunt. Tertiam noctem despicies in ea parte, quæ à media nocte sabbati usque ad auroram porrigitur. Cùm autem ipsa in aurora Christus, ut *cerva matutina*, resurrexerit, aurora verò dei sit initium, tertia dies, quæ fuit Dominica, suis in cunabulis numeratur.

Psal. 21. 1.

Cur non statim Christus, sed post tres dies resurrexit.

19. *Abass.* Cur non statim à morte Christus, sed die tertiâ resurrexit ? Et sicut Resurrectionem in diem tertiam, cur non illam in mundi finem protraxit ? *Rom.* Si festinata esset Christi Resurrectio, non decssent, qui cum Mahometo affirmarent, ipsum verè mortuum non esse ; sed vivum semper perstitisse, & aliquod spectrum pro ipso cruci suffixum. Ideò illud temporis in sepulchro demoratus est, quod, nisi interim vitæ documenta emicent, inter homines sufficiens creditur, ut quis verè mortuus reputetur ; hoc verò est triduum. Si autem Resurrectionem in lõgius tempus differret, virtute ad illam tentandam destitutus crederetur ; & non illud, quod in cruce pepẽdit, sed aliud corpus resurrexisse putaretur.

Maturatò

Maturatò etiam consulere Christus voluit discipulorum suorum angori, & vacillationi; & coronidem, supremo redemptionis operi adjicere; cujus summa est, animas à peccato, & corpus à mortis jugo vendicare.

CAPUT XII.

Ostenditur, Dominica die Christum resurrexisse; & methodus Paschatis ritè celebrandi proponitur.

Die Dominica Christus resurrexit.

1. *Abass.* Dominica die Christum resurrexisse, asseruisti. Quibus ex promptuariis eam doctrinam extraxisti? *Rom.* Ex quatuor Evangeliis. Nam sabbatum excipit dies Dominica: Divus autem Marcus tradit, tres Marias, *cùm sabbatum transisset*, valdè manè ad sepulchrum accurrisse, & Dominum jam suscitatum ab Angelo agnovisse. Omnes etiam Evangelistæ disertè testantur, Resurrectionem *prima sabbati*, vel (quod idem est) *una sabbati* (quæ dies est Dominica) contigisse. A sabbato enim, ut à potiori die, Judæi totam hebdomadam cognominabant; reliquas autem à prima usque ad septimam, quâ sabbatum iterùm recurrebat, suo ordine proferebant; ità ut prima dies post sabbatum nostræ Dominicæ (quo illam nomine à Domini Resurrectione derivato D. Joannes nobilitavit) semper responderit; ut quo die mundus creari occœperat, eodem à Redemptore renovaretur, & perficeretur. Nam cùm illius opificium Deus sex diebus absolverit, & septimo requieverit, aliæ verò deinceps hebdomadæ eumdem tenorem servent, fixum manet, prima sabbati, vel post sabbatum, mundum lucis circumactu illuminatum. Undè dies Dominica dicitur dies lucis, & David Psalmum, qui incipit, *Domini est terra*, mundi creationem recolentem *prima sabbati* canendum præscripsit.

Marc. 16. 1. *Matth* 28. 1. *Luc.* 24. 1. *Ioan.* 20. 1.

Apocap. 1. 10. Dominica die mundi opificium cæpit.

Psal. 23. 1.

Eodem die Pascha ab omnibus Christianis celebrandum.

2. *Abass.* Quomodò Pascha Dominicæ Resurrectioni dedicatum sine ulla erroris suspicione celebrandum? *Rom.* In primis Pascha, unoque eodémque die ab omnibus Christianis, ex decreto Concilii Nicæni relato à D. Athanaseo, Aforosio, Concilio Antiocheno, Arelatensi Primo, & Carthaginensi Quarto, celebrandum. Cujus decreti tunc quidem renovati, sed ab Ecclesia semper antè observati illa prior est ratio, quam reddit in Epistola sua Constantinus Imperator. *Visum est*, inquit, *communi omnium judicio, sacratissimum Pascha festum unò, eodémque die celebrandum esse; neque enim in re tam sancta, atque solemni ulla dissensio debet existere.* Si enim ad tollendam quamvis speciem dissensionis Deus in Lege veteri jubebat, *ut universa multitudo filiorum Israël* agnum ad vesperam Paschæ immolaret, & convocatâ vicinià *in una domo* comederetur; ne vicinorum, & domesticorum ventre præ inanitate rugienti, aliorum aqualiculus distenderetur: Quomodò ferendum, si Paulo

D. Athan. in Epistola de Synod. Arimin. & Seleuc. Concil. Antioch. can. 1. Concil. Arelat. 1. can. 1. Concil. Carth 4. can. 65. Socrat. lib. 1. Hist. c. 6. Constant. Imper.

Exod. 12. 6. v. 46. 1. *Corinth.* 57. 8.

præcipiente, ut quando *Pascha nostrum immolatus est Christus, epulemur omnes in azymis sinceritatis, & veritatis*, idest, Christi corpore; eo illa die *in domo Dei, quæ est Ecclesia Dei vivi*, non saginemur, & invicem in uno pane conglutinemur? Nam *quoniam unus panis*, inquit idem Apostolus, etiam *unum corpus multi sumus omnes, qui de uno pane participamus*; & qui diversis diebus Pascha peragunt, *non unius moris in una domo*, sicut David cupiebat, sed diversorum sectatores sunt, quasi diversarum etiam domuum cultores; neque eodem, sed diverso pane Eucharistico tamquàm inter se dissentientes reficiuntur. Secunda ratio perstringitur ab eodem Imperatore; si Pascha diversis diebus contingeret, futurum, ut ii, quibus nondùm appetiisset, Quadragesimali jejunio, & squalore ob Christi interitum macerarentur; atque ità aliis tripudiantibus alii mœrore contabescerent, quod in typo, nempè, in Ecclesiastico convivio (quod Eucharistici tantùm umbra erat) taxat D. Paulus, ut esuriente inope, dives madesceret ebriosus. Tertiam profert D. Aforosius: *Non debemus*, inquit, *vana quadam opinione super hujusmodi celebritate fluctuare, sed, vera ratione comperta, ità omnium concurrat affectio, ut una nocte ubique sacrificium pro Resurrectione Domini deferatur.*

1. *Timoth.* 3. 15.

1. *Corint.* 10. 17.

Psal. 67. 7.

Constant. Imp. apud Socrat. ubi suprà.

1. *Cor.* 11. 21. D. Ambros. Epist. 83.

3. *Abass.* Si ab omnibus Christianis Pascha eadem die celebrandum, quis ille, & cujus mensis dies? *Rom.* In Martium semper Domini Pascha incurrit; hic enim primus mensis Hebræis fuit, dum liberi extra Ægyptum vixêre; ut patet ex Genesi cap. 7. & 8. Ubi Martius primus mensis vocatur, & cæteri ab eodem usque ad duodecimum gradatim suo ordine decurrunt solùm, dum in Ægypto sunt demorati, ut incolarum ollis, & mensis, sic etiam mensium calculo assuefacti, Septembri, à quo illi annum inchoant, primas etiam detulêre; Deusque ad eorum se imbecillitatem, & consuetudinem demittens, etsi illum frequenter septimum mensem vocat, in quo gratias agendas pro fructuum collectione his verbis in Levitico indicit: *A quinto decimo die mensis septimi, quandò congregaveritis omnes fructus terræ vestræ, celebrabitis ferias Domini septem diebus*; tamen in Exodo eamdem solemnitatem præcipit in anni fine celebrari: *Solemnitatem quoque* inquit, *in exitu anni, quandò congregaveris omnes fruges tuas de agro*: Quod in Martium non quadrat, qui dicitur, ut videbis inferiùs, *mensis novorum, & novarum frugum*; quòd tum primùm in Judæa segetes matureſcere incipiant. Erat enim September exitus anni vulgaris Ægyptiorum, à quibus mos idem supputandi ad Hæbreos ex ducentorum, & quindecim annorum convictu, sicut ad vos Abassinos defluxit. Vobis enim, & Ægyptiis September anni est aditus, & exitus; cùm vester, & illorum annus septima Romani Septembris die occidat,

Martius primus Judæorum mensis fuit, dum extra Ægyptum vixêre. *Genes.* 7. 11. & 8. 13.

Levit. 23. 39.

Exod. 23. 16.

octava oriatur. Quare Deus, ut Hebræos à corrupta illa consuetudine avelleret, cùm eos ab Ægypto mense Martio abstraxit, per Moysem edixit: *Mensis iste vobis principium mensium, primus erit in mensibus anni*; non quòd primus anteà non fuisset, sed ut Ægypti contagium sopiretur, quo Hebræi debitum Martio honorem ob mundi creationem, quæ in illum incidit, ut ostensum est lib. 4. cap. 5. num. 13. in Septembrem transferebant. Martio autem illos ab Ægypto in Judæam traductos Sacer textus effatur, cùm quodam loco dicit: *Hodie egredimini mense novarum frugum*, & aliis; *sicut præcepi tibi tempore messis novorum, quando egressus es de Ægypto.*

Exod. 12. 2.

Exod. 23. 15. & 34. Deut. 18. 16. 1.

4. *Abass.* Fateor, Hebræos ab Ægypto mense Martio, sivè primo, vendicatos; sed quid illud ad Paschatis celebrationem? *Rom.* Illud Deus instituit, & in mundanæ creationis, & ipsorum vindicationis ab Ægypto gratiarum actionem; ideóque jussit, ut eidem, iù quo contigerat, mensi, atque diei affixum esset. Sic in Exodo, & Deuteronomio: *Observa*, inquit, *mensem novarum frugum, & verni primum temporis, ut facias Phase Domino Deo tuo. Quoniam in isto mense eduxit te Dominus Deus tuus de Ægypto nocte.* Et in libro Josuë refertur, cùm Hebræi Jordanem sunt ingressi, ipsius ripas tempore messis aquarum inundatione coopertas, & statim post transitum Pascha celebrâsse die decima quarta mensis, quæ à Deo ad hujusmodi festivitatem præstituta fuit; ut videre est in Exodo, Levitico, Numeris, & Ezechiele.

Decima quarta die Martii Hebræi suum semper Pascha celebrabant. Exod. 13 4.

Deut. 16. 1. Ios 3. 15. Ios. 5. 10.

Exod. 12. 6. 18. Levit. 23. 5. Num. 9. 3. 5. & 28. 16. Ezech. 45. 21.

5. *Abass.* Cùm ergo decimam quartam diem mensis primi offendero, Pascha in ea ritè celebrabo. *Rom.* Id si præstiteris, in immanes duos scopulos impinges. In primis enim mobile Christianorum Pascha cum Judæo (quod semper est immotum) superstitiosè permiscebis. Etsi enim nostrum Pascha eumdem mensem, & lunam cum Judaïco expectat, eumdem tamen diem respuit; cùm Apostoli suis in Canonibus illos anathemati subjiciant, *qui commune festum cum Judæis egerint*, & singulatim de Paschate agentes Can. 8. dicant: *Si quis Sanctum, Paschæ diem ante vernale æquinoctium cum Judæis celebraverit, abjiciatur.* Et in Didascalia. *Ne amplius cum Judæis tempus celebrandi Paschæ observetis; nulla enim nobis cum eis communitas est.* Constantinus etiam Imperator in superiori Epistola: *Primùm*, inquit, *omnium indignum planè videbatur, ut sacratissimum illud festum, Judæorum ritum, & consuetudinem imitantes, ageremus; qui quidem, quoniam suas ipsorum manus detestabili scelere polluerunt, meritò (ut scelestos decet) cæco animarum errore irrititi tenentur.* Quid scelestius esse potest, quàm Christianos summum lætitiæ suæ diem agitare cum Judæis, qui suum Pascha tunc immolant, ut nobis insultent de Christi comprehensione eâdem nocte ab ipsis peractâ, & in protestationem testudinei illius Messiæ, in quem adhuc dementer, & ridiculè suspirant? Undè sequentibus verbis hanc tractationem Imperator definit: *Nihil sit nobis commune cum Judæorum turba, maximè odiosa. Aliam insistamus viam, quam à Salvatore didicimus.* Quin Divus Agnatëus contestatus est: *Si quis cum Judæis Pascha celebraret, consortem esse eorum, qui Dominum, & Apostolos ejus occidissent.*

Apostol. can. 8. & 69.

D. Clem. in Constit. lib. 5. c. 16. Constant. Imper. apud Socr. lib. 1. Histor. c. 6.

Sic et ibid.

D. Ignat. Epist. ad Philip.

6. *Abass.* Quis secundus est scopulus, ad quem mea ratis allidetur, si Pascha decimâ quartâ primi mensis die celebravero? *Rom.* In errorem Tesseradecatitarum, sivè quartodecimanorum, quos, ut hæreticos damnârunt plura Concilia tempore D. Victoris Pontificis Romani coacta: Ponticum, Osrænum, Corinthium, Gallicum, Cæsariense in Palæstina, & tandem Nicænum. Asserebant enim, Pascha semper die decimâ quartâ primi mensis, in quemcumque hebdomadæ diem incideret (etiam si Dominica non esset) agitandum. Quod est contra Apostolorum, Ecclesiæ, & Romanorum Pontificum decreta, & ipsam Christi traditionem. Apostoli enim in Didascalia statuunt: *Ne diem Resurrectionis Domini nostri IESV Christi alio die, præterquàm Dominico celebremus.* Et Arcaos, qui in vestro Libro illorum discipulus prænotatur: *Convenit celebrare festum Resurrectionis in die Dominica.* Dius Pius, Pontifex Romanus, & Martyr in Epistola decretali: *Nosse vos volumus, quod Pascha Domini die Dominica annuis solemnitatibus sit celebrandum.* D. Victor Pontifex etiam, & Martyr, in Epistola ad Theophilum Cæsareæ Palæstinæ Episcopum: *Solemnitatem Sancti Paschæ die Dominica agi debere, & prædecessores nostri statuerunt, & nos illud vobis eâdem die celebrari solemniter mandamus; quia non decet, ut membra à capite discrepent, aut contraria gerant.* Ratio est, quia Hebræi decimâ quartâ die ab Ægypto liberati, eâdem semper accepti beneficii memoriam refricant; Christiani autem Regis sui de morte triumphum die Dominicâ reportatum.

Hæreticum est, Pascha quovis alio die, præter Dominicum celebrare. Conc. Rom. Conc. Pont. Concil. Osræn. Concil. Gallic. Conc. Cæsar. Concil. Nicæn.

D. Clem. lib. 5. Constit. Apost. cap. 16.

Arcaos, p. 1.

D. Pius anno 158. D. Victor anno 194.

7. *Abass.* Quænam hæc est dies decima quarta Judæis ad celebrandum Pascha observabilis, Christianis detestabilis? *Rom.* Illa decima quarta dies, non erat mensis solaris, sed lunaris. Etsi enim in lege dicatur indistinctè, agnum paschalem die decimâ quartâ primi mensis immolandum; aliis locis, ut apud Esdram, traditur diem illam fore lunarem. Quod confirmat Josephus in suis Antiquitatibus; & Judæorum à suis majoribus tracta, & hactenus retenta consuetudo: & multò magis Auctor Ecclesiastici, cùm ait: *A luna signum diei festi*; ideſt, Paschatis, quod antonomasticè ab Evangelistis dicitur, *dies festus.*

Decima quarta die mensis lunaris Pascha Judæi immolabant. Exod. 12. 6. 3. Esdr 1. 1. & 7. 10. Joseph. lib. 3. Jud. antiquit. cap. 13. Eccl. 43. 7. Matth. 26. 5. Marc. 14. 2. Ioan. 5. 1.

8. *Abass.* Quid distat inter mensem solarem, & lunarem? *Rom.* Mensis solaris est, quem sol menstruo cursu, eóque semper stato

Discrimen inter menses solares, & lunares.

Digitized by Google

ſtato deſcribit, principium ſumens ab illo die, quo ipſe in domum, ſivè ſignum, quod illius menſis eſt proprium, ingreditur. Cùm ergo ſol (ut de ſolo Martio, ſeu primo menſe tantùm loquamur) in domum Arietis Martio attributi ſe infert, menſem ſuum inchoat. Is verò ingreſſus contingit ipſa die verni æquinoctis, de quo lib. 4. cap. 15. n. 12. quæ, juxta veſtrum calculum, eſt vulgaris Martii decima quinta, juxta Romanum, vigeſima prima. *Incipit enim menſis*, inquit D. Aforoſius, *non ſecundùm vulgarem uſum, ſed ſecundùm peritorum conſuetudinem, ab æquinoctio.* Menſis verò lunaris tam incertus eſt, atque verſatilis, quàm ipſa lunæ ſemper errantis vertigo. Non enim fixa die incipit, ſed illa ſolaris menſis, qua ipſa ſilet, & cum ſole ingreditur; hoc nempè anno citiùs, quàm ſuperiori undecim diebus, quibus annus, menſéſque ſolares communem annum, menſéſque lunares excedunt. Cùm autem menſes ſolares adminimum (ut apud vos) triginta dies exactos numerent, & aliqui apud Romanos uno ulteriùs abundent; luna autem ſoles dies viginti novem, & duodecim horas cum minutioribus aliis ſectionibus, fit, ut in eumdem menſem ſolarem duo lunares, quorum aliquis ſit imperfectus, alius inchoatus, incurrant; & ambiguum ſit, ad quem menſem ſolarem ſpectent: anteriorémne, an poſteriorem.

D. Ambroſ. Epiſt. 83.

Quis menſis lunaris cujuſque ſolaris ſit proprius.

9. *Abaſſ.* Quo ergo indicio deprehendam, quis menſis lunaris cujuſque ſolaris ſit proprius? *Rom.* Is menſis lunaris, cujus major pars intra menſem ſolarem inciderit, illius eſt proprius. Cùm autem menſis ſolaris, ut dictum eſt, verè incipiat eo die, quo ſol in ſignum ipſi deputatum conſcendit, licèt vulgus aliud ſentiat, vel loquatur, luna illa, quæ decimam quartam diem habuerit ipſa die ſolis ingreſſus in illud ſignum, vel propiùs poſt illum, intra Menſis illius ſolaris metas, ipſi tribuetur. Et ne extra primum menſem divagemur, cùm dictum ſit numero ſuperiori, illum ipſa die æquinoctii, quæ vobis eſt Martii decima quinta, Romanis vigeſima prima, exordiri; luna illa, quæ decimam quartam diem habuerit in die æquinoctii, vel proximè poſt illam intra triginta menſis primi dies, ad ipſum ſpectabit, ſiquidem majus ſuæ viæ ſpatium intra illum decurrit. Ac proindè & Judæis, & Chriſtianis, ſed ſecundùm diverſos dies, Paſchalis erit, Judæis quidem ipſa die decima quarta; Chriſtianis autem die Dominica poſt illam occurrente.

Ante æquinoctium nec Judæi poterant, nec Chriſtiani poſſunt Paſcha celebrare. Apoſt. can. 8. D. Clem. Conſt. Apoſt. lib. 5 cap. 6.

10 *Abaſſ.* Judæos, arbitror, nihil olim hanc æquinoctii perſpeculationem curaviſſe. *Rom.* Qui non curârunt, fœdè, judicibus Apoſtolis can. 8. ſuperiùs num. 5. producto, corruerunt; qui in Didaſcalia: *Falluntur*, inquiunt, *Judæi in ipſo calculo, & ratiocinatione.* Joſephus quoque tradit, gentiles ſuos Paſcha decima quarta primi menſis luna celebrare, ſole jam in Arietem ingreſſo; ingreditur autem ipſa die æquinoctii, & non ante. Idem affirmat Euſebius Cæſarienſis in hiſtoria Eccleſiaſtica ex antiqua Judæorum, etiam ante Chriſti adventum, traditione; & ex Anatolio Laodiceæ Epiſcopo, qui annos quinque, & quadraginta Nicænum Concilium anteceſſit. Ad Chriſtianos, præter illum Canonem, ſic planiùs Apoſtoli: *Oportet, ut dies feſtos Paſchæ accuratè, & cum omni diligentia poſt æquinoctium celebretis, ne unius paſſionis bis per annum memoriam renovetis. Vos verò diligenter obſervate converſionem verni æquinoctii.*

Euſeb. Cæſar. lib. 7. hiſt. Eccleſ. cap. 29. D. Clem. ſuprà.

Cur Deus noluerit Paſcha ante æquinoctium celebrari.

11. *Abaſſ.* Quæ cauſa tantæ diligentiæ, & cautionis? *Rom.* In primis illa, quam Apoſtoli aſſignant, & in Epiſtola ſua Magnus Conſtantinus; ne Paſcha bis eodem anno, alio verò nullum celebretur. Cùm enim annus ab æquinoctio incipiat (nam principium capiunt menſis, & annus idem) ſi hoc anno Paſcha ritè poſt æquinoctium celebres, & ſequenti ante æquinoctium, intra eumdem annum duo Paſchata peregiſti; ſi verò tertii anni Paſcha poſt æquinoctium procures, totus tibi annus ille ſine Paſchate effluxit. Deindè, quia ſicut Deus volebat, ut primùm erumpentis cujuſque lunæ cornua ſibi gratiarum actione, & tubarum clangore Hebræi ſanctificarent; undè Pſaltes: *Buccinate in neomenia tuba, in inſigni die ſolemnitatis veſtræ*; ità expetebat, ut ipſum ſibi annum in æquinoctio, in quo conditus eſt (ut oſtenſum lib. 4. cap. 5. n. 13.) renaſcentem agni immolatione, & Paſchatis celebratione initiarent.

Conſtant. Imp. apud Socrat. lib. 1. cap. 6. Ovid. 1. Faſt.

Pſal. 80. 4.

Si decima quarta lunæ ſimul in æquinoctium, & Dominicam diem inciderit, Paſcha aliam Dominicam transferendum.

12. *Abaſſ.* Supponamus ergo, decimam quartam lunam die æquinoctii, ſivè in ipſo novo anni aditu effulgeſcere. Ergo ſi illa fuerit Dominica, mox Paſchali ſolemnitate Chriſtiani triumphabunt. *Rom.* Habità ſolius temporis ratione, id abſurdum non eſſet, ſed cùm Judæi ſuum tunc agnum jugulent; & nefas ſit Chriſtianis, ſuas illorum feſtivitatibus immiſcere; & Paſcha quavis alia die, præter Dominicam, celebrare, ut viſum eſt n. 5. & 6. dies alia Dominica expectanda; quæ cadet in vigeſimam primam diem lunæ. Atque ità Chriſtianorum Paſcha ſemper occurret tertia Dominica menſis primi lunaris, à die decima quinta ad vigeſimam primam incluſivè. *Notate*, inquiunt, *Apoſtoli, à decima quinta uſque ad vigeſimam primam.* D. Victor Pontifex in illa Epiſtola: *A quinta decima luna menſis primi uſque ad vigeſimam primam eadem ſolemnitas celebretur.* Quem Canonem confirmatum à Concilio Nicæno, auctores ſunt D. Aforoſius, & Theodoretus. Ab eo tamen calculo vos Abaſſini enormiter cum Ægyptiis aberratis. Non ſolùm enim æquinoctii rationem, & ipſum nomen ignoratis; & ideò non rarò totam primi menſis lunam à Paſchate jejunâ tranſilitis; ſed illud ſecundo menſe peragentes, ipſi aliquandò non tertiam Dominicam decimæ quartæ lunæ viciniorem, ſed quartam jam ſeneſcente, imò tabeſcente lunâ, ultra diem vigeſimam primam, aſſignatis. Ut à vobis factitatum anno 1633. quo nos à veſtris finibus exterminaſtis. Cùm enim eo anno primi menſis novilunium Romanis die duodecimo Martii, vobis ſexto affulſerit; & illis decima quarta luna in diem vigeſimam quartam ejuſ-

Paſcha ſemper tertia Dominica menſis primi lunaris celebrandum. D. Clem. ubi ſuprà. D. Victor Epiſtola ad Theophil. D. Ambroſ. Epiſt. 83. Theodot. lib. 1. hiſt. Eccleſ. c. 9.

Digitized by Google

dem mensis, vobis in decimam octavam inciderit, hæc verò esset feria sexta sub novo jam æquinoctio contenta, sequenti Dominicâ, quæ nobis dies erat mensis vigesima septima, vobis vigesima prima, lunæ decima sexta, Pascha celebrandum erat, ut à nobis celebratum. Vos autem illud in alium Mensem, & lunam protraxistis, quæ nobis incæpit die decimâ, vobis in decimam octavam incidit, quæ cùm esset sabbatum, & longè post æquinoctium, statim die sequenti, quæ erat tertia lunæ Dominica, & decima quinta ipsius dies, Pascha erat maturandum. Quod vos non ad scopum tangendum, sed ad desipiendum cunctatores, in quartam lunæ Dominicam, & diem ipsius vigesimam secundam (quæ nobis fuit prima Maii, vobis vigesima sexta Aprilis) amandastis.

Quæ lunæ sunt Paschales, quæ non.

13. *Abass.* Tam supinum errorem, & tabulæ Ecclesiasticæ, & ipse lunæ aspectus confutat; sed ne iterùm nobis irrepat, aliquas optarem regulas ad dignoscendum, quæ lunæ sint Paschales, quæ à Paschatæ alienæ. *Rom.* Duas tibi Regulas subjectâ probatione proponam. Prima sit. Nulla luna, quæ apud vos ante secundam, vel ultra trigesimam diem Martii; apud Romanos ante octavam Martii, vel ultra quintam Aprilis suum ortum habeat, Paschalibus solemniis efflorescet. Probatur; quia quævis luna, quæ ante æculum, vel octavum Martii diem, juxta diversas supputationes, emicuerit, decimam quartam diem aget ante æquinoctium, nec proindè intra novuum annum admittetur, sed ad veterem relegabitur. Quæ autem ultra diem trigesimam Martii, vel quintam Aprilis cornua protulerit; nec decimam quartam sui diem intra primum mensem ab æquinoctio incipientem, nec Pascha (quod jam transactum est) videbit: Cadet enim dies decima quarta, quandò citiùs, in diem trigesimam ab æquinoctio, nempè in decimam nonam Aprilis Romani, & in decimam quartam Abassini, quæ jam ad præcedentem lunam non spectat; cùm luna non triginta dies, sed viginti novem, & duodecim tantùm horas perficiat; & quod reliquum est posterioris diei, in sequentem lunam trahatur.

Quandò citiùs, & quandò seriùs Pascha possit contingere.

14. *Abass.* Quæ secunda Regula? *Rom.* Pascha non potest citiùs Abassinis, quàm decimo sexto sui Martii die, nec Romanis, quàm vigesimo secundo affulgere; nec seriùs Abassinis, quàm vigesimo Aprilis, Romanis autem vigesimo quinto advenire. Prior pars probatur; quia luna, quæ decimam quartam sui diem in æquinoctium, vel decimam quintam diem vestri mensis, & vigesimam primam nostri immiserit, Pascha invehet; quæ dies, si Sabbatum fuerit, mox sequenti, quæ erit decima sexta, vel vigesima secunda mensis, & lunæ decima quinta, post Judæorum Pascha, nostrum transigetur. Si autem decima quarta luna in Dominicam inciderit, ne cum Judæis conveniamus, sequentem Dominicam, quæ vobis erit vigesima secunda Mensis, nobis vigesima octava: utrisque lunæ vigesima prima, præstolabimur. Idémque observandum, quoties deinceps, luna decima prima in diem Dominicam, sivè quamvis hebdomadæ feriam inciderit; ut Pascha semper ad sequentem Dominicam reservetur. Luna verò illa in Pascha concitatior, vobis die secunda, nobis octava vulgaris Martii prorumpet, si decimo quarto sui ortûs die Sabbatum illustraverit. Secunda pars probatur; quia segnior ad importandum Pascha luna illa erit, quæ vobis die trigesima Martii, nobis quinta Aprilis orietur. Illius enim decima quarta statio vobis decima tertia ejusdem mensis, Romanis decima octava figetur; quæ si Dominica fuerit, ut à Judæis recedamus, ad sequentem provocabimus; quæ vobis Pascha vigesima die Aprilis, nobis vigesima quinta exhibebit.

Eædem Regulæ quondam Alexandriæ viguerunt.

15. *Abass.* Similibus nos Regulis si Magistri Alexandrini instruerent, omnibus essemus erroribus perpurgati. *Rom.* Eædem Regulæ, quæ olim Romæ viguerunt, & nunc vigent, heroïcis etiam temporibus Alexandriæ consederunt; ut testatur D. Leo Magnus in Epistola ad Proterium Alexandrinum Antistitem. *Latificaverunt me*, inquit, *litteræ dilectionis tuæ. Oportebat enim, ut ab Alexandrinæ Ecclesiæ Præsule talia scripta ad Sedem Apostolicam mitterentur, quæ ostenderent, B. Petri Apostoli Magisterio Paschalis festi computum ab initio per B. Marcum ejus discipulum didicisse Ægyptios, quod etiam constat didicisse Romanos.* Nec non Beda: *Hic*, inquit, *Paschæ computus ipsis Apostolorum temporibus jam servari in Ecclesia cepit; maximè Romæ, & in Ægypto.* Sed Alexandriæ nunc accidit, quod suo jam tempore querebatur D. Cyrillus in Epistola allegata ab Stoflerino, Alberto Pighio, & Clavio. *Sanctum*, inquit, *Paschæ mysterium, ejusque sacra solemnitas, sicut à Salvatore nostro, & Apostolis est tradita, illibata mansisset, si eam quorumdam insipientium perversitas inter cætera Dei sacramenta minimè contaminasset.* Undè discès, hunc celebrandi Paschatis ritum, non solùm esse Ecclesiæ institutionem, sed Apostolicam, atque divinam, & connexam Fidei dogmatis traditionem.

D. Leo apud Bedam lib. de temp. rat. cap. 42.

D. Cyril. in Epist. Stofler. in Calen. Rom. prop. 2. Albert. Pig. lib. de rat. Pasch. celeb. Clavius Calend. Rom. cap. 1.

Epilogus toto capite dictorum.

16. *Abass.* Quæ à te fusiùs toto hoc capite apertâ manu sunt disseminata, quæso in pugnum contrahas, ut faciliùs memoriæ infigantur. *Rom.* Omnes Christiani ubique terrarum Paschalem solemnitatem mense primo; & uno, eodémque die sunt acturi. Non tamen ante æquinoctium, nec decima quarta luna mensis primi cum Judæis; sed post æquinoctium, & decimam quartam lunam; die Dominica, quæ illi fuerit propinquior, & tertia semper erit mensis lunaris, quemlibet lunæ diem à decimo quinto ad vigesimum primum inclusivè occupatura. Illa verò primi mensis luna censebitur, cujus dies decima quarta æquinoctium, vel quamcumque aliam diem mensis primi ab æquinoctio exordientis amplectetur. Quarta decima dies illius lunæ, quæ vobis

Digitized by Google

vobis die secundo, nobis octavo Martii orietur, in ipsum æquinoctium cadet; post illud propiùs, vel longiùs, quæ vobis deinceps ad trigesimam diem Martii, nobis ad quintam Aprilis inclusivè radiabant; omnes enim decimam quartam diem ultra æquinoctium, & intra primum mensem agent. Reliquæ lunæ vel priores, vel posteriores, Paschalis gaudii sunt exortes; nam priores die decima quarta æquinoctium, & primum mensem non attingunt; posteriores verò extra illum, in secundùm mensem deturbantur.

CAPUT XIII.

Exponitur septimus Symboli articulus: Ascendit in cœlum, sedet ad dexteram Patris.

Corporali præsentiâ mundum Christus reliquit, cùm in cœlum ascendit.

1. *Abyss.* Paschate curato, Christum in cœlum ascendentem, præmissâ septimi articuli expositione, comitemur. *Rom.* Hujus articuli sensus est, Christum, qui loca omnia divinitatis suæ præsentiâ complectitur, terrâ secundùm visibilem præsentiam relictâ corpus suum in cœlum transtulisse. Nam quatenùs Deus est, nullo loco claudi, sed omnibus adesse, probant, quæ de illius sinceritate dicta sunt lib. 2. cap. 3. num. 9. & cap. 12. num. 2. Sed quatenùs homo est, spatio designato alligari, ostendimus lib. 5. cap. 20. à num. 4. Quod evidenter educitur ex verbis istius articuli, aliisque ipsi cognatis. Qualia sunt illa Joannis: *Joan. 10. 17.* *Nondum enim ascendi ad Patrem meum*; & *Marc. 16. 19.* illa Marci: *Assumptus est in cœlum*; & illa *Luc. 4. 51.* Lucæ: *Recessit ab eis, & ferebatur in cœlum*; *Act. 1. 9. 10. 11.* & in Actis: *Videntibus illis elevatus est*; & iterùm: *Cúmque intuerentur in cœlum euntem illum*; & iterùm: *Hic IESVS, qui assumptus est a vobis in cœlum, sic veniet quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum*; & *1. Pet. 3. 22.* illa D. Petri *Profectus est in cœlum.* Quæ omnia mendacii veneno contaminarentur, si, ut de sua divinitate ait: *Joan. 14. 10.* *Ego in Patre, & Pater in me est*, ità cum eodem corporis præsentia ad omnem locum porrecta copularetur. Nemo enim ascendit, assumitur, recedit, fertur, elevatur, vadit, & profiscitur, nisi inferiorem locum, in quo est, cum sublimiori, à quo abest, commuret.

Patrum testimonia. D. Amphil. in verba *Joan. 14. 28.* D. August. tract. 78. in Ioan.

2. *Abyss.* Scripturæ testimonia Patrum assertionibus roborato. *Rom.* D. Amphilochius Iconii Episcopus: *Vado*, inquit, *apud Joannem, & venio ad vos. Utrumque sicut homo; sicut autem Deus inseparabiliter sum vobiscum.* D. Augustinus in eadem verba: *A quibus*, inquit, *homo abscedebat, Deus non recedebat, & idem Christus homo, & Deus. Ergo ibat per id, quod homo erat, & manebat per id, quod Deus erat. Ibat per* Idem Epist. 57. *id, quod uno loco erat; & manebat per id, quod ubique erat.* Alibi: *Secundùm carnis formam non est putandus ubique diffusus. Cavendum enim est, ne ità divinitatem astruamus hominis, ut veritatem corporis destruamus.* D. Hippolytus Episcopus, & Martyr: *Christus sustinuit propter nos naturalem corporis circumscriptionem.* D. Cyrillus: *Hic animadvertendum est, quòd, etsi corporis sui præsentiam hinc subduxerit, majestate tamen divinitatis semper adest.* Infrà: *Credere oportet Fideles, quòd licèt à nobis corpore absit, virtute tamen ejus omnia, & nos gubernari.* D. Vigilius Episcopus Tridentinus: *Quando in terra fuit, non erat utique in cœlo, & nunc, quia in cœlo est, non est utique in terra; & in tantum non est, ut secundùm carnem Christum expectemus venturum de cœlo, qui ubique est per naturam divinitatis suæ, & loco continetur, secundùm naturam humanitatis suæ.* D. Joannes Damascenus: *Quod Christus è terra in cœlum ascenderit, rursúsque descensurus sit, circumscripti corporis actiones sunt.*

D. Hipol. lib. de Theolog. & Incarn. D. Cyril. lib. 6. in Joan. c. 14. & lib. 9. cap. 21. D. Vigil. Tridentin. lib. 4. contr. Eutychian. D. Joan. Damasc. lib. 4. de Fide, c. 1.

Descendere, & ascendere Deo metaphoricè tribuuntur. *Joan. 3. 13.* *Ephes. 4. 10.*

3. *Abyss.* Si circumscripti corporis esset descendere, Deo non tuibueretur; & tamen Christus de se ipso, ut Deus est, dixit: *Nemo ascendit in cœlum, nisi qui descendit de cœlo*; & D. Paulus: *Qui descendit, ipse est, & qui ascendit super omnes cœlos.* Cùm autem Christus descendit, Deus tantùm erat, & non homo; quia ideò descendit, ut homo fieret. Ergo si Dei est descendere, Dei etiam erit, non corporis tantùm, ascendere. *Rom.* Ascendere, & descendere aliquandò Deo metaphoricè tribuuntur; ut in Psalmis: *Ascendit super Cherubim, & volavit super pennas ventorum.* *Psal. 17. 11.* In Genesi: *Descendit autem Dominus, ut videret civitatem.* Iterùm: *Descendam, & videbo.* *Genes. 11. 5. & 18. 21.* Eumdem sensum vendicat verbum *Descendit*, locis à te indicatis; non enim indicat, Deum locum vertisse, sed se ipsum ad corporis abjectionem demisisse. *Descensio illius*, inquit D. Athanaeus, *non fuit digressio à cœlo.* Alibi: *Ex se ipso in se ipsum descendit; nimirùm ex deitate sua in suam humanitatem.* D. Cyrillus: *Patres dixerunt: Descendit de cœlis, & incarnatus est, ut per hoc super omnia intelligeremus esse & natura, & gloria, qui propter nos humiles visitandos voluit nostram similitudinem assumere, & cum carne apparere mundo semetipsum exinaniens.* Theodotus Ancyranus: *In humilitatem Deus sese dimisit, nullam secundùm propriam naturam passus diminutionem.*

D. Athan. lib. contra gregal. Sabellii. Lib. de hum. Nat. suscep. contr. Apollinar. D. Cyrillus in exposit. Sym. Nicæn. Theodot. Ancyr. Orat. 1. cont. Nestor.

4. *Abyss.* Suóne cum corpore, an eo deposito, Christus ascendit? *Rom.* Angeli discipulis dixère: *Hic IESVS, qui assumptus est à vobis in cœlum*, illum, qui priùs inter eos fuerat, digito demonstrantes; idem autem non esset, si suo se corpore abdicasset. D. Athanaeus: *Ascendit in cœlos, & sedet ad dexteram Patris in vera carne sua, quam elevavit à terra.* Alibi: *Ascendit in cœlum unitus carni suæ, quam sumpsit ab hominibus; & posuit eam in gloria divinitatis suæ, in dextera Patris.* D. Basilius: *Carnem, quam sumpsit ex Sanctissima Virgine Maria, elevavit secum in cœlum in unione.* D. Gregorius Nyssenus: *Ascendit in cœlum in ipsa carne, discipulis videntibus.* D. Ayocandius: *Ascendit in cœlum in carne, quam sumpsit ex Sanctissima Maria Domina nostra.* D. Epi-

Cum suo vero corpore Christus ascendit. *Act. 1. 11.* D. Athan. p. 1. n. 22. P. 14. n. 37. D. Basil. p. 5. n. 16. D. Gregor. Nyss. p. 4. n. 35. Ayocandius n. 11.

Digitized by Google

D. Epiphan. p. 11. n. 10. D. Joan. Chrysost. p. 12. n. 3. D. Cyril. p. 8. n. 2. p. 52. n. 131

phanius: *Idem, qui mortuus est in carne, & resurrexit, ascendit in cœlum in hac una carne.* D. Joannes Chrysostomus: *Christus elevavit carnem suam, quæ est substantia nostra.* D. Cyrillus: *Suscitavit carnem suam, & ascendere fecit illam in cælum.* Alibi: *Verbum vestitum carne ante Deum apparuit, manifestatum in substantia humana.*

Quid intersit inter ascendere, & elevari.

5. *Abass.* In adductis superiùs de Christi Ascensione testimoniis discrimen conspicor; in aliquibus enim dicitur, ascendisse, & profectum esse, quod virtutis est innatæ; in aliis ferri, & elevatum esse, quod est efficacitatis alienæ. *Rom.* Cùm simul Deus, & homo esset, duabus naturis instructus erat; & ut Deus, propria virtute ascendebat; ut homo autem, à divinitate impellebatur.

D. August. serm. 3. de Ascens. qui est 176. de Temp.

Ascensionis festivitas, inquit D. Augustinus, *hominis nobis, & Dei sacramenta manifestavit; sub una, eâdémque Persona in eo, qui elevat, divinam potentiam; in eo, qui elevatur, humanam agnoscite substantiam.*

Corpus propriè ascendit, ed ascendendi virtus à divinitate emanat. D. Cyril. p. 52. n. 136.

6. *Abass.* Secundùm quam illarum naturarum Christum veriùs ascendisse statuemus? *Rom.* Si Ascensionis nomine aves, loci mutationem significari, propriè ascendit ratione humanæ naturæ, quæ certo loco coarctatur; nec alium comparat, nisi priori derelicto. Undè D. Cyrillus: *Ascensio illi est in gloria, humanitatis est.* Si autem scire concupiscis, quâ ex radice virtus ad ascendendum profluxerit, ea est divinitas, quæ subtilitatis, & agilitatis dotibus corpus exornavit; cùm autem dotes illæ corpori (quod semper deorsùm vergit) non sunt ingenitæ, sed gratiæ dono à divinitate impensæ, ipsi sursùm propria virtute ascendere, tribuendum: D. Augustinus, *Scio*, inquit, *ad inferos deitatem descendisse proprietate carnis; scio ad cælum ascendisse carnem merito deitatis.* D. Joannes Chrysostomus: *Ascendit Deus in jubilatione. Non dixit: Extulerunt eum; sed ipse ascendit, & noluit ducem stineris ante se. Non potuit Elias ita ascendere, sicut Christus, sed Angeli illum extulerunt. Verbum quidem Dei, Unigenitus ascendit potestate sua. Et ideò ait Lucas, quia discipuli viderunt illum euntem in cælum; & non dicit: Elevaverunt eum, atque portaverunt; quia locus, ad quem ascendit, proprius ejus est.*

D. August. lib. cont. Fel. cap 11. Ps. 46. 6. D. Joan. Chrysost. p. 7. per totam, ex exposit. Psalm. 46. Act. 1. 10.

In cælum Empyreum Christus illatus. Genes. 5. 24. 4. Reg. 2. 11. Ephes. 4. 10. 1 Petr. 3. 22. Ephes. 1. 21.

7. *Abass.* In quo cœlo Christus conquievit? *Rom.* Non intra aërem, vel in terrestri paradiso, sicut Enoch, & Elias; sed *ascendit super omnes cælos*, ut dixit D. Paulus, intra Empyreum, *subjectis sibi Angelis, & super omnem principatum, & potestatem* constitutus. Cùm verò Angeli cœlestis curiæ perpetui sint habitatores, dici etiam possunt cæli, super quos Christus ascendit.

Cur Christus in cælum regressus? Symb. Nicæn. Prov. 8. 31.

8. *Abass.* Si Christus *propter nos homines, & propter nostram salutem descendit de cælis*, quare in illos regredi maluit, quàm cum hominibus (qui ipsius sunt delicia) conversari? *Rom.* Cuicumque rei insitum est, suo se principio redonare; cùm autem Christus à Patre digressus fuerit, æquum erat, ut ad eumdem, legatione peractâ, se reciperet; ut

Ioan. 16. 28.

ipse dixit. *Exivi à Patre, & veni in mundum; iterùm relinquo mundum, & vado ad Patrem.* Cùmque semper *medius* hominum *steterit*, & solùm *quasi viator ad* pernoctandum *declinaverit, pertransiens benefaciendo*, & (ut addit D. Bernardus) *mala patiendo*, fas erat, ut partâ jam de hoste victoriâ *conquiesceret.* Non quòd post Resurrectionem ulla sit lassitudine tentatus, sed quòd tunc etiam non pauca itinera sit emensus, quorum *felix clausula* fuit Ascensio. Illius enim tantùm viatoris veram requiem opinamur, qui in suam patriam, proprioque penates se collegit. Natale autem Dei solum cœlum est: *Cœlum*, inquit, *mihi sedes est*; cáque ipsi multò anteà fuerat præperata. *Dominus*, inquit Psaltes, *in cælo paravit sedem suam.* Neque ideò terram divinitatis, & sacramentali corporis sui præsentia spoliavit; de illa enim ad discipulos dixit in discessu: *Ecce ego vobiscum sum omnibus diebus usque ad consummationem seculi.*

Ioan. 1. 26. Ierem. 14. 8. Act. 10. 38. D. Bernard. D. Bernard. serm. 2. de Ascens. Isai. 66. 1. Psalm. 102. 19. Matt. 28. 20

Cujus utilitatis nobis fuerit Christi Ascensio.

9. *Abass.* Alicujusne utilitatis hominibus Christi Ascensio, an doloris tantùm, & lacrymarum messis fuit? *Rom.* Maximo nobis fuit quæstui; Ascendens enim viam nobis in cælum muniit; obseratas illius fores patefecit; ab eóque sanctum Spiritum dimisit; Fidem quæ rerum invisibilium auditione, & consideratione pascitur, excitavit; spei calcaria admovit, ut perpendamus, eò membra ad ingressum, connitti debere, quò jam ipsorum caput præcessit; & charitati nostræ faces injecit, ut eò corda contendant, ubi ipsorum jam in tuto est *thesaurus*. Humanam etiam naturam mirè evexit, factâ Patri opimâ illius oblatione. *Ascendens in cælos*, inquit D. Gregorius Nazianzenus, *obtulit Patri suo humanam illam, quam suscepit pro hominum salute naturam, gratissimum munus.* D. Joannes Chrysostomus: *Natura nostra primitias obtulit Patri, & oblatum donum miratus est Pater; quod & tanta dignitas offerebat; & quod offerebatur, nullâ macula fædabatur.* Tandem in paternæ dexteræ consortium Christus admissus, omnes in illud homines concivit, teste Paulo, cùm ait: *Consedere nos fecit in cœlestibus in Christo*; ut eum locum in vestro Libro interpretantur D. Joannes Chrysostomus, & D. Cyrillus.

Matth. 6. 21 D. Gregor. Naz. Orat. 49. D. Joan. Chrysost. hom. de Ascens. tom. 3. Ephes. 2. 6. D. Ioan. Chrys. p. 8. n. 1. D. Cyril. p. 52. n. 14.

Christi sessio non est corporaliter intelligenda

10. *Abass.* Quænam illa est sessio, quæ in secunda parte septimi istius articuli memoratur? *Rom.* Cùm dicitur, Christum paternæ dexteræ consessu gloriari, haudquaquàm credere oportet, complicatis semper crurum, & genuum vertebris in cælo desidere; cùm D. Stephanus eumdem stantem sit conspicatus; sed eâ loquendi formulâ innuitur, ipsum à bello, in quo duces stantes, aut pugnant acriter, aut fortiter occumbunt, missionem accepisse; & judicem esse universalem: quia judices è cathedris sedentes sententiam evulgant, vel Regem, non ministrum, ministrorum enim, etsi Angelica dignitate præfulgeant, est Regi suo stataria appariturum exhibere; ut illorum, de quibus Daniel, *Millia millium ministrabant ei, & decies millia assistebant ei.* Regum verò, in solio conquiescere. Ita Salomon: *Rex qui sedet*

Act. 7. 55. Iob. 29. 7. Dan. 7. 10. Prov. 20. 8. Esth. 1. 2.

in

in solio judicii. In libro Esther de Assuero, *Quando sedit in solio regni sui.* Qua de causa D. Paulus, ut ostenderet, quantùm inter naturalem Dei Filium, atque Angelos interesset, subjecit: *Ad quem Angelorum dixit aliquando: sede a dextris meis?*

Heb. 1.13. *Ps.* 109. 1.

Per dexteram Patris summa cœli bona intelliguntur. D. Athan. q. 78. ad Antioch. D. Basil. Ep. ad Amphil. c. 6. D. August. de Agone Christiano. cap. 26. D. Cyril. lib. 12. Thes. cap. 14.

11. *Abass.* Quomodò igitur intelligendum, Patri dexteram in esse Filio autem sessionem? *Rem.* Id te non ego, sed gravissimi Ecclesiæ Patres edoceant: D. Athanateus: *Cum dexteram Dei audieris, majestatem, & gloriam Dei intellige.* D. Basilius: *Dextera est dignitatis, honorisque aqualitas.* D. Augustinus: *Nulla corporis forma Deus definitur, atque concluditur, sed dextera Patris est beatitudo perpetua, quæ sanctis datur, absque miseria perpetua, quæ impiis datur.* D. Cyrillus: *Magna est amentia sessionem, & sedem, aut omninò situm aliquem Deo tribuere; sed quæ corporaliter nostro more de ipso scribuntur, convenienter intelligenda sunt. Quare cùm Filius sedere à dextris Dei scribitur, nihil aliud significatur, quàm non esse Filio minorem, quàm Patri cultum, atque honorem attribuendum; sed eumdem omninò. Id autem sumptum est à consuetudine nostra; in dextris enim nostris collocamus, quos non minoris dignitatis putamus.* D. Joannes Damascenus. *Per paternæ dextera vocabulum nihil aliud significamus, quàm divinitatis honorem, atque gloriam, in qua, cùm Dei Filius, ut Deus, ejusdemque cum Patre substantiæ ante sæcula esset, ad extremum incarnatus, corporeóque modo consedet; in eandem nimirùm gloriam ascita ipsius carne: una enim, eâdémque cum tua carne adoratione ab omnibus rebus conditis afficitur.*

D Ioannes Damasc. 4. de Fide, c. 2.

Non est deterior Patris gloria ex Filii ad dexteram sessione. D. Athan. Orat. 2. cont. Arian.

12. *Abass.* Augustiorem ergo sedem Christus, quàm æternus ipsius Pater occupat; dexter ipse, & interior, illo ad lævam, extrorsúmque projecto. *Rom.* Tuam bilem affusa à D. Athanateo salutaris aquæ guttula restinguet. *Christus*, inquit, *ad dexteram sedens, non ad sinistram sedentem habet Patrem; sed ideò hoc dictum est, quia quod dextrum, & magnificum est, ac Patri adscribitur, hoc quoque Filius habeat. Atque indè est, quod dicitur: Omnia, quæ habet Pater, mea sunt.* Patri autem medius semper locus, quem peculiarem vendicat regia dignitas, reservatur. Hussitarum enim Rex Job ait: *In circuitu meo pueri mei.* Et Samuel David in Regem unxit *in medio fratrum ejus.* In Ecclesiastico: *In medio fratrum rector eorum?* Rex enim, à quo omnes dignitatum tituli, tamquàm à fonte in subditos derivantur, honoris sui jacturam non facit, imò incrementum, si quemquam ad dexteram suam constituat, quemadmodùm Pharao, cùm ereptum suæ annulum Josephi manui insertavit, eúmque fecit in currum suum, cunctis genu ante ipsum flectentibus, conscendere; & Assuerus, cùm suo jussit equo invehi Mardochæum, & ipse tandem Christus suam gloriam non deteret, cùm oves suas ad dexteram collocabit; & Apostolos sibi adæquabit sedentes *super sedes duodecim, & judicantes duodecim tribus Israel.*

Job. 29. 5. 3 *Reg.* 16. 13. *Eccl.* 10. 24. *Gen.* 41. 42. 43. *Esth.* 6. 11. *Matt.* 25. 33. *Matt.* 19. 28.

CAPUT XIV.

Declaratur octavus Symboli articulus: Indè venturus est judicare vivos, & mortuos.

Ad judicium Christus, relicto cœlo, est venturus.

1. *Abass.* Opportunè te (sciens-ne, an incogitans, ipse noveris) in octavum Symboli de extremo judicio articulum intulisti: *Inde venturus est judicare vivos, & mortuos. Rom.* Illius sensus est, Christum dimisso illo, quem nunc in cœlo replet, loco, in montem Oliveti, à quo se ipsum Ascensionis die in cœlum collegit, digressurum; & ex præparato ibidem sibi tribunali omnes gentes per latissimam vallis Josaphat subjectæ planitiem dispositas, ex Joëlis vaticinio, judicaturum: *Congregabo omnes gentes, & aeducam eas in vallem Iosaphat, & disceptabo cum eis.*

Ioel. 3. 2.

Cur in valle Iosaphat judicium futurum?

2. *Abass.* Cur scenam vallis Josaphat ad tragicum illum, extremúmque mundi actum Christus cæteris locis præponat? *Rom.* Vallem illam inter montem Oliveti, & Jerosolymam procurrentem alluit torrens Cedron, quem Christus post comprehensionem suam, & forsan à lictoribus in ipsius cœnum demersus, pertransivit, ut impleretur illa prædictio: *Infixus sum in limo profundi.* Par ergo est, ut ibi justum se judicem ostentet, ubi cœpit iniquè judicari; & ubi in cœlum ascendit, ut iniret judicialis cathedræ possessionem; & vera evadat Angelorum ad discipulos promissio: *Sic veniet, quemadmodum vidistis eum euntem in cœlum.*

Ioan. 18. 1. *Psalm.* 68. 3. *Act.* 1. 11.

Intra cœlum fieri judicium non decebat. *Apoc.* 21. 27

3. *Abass* Nonne foret æquius, id judicium in cœlo agitari, quàm in aëre: è regione Jerosolymæ? *Rom.* Cùm in judicio, & bonorum, & malorum causæ sint ventilandæ, & de cælesti civitate dicat Apocalypsis: *Non intrabit in eam aliquod coinquinatum*; ab æquitate penitùs abhorreret, si improbis in illam, saltem ut justæ damnationis sententiam exciperent; vel etiam electis ante absolutam approbationem, aditus pateret. Eam verò censuram fieri decet in iis locis, quibus nostra peracta est redemptio, ut omnibus sit compertum, quàm justè damnentur impii, qui illam despicatui habuère; & quanto jure probis, qui illam sunt amplexi, æterna præmia deferantur.

In terra Christum judicare, æquius est. *Psal.* 2. 2.

4. *Abass.* Cœlum quidem judex insideat; sed ab eo judicandi, vel in aëre pendeant, vel in terra consilescant. *Rom.* Cùm in terram Christus exscenderit, & in ea non solùm regnum non occupaverit, sed illius Reges, ac Principes in unum ad impingendam ipsi damnationem convenerint, oportet, ut aliquandò in eam totum regni sui apparatum, majestatémque inducat, ut manifestum fiat hominibus, ipsum primo in adventu potentiam non defecisse, sed patientiam superâsse. Singillatim, ad Judæorum confusionem; ut siquidem illum in primo adventu Regem ob paupertatis, angustias respuerunt

Digitized by Google

resipuerunt, severum judicem in secundo experiantur.

Judiciariæ Christi potestatis fons est divinitus, exercitium in humanitate. *Ioan.* 5. 27.

5. *Abas.* Christo judiciaria potestas, ut homini, an ut Deo congruit? *Rom.* Loquendum, ut de Ascensione superiori capite, n. 6. Illius enim potestatis fons est in divinitate: executio, sive exercitium in humanitate. Quod ipse apud Joannem ostendit illis verbis, *Dedit ei*, (Pater, sive Deus) *potestatem judicium facere, quia filius hominis est*. Expediens enim erat, ut hominum judex, homo esset, quem illi corporeis oculis intuerentur; & is, qui legem sanxerat, illius non observatæ rationem exigeret; & qui cùm esset *impollutus, cum sceleratis reputatus est*, iniquos vicissim judices condemnaret. Tandem ut sontes, & insontes æqualiter servi formam in judicio conspiciant; Dei autem, quem *facie ad faciem videbunt*, forma solis innocuis in cælo apertè contemplanda reservetur.

Heb. 7. 26. *Isai.* 53. 12. 2. *Cor.* 13. 12.

Cur Christus, ut homo, judicaturus?

6. *Abass.* Si mundum Deus, quà Deus est, condidit, cur illum in fine non, ut Deus, sed quatenùs est homo, judicabit? *Rom.* Ut decebat, mundum, & præcipuè hominem à Verbo, ad cujus imaginem fuit conformatus, ut dictum lib. 5. cap. 2. n. 8. interiùs adeptâ peccatorum remissione renovari, ità & in fine exteriùs interpellari, corporibus immortalitate donatis, & omnibus ità restauratis, ut verè dicere possit: *Ecce nova facio omnia*. Cùm autem eadem Persona Deum, atque hominem exhibeat, verè Deus munus est judicis obiturus.

Apoc. 21. 5.

Judicium duplex; aliud particulare, aliud universale.

7. *Abass.* Quandò judiciũ exercendum? *Rom.* Duplex est judicium; particulare, & universale: Particulare illud est, quod in die obitus cujusque exercetur, statim ubi anima à corpore divellitur. Mox enim impiorum animæ in tartarum demerguntur; perfectè expiatorum, in cœlum transvehuntur; eorum qui justi quidem sunt, sed aliquo temporalis pœnæ reatu maculosi, in ignem purgatorium conjiciuntur, donec toto debito digna satisfactione expuncto in cœlum transportentur. De quo lib. 8. cap. 9. & 10. Judicii istius particularis mentionem facit Sapiens in Ecclesiastico: *Facile est*, inquit, *coram Deo in die obitus retribuere unicuique secundum vias suas.* Et Infrà: *In fine hominis denudatio operum illius.* D. Paulus: *Statutum est hominibus semel mori: post hoc autem judicium.* Universale judicium est, quod Christus, ex acto sæculo, coram omnibus Angelis, & hominibus agitabit, de quo speciatim octavus articulus.

Eccles. 11. 28. 29.

Heb. 9. 27.

Cur judicium universale post particulare instituendum?

8. *Abass.* Si particulare illud judicium est præcessurum, quid opus est universali? *Rom.* Ut Deus suis in operibus, & sermonibus justificetur; & coram Angelis, atque hominibus innotescat, quanto jure pœnas in noxios, præmia in benè de se merentes effundat. Judicandi enim sunt omnes Angeli tam obsequentes, quàm pervicaces. *Nescitis*, inquit Paulus, *quoniam Angelos judicabimus?* Vivi etiam, & mortui ad lucernas excutiendi, ut hic articulus credendum proponit. Vivorum nomine justos, mortuorum peccatores aliqui intelligunt; alii animas vitæ scaturiginem, & corpora mortis sarcinam Deum examinaturum, alii vivos eos dici, quos Antichristi persecutio spirantes adhuc offenderit; quoniam etsi perituri sint, modicum tempus inter ipsorum mortem, & resurrectionem intercedet. Aptiùs tamen est, ut sentiamus, vivos, & mortuos dici respectu temporis, quo nunc symbolum recitamus, & Christus illos in judicium particulare vocat qui jam animam egêre, vel deinceps sunt acturi, aut nunc vitam transigunt, illámve in mundi exitum sunt protracturi.

1. Cor. 6. 3. D. Chrysost. Theodor. Theophy. Anselm. Sotus 3. p. q. 59. disp. 17. sect. 8. Quinam sint vivi, & mortui, quos Christus judicabit?

Christi assessores Apostoli, & alii viri perfecti. *Matt.* 19. 28.

9. *Abass.* Aliquine, præter Christum, calculos in eo judicio sunt jacturi? *Rom.* Postquàm justi candidis lapillis à Christo fuerint approbati, ipsi etiam in judicis sententiam concordibus suffragiis sunt ituri, & improbos nullâ factâ suorum meritorum commemoratione, tamquam assessores condemnaturi. Quâ prærogativâ Apostoli potissimùm, & qui eos secuti fuerint perfectâ sui abnegatione, & rerum omnium abdicatione, potientur.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Österreichische Nationalbibliothek
+Z165712000
Digitized by Google

Digitized by Google



Digitized by Google





Digitized by Google